COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA

CURA ET STUDIO

SALVATORIS PALLOTTINI

S. THEOLOGIAE DOCTORIS, IN ROMANA CURIA ADVOCATI, PENES EAMDEM SACRAM CONGREGATIONEM MATRIMONIORUM, SACRARUM ORDINATIONUM, PROFESSIONUM RELIGIOSARUM DEFENSORIS EX OFFICIO SUPPLICUM LIBELLORUM ET COMMISSIONUM, QUAE BREVIBUS APOSTOLICIS LITTERIS ANNULO PISCATORIS OBSIGNATIS CONFECTAE AD ECCLESIASTICOS IUDICES EXTERIS IN REGNIS MORANTES MITTUNTUR, REVISORIS, ET CONCILII VATICANI NOTARII.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

TOMUS VII.

ALMA COLLEGE 262.211 LIBRARY P179 Alma, California

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXX.

37246

X
831
C65
v.7
1868

Liber hic cum aliis iam in lucem editis Typographica proprietate gaudet
ad Legum vigentium normam etiam in aliud idioma translatus.

COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA.

DAMNA INTERESSE ET EXPENSAE.

1. Nomine damnorum venire expensas etiam extraiudiciales docet Rota in Pisauren. Literarum 22 iunii §. 7 coram Malvasia, et in Pisauren. Literarum Cambii quoad expensas extraiudiciales §. 2 coram Despuix *in Romana Nullitatis Matrimonii die 22 Augusti 1840* §. *Deinde.*

2. Unde is reficere tenetur damna, qui ea criminose intulit, per Textum in Lege *Qui occidit* §. penult. ff. ad legem aquiliam *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis super refectione damnorum et expensarum die 28 Martii 1801* §. *Unus.*

3. Nam damna ab eo sarcienda sunt, qui eorumdem fuit auctor *in Spoletana Congruae die 23 Novembris 1765* §. *De tertio.*

Item *in Firmana Reaedificationis Coemeterii die 15 Ianuarii 1803* §. *Parochiani* (1).

4. Siquidem nemo ex culpa alterius damnum ferre cogitur, L. *Si pecuniam 5* de condit. caus. data *in Alatrina Observantiae vel Rescissionis Compromissi die 28 Maii 1853* §. *Ex hisce.*

5. Qua de re si sententia, quam Iudex tulit, sustinetur, reus damnari videtur etiam ad expensas, quas Fiscus in inquisitione peragenda pertulit, quin ulla reo damna resarcienda sint: cum enim haec omnia, sive expensae, sive damna, rei culpae vertenda sint, eorum etiam onus ipse sentiat oportet, iuxta regulam 86 de regulis iuris in 6: – Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare –, cui consonat aliud iuris

(1) Lancellott. de attent. part. 3, cap. 30 n. 187; Rota in decis. 87, n. 1 coram Bichio; et in decis. 640, n. 13 coram Molin.

adagium: – Si quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire – *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848* §. *Resolutio.*

6. Haud tamen praetermittendum, ad expensas reum damnari non posse, licet Causa cadat, quia id vetitum est in iudiciis criminalibus; ut enim observat Gonzalez in Cap. *Calumniam* 4 de poenis lib. 5 tit. 37: – Hic recte deducunt Fachineus lib. 1 controv. cap. 42, Balboa in Cap. *Significaverunt* 11 n. 23 de exceptionibus, in causis criminalibus regulariter victum non esse condemnandum in expensas, pro qua sententia facit Textus in L. *Non ignoretis* Cod. de fruct. et litium expensis – *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848* §. *Haud.*

7. Contra Iudex ad litis aestimationem damnatur, si sententia iniusta omnino sit et calumniosa, ex Cap. *Cum aeterni* 1 de sententia et re iudicata in 6, ubi cavetur: – Si quis Iudex ecclesiasticus ... contra conscientiam et contra iustitiam in gravamen partis alterius in iudicio quidquam fecerit per gratiam vel per sordes, ab executione Officii per annum noverit se suspensum, ad aestimationem litis parti, quam laeserit, nihilominus condemnandus – *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848* §. *Ast.*

8. A quo nec Fiscus excusatur: Fiscus enim Accusatoris partem agit in iudiciis inquisitoriis, ut notant Monacellius in form. pract. tit. 1 form. 8 n. 2, Sperellius in decis. 92 n. 2, Berardius instit. eccles. part. 2 lib. 5 tit. 2 §. 11, Matthaeius de crimin. lib. 68 de inquisitione, Conciolius Resol. crim. V accusatio res. 1: – Accusator non solum est condemnandus poena extraordinaria, verum etiam ad damnorum et expensarum refectionem rei absoluti: amplia, ut refectio habeat locum non solum in Accusatore, qui scienter et per malitiam falso accusat, sed etiam in praesumpto, qui accusationem non probavit, vel ab ea destitit – *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848* §. *Ast.*

9. Ceterum Fiscus ad expensas et damna reficienda compelli non potest, nisi de eiusdem calumnia doloque constet, ut, post omnium Doctorum et Rotae Romanae doctrinam in Ferrarien. super quinto dubio 4 iunii 1784 §. 3 coram Flangini et in Alatrina Praefixionis termini 14 maii 1842 coram de Retz n. 6 et 7, iubet ipse Benedictus XIV in Constitutione *Ad coercenda* 4 octobris 1753 §. 22 in eius Bullario tom. 4 n. 26 *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848* §. *Quin imo.*

10. Verum ad damna, quae civiliter tantum nempe in simplum et quanti interest repetuntur, non requiritur, ut probetur manifestus dolus, sed sufficit, ut constet, damnum ab iniusto damnificante fuisse illatum, ad tradita per Costantinum voto decisivo 413 n. 43, Rotam in Leodien. super damnis 12 februarii 1751 coram Vicecomite *in Suessana Reintegrationis et Emendationis damnorum die 16 Septembris 1854* §. *Ad.*

11. Unde si Iudex Parochum, canonica inquisitione instituta ac instante Promotore Fiscali, iniuste damnat ad poenam detentionis sex mensium et ad expensas, quae pro inquisitione necessariae fuerunt, nedum abrogari debet praedicta poena et restituendi sunt fructus Paraeciae, sed etiam expensae compensandae, quoties tum forma, tum substantia inquisitionis nutet *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848.*

12. Iamvero quum Paulo Hieronymo Denigrio Parocho S. Iacobi in Civitate Gavi iussu Dominici Gualco Vicarii Generalis die 11 februarii 1847 denunciatum fuisset, ut se conferret in S. Barbarae Caenobium, praevia suspensione a divinis, et interdicto a Parochiae administratione, ipse Denigrius id aegre ferens ultro inquisitionem ex sacrorum Canonum praescipto in se ipsum provocare non dubitavit. Itaque Presbiter Aloisius Raphael Costa, Fiscalis Curiae Ianuensis Promotor, informatus, ut ipse praemonebat, ab repetitis querelis ad Curiam illam perventis, die 13 eiusdem mensis penes dictum Vicarium institit, ut contra Denigrium, canonica inquisitione instituta, undecim Testes ab se producti, et alii numero decem et septem, qui opportune exhiberentur, formaliter audirentur, ac interea Denigrius e Beneficio Parochiali amoveretur. Examinatis itaque Testibus, ac instante Promotore Fiscali, Iudex die 4 novembris eiusdem anni 1847 Denigrium ad poenam detentionis sex mensium in Coenobio sibi magis accepto porsolvendam, nec non ad expensas, quae pro inquisitione in ipsum instituta et sua

commoratione in Coenobio S. Barbarae, necessariae fuerant, damnavit. Appellavit Denigrius ad Sacram Congregationem; atque probavit, sententiam Archiepiscopalem, tum forma, tum substantia inquisitionis, nutare. Transivit deinceps ad ea diluenda, quae speciatim sibi culpae affingebantur. Quapropter sustinuit, ad expensas, qualescumque essent, se non teneri; quin imo omnia sibi damna esse repetenda contendit. Contra Promotor Fiscalis probare studuit, omnes processuales solemnitates examussim fuisse observatas, Testes ferme universos deposuisse de male morata Parochi vita ac diffamatione, ac numero plures de ipsius negligentia in obeundo Parochi munere et praesertim erga Pauperes aegrotantes, qui in extremo mortis agone versabantur. Propositis tamen dubiis: – I. An sententia Curiae Archiepiscopalis Ianuensis diei 4 novembris 1847 substineatur quoad primam et secundam partem in casu? II. An locus sit refectioni damnorum iuxta preces Oratoris in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum ad mentem; mens est, ut scribatur Vicario Capitulari, qui declaret abrogatam poenam detentionis sex mensium per sententiam diei 4 novembris 1847 inflictam, compensatis expensis et restitutis fructibus Paraeciae, dempta congrua pro Oeconomo aliisque sumptibus necessariis, si qui sunt, ab ipso Parocho De Negri pro Ecclesiae cultu sustinendis – *in Ianuen. Absolutionis die 10 Iunii 1848.*

13. Idcirco quum, attenta appellatione Sacerdotis Bellezza a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi, nec non attento iudicio Examinatorum Urbis, qui censuerunt, praefatum Bellezza inique fuisse reprobatum ac exequendas esse Literas Apostolicas, quas is obtinuerat, iam responsum prodierit, ut Causa describeretur in folio, sed Episcopus Minerbiensis, spreta protestatione praefati Sacerdotis Bellezza despectaque maiestate eiusdem Sacrae Congregationis, literas testimoniales dederit Victorino Villari, ut assequeretur Archipresbiteratum Oppiduli Montis Milonis, quem reapse a Dataria, silentio praeterita lite, quae in Sacra Congregatione pendebat, obtinuit ac possessionem accepit; re inde mature expensa, Sacra Congregatio nedum mandavit, exequendas esse Literas Apostolicas favore Ianuarii Bellezza, verum etiam proposito dubio:–II. Cui sunt reficiendae expensae et damna in casu etc. –, respondit: – Ad secundum, expensas et damna reficienda esse ab Episcopo – *in Minerbien. Archipresbiteratus die 10 Decembris 1746.*

14. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad damna et expensas, iterum proponatur audito Episcopo – *in Minerbien. Archipresbiteratus die 14 Ianuarii 1747.*

15. Unde Sacra Congregatio, postquam declaravit, quod non substineretur suspensio a celebratione Missarum inflicta ab Episcopo Policastrensi contra Sacerdotes Cleri S. Iacobi ex capite praetensae suppositae ignorantiae sacrorum Rituum, proposito dubio: – V. An dictus Episcopus teneatur ad reparationem damnorum per dictos Sacerdotes passorum ex causa relatae suspensionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – ad quintum, Affirmative; et quoad liquidationem ad Dominum Secretarium – *in Policastren. Procurationis die 28 Septembris 1743.*

16. Hinc Episcopus, qui, ob praetensum spretum irregularitatis, iniuste ac pendente appellatione, Sacerdotem carcerari fecit, tenetur ad interesse damna et expensas, quas causa carcerationis is ferre debuit; his enim in terminis proposito dubio: – II. An valide potuerit Gattus carcerari ob praetensum spretum dictae irregularitatis, vel potius Episcopus Comensis teneatur ad expensas interesse ac damna passa occasione praemissa?–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Comen. Irregularitatis et Gravaminum die 9 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

17. Reproposito dein praefato dubio cum aliis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus – *in Comen. Irregularitatis et Gravaminum die 1 Martii 1704 lib. 54 Decretorum* (1).

(1) Species Causae huius prostat in verb. *Attentata*, n. 286 ad 294, Tom. II.

18. Quapropter Archiepiscopus tenetur ad expensas et interesse, si suspensionem a divinis, nulla praemissa citatione, tulerit, quin etiam ulla ex causis, quibus illam ferre censuit, subsisteret *in Sipontina Nullitatis Suspensionis die 11 Maii 1748.*

19. Iamvero Ioseph Valente Canonicus Poenitentiarius et Vicarius Curatus Cathedralis Ecclesiae Sipontinae ac Venantius Fini eiusdem Parochiae Oeconomus suspensi a divinis ab Archiepiscopo sustinuerunt, nullam esse supensionem sibi inflictam, ex eo quod nulla praecesserat citatio, ac nulla ex duabus causis, ob quas ea lata fuit, aut ex facto aut ex iure subsisteret. Idcirco in hac sententiae Archiepiscopalis nullitate atque iniustitia damnandum esse contenderunt Archiepiscopum, ut sua pecunia impensas omnes sarciret et interesse. Sacra Congregatio, nulla declarata suspensione, proposito dubio: – II. An Archiepiscopus teneatur ad expensas et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Sipontina Nullitatis Suspensionis die 11 Maii 1748.*

20. Quum itaque Episcopus Nebbiensis iniuste suspendisset Antonium Gentili Archidiaconum Cathedralis Ecclesiae, indicta etiam poena scutorum 100 monetae Genuensis, nisi mandatis obtemperaret, Sacra Congregatio nedum praefato Gentili ius, quod propugnabat, reddidit, nullitatem suspensionis declaravit, ac eidem deberi tempore absentiae et suspensionis distributiones mandavit; sed et proposito dubio: – IV. An reverendissimus Episcopus teneatur ad refectionem expensarum damnorum et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Teneri ad restitutionem scutorum centum; in reliquis ad D. Secretarium – *in Nebbien. die 17 Novembris 1753* (1).

21. Idcirco quum Episcopus, mediante brachio seculari praetextu evitandi maius malum, carcerari fecerit Sacerdotem in certa pecuniarum summa damnatum, dum hic appellationem iam interposuerat coram Metropolitano et in eiusdem Civitate commorabatur, inconsulto prorsus praedicto Metropolitano, Sacra Congregatio non modo iniustam edixit huiusmodi carcerationem, sed et Episcopum ad refectionem omnium damnorum et interesse, quae is causa carcerationis passus est, damnavit *in Ianuen. Iurisdictionis die 18 Novembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

22. Siquidem – sequuta quadam rixa usque de anno 1700 inter Sacerdotes Vincentium Stagnarium et Ioannem Dentonem occasione cuiusdam servitutis bonorum rusticorum per utrumque possessorum in Villa Trigaudii Diaecesis Brugnatensis, deventum fuit per Episcopum ad constructionem processus, et deinde in contumacia ad sententiam condemnatoriam eiusdem Stagnarii in certa pecuniarum summa cum exilio a tota Diaecesi Brugnatensi, a qua tamen interposita appellatione per dictum Stagnarium Ianuae commorantem ad Archiepiscopum Metropolitanum, praefatus Episcopus conquestus fuit per Epistolam cum eodem Archiepiscopo, quod talem appellationem admiserit, cum ea iuxta dispositionem Concilii Tridentini cap. 20 sess. 24 de reformatione non detur, nisi a sententia definitiva, et postmodum recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem, a qua reportavit solitas literas pro informatione eidem Metropolitano, et hoc interim dictus Episcopus pariter per Epistolam requisivit Senatum Ianuensem, ut carcerare faceret praefatum Sacerdotem Stagnarium, prout de mense iunii anni proxime praeteriti fuit carceratus: quapropter Metropolitanus supradictus suam transmittens relationem de sequenti mense iulii ait, suam iurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam violatam fuisse per dictum Episcopum, attenta carceratione dicti Stagnarii Ianuae degentis a triginta circiter annis, praevia imploratione brachii secularis, nec non supplicavit demandari eidem, ut transmitteret copiam epistolae per ipsum scriptae Senatui Ianuensi pro carceratione dicti Sacerdotis, qui tamen deinde fuit carceratus. Episcopus autem Brugnatensis auditus in sequenti mense novembris dolens de praedicta appellatione per Metropolitanum admissa, retulit, ipsum scripsisse ad Senatum pro carceratione Stagnarii ad evitandum maius malum, quod timebat exoriri posse inter rixosas familiam Stagnariam et Dentonam;

(1) Species Causae huius prostat in verb. *Appellatio*, §. II, n. 125 ad 133, Tom. II.

tenorem autem suae epistolae ita fuisse inquit: « Cum ego non possim tantum malum impedire, precor DD. VV. Serenissimas, ut ipsae tale malum impediant, et si bene existimaverint facere detineri et carcerari Sacerdotem Stagnarium, qui ad prosequendam hanc inimicitiam exivit ex mea Diaecesi et moratur Genuae, existimo, hoc fore optimum remedium, illumque detinere poterunt carceratum nomine meo ». Et demum concludit, quod si in hoc deliquit, paratus est ab EE. VV. veniam humiliter exposcere et condignam poenitentiam subire. Super his omnibus iterum requisitus Archiepiscopus Ianuensis quoad appellationem ait,eam admisisse cum clausula «si et quatenus», maxime quia sententia Episcopi non erat vere contumacialis, dum praefatus Sacerdos nunquam extitit personaliter citatus, licet postmodum dictam appellationem non fuerit ulterius prosequutus, cum usque de mense aprilis anni proxime praeteriti ab Episcopo Brugnatensi absolutionem reportaverit a quacumque poena; quo vero ad carcerationem eiusdem, factam mediante brachio seculari, a dicto Episcopo non controversam, instat pro suo remedio ad reparandam suam iurisdictionem, etiam ad exemplum aliorum suffraganeorum, et pro refectione expensarum factarum ab eodem Stagnario causa dictae carcerationis –.

23. Quibus stantibus, propositis dubiis: – I. An Episcopus Brugnatensis valuerit carcerari facere Vincentium Stagnarium degentem Ianuae, inconsulto Archiepiscopo dictae Civitatis? *Et quatenus negative.* II. An dictus Episcopus teneatur ad refectionem omnium damnorum et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Ianuen. Iurisdictionis die 18 Novembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

24. Qua de re si Episcopus inique Parochum a divinis suspendat a Paraecia removeat Oeconomum praeponat ac etiam sententiam Iudicis appellationis cuncta gesta revocantis posthabeat, tenetur reficere damna et interesse cum omnibus fructibus et emolumentis *in Hieracen. Censurarum die 13 Ianuarii et die 13 Iulii 1748.*

25. Iamvero postquam Episcopus Hieracensis vexavit Antonium Mari Parochum SS. Blasii et Leonis Castriveteris quaesito colore rixae cum Clerico, eumque a divinis suspensum declaravit, eiusque bonis Oeconomum praeposuit, restitutus tamen a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 6 martii 1743, rursus eum aggressus est, et praetextu, quod is non resideret, suspendit etiam a divinis, et novum Ecclesiae Oeconomum praeposuit. Tribunal A. C. Parochum Mari absolvit ac mandavit, ut Oeconomus removeretur. Hac non obstante sententia, perseveravit in incepto Curia Episcopalis, nec eum reintegravit, nec Oeconomum removit. Qua de re Marius ad Sacram Congregationem confugit ac probavit Testibus, se incoluisse et incólere aedes non solum intra Parochiam, sed prope ipsam Ecclesiam sitas, munerique suo nunquam defuisse, omnia diligentissime explevisse, quae ad Parochi officium pertinebant. Unde preces universi fundere non dubitarunt pro recuperando Parocho. His igitur in facto positis, Sacra Congregatio nedum nullum edixit Decretum suspensionis et irregularitatis ab Episcopo latum, sed et proposito dubio: – II. An removeri debeat Oeconomus et Parochus Antonius Mari sit plenarie reintegrandus ad suam Ecclesiam Parochialem cum omnibus fructibus emolumentis damnis et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative in omnibus – *in Hieracen. Censurarum die 13 Ianuarii 1748.*

26. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius – *in Hieracen. Censurarum die 13 Iulii 1748.*

27. Quin imo licet extraiudiciali depositione trium feminarum constaret, de inhonestis sermonibus tactibusque in earumdem personas, sic nullam declaravit Sacra Congregatio appositionem Oeconomi et expulsionem Parochi a propria Paraecia, nulla praemissa monitione ac fructuum subtractione, ut praeter reintegrationem mandaverit restitutionem omnium fructuum tempore Oeconomatus decursorum, reservato tamen iure promotori Fiscali agendi contra eum ad formam Concilii Tridentini *in Sancti Severini die 19 Septembris 1778.*

28. Siquidem Pater Franciscus Minottus ex Ordine Minorum Conventualium, qui an-

no 1774 quadragesimales conciones habuerat in Castro Frontalis, acriter in Parochum eiusdem loci Dominicum Laetti penes Episcopum et Vicarium Generalem literis invexit, ac transmisit ad Episcopum tres Feminas, quae in extraiudiciali depositione per Vicarium Generalem excerpta de inhonestis sermonibus tactibusque in proprias Personas deposuerunt. His plane fidens Episcopus, illico in Oeconomum deputavit Sacerdotem Iosephum Bertone, et Laettum expulit, qui tamen, recursu interposito ad Sacram Congregationem, valde conquestus est de impicta sibi incontinentia deque sua diffamatione nec non de iniusta ac irregulari sua expulsione a Parochiae exercitio. Idcirco Laettus nedum petiit reintegrationem, sed et ut sibi reficerentur damna obventa ex appositione Oeconomi et expulsione, cum deesset causa gravis concludens illius probatio et forma canonica. Nam nec trina monitio cum subtractione fructuum praecesserat. Hinc Sacra Congregatio nedum nullam edixit appositionem Oeconomi et reintegrationem mandavit, reservato tamen iure Promotori Fiscali agendi contra eum ad formam Concilii Tridentini, sed et proposito dubio: - II. An sit locus refectioni damnorum et in qua summa in casu etc. –, responsum tulit: - Ad secundum, restituendos esse omnes fructus Parochiae tempore Oeconomatus decursos, dempta congrua pro Oeconomo aliisque necessariis expensis; in reliquis, Negative – *in Sancti Severini die 19 Septembris 1778.*

29. Nam si nullum et iniustum censetur Decretum privationis Parochiae nedum est locus redintegrationi, sed et omne id praestandum, quod interest, privatum non fuisse Parochia per textum in Cap. *Saepe* de restit. spoliat., et ab eo, qui causa fuit privationis, Cap. *Damnum* 86 de reg. iuris in 6, et L. *Quod quis* 203 ff. de regulis iuris *in Perusina Remotionis Vicarii Curati die 26 Septembris 1795* §. *Si autem.*

30. Idcirco tralatitii iuris est, actionem dari de interesse et expensis litis deque aliis similibus damnis contra iniuste excommunicantem et suspendentem, ceu probat Moneta de distribut. lib. 2 quaest. 15 n. 45 *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Tandem.*

31. Nullum enim dubium, quin ab Officio et Beneficio iniuste suspensus non solum ius ad redintegrationem habeat, sed pro emendatione etiam damnorum et expensarum contra Episcopum damna inferentem agere valeat, iuxta textum in Cap. 11 de sententia et re iudicata *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ex parte.*

32. Nec opponi potest Benedictina Constitutio, quae incipit: *Ad coercenda;* nam cautum quidem est in hac Constitutione, non facile esse Episcopos, quotiescumque eorum sententiae infirmantur, condemnandos, dum causam puniendi habuerunt; secus vero quoties constet, Episcopos processisse cum aperta iniustitia sine indiciis et sine culpa, uti ex ipsius Constitutionis contextu patet *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ux parte.*

33. Iamvero Episcopus Suessanus indefinite suspendit a celebratione Missae et ab audiendis sacris confessionibus Canonicum Vitali, ex eo quod subscribere noluisset conclusiones Capitulares, quas ipse damnosas Capitulo censebat, cum ageretur quaestio Capitulum inter et Sacrarium Suessanae Cathedralis de quorumdam agrorum pertinentia, nec non quia in suspicionem devenerat correitatis famosi libelli a Parocho Marchegiano contra Episcopum exarati, quam ob causam una cum aliis ecclesiasticis et laicis Viris ad tribunalia Neapolis ductus fuit. Hinc Vitalius recursum interposuit ad S. Sedem, quo exposuit, se de iure renuisse subscribere praefatas conclusiones capitulares, seque omnino immunem fuisse ab crimine praedicti famosi libelli. Simul ac huiusmodi preces ad Apostolicum Nuntium Neapolitanum remissae fuerunt, illico innotuere Suessano Praesuli, qui, eas calumniosas existimans, statim Vitalio iniunxit retractationem, quam hic ad vitanda maiora mala edidit die 10 octobris 1852, declarando scilicet se reum calumniae in oblatis ad Sacram Congregationem precibus, ob idque incidisse in casum sub excommunicatione reservatum in ea Diaecesi contra calumniatores, atque inde irregularitatem contraxisse ob Missae celebrationem post incursam excommunicationem, ac in novas incurrisse censuras ob colloquium habitum cum

quadam Monali sua propinqua. Nihilominus alias deinceps dedit Canonicus Vitali preces ad Sacram Congregationem sub die 28 iunii 1853, quibus narravit, post viginti duos supra viginti dies relegationis penes varias Religiosarum Familiarum iniuste perlatae, ex Decreto Apostolici Nuntii ad locum residentiae die 21 septembris 1852 remeasse. At vix e reclusoriis dimissus in patriam reversus est, Episcopus ab eo exegit, ut se calumniae reum declararet pro iis precibus, quas Sacrae Congregationi exhibuerat. Licet Vitalius resistere imperio Episcopi haud valuerit ad evitandum in arcem Morphinam peregrinationem, morbis cum esset confectus, nihilominus pro passa coactione censuit, se merito recurrisse ad Sacram Congregationem, ne sibi contingeret, quod alteri Presbitero contigerat in Diaecesi Narbonensi, quem ipse Antistes ad triremes calumniae causa per quinquennium relegarat. Ex quo nova divexandi causa promanavit, cum Episcopus certus factus de huiusmodi novo recursu, eum iterum suspendit atque in posterum perceptione omnium fructuum Canonicatus privavit ad hoc, ut palinodiam recineret. Quum autem Vitalius id perficere noluisset, Episcopus ita in eum egit, ut in carcerem coniicere fecerit. At quoad famosum libellum, solemni iudicio Ministerii Neapolitani Vitalius ex capite innocentiae absolutus extitit: et quod spectabat ad calumniam per recursum ad S. Sedem interpositum probavit, se non modo omni culpa vacare; sed immo dignum necessarium et laudabile esse ad S. Sedem pro iustitia confugere. Is enim aliud nihil egit, quam ad Summum Pontificem exponere suspensiones inflictas reclusoria et carceres, ut subsidium ferret. Idcirco haudquaquam ab Vitalio Episcopum calumniatum in precibus comprobabatur. Quandoquidem calumniae crimen haud definiendum aliter venit, quam falsum crimen in iudicio scienter et dolose alteri intentatum. Quin imo constat apud Criminalistas omnes, quod qui porrigit delatorios libellos Principi ad effectum iustitiae contra alterum, etiamsi ex integro non verificentur exposita, ab calumniae crimine immunis est. Advertebatur etiam, Canonicum Vitali spectatissimum esse inter Ecclesiasticos; de cuius probitate morum, animarum zelo, praedicandi officio, ceterisque virtutibus, plurima in medium protulit probatissimorum Virorum testimonia. Quapropter, quavis iusta exulante causa, Vitalius paratam habebat actionem de interesse expensis litis deque aliis similibus damnis ab Episcopo iniuste illatis.

34. His itaque perpensis, Sacra Congregatio nedum mandavit, Canonicum Vitali esse redintegrandum ad Missae celebrationem et ad omnes sui Canonicatus fructus, comprehensis fallentiis distributionibus et eleemosynis Missarum inexpletarum pro legatis sui Canonicatus a die suspensionis et subtractionis, celebratis per eum tamen Missis, sed et proposito dubio: – II. An sit locus emendationi damnorum in casu etc. –, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative; et ad mentem: mens est, supplicandum esse Sanctissimo, ut dignetur monere Episcopum de mitiori suae potestatis usu in posterum – *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854.*

35. Animo tamen haud fractus Episcopus novum audientiae beneficium petiit obtinuitque, ac suam per Oratorem exhibuit defensionem, qua probare totis viribus insudavit, ut iusta fuerit Episcopi agendi ratio, cum Vitalius calumniae reus per libellos ad S. Sedem missos extitisset. Reproposito vero dubio sub formula: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio, ceteris confirmatis, respondit: – Ad secundum, in decisis quoad damna intrinseca tantum – *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854.*

36. Spem tamen felicioris exitus haud abiecit Episcopus, et impetrato novae audientiae beneficio, novam exhibuit defensionem, qua plura quidem cumulavit, sed nec facta nec ius destruere valuit. Idcirco reproposito dubio sub eadem formula: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio, ceteris pariter confirmatis, respondit: – Ad secundum, in decisis; et amplius – *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 16 Septembris 1854.*

37. Hinc multo magis Capitulum Cathedralis Ecclesiae expensas et damna reficere debuit, ex eo quod nedum Archidiaconum

Dominicum Perez de Attocha ab officio Vicarii Capitularis iniuste removit, sed et ipsi constituit domum loco carceris sub expressis poenis; his enim in terminis Sacra Congregatio, postquam declaravit, quod non substineretur remotio et reclusio in casu, quo agebatur, proposito dubio: - II. An et quae expensae et damna sint reficienda in casu etc. -, responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative iuxta liquidationem faciendam; et amplius - *in Pampilonen. die 13 Aprilis 1715 lib. 65 Decretorum.*

38. Qua de re quum Sacra Congregatio declaraverit, constare de excessibus Capituli Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Civitatis Tudelae contra Antonium Iunguitum provisum Apostolicum, proposito dubio: - III. An eidem debeantur per Capitulum omnia damna et interesse passa ex causa molestiarum et litium ex causa Capituli inductarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative - *in Nullius Tudelae die 22 Novembris 1727.*

39. Reproposito dein praefato dubio cum aliis sub formula: - An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. - , Sacra Congregatio die 13 augusti 1729 respondit: - In decisis iuxta modum praescriptum a Sacra Congregatione et ab Emo Praefecto declarandum, et pro executione tam praesentis Decreti, quam ab ipso in futurum dependentium, Episcopo Tyrasonensi facultatibus eiusdem Sacrae Congregationis; et amplius -. Modus autem fuit, - quod praevia absolutione utriusque Partis a praetensis excessibus damnis et interesse, Capitulum teneatur solvere Iunguito medietatem omnium fructuum et distributionum quotidianarum etc. - Non acquiescente Iunguito huic resolutioni, proposito dubio: - An et quomodo sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In ultimo loco decisis, et amplius; et ad mentem - *in Nullius Tudelae seu Tyrasonen. die 30 Septembris 1730.*

40. At non est locus emendationi damnorum et restitutioni emolumentorum favore Herculis Ferrari unius ex Confratribus Sodalitii sub titulo Sanctissimi Sacramenti erecti in Oppido Bondeni, ex eo quod iusta de causa in carcerem coniectus fuit; his enim in terminis proposito dubio: - VII. An constet de damnis, ita ut sit locus emendationi et respective restitutioni emolumentorum perceptorum occasione carcerationis Herculis Ferrari in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad octavum, Negative in omnibus; et amplius - *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782.*

41. Hinc suspensus a divinis, licet nulla declaretur suspensio, non propterea consequi valet refectionem damnorum et expensarum, si dolus vel iniustitia manifesta absit *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis super refectione Damnorum et expensarum die 28 Martii 1801.*

42. Siquidem Sacra Congregatio die 13 septembris 1800 nullam edixit suspensionem a divinis latam die 21 decembris 1799 Canonico Massi a Vicario Capitulari Xaverio Ceccarelli, quin idem in irregularitatem incidisset. Sua igitur fretus declarata innocentia, mox egit praefatus Massi pro refectione damnorum et expensarum adversus Canonicum Iosephum Oresti, qui apud Vicarium institit pro traditione cuiusdam ligneae Machinae, et adversus Vicarium ipsum, qui renuenti Massio suspensionem indixit. Nam a mense decembris 1799, quo indicta fuit suspensio, ad diem 13 septembris, quo eam Sacra Congregatio nullam et iniustam declaravit, amisit Canonicus Massi quotidianas distributiones, Sacrorum eleemosynas et similia, gravesque fecit sumptus, ut iniustitiam formali lite vindicaret. Idcirco Ceccarellium ad eos reficiendos teneri contendit, cum gravem adhibuisset suspensionis poenam pro re tenuissimi momenti, qualis erat machina lignea, et in causa mere civili; Orestium vero, cum iniustam coram Ceccarellio promovisset instantiam pro restitutione eiusdem machinae, et quidem falso nomine Capituli, iuxta exhibitam ipsius Capituli declarationem. Contra Orestius sustinuit, se omni vacasse culpa in suspensione Massi, dum civiliter egit coram Vicario Capitulari pro restitutione machinae; Capitulum recessisse a lite, ne particeps fieret sumptuum, eiusque de cetero dissensum nil commune habere cum suspensione, quam ex se Vicarius Capitularis decrevit. At licet Ceccarellius seu Promotor Fiscalis contumax esset, proposito

dubio: - An sit locus refectioni damnorum et expensarum iudicialium et extraiudicialium et contra quos in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative in omnibus – *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis super refectione Damnorum et Expensarun die 28 Martii 1801.*

43. Nam si quaedam adsit causa, sed non iusta ad inferendam suspensionem a divinis, nulla quidem declaratur suspensio, non tamen Episcopus tenetur ad expensas et interesse, licet suspensus protestationem emiserit de damnis impensis et interesse *in Policastren. Nullitatis Suspensionis die 18 Martii 1747.*

44. Siquidem Eugenius Imbellonus Sacerdos Ecclesiae S. Iacobi Oppidi Laureae occasione festivitatis Beatae Mariae Virginis tormento ictum emisit in signum iuxta loci morem: citatus propterea fuit Imbellonus ad dicendam causam, quare non deberet solvere summam ducatorum 25, quae mulcta erat a Diaecesana Synodo indicta iis, qui huiusmodi arma deferebant sine venia Episcopi. Appellavit Imbellonus, et excepit de iurisdictione Episcopi ob Decretum Sacrae Congregationis, quae mandaverat, - ne Episcopus contra hos Sacerdotes procederet ad actus irretractabiles, inconsulta Sacra Congregatione –: excepit de lege Synodali, qua casus hic non complecteretur: excepit, suspensioni non esse locum, nisi quando mulcta aut realiter aut personaliter exequi non posset. His tamen omnibus spretis decretum fuit, ut ad ulteriora procederetur ad formam citationis, qua indicebatur suspensio. Appellavit Imbellonus ad S. Sedem; et si reiiceretur, protestationem emisit de damnis et impensis et interesse: sed ea reiecta, relaxati fuerunt cedulones, et Imbellonus declaratus inde fuit a divinis suspensus, quod mulctam ducatorum 25 non solvisset. Sacra Congregatio censuit quidem, suspensionem haud sustineri; sed proposito dubio: – II. An Episcopus teneatur ad expensas et interesse in casu etc. –, responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Policastren. Nullitatis Suspensionis die 18 Martii 1747.*

45. Idcirco, quum Presbiteri renuerint praestare obedientiam Archiepiscopo visitanti in Ecclesia ab eodem designata, in qua eam reapse praestare tenebantur, non sustinentur quidem censurae in illos latae ob eorumdem reluctantiam, sed non propterea tenetur praefatus Archiepiscopus ad damna interesse et expensas passas et passa a dictis Presbiteris occasione vexationum et passae carcerationis *in Theatina die 19 Iulii et die 9 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum.*

46. Iamvero – cum Praepositus et Presbiteri Ecclesiae S. Petri Terrae Vasti sub poena excommunicationis maioris latae sententiae sub die prima novembris praeteriti moniti fuissent ad praestandam obedientiam Archiepiscopo visitanti in Ecclesia S. Mariae maioris eiusdem Terrae, ipsi ab huiusmodi praecepto appellationem eodem die interposuerunt contendentes, ex antiqua et immemorabili consuetudine obedientiam semper fuisse praestitam in praedicta Ecclesia S. Petri eorumdem appellantium propria: sequenti tamen die dicti mensis Curia Archiepiscopalis tam dictum Praepositum, quam alios de Clero ac de Parochia S. Petri obedientiam praestare detrectantes, excommunicatos ac vitandos esse declaravit. Habito proinde recursu per eosdem Presbiteros censuris innodatos ad A. C. in criminalibus, obtinere ab eo curarunt literas inhibitoriales una cum absolutoria a censuris cum reincidentia. Verum qui illas praesentarunt, fuerunt carceribus mancipati, nec aliter postea dimissi etiam vigore mandati de excarcerando ab A. C. reportati, nisi facta renunciatione recursibus ad eumdem A. C. interpositis, ut de his omnibus deponunt Testes. Quare monito Procuratore fiscali eiusdem Curiae -, propositis dubiis: – I. An Clerus Ecclesiae S. Petri Terrae Vasti teneatur praestare obedientiam in actu Visitationis in eadem propria Ecclesia S. Petri? *Et quatenus negative.* II. An dictus Clerus Ecclesiae S. Petri obedientiam praestare teneatur in Ecclesia S. Mariae dictae Terrae. III. An censurae substineantur? IV. An Archiepiscopus teneatur ad damna et interesse et expensas passas et passa a Presbiteris dictae Ecclesiae S. Petri occasione vexationum et passae carcerationis?–,Sacra Congregatio die 19 iulii 1704 respondit: – Proponatur omnino in prima etiam unica, suspensis censuris -. Repropositis itaque praefatis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, non sub-

stineri. Ad quartum, Negative - *in Theatina die 9 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum.*

47. Hinc novus Episcopus Isclanus, ut ventum fuit ad Oppidum Forigii causa visitationis, Edictum proposuit, quo monebantur Sacerdotes omnes et Confessarii, ut post tertiam diem ad ipsum sese conferrent. Aegre tulit Oppidi Clerus non de caeremoniis moribusque diiudicari, sed de eorum studiis atque doctrina periculum fieri velle ab Episcopo: hinc omnem movit lapidem, ut Episcopus a sententia recederet. Cum autem nihil proficeret, protestationem nullitatis emiserunt et appellationem interposuere. Episcopus itaque, paucis tantum, qui turbas fugerunt, examinatis, ab Oppido discessit, monuitque Sacerdotes, ut post tertiam diem in Civitatem venirent quindecim ex eis, quos nominabat, ut ibi eorum visitatio haberetur, indicta reluctantibus poena suspensionis a divinis. Postquam in Civitatem venit, iterum alios quindecim Sacerdotes monuit eadem indicta poena; sed frustra, cum sex et viginti appellationem interposuerint. Hinc praedicti Sacerdotes nedum denegabant Episcopo huiusmodi potestatem nullamque edicebant suspensionem, sed et reparationem damnorum, quae passi erant ex causa suspensionis, enixe reclamarunt. Itaque inter alia proposito dubio: – III. An Episcopus teneatur ad refectionem damnorum per dictos Sacerdotes passorum ex causa dictae suspensionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevia absolutione a censuris ad cauthelam, scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Isclana Nullitatis Edicti et Suspensionis die 29 Maii 1745.*

48. Qua de re si validum et iustum censetur ac est Decretum privationis Parochiae, neque locus erit reintegrationi, Rota coram Crescentio decis. 28 n. 1, neque refectioni damnorum et interesse, ceu ad rem Valent. dissert. fiscal. 3 n. 25 tom. 2, Rota in Romana Donationis super refectione damnorum 21 aprilis 1771 §. 2 coram Origo *in Perusina Remotionis Vicarii Curati die 26 Septembris 1795* §. *Si nullum.*

49. Idcirco cum Decretum remotionis contra Bernardinum Palanghi Vicarii perpetui Parochiae Castri Milliani validum et iustum censuerit Sacra Congregatio, nedum declaravit, non esse locum reintegrationis, sed et proposito dubio: – III. An et a quo sint restituendi fructus et solvendae expensae in casu etc. –, responsum tulit: – Ad tertium, Negative; et amplius – *in Perusina Remotionis Vicarii Curati die 26 Septembris 1795.*

50. Nam damnum haud sentire intelligitur is, qui eo ex sua culpa afficitur, L. 203 de regulis iuris *in Civitatis Castelli Montis Pietatis die 6 Decembris 1845* §. *Verum.*

51. Hinc actio damni cessat, si damnum defuit, ad tradita per Gratianum discept. forens. cap. 549 n. 5, Rotam coram Durano decis. 30 n. 6, et coram Falconerio decis. 10 de fide instrum. n. 2 *in Spoletana Congruae die 23 Novembris 1765* §. *De secundo.*

52. Nam haud damno tenetur is, qui facit id, quod facere ius habet, L. *Nemo* ff. de regulis iuris *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Post.*

53. Idcirco non attenditur damnum alteri obveniens, ex quo quis iure suo utatur *in Civitatis Castellanae Taxae funeralis die 13 Iulii 1765* §. *Nec momenti* (2).

54. Unde quum Sacra Congregatio declaraverit, Canonicos Collegiatae Ecclesiae Terrae Modicae licite ac valide potuisse capitulariter facere affictus seu locationes iurium et redituum Parochialium nec non fructuum Collegiatae sine consensu Praepositi, iidem non tenentur ad damna et interesse favore Collegiatae et Praepositi; his enim in terminis proposito dubio: – II. An teneantur iidem Canonici ad damna et interesse favore Collegiatae et Praepositi? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, provisum in primo – *in Syracusana Praeposituae die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

55. Qua de re quum Sacra Congregatio validam declaraverit venditionem duorum praediolorum Parochialis Ecclesiae S. Bar-

(1) Instructio autem fuit, ut posset Episcopus praefatos Sacerdotes uti singulos ad examen vocare super scientia; id tamen agere per enunciatum Edictum sibi non licuerit, imo eadem potestate discrete et prudenter uti debeat, ita ut non de omnibus indiscriminatim, sed de iis tantum Sacerdotibus, de quorum inscitia sive probabile adsit dubium, sive diffamatio, experimentum facere valeat, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 30 die 29 Maii 1745.*

(2) L. *Proculus* 26 de damn. infect.; Rocca disput. select. cap. 63, n. 44; Rota coram Falconerio de servitut. decis. 13, n. 8.

tholomaei factam Iulio et Ioanni Mariae de Palma ab Archipresbitero Ioanne Antonio Franchetti, quam sibi factam prius oretenus praetendebant Iacobus et alii de Laurentiis, proposito dubio: – III. An Archipresbiter Ioannes Antonius Franchetti proprio vel dictae Ecclesiae nomine teneatur ad expensas damna et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative – *in Urbinaten. die 8 Maii 1734.*

56. Reproposito dein praefato dubio cum aliis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Urbinaten. die 21 Augusti 1734.*

57. Quum itaque Parochiani non teneantur colere bona Parochiae, haudquaquam cogi possunt ad reficienda damna ex defectu culturae profecta, licet Curia Episcopalis eisdem onus ea colendi praecepisset *in Spoletana Congruae die 23 Novembris 1765.*

58. Siquidem die 26 augusti 1760 et die 14 maii 1761 nomine Curiae Spoletanae praeceptum est Oppidanis Arcis Porenae, ut bona Parochiae, quae locari non potuerant, inter se partita colerent, ac secundum loci consuetudinem Parocho colonicam partem darent; ac inde die 23 februarii 1764 sententiam protulit, qua praedictos Oppidanos, ad id assumendum et ad subministrandam congruam substentationem praefato Parocho pro eo tempore, quo ex defectu culturae bonorum parochialium illa fuerunt inculta, damnavit. At homines Communitatis dictae Arcis Porenae probarunt, se minime teneri serere terrena Parochialis Ecclesiae; idcirco damnum, si adesset, non Populi, sed Parochi culpa et negligentia, profectum fuit; quin obessent praecepta Curiae, cum illegitima atque evidenter iniusta essent, si non aliud, saltem quia contra omnem iuris formam ab ipsa executione inchoabatur iudicium. Contra Parochus substinuit, Parochianos onus habere colendi agros Ecclesiae; nec non teneri ad reficienda damna dictis agris illata, cum Communitas fuisset iudicialiter monita ab anno 1760. Qua de re Communitas ex propria culpa damna bonis illata sua fecit, atque ab eadem erant resarcienda. Quum autem Sacra Congregatio declaraverit, quod Communitas et homines praedicti non tenerentur serere terrena Parochialis Ecclesiae, proposito dubio: – III. An et a quibus sint reficienda damna bonis, de quibus agitur, illata? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative; et amplius – *in Spoletana Congruae die 23 Novembris 1765.*

59. Unde quum Ioseph Santolini provisus de Ecclesia Castri Cerreti contendisset, Iosephum Bonacci suum antecessorem, qui ad aliam Ecclesiam iam fuerat translatus, et maiores pecunias, quam necessariae essent, ex bonis praefatae Ecclesiae acceperat ad restaurandam domum parochialem nimis angustam et pene dirutam, cogendum esse ad earum restitutionem damnorumque reintegrationem; e contra praefatus Bonacci sustinuisset, pecunias omnes, quas ex incisione arborum ex venditione domus ruralis et ex censu habuit, erogasse in praedictam domum nondum tamen absolutam, Sacra Congregatio declaravit, non esse locum reintegrationi damnorum, licet Vicarius Apostolicus eumdem de nimia pecuniarum profusione argueret; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An constet de restauratione domus Parochialis ad formam peritiae seu notulae Dominici Fontana? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo teneatur R. D. Bonacci ad reintegrationem damnorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Firmana die 12 Martii 1763.*

60. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, Franciscum Nuccium vel Robertum Sassatelli eius donatarium non teneri ad damna resarcienda ob distractionem annui Census in sorte scutorum 600 et annui reditus scutorum 44 et obulorum 50 spectantis ad Beneficium seu Capellaniam in Ecclesia Oppidi Verruculi cum subrogatione praediorum valoris scutorum 100, peractam cum Ordinarii consensu; his enim in terminis nullam quidem edixit Sacra Congregatio distractionem praedictam, ac reintegrationem mandavit, sed proposito dubio: – III. An teneatur etiam ad damna et interesse pro tempore praeterito? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative – *in Ariminen. Beneficii seu Capellaniae super reintegratione die 18 Novembris 1747.*

61. Quum itaque heredes iuxta mandatum Testatoris tradiderint Canonicis Basilicae S. Mariae Transtyberim Loca Montium pro supportatione onerum, quae eisdem imposuit, iidem nec loco damnorum et interesse supplere tenentur, ex eo quod praedicta Loca Montium inde passa fuerunt notabilem diminutionem, licet Testator et Canonici ultra respectivam onerum observantiam etiam teneri voluissent ad omnia damna, appositis aliis clausulis, ceu ex instrumento patebat, quin tamen praefati heredes, praeter designatas expensas, ullo unquam tempore ad aliam expensam tenerentur; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Patres S. Mariae de Scala heredes quondam Gabrielis Prati teneantur ex bonis hereditariis eiusdem supplere integram summam annuorum scutorum quinquaginta quinque a dicto Gabriele promissorum Basilicae S. Mariae Transtyberim pro supportatione onerum correspective impositorum? *Et quatenus Affirmative.* II. An etiam teneantur pro decursis saltem loco damnorum et interesse? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et amplius – *in Romana Suppletionis seu Reductionis onerum Missarum die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

62. Quin imo cum dubium sit, an sit locus admissioni sextae, eamdem impugnans non tenetur ad odiosam damnorum et expensarum refectionem *in Senogallien. Emphyteusis die 15 Septembris 1792.*

63. Enimvero orta controversia inter Aloisium Herculani et Iosephum de Grandis praelationis quaestione quoad emphyteusim bonorum abbatialium S. Mariae in Sitria seu *della Barbara,* Sacra Congregatio die 29 ianuarii 1791 declaravit, esse locum stipulationi instrumenti favore Herculani, salvo iure vigesimae et sextae. Properavit hinc Herculanus Literarum Apostolicarum expeditionem; sed per aliquot menses a stipulando instrumento abstinuit. Plures interim cum Emo Abbate ortae fuerunt controversiae; quibus interea compositis, et dum amice Procurator Fiscalis Abbatialis mensae plura in instrumento exhibito notabat pacta oblationi contraria, obtulit commendatarius Antonius Camerata de Mazzolenis scuta quindecim supra canonem Herculani, ac aequiora proposuit pacta. Summo Pontifici igitur Procurator Fiscalis supplicavit, ut facultatem Sacrae Congregationi tribueret decernendi stipulationem instrumenti favore novi Oblatoris, non obstantibus Apostolicis Literis, vel praefigendi terminum Aloisio Herculani ad illud stipulandum ad formam oblationis. Acriter Herculanus oblationem impugnavit Cameratae, veluti datam extra terminum Edictorum. Postulavit itaque Procurator Fiscalis refectionem damni, quod ob contradictionem Herculani patiebatur Emus Abbas ab oblata sexta, ac iudicialium et extraiudicialium expensarum litis, iuxta emissam protestationem. Advertebatur tamen, quod licet adversus huiusmodi petitionem nil Herculanus exciperet, allegare tamen potuisset dubium admissionis sextae articulum, ne ad odiosam damnorum et expensarum refectionem damnaretur. His igitur perpensis, Sacra Congregatio declaravit quidem, esse locum admissioni sextae et praefixioni termino unius mensis assignato pro praelatione favore Herculani, sed proposito dubio: – III. An et quae damna sint reficienda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus, et amplius – *in Senogallien. Emphyteusis die 15 Septembris 1792.*

64. Qua de re heredes Exequutoris testamentarii non tenentur reficere praetensa damna Cappellaniae ab eo illata, cum Sacra Congregatio probaverit transactionem, quam ipse fecit post litem prudenter intentatam *in Recanaten. Refectionis damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837.*

65. Siquidem Carolus Ludovicus Mazzoni Canonicus ultimo elogio diei 5 iunii 1739 mandavit erigi Capellaniam in Cathedrali Recinetensi, et Exequutores testamentarios nominavit Canonicos Poenitentiarium et Theologum pro tempore eiusdem Cathedralis. Septimius Primavera officium exequutoris acceptavit, et cum altero De-Angelis litem contra Volumniam Compagnoni contestarunt, sed inde rem definiverunt ope transactionis. E vivis erepto praedicto Primavera, successit Ioannes Craia, qui nedum nullam edixit transactionem, sed et damnosam: idcirco sustinuit, heredes Primavera, cum heredes alterius Exequutoris insolvibiles facti erant, ad omnia sarcienda damna teneri, quae in re-

fundenda sorte scutorum mille nec non rependendis fructibus litiumque expensis, ex inscriptione Census tempore debito praetermissa, constituit. E contra heredes Primavera contenderunt, validam esse transactionem ac utilem, quin in ullam Septimius culpam incidisset. Hinc Sacra Congregatio transactionem probavit, cum censuit, consulendum esse Sanctissimo pro sanatione, iuxta conditiones insertas in instrumento; et proposito dubio:– I. An et quomodo heredes defuncti Canonici Septimii Primavera teneantur damna praetensa reficere in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative in omnibus – *in Recanaten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837.*

66. Hinc heredes defuncti Administratoris a refectione damnorum sunt absolvendi, si culpa illius sit dubia: nam, – ubi sumus in dubio, an culpa sit admissa –, inquit Baldus in lege *Si creditor* Cod. de pignoribus,–numquam quis potest pro culpa condemnari –, et Rota coram Elephantutio in Ravennaten. Refectionis Damnorum die 6 aprilis 1753 n. 30 *in Recanaten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Quidquid.*

67. Atque id eo magis vim habet in casu, ubi actio mota est non contra gestorem ipsum, sed eius in hereditate successores; invaluit enim principium, ut heredes non teneantur, nisi de culpa lata, minime de levi sui Auctoris, Sacra Rota in Romana Damnorum super damnis 24 aprilis 1789 n. 14 coram Despuig *in Recanaten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Quidquid.*

68. Siquidem nemo tenetur ad obiectorum damnorum obiectarumque reparationum emendationem, nisi damnis et reparationibus concludentissime probatis tam in genere, quam in specie et quantitate, Amostaz de causis piis lib. 5 cap. 6 n. 16 *in Senogallien. die 5 Septembris 1778* §. *Contendunt.*

69. Quin imo in damni actione probandum est, illud evenisse ex agentis culpa, et quidem tali, ut, ea sublata, non contigisset, nec contingere potuisset, ex L. *Quoties* §. qui dolo ff. de probat. et ex L. *Merito* 61 ff. pro socio *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Post.*

70. Itaque Abbas Monasterii S. Mariae Castionis in emphyteusim dedit Petro Parentio praedium sterile, quod ipse frugiferum iam reddiderat, cum praefatus Abbas tactus scrupulo defectus Beneplaciti Apostolici de nullitate Contractus interpellaverit dictum Parentium Sacerdotem, qui propterea validitatem vel saltem sanationem propugnavit, et in casu, quo contractus esset nullus nec locus esset sanationi, contendit, cogendum esse Monasterium, ut pretium solveret meliorationum, impensasque omnes et damna reficeret. Proposito autem dubio: – III. An Monasterium S. Mariae Castionis teneatur solvere R. D. Petro Parentio pretium meliorationum in dictis bonis hucusque factis, ac respective reficere omnes expensas damna et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 ianuarii 1747 responsum tulit: – Ad mentem; et mens est, quod eligatur Peritus iuxta instructionem–. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et eligatur novus Peritus, coadiuvatis probationibus super valore praedii de tempore contractus –. *in Burgi S. Domnini Emphytheusis die 30 Martii 1748.*

71. Ad damnorum autem resarcitionem quis tenetur, si ea ex arbitraria operis desertione, aut ex novationibus contra pacta conventa ab ipso peractis, contingerint, ceu in puncto tenuit Rota in decis. n. 1 et seqq. coram Rusconi *in Alatrina Observantiae vel Rescissionis Compromissi die 28 Maii 1853* §. *Ad alterum.*

72. Nec eum error aut imperitia excusare valet: imperitia enim culpae adnumeranda, ut monet Textus in L. 9 §. 5 ff. Locat., et docet Rota in Narnien. Nullitatis testamenti quoad emendationem damnorum 26 Iunii 1815 §. 3 coram Serlupi; eoque magis si dolo malo id factum fuerit *in Alatrina Observantiae vel Rescissionis Compromissi die 28 Maii 1853* §. *Ad alterum.*

73. Ceterum Sacra Congregatio, inspectis mature rerum adiunctis, merito mandat, ut Secretarius curet conciliationem *in Alatrina Observantiae vel Rescissionis Compromissi die 28 Maii 1853.*

74. Iamvero iniuria temporis fatiscebant aedes Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris Civitatis Alatrii, ut, nisi praesenti restituerentur reparatione, brevi atque omnino ruerent praecipites. Arduum tamen ac mul-

torum annorum opus, cui aequa non erat Canonicorum conditio. Ingenio igitur usi sunt, ut, invento Architecto, qui operis auctor ac redemptor simul fieret, Ecclesiam alienis restitutam sumptibus brevi tempore sibi optime haberent. Res ex sententia cedere principio visa est. Nam Alexander Mampierius die 10 novembris 1851 novi operis typum exhibuit, seque redempturum spopondit pro summa scutorum 2971, 14, 84. Canonicis itaque collegialiter die 15 eiusdem mensis convocatis, Mampierii propositionem cum reservatione Beneplaciti Apostolici plenis suffragiis probantibus, privata exarata fuit apocha, in qua utrinque pacta inierunt. Quum autem Mampierius operi manus admovisset, illico intellexit, praesentissima reparatione fundamenta indigere. Hinc mense ianuario suprema fundamentis imposita fuit manus; reliquumque interea usque ad proximum mensem februarii alacriter fervebat opus, quo mense ut recenter extructa solidarentur fundamenta atque ea, quae opus erant, comparari possent, aliquantulum ab incepto quiescere duxit Mampierius. Advento autem mense maii, non prius aedificii restaurationes aggressurum se significavit, quam fundamentorum collaudum atque impensi aestimatio fieret. Interea vero temporis discordia caput exeruit litesque excitare cepit. Cum enim sibi proposuisset Mampierius marmoreas pilas ac pilis insertas submovere columnas eisque novas ex caemento extructas sufficere, contradictores illico prodiere nonnulli ex Canonicis, qui templi fornices exinde periclitari arbitrabantur; atque id opus praeterea, uti maxime alienum a primaevo typo ac peritia, reprobabant. Res tandem eo adducta est, ut Canonici rescissionem compromissi ac refectionem damnorum postularent; sed acriter obstitit Mampierius. Propositis autem dubiis: - I. An et quomodo sit locus observantiae, vel rescissioni Compromissi in casu etc. *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* II. An et cuius favore sit locus emendationi damnorum in casu etc. III. An et in qua summa sit locus solutioni et confectioni collaudi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata ad sequentem, et R. P. D. Secretarius curet conciliationem – *in Alatrina Observantiae vel Rescissionis Compromissi die 28 Maii 1853.*

75. Unde Sacra Congregatio quandoque, attentis peculiaribus rerum circumstantiis, rem quoad expensas earumque compensationem definiendam remisit ad Emum Praefectum *in Insulana praetensorum Gravaminum die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

76. Enimvero Causa die 29 martii et 5 iulii 1710 vertente inter Presbiterum Felicem de Soda et Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Insulanae, ex eo quod Vicarius Generalis sententiavit, dictum Felicem incurrisse in poenam ducatorum 25 et aliorum ducatorum 20 ob neglectam subiectionem Visitationi personali et transgressionem interventus conferentiae casuum conscientiae, et in quorum executionem sequestrum apposuit super quibusdam belluis eiusdem Sodae, propositis dubiis: –. I. An Sacerdos Felix de Soda Syndicus unicus PP. Minorum S. Francisci de Observantia Civitatis Insulanae sit exemptus a iurisdictione Episcopi tam extra Visitationem, quam in actu S. Visitationis? *Et quatenus affirmative.* II. An executio poenae factae per Curiam Episcopalem pro dicta Causa contra praefatum de Soda sustineantur? –, responsum extitit: - Ad primum, Negative in casu, de quo agitur. Ad secundum, Affirmative; sed esse indulgendum –. Renata subinde fuit controversia super restitutione animalium executorum per Curiam Episcopalem occasione supradictae poenae, et Emus Praefectus sub die 21 augusti primodicti anni per modum provisionis et sine praeiudicio ambarum Partium mandavit restitui Vaccas et Iuvencos numero novem, data prius hic in Urbe per dictum Felicem idonea cautione de solvendo quidquid fuerit iudicatum a Sacra Congregatione pro expensis factis pro custodia et pasculo dictorum animalium. Sicque praestita per dictum Felicem decreta cautione, idem requisivit in partibus Curiam Episcopalem pro restitutione dictorum animalium, attamen a Locumtenente Episcopi fuerunt eidem consignati tres dumtaxat Iuvenci, reliqua sex animalia, asserente Locumtenente, deperiisse. Ac praetendente ulterius Promotore Fiscali, sibi deberi expensas custodiae et pasculi dictarum bel-

luarum, iterum Partes ultro implorarunt iudicium EE. VV. Propositis itaque dubiis: – An Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Insulanae teneatur restituere Vaccas et Iuvencos in numero sex, vel in quo numero in casu etc. II. An reverendus D. Felix de Soda teneatur solvere expensas praetensas per D. Promotorem Fiscalem in summa ducatorum quindecim et granorum nonaginta quinque, vel ad quam summam in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* III. An teneatur dictus Promotor Fiscalis compensare praetensas expensas cum fructibus perceptis a supradictis Vaccis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Emum Praefectum in omnibus, et amplius - *in Insulana praetensorum Gravaminum die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

77. Similiter quum Pomponii Iordani heredes propugnarent, Patres Minores S. Francisci Urbis Maratheae teneri ad resarcienda damna sumptusque litis sibi illatos ob plures recursus, quos ipsi occasione litis super legato pio ab eodem Pomponio relicto ad Iudices laicos habuerunt, proposito dubio: – IX. An et de quibus recursibus ad Iudices laicos constet etiam ad effectum refectionis damnorum et expensarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, ad Emum Praefectum iuxta mentem – *in Cassanen. die 28 Aprilis 1736.*

78. Reproposito dein praefato dubio cum aliis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis in omnibus, et amplius - *in Cassanen. die 1 Septembris 1736.*

79. Unde quum mandata relaxata contra Capitulum Cathedralis Ecclesiae Burgi S. Domnini pro eleemosyna Missarum Conventualium, quas Vicarius perpetuus celebravit, et consummata contra Canonicum Laurentium de Rubeis non sustinerentur, Sacra Congregatio quoad refectionem damnorum et interesse respondit ad mentem; his enim in terminis proposito dubio: – V. An mandata relaxata contra Capitulum et Canonicos pro eleemosyna Missarum Conventualium celebratarum per Vicarium perpetuum et consummata contra Canonicum Laurentium de Rubeis sustineantur, seu potius sit reintegrandus cum refectione damnorum et interesse in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative ad primam partem, quoad secundam, ad mentem–*in Burgi S. Domnini Missae Conventualis die 16 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

80. Postquam vero Sacra Congregatio declaravit, bona Capituli Cathedralis Ecclesiae Bisinianensis esse communi nomine administranda, ut in communi massa fructus omnes redigerentur, propositis dubiis: – III. An constet de deteriorationibus agrorum aliorumque bonorum Capituli? *Et quatenus affirmative.* IV. An et ad quae damna deteriorantes teneantur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium et quartum, ad Ordinarium, qui procedat prout de iure - *in Bisinianen. die 2 Iunii 1742.*

81. Nam iuxta notissimum axioma, qui causa damno dat, damnum sarcire tenetur: et punctim damna Ecclesiis illata reparanda esse sumptibus eorum, quorum culpa evenere docent Amostaz de Caus. Piis lib. 5 cap. 6 et 7, Fargna de iurepatronatus part. 5 can. 4 cas. 1 n. 8, Card. Tuscus tom. 4 tit. 1 conclus. 446 n. 40, Gratianus discept. for. tom. 1 cap. 125 n. 12 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae Parochialis et supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Ex.*

82. Idcirco heres defuncti Episcopi tenetur reficere damna, quae Mensa Episcopalis tulit, sive ob neglectam aedificiorum reparationem, sive ob deteriorationes fundorum rusticorum, sive ob commissas alienationes, sive ex incisione arborum *in Firmana Damnorum die 15 Septembris 1804.*

83. Siquidem ob damna, quae Mensae Archiepiscopali Firmanae illata esse contendebat Promotor Fiscalis, dum Ecclesiam illam tenebat defunctus Praesul Minucci, actum est de re componenda inter eumdem Promotorem Fiscalem et Comitem Villelmum Minucci defuncti Antistitis beneficiatum heredem. Re tandem ad Sacram Congregationem delata, commissum fuit Emo Archiepiscopo Firmano, ut Peritum ex officio deputaret, qui de damnis referret, simulque tempus praestitueret heredi defuncti Archiepiscopi vel eius Procuratori, qui sua iura deducere posset. Hinc Promotor Fiscalis sustinuit, Episcopo tamquam usufructuario inesse

onus restaurandi aedes, ex communi Doctorum sententia et ex constitutione Leonis X, cuius initium: *Supernae dispositionis,* quae in §. 2 iubet, – aedificia et possessiones et iura quaecumque in statu convenienti conservent, et diruta instaurent ad bonorum Praelatorum et Commendatariorum officium pertinent –. At ex relatione Periti fabri murarii Salvatoris Salvi ex officio deputati impensa necessaria pro reparandis restaurandisque aedibus Archiepiscopalibus, tum etiam aedificiis in fundis, pertingebat ad scuta 1224, 50. Alterum damnorum caput deduxit ex omissis reparationibus in praediis *Paduli* seu *Orso grande* et *Monte verde.* Utrumque tangebat flumen Tinna, et ex irruentibus aquis avulsa fuerat quantitas modiolorum 94, 54 in praedio *Paduli* et quantitas modiolorum 28, 53 in praedio *Monte Verde,* ceu testabatur Peritus Geometra Ioannes Baptista Vizzicon ex officio deputatus, qui retulit, ex neglecta constructione aggerum hoc damnum evenisse, ac damnum huiusmodi, tum ob amissam terreni quantitatem in utroque fundo, tum ob impensam accessoriam ad aggeres construendos, liquidavit in summa scutorum 8225, 48. Sequebatur tertium damnorum caput, ex commissis alienationibus bonorum, quae ad Mensam Archiepiscopalem spectabant, in summa scutorum 396, 48. Quartum damnorum Caput deducebatur ex incisione lignaminum pro usu domestico defuncti Archiepiscopi in summa scutorum 160. Advertebatur tamen, quod non constaret ex allato teste, incisas evulsasque fuisse arbores matricinas et proceres, quae partes sunt fundi et proprietatem constituunt, sed recisas fuisse lignamina, quae fieri poterant ex ordinaria amputatione, qua necesse est arborum brachia tondere, ut sospitent et virescant. Haec enim ligna ad usufructuarium spectare non erat ambigendum. Ex his omnibus capitibus emergebat creditum Mensae Archiepiscopalis in scutis 10037, 46. Huic credito contraponere studuit heres Minucci creditum defuncti Archiepiscopi pro restauratione Ecclesiae S. Martini et rusticorum aedificiorum, pro incremento bonorum Abbatiae S. Claudii, pro ampliatione aedium et constructione domus colonicae in iisdem bonis Abbatiae: sed haec omnia ex facto reiiciebat Archiepiscopus in sua informatione; et ex iure proposuit Promotor Fiscalis regulam, nempe a Praelatis et Beneficiatis repeti non posse meliorationes factas in bonis Ecclesiae, quia non acquiruntur Praelato, cum eas ex fructibus Beneficii fecerit, ut ad Textum in Authen. *Qui rem* Cod. de SS. Ecclesiis, Garz. de expens. et meliorat. cap. 12 n. 71.

84. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et in qua summa sit locus refectioni damnorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro scutis 9877, 46 – *in Firmana Damnorum die 15 Septembris 1804.*

85. Hinc novo Rectori damna ab antecessore illata reparandi onus incumbere, ei tamen reservata actione repetendi expensas ab eodem antecessore vel eius heredibus, tradit Benedictus XIV Inst. 100 n. 2 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Ex.*

86. Quapropter si ex culpa antecedentis possessoris Beneficii, successor sumptus litis facere coactus fuerit, iidem non sunt reficiendi ex bonis ipsius, cum dictus successor eos repetere teneatur ab heredibus praedecessoris; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et quomodo ex Beneficii Prioratus fructibus compensandus sit Parochus Collevati de sumptibus litis, quos adversus Zagattium sustinuit in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative in omnibus – *in Ferrarien. Solutionis et Congruae die 18 Februarii 1854.*

87. Unde nulla declarata et irrita venditione bonorum beneficialium, debentur fructus rei non melioratae a die motae litis, non vero fructus melioramentorum, reservatis tamen iuribus heredibus emptoris agendi pro damnis et interesse passis, ob non factum investimentum prout de iure, et contra quos de iure; Beneficiatus autem tenetur reficere praedictis heredibus expensas et meliorationes factas in eisdem bonis *in Ruben. Nullitatis Alienationis die 28 Augusti 1723.*

88. Iamvero Carolus Martiano a Sacra Congregatione obtinuit ad triennium suspensionem onerum in restaurationem domus et cauponae ad suum Beneficium spectantis, ac postmodum assequutus est licentiam eas vendendi cum clausula, quod pretium retrahen-

dum integre et unico contextu reinvestiretur in bonis stabilibus: sed Vicarius Generalis, praetermissa praefata clausula, iussit venditionem ex adiecta conditione, ut pretium reponeretur penes tertium, qui illud conservare deberet ad finem restituendi ad omnem ordinem Curiae ecclesiasticae. Qua de re Sacra Congregatio die 30 augusti 1710 rescripsit, Episcopo Rubensi, ut, vocatis vocandis, procederet ad revocationem alienationis, et Beneficiatum cogeret ad docendum, in quam causam fructus erogasset tempore triennalis suspensionis. In huius Rescripti sequelam decrevit, Beneficiatum esse reintegrandum ad bonorum possessionem, et eumdem solvere debere expensas et meliorationes factas in bonis, excomputatis tamen fructibus, quos possessores receperunt a die motae litis, et imposterum reciperent usque ad effectivam reintegrationem. Interposita hinc appellatione, Sacra Congregatio nedum nullam edixit alienationem ac reintegrationem bonorum mandavit, sed propositis dubiis: - III. An Capitulum Cathedralis Ecclesiae Rubensis et Vincentius Coppa heres et respective legatarius dicti quondam Simonis teneantur ad restitutionem omnium et singulorum fructuum ex dictis domibus perceptorum, et a quo tempore in casu etc. IV. An D. Martianus teneatur reficere reis conventis expensas et meliorationes in eiusdem domibus factas in summa scutorum 372, 69 iuxta liquidationem a dicto Episcopo Rubensi factam, sive potius omnes et singuli fructus percepti a dicto anno 1704 usque ad praesens ex dictis domibus melioratis debeant in easdem expensas et meliorationes imputari? -, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, deberi fructus rei non melioratae a die motae litis; quo vero ad fructus melioramentorum, nullos deberi, reservatis iuribus heredibus Stregapede agendi pro damnis et interesse passis, ob non factum investimentum prout de iure, et contra quos de iure. Ad quartum, Affirmative ad primam partem; et quoad secundam, provisum in praecedentibus - *in Ruben. Nullilitatis Alienationis die 28 Augusti 1723.*

89. Qua de re Vincentius Cataldi patronus Beneficii S. Marci eiusdem fructus per octo annos percepit ex Rescripto Sacrae Congregationis ea tamen conditione adiecta, ut eos deponeret in Sacra Aede Pietatis; sed is non modo ne obulum quidem deposuit, sed nec domum ruralem opportunis restaurationibus occurrit. Unde Clericus Ciucci provisus Apostolicus ex testibus probans, quod praesens ruralis domus ruina ab omissis reparationibus ei incumbentibus, qui fructus perceperat, repetenda esset, contendit, praefatum Patronum cogendum esse ad subeundas reaedificationis expensas. Proposito hinc dubio: – II. An Vincentius Cataldi teneatur ad refectionem domus ruralis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative: et amplius – *in Asculana die 6 Maii 1786.*

90. Quin imo Sacra Congregatio nedum nullam dixit unionem Conventus cum respectiva Ecclesia favore Ecclesiae Parochialis, sed etiam mandavit, ut modernus Ordinarius utatur iure suo pro refectione damnorum Ecclesiae illatorum contra Parochum, qui ex falsa causa et nulla praemissa forma Concilii Tridentini unionem illam ab antecessore Ordinario obtinuerat *in Firmana Unionis die 16 Martii et die 23 Novembris 1782.*

91. Enimvero in Oppido Montis Fortini vigore Constitutionis s. m. Innocentii X, quae incipit: *Instaurandae*, suppressus fuit Conventus Patrum Ordinis S. Augustini; eorumque loco Archiepiscopus Firmanus constituit Capellanum amovibilem, qui fructus omnes perciperet et onera sustineret nec non pensionem scutorum viginti solveret pauperrimae Parochiae S. Ioannis eiusdem Oppidi, onere adiecto Parocho tria celebrandi Sacra qualibet hebdomada. Haec Summus Pontifex die 18 aprilis 1653 ad unguem approbavit, eamque exequendam esse mandavit. Cessata deinceps dicta pensione annuorum scutorum viginti, alter ab eodem Archiepiscopo nominatus fuit Capellanus pro eiusdem Ecclesiae servitio. Anno autem 1776 Card. Paraccianus Archiepiscopus, instante Parocho et Plebano Parochialis, Ecclesiam cum suppresso Conventu S. Augustini cum omnibus illius fructibus et oneribus, remotis Capellanis, univit praefatae Plebaniae S. Angeli. Reclamavit Communitas nullam ediceus praedictam unionem, cum facta esset, nulla servata forma Concilii Tridentini Cap. 6 sess. 7 de reformatione, nec causa, angustia nimirum Plebanae Ecclesiae, verificaretur, quin etiam Capellani et Capitu-

lum Metropolitanae Ecclesiae, cuius intererat nominare Capellanos, Sede Archiepiscopali vacante, consensum praestitissent. Modernus Archiepiscopus retulit, vera esse in precibus exposita per dictam Communitatem; ac per factam unionem maximum irrogatum esse praeiudicium divino cultui Ecclesiaeque decori nec non Presbiteris Populo ipsique Archiepiscopo, indeque omnia esse in pristinum reducenda, utcumque Plebanus totis viribus validitatem unionis sustineret. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit servanda unio, de qua agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et Archiepiscopus utatur iure suo contra Parochum pro refectione damnorum Ecclesiae illatorum – *in Firmana Unionis die 16 Martii 1782.*

92. Parochus novam audientiam postulavit; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Firmana Unionis die 23 Novembris 1782.*

93. Idcirco Episcopus, qui Altare maius occasione restaurationis Ecclesiae Cathedralis, inscia Familia, quae ibi stemma gentilitium habebat, demolire fecit, praetendere ab ea non potest refectionem expensarum pro eiusdem collocatione seu repositione in pristinum cum respectivo stemmate *in Balneoregien. die 29 Novembris 1783.*

94. Siquidem Nicolaus Vittori instrumento diei 22 decembris 1747, accedente Episcopi consensu, onus assumpsit conficiendi propriis sumptibus Altare maius Cathedralis Ecclesiae Balneoregiensis, cum facultate apponendi in dicto Altari stemma gentilitium suae Familiae. Inde Episcopus Balneoregiensis praefatae Ecclesiae restaurationem aggrediens, ornamenta omnia et basim ipsam Altaris maioris ac gentilitium stemma familiae Vittori a suo loco movit, ut opus perficeret. Completis postmodum restaurationibus, Ioannes Baptista Vittori Nicolai filius monitorium coram A. C. expedivit, quo petiit, ut propriis Episcopi expensis Altare maius et suae Familiae stemma in pristinum locum collocaretur. Ne vero Ecclesiae fabrica longius protraheretur, Episcopo facultas data est a Sacra Congregatione restituendi Altare ad pristinum locum. Opus perfecit propriis sumptibus Episcopus, qui expensarum reintegrationem exinde postulavit. Nam Familia Vittori cum patronatu gauderet, ad Altaris manutentionem tenebatur; quin obstaret, quod Nicolaus promisisset Altaris constructionem, non vero eiusdem manutentionem: nam onus manutentionis inducebatur ex ipso actu acquisitionis patronatus, licet explicita abesset obligatio. Idcirco Promotor Fiscalis contendit, non licere Vittori stemmata suae Familiae in Altari apponere, quoties renueret expensas reficere, cum huiusmodi stemmata essent signa Patronatus, quem ipse amittebat, si onus reaedificandi Altare subire recusaret. Contra Ioannes Baptista sustinuit, familiam Vittori non acquisivisse iuspatronatus, cum abesset fundatio constructio aut dotatio, cum Nicolaus nec fundum nec dotem dedisset, nec integre Altare construxisset. Quin imo cum res esset de Altari maiori Ecclesiae Cathedralis, iuspatronatus super eo nullo unquam titulo a Laicis patronatus acquiri poterat. Demum Altaris demolitio, ipso prorsus inscio et iubente solum Episcopo, expleta fuerat; et quia illud ad suum locum restituit, non inde tamen gessit rem utilem, ut expensas repetere valeret. Quapropter stemmata suae Familiae omnino reponenda erant, in eodem loco, ubi antea collocata erant, cum assentiente Episcopo et Capitulo id fuisset concessum, ut perennis suae Familiae memoria haberetur.

95. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An expensae pro collocatione seu repositione in pristinum Altaris veteris S. Bonaventurae in Ecclesia Cathedrali Balneoregiensi reficiendae sint Episcopo in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An in eodem Altari reponendum sit stemma Familiae Vittori in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Balneoregien. die 29 Novembris 1783.*

96. Hinc reaedificata Cathedrali Ecclesiae et insculptis pluribus in locis Episcopi stemmatibus sumptibus Fabricae Ecclesiae, Sacra Congregatio mandavit remotionem insignium, praeterquam quoad stemmata apposita in frontispitio ianuae, sumptibus eorum, qui subscripserunt ordines *in Melevitana Insignium die 12 Decembris 1705 die 22 Maii*

die 11 Decembris 1706 et die 29 Iunii 1707 lib. 55 56 et 57 Decretorum.

97. Iamvero – in nova Cathedrali post terraemotum, qui anno 1693 veterem concussit, sumptibus Fabricae Ecclesiae a fundamentis reaedificata, plura vel in marmore scripta, vel in aere lignoque incisa, vel in muris depicta extant gentilitia Episcopi stemmata, quae sumptibus pariter fabricae affabre elaborata, ibique variis in locis apposita fuerunt. Ea vero Capitulum, amovenda nunc esse, omnesque expensas in huiusmodi causam factas eidem fabricae refundendas esse, contendit –. Propositis hinc dubiis: – I. An sit locus remotioni insignium et stemmatum gentilitiorum reverendissimi Episcopi? II. An idem reverendissimus Episcopus teneatur reintegrare Fabricam pro expensis factis pro dictis insigniis et stemmatibus gentilitiis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative praeterquam quoad stemmata apposita in frontispitio ianuae. Ad secundum, teneri illos, qui subscripserunt ordines – *in Melevitana Insignium die 12 Decembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

98. Episcopus novam audientiam obtinuit. – Quoniam vero inscriptio quoque supra ianuam maiorem in parte interiori ipsius Ecclesiae posita reformatione digna dicitur, eo quod nomen Episcopi grandioribus ibi literis insculptum sit, quam nomen Divi Pauli, proinde ultra illud, quod praedictam stemmatum remotionem expensarumque refectionem respicit, aliud quoque dubium super ipsa inscriptionis reformatione infra superadditur, et tam ex alias deductis, quam ex novis documentis, ad probandam praesertim consuetudinem plura Episcoporum aliarumque personarum stemmata in una eademque Ecclesia apponendi, per Episcopum exhibitis EE. VV. reassumpto similiter folio alias dato, Partibus monitis et informantibus, modo decernent: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12 decembris 1705? II. An sit reformanda inscriptio et cuius expensis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Melevitana Insignium die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

99. Repropositis exinde primis duobus dubiis sub eadem formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12 decembris 1705? –, Sacra Congregatio die 11 decembris 1706 respondit: – In decisis, et moneatur Procurator Capituli –. Demum repropositis iisdem dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Melevitana Insignium die 29 Ianuarii 1707 lib. 57 Decretorum.*

100. Unde Capellanus obtinuit quidem reductionem Missarum ad rationem manualis nec non indulgentiam quoad omissionem earum in praeteritum, sed assequi non valuit reintegrationem expensarum factarum pro constructione viae ante domum Capellaniae ac eiusdem reparatione facta et facienda *in Imolen. Reductionis Onerum Missarum die 14 Februarii 1778.*

101. Enimvero Sacerdos Paulus Naldi obtinuit Capellaniam, cuius reditus sic imminuti erant, ut non redderent, nisi annua scuta 27, 71; et domus ruinam minabatur, ita ut pro ea restauranda impenderit summam scutorum 81. 48, et alia scuta 50 superessent adhuc necessario impendenda pro illius ulteriori reparatione. Cum autem Capellanus propter redituum tenuitatem defecisset in Missarum celebratione, hinc Emus Episcopus in actu Sacrae Visitationis eum condemnavit ad celebrandas Missas 1037 hebdomadales, relictis pro tunc in suspenso aliis Missis 160, pro sex festivitatibus et totidem Anniversariis non celebratis per totum annum, pro quibus eidem praefixit terminum trium mensium ad petendam illarum reductionem. Capellanus nedum postulavit reductionem, sed etiam absolutionem pro Missis eousque non celebratis nec non pro earum suspensione, donec ipse reintegraretur de expensis factis et faciendis pro nova constructione viae ante domum Capellaniae de mandato Superiorum nec non pro eiusdem domus restauratione. Emus Episcopus votum suum petitioni contrarium aperuit, putavit tamen aliquam fieri oportere dictorum onerum diminutionem. Sacra Congregatio indulsit quidem reductionem ad rationem manualis, aliquibus Missis exceptis, et quoad praeteritum rem detulit ad D. Secretarium cum Sanctissimo, sed propositis dubiis: – III An sit locus suspensioni Missarum pro reintegratione expensarum factarum in refectione viae ac reparatione domus Ca-

pellani in casu etc. IV. An et quomodo sit providendum pro aliis expensis necessariis pro totali reparatione eiusdem domus in casu etc. -, respondit: – Ad tertium et quartum, Negative – *in Imolen. Reductionis et Suspensionis Onerum Missarum die 14 Februarii 1778.*

102. Nec itaque Confraternitas Sanctissimi Redemptoris, quae Capellam ex speciali conventione obtinuit a Patribus Theatinis in Ecclesia S. Andreae de Valle, ab ea inde recedens ex asserta causa, quod iidem ponerent impedimenta in Missis et Anniversariis celebrandis ceterisque functionibus Confraternitatis peragendis, nedum assequi non valuit licentiam vendendi Capellam personis sibi bene visis, sed nec habere refectionem expensarum constructionis eiusdem Capellae; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit locus refectioni expensarum constructionis eiusdem Capellae, ita ut iidem Patres sint ad eas condemnandi, vel potius danda licentia vendendi eamdem Capellam Personis sibi bene visis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Romana Capellae die 28 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

103. Hinc Monasterium Murien – Munster Ordinis Cisterciensis, occasione interventus et praesidentiae Episcopi Wormatiensis electionibus Abbatissarum, redditionis rationis bonorum, nec non explorationis voluntatis Puellarum admittendarum ad habitum et professionem, haud tenetur subministrare aliquam impensam pro Ministris Curiae Episcopalis; proposito enim dubio: – V. An, occasione dictae interessentiae redditionis rationis et explorationis, teneatur Monasterium ad aliquam impensam pro Ministris Curiae Episcopalis Wormatiae, sive ex quocumque alio titulo? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative – *in Wormatien. Iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

104. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 iulii anni currentis 1746? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

105. Officiales itaque Societatis Disciplinatorum Castri Roncilionis non possunt facere alias expensas in Tabella non descriptas absque consensu Confratrum Congregationis, sed iisdem licitum est eas facere, sine consensu Episcopi; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An ultra expensas descriptas in Tabella licitum sit Officialibus facere alias expensas in Tabella non descriptas absque consensu Congregationis Confratrum, et licentia Episcopi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative quoad consensum Confratrum Congregationis, Affirmative quoad licentiam Episcopi – *in Sutrina Iurisdictionis die 7 Decembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

106. Sponsus autem damnorum emendationem iure efflagitare posse videtur, quae ex iniusta sponsalium dissolutione obvenerunt, Cap. *Si culpa* 9 de iniur. et de damn., L. *Qui occidit* 30 §. 3 ad leg. falcidiam *in Maceraten. seu Asculana Sponsalium die 28 Augusti 1773* §. *Ac.*

107. Siquidem Ferrarius in verbo *Sponsalia* n. 60 censet, ad refectionem expensarum et damnorum eum adigendum esse, qui iniuste dissentiat; idque decisum fuisse dicit per Rotam in Maioricen. Censurarum 15 ianuarii 1715 §. finali coram Scotto *in Maceraten. seu Asculana Sponsalium die 28 Augusti 1773* §. *Denique.*

108. Hinc et Pater Sponsae tenetur reficere expensas, quas Sponsus fecit intuitu matrimonii, cum ille rescissionem Sponsalium ex causa paupertatis Sponsi post inita sponsalia detectae, quae tamen a Sponso denegatur, praetendat *in Maceraten. seu Asculana Sponsalium die 28 Augusti 1773.*

109. Enimvero Gaspar Alaleona nuptias conciliaverat Ludovicae filiae suae, cum Ioanne Baptista Corvi de Civitate Asculi: inde Sponsae Pater, cum sibi constiterit de paupertate Sponsi, agere cepit de rescissione Sponsalium, sed renuit Sponsus. Contendit etiam praefatus Gaspar, nullimode a Sponso efflagitari posse damnorum refectionem, sed eius damno cedere debere expensas factas pro muliebri pompa et nuptiarum solemnitate, cum ipse iustam facto suo suaque deceptione praebuerit causam rescissioni Sponsalium. Contra Ioannes Baptista sustinuit, paupertatem nullimode verificari, ac locum esse damnorum expensarumque refectioni,

quin obstringi deberet ad alienationem eorum, quae causa matrimonii comparaverat, cum nonnisi viliori pretio vendi possent. Quum itaque Sacra Congregatio declaraverit, quod Sponsalia non essent exequenda et esse locum restitutioni dotis in summa liquidanda coram Emo Praefecto, proposito dubio: – IV. An et quomodo sint reficienda damna et expensae in casu etc. –, responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative quoad expensas factas intuitu Matrimonii, iuxta liquidationem faciendam ab Emo Praefecto – *in Maceraten. seu Asculana Sponsalium die 28 Augusti 1773.*

110. Idcirco quum Baptista Rosana Zivillia et Ioannes Bernardinus Carosius mutuas futurarum nuptiarum repromissiones iuramento munitas in apocha scripsissent, sed inde spreto Decreto Sacrae Congregationis praefata Zivillia Matrimonium clandestinum iniisset cum Francisco Ciotto, praedictus Carosius petiit, ut Ciottus et Zivillia ad expensas et damna sarcienda condemnarentur; adeoque Sacra Congregatio proposito dubio: – II. An et ad quas expensas et damna sint condemnandi Franciscus Ciotti et Baptista Rosana Zivilli in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative ad effectum reficiendi expensas tam iudiciales, quam extraiudiciales, taxandas a D. Secretario – *in Civitatis Castellanae Matrimonii Clandestini et Attentatorum die 3 Decembris 1757* (1).

111. Unde quum Anna Ricci ab Archiepiscopo Beneventano collocata in Conservatorio Sanctissimae Annuntiatae fugam arripuerit seque receperit in Civitate Neapolis apud Advocatum Thomam Simonetti, ut Matrimonium contraheret cum Vincentio Re Neapolis degente; et mox ab eodem Simonetti posita fuerit in Conservatorium Neapolitanum, ob idque circa quaestionem exortam super administratione alimentorum iussu Emi Secretarii Status appositum fuit sequestrum super bonis Nicolai Ricci, proposito dubio: – IV. An sit locus praetensae solutioni assertarum expensarum factarum pro collocatione Annae in Conservatorio Neapolis per Advocatum Simonetti, sive potius revocationi sequestrorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum, Affirmative iuxta modum, nempe pro summa, quae solvi debuisset pro victu et vestibus in Conservatorio Beneventano, et ad D. Gubernatorem Beneventi pro liquidatione et executione – *in Beneventana Matrimonii die 20 Septembris 1760.*

112. Qua de re Sacra Congregatio nullam edixit unionem Ecclesiae Parochialis S. Adhoeni cum Parochiali Ecclesia S. Andreae, nec non mandavit: – Praefigatur terminus unius anni Parochianis et aliis, quibus de iure, ad perficiendam fabricam Parochialis S. Adhoeni –; hinc Parochiani, praemissa protestatione repetendi sumptus contra quos de iure, praefatam Ecclesiam, acceptis mutuo pecuniis, impensa ducatorum 587 decenter perfici curarunt. Quum igitur insteterint, ut Parochus olim S. Adhoeni, inde S. Andreae, expensas reficeret, proposito dubio: – I. An et quis et pro qua rata teneatur ad expensas factas pro fabrica Ecclesiae S. Adhoeni? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Parochum teneri ad solutionem ducatorum quadraginta quolibet anno a die sequutae unionis; et quoad alios, Episcopus procedat prout de iure – *in Aversana Dissolutionis unionis die 3 Octobris 1705 lib. 55 Decretorum.*

113. Hinc exorta inter Canonicos Collegiatae Ecclesiae SS. Paulini et Donati atque Administratores Operae controversia, proposito dubio: – I. An et cui inhaereat onus persolvendi expensas pro officio chorali et Capituli functionibus necessarias in casu? –, Sacra Congregatio die 30 martii 1844 respondit: – Ad primum, Affirmative Operae, traditis tamen a Capitulo eidem Operae tum frumento, tum summa assignata in supplementum cum oneribus –. Praedicti Capitulares vero novam petierunt et obtinuerunt audientiam; namque probarunt, ex praefata responsione detrimentum in suis bonis sentiebant. Reproposito itaque dubio sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Recedendum a decisis, et, retento a Capitulo frumento et assignamentis, provideat expensis officii choralis et eiusdem Capituli

(1) Species Causae huius prostat in Verbo Attentata, n. 261 ad 266, Tom. II.

functionibus – *in Lucana Expensarum et aliorum iurium die 27 novembris 1847.*

114. Qua de re Canonici Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Firmanae Civitatis, quae ex duabus Dignitatibus Priore scilicet et Sub-Priore animarum curam habentibus nec non ex quatuor Canonicis et duobus Beneficiatis componebatur, pro rata congruae tenentur contribuere pro expensis utensilium parochialium et executione Rescripti Sacrae Congregationis quoad remotionem et expurgationem sepulchrorum; propositis enim dubiis: – III. An omnes et singuli Canonici Collegiatae Ecclesiae teneantur contribuere pro expensis utensilium parochialium, seu potius ad dictas expensas teneantur solummodo Prior et Sub-Prior animarum curam habentes in casu etc. IV. An et qui teneantur ad expensas pro exequutione Rescripti Sacrae Congregationis editi die 17 aprilis anni 1779 quoad remotionem et expurgationem sepulchrorum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 iunii 1782 respondit:– Ad tertium et quartum dilata; et praefigatur terminus Priori ad deducendum iura sua in Congregatione –. Exin deducente iura sua praefato Priore, repropositis dubiis sub praedicta formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative ita tamen, ut unusquisque contribuat pro rata suae congruae. Ad quartum, ut ad proximum – *in Firmana die 6 Septembris 1783.*

115. Antequam itaque decidatur, cuinam inest onus faciendi expensas, audiri debent interesse habentes; quum enim quaereretur,– an expensae circa refectionem campanae maioris et reparationem recintus coemeterii spectet ad Monachos Cassinenses, vel ad Incolas Parochiae, quae unita est Monasterio dictorum Monachorum? –, Sacra Congregatio respondit: – Audiendos esse interesse habentes – *in Caesenaten. Iurisdictionis die 23 Septembris 1690.*

116. Unde quum Sacra Congregatio declaraverit, haud licere Administratoribus Hospitalis Oppidi Malaucenae sine consensu et approbatione Episcopi pias Mulieres introducere ad ministrandum et inserviendum dicto Hospitali, proposito dubio: – VIII. An ad expensas factas pro introductione dictarum piarum Mulierum in dicto Hospitali teneatur idem Hospitale, seu potius Communitas seu Deputati in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad octavum, ad mentem (1) – *in Vasionen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1753.*

117. Qui autem minus legitimam fecit bonorum erogationem, sed aliquali causa innixus, reintegratur de expensis in certa summa pecuniae *in Suessana die 22 Novembris 1756.*

118. Enimvero sorores Rosa et Maria Anna Zitelliae postremis tabulis edixerunt, ut, satisfactis legatis, quae pluribus piis locis reliquerunt, Episcopus bona vendere deberet, et reliquum pretium erogaret in beneficium Ecclesiae Beatae Virginis de Carmelo, cum consilio Prioris et Patrum Conventus. Praefatis Sororibus e vivis ereptis, Prior Carmelitarum a Curia laica obtinuit Decreta, quibus bona omnia ipsarum, deductis oneribus, Conventui adiudicabantur, et is in eorumdem bonorum possessionem immittebatur. At Episcopus, instantibus Promotore Fiscali et Legatariis, Oeconomum constituit, citatis Patribus, qui adiudicationem bonorum sustinuerunt ac postularunt, ut ex fructibus Conventus reintegraretur de expensis, quas fecerat pro aedificando muro quodam Ecclesiae. Contra Promotor Fiscalis contendit, bona Sororum vendenda esse iuxta earum dispositionem, non vero, deductis oneribus, applicanda esse Conventui; nullam quoque fructuum, qui apud Oeconomum erant, dandam esse Patribus summam pro expensis in fabrica. Non enim Patribus sine Episcopo, sed Episcopo cum Patrum consilio data fuerat a Sororibus facultas erogandi, quod superesset, deductis oneribus, in Ecclesiam Carmelitarum. His itaque perpensis, Sacra Congregatio mandavit quidem venditionem bonorum, sed proposito dubio: – II. An et quae summa ex fructibus hactenus recollectis sit solvenda dicto Conventui pro expensis ultimo factis in beneficium praefatae Ecclesiae in casu? –, responsum tulit:–Ad secundum, Affirmative in ducatis centum, sequuta venditione bonorum

(1) Mens est, ut, quatenus Communitas acquiescat, reficiantur expensae factae ab eadem Communitate pro introductione Mulierum in Hospitali; sin minus, teneatur Communitas vel eius Deputatus, *ceu videre est in lib. 103 Decretorum pag. 340.*

et adimpletis legatis; et amplius – *in Suessana die 22 Novembris 1756.*

119. Nam expensae repeti possunt ab eo, qui gessit rem utilem *in Balneoregien. die 29 Novembris 1783* §. *Ad primum.*

120. Animadvertendum tamen est, expensas repeti non posse, nisi probetur, eas de proprio fuisse erogatas *in Tusculana die 16 Ianuarii 1768* §. *De secundo* (1).

121. Tutores vero et Curatores quum dolum latam levemque culpam praestare Lex Cod. *Quidquid Tutoris* et omnium Doctorum et Iurisprudentium opinio forensi praxi confirmata abunde patefaciant, et Administratores praecipue Piorum Operum Tutoribus et Curatoribus aequiparentur, iidem tenentur de dolo culpa lata nec non et levi, tam ob malam administrationem, quam ob negligentiam et omissionem *in Recanaten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Iamvero.*

122. Nec ullum inter voluntarium Administratorem et necessarium, inter gratuitum et salariatum intercedit discrimen: nam ex Rota in decis. 141 n. 9 Romana Redditionis rationis 1 aprilis 1816 coram Serlupi, et decis. 136 n. 9 Melevitana Iurium et Praeeminentiarum 15 iunii 1770 coram Mannelli - quivis Administrator alieni patrimonii, quantumvis simplex et gratuitus, culpam etiam levem praestare debet – *in Recanaten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Nullum.*

123. At qui tenetur distribuere hereditatem in bina subsidia dotalia, iure simul pollet detrahendi expensas ac mercedem pro Administratore ab eodem eligendo *in Firmana die 22 Novembris 1727.*

124. Iamvero Communitas Murri Vallium facta heres Nicolai Collateralis, cum onere distribuendi binas dotes singulis annis Puellis miserabilibus, constituit summam scutorum 12 et obulorum 50 pro qualibet. Episcopus retulit, fructus hereditarios ascendere ad annua scuta 40, eosdemque esse integre erogandos pro dictis duobus subsidiis dotalibus; et Sacra Congregatio die 11 ianuari 1727 iudicium Episcopi approbavit. Habito adversus hoc Decretum recursu, et proposito dubio: – An pro nubendis duabus miserabilibus Puellis iuxta ultimam voluntatem Nicolai Collateralis dos scutorum 12 et obulorum 50 pro qualibet sit sufficiens, vel danda maior et in qua summa, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis 11 ianuarii praeteriti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Detractis expensis et aliqua mercede ab Archiepiscopo statuenda et solvenda Administratori bonorum a Communitate eligendo, reliquum esse distribuendum in duas partes – *in Firmana die 22 Novembris 1727.*

125. Nam expensae ab Exequutoribus actae pro exequutione voluntatis Testatoris detrahendae sunt ab hereditate *in Imolen. Subsidii dotalis 1 Septembris 1762* §. *Alia.*

Item *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Quo.*

126. Unde salarium et stipendium eorum, qui sunt necessarii pro administratione legatorum, cum ad exequendam voluntatem Testatorum requirantur, eorumque idcirco respiciant utilitatem, ab iisdem legatis deduci debent *in Ecclesien. Onerum die 23 Iulii 1803* §. *Duo.*

127. Ad eum enim pertinent expensae, de cuius interesse et utilitate agitur, ex doctrina Baldi in Lege *Si quando* ff. de offic. Procons., Angel. in Leg. *Turres* Cod. de oper. publ., Sarrias de expens. et meliorat. cap. 21 n. 30 *in Ecclesien. Onerum die 23 Iulii 1803* §. *Duo.*

128. Idcirco quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Caietanae post translationem Episcopi Lanfreschi ad Ecclesiam Matheranensem insurrexisset contra distributionem spolii Episcopi Pinaque antecessoris ab illo factam, Sacra Congregatio eam reprobavit; et proposito dubio: – III. An et quomodo sit providendum pro salariis aliisque expensis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, ad Episcopum prout de iure – *in Caietana Spolii die 10 Decembris 1740.*

129. Unde quum anno 1695 Canonicus Iacob Ghilini Capitulum Cathedralis Alexandrinae universalem sibi, pluribus adiectis oneribus, heredem scripsisset, proposito dubio: – VII. An praeter expensas litium sint separandae a

(1) Mascard. de Probat. Conclus. 116, n. 1; et Rot. decis. 628, n. 38 coram Lancetta.

fructibus hereditariis expensae instrumentorum taxarum archivii Visitatorum et Ratiocinatoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, Affirmative –*in Alexandrina die 10 Decembris 1785.*

130. Hinc quum hereditas Laurentii Morisi, qui Canonicatum et tres Mansionariatus in Collegiata Ecclesia S. Ioannis in Persiceto erigi iusserat, reperta esset impar huic oneri, Sacra Congregatio nedum approbavit commutationem voluntatis et transactionem, qua Canonicatus et unica Mansionaria pluribus cum conditionibus erigi debebant, sed et proposito dubio: – II. An quomodo et a quibus subeundae sint expensae pro conficienda transactione ac obtinenda voluntatis commutatione usque ad plenam illius exequutionem in casu etc. –, responsum dedit: – Ad secundum, expensas omnes subeundas ex fructibus decursis, et deinde a Beneficiis erigendis, prout de iure – *in Bononien. Commutationis voluntatis die 17 Iunii 1786.*

131. Qua de re si Testator simpliciter mandaverit erectionem Archipresbiteratus, quin in ullam Personam verba dirigeret, eius erectio fieri debet expensis hereditatis *in Tolentina Erectionis Archipresbiteratus die 5 Decembris 1744.*

132. Iamvero postremis, quibus decessit, tabulis Petrus Nardi Canonicus Cathedralis Ecclesiae Tolentinae, instituta herede Causa Pia, praecepit, ut post mortem heredis, quem scripserat in usufructu, altera Dignitas in eadem Cathedrali erigeretur. Hinc facile ex huiusmodi dispositione colligebatur, damnandam esse hereditatem ad erectionis impensas. Verba enim, quibus erectionem iussit, in nullam personam directa erant, ita ut ab exequutore, qui vices hereditatis sustinebat, erant impensae subeundae, sine quibus opus, quod voluit Testator, impleri non poterat. Proposito itaque dubio: – I. An et a quo fieri debeant expensae erectionis Archipresbiteratus, de quo agitur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, expensas faciendas esse sumptibus hereditatis, comprehenso etiam sedili; et ad mentem: mens est, quod scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Tolentina Erectionis Archipresbiteratus die 5 Decembris 1744.*

133. Similiter cum Testator mandaverit erectionem Archidiaconatus, expensae erectionis fieri debent sumptibus hereditatis; proposito enim dubio: – II. An et ad quem spectent sumptus expeditionis literarum Apostolicarum occasione erectionis Archidiaconatus Ecclesiae Cathedralis Malleani? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, expensas erectionis esse faciendas sumptibus hereditatis-*in Sabinen. Erectionis Archidiaconatus die 26 Novembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

134. Quod si Testator instituerit heredem cum onere erigendi Beneficia ecclesiastica, onus erectionis inest heredi; erectio idcirco Beneficiorum demandata per Philippum Carafini in suis postremis tabulis facienda est expensis Heredis, non vero Legatarii; his enim in terminis proposito dubio: – V. An et cuius expensis Heredis scilicet, vel Legatarii facienda sit erectio Beneficiorum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Erectionem esse faciendam expensis Heredis – *in Burgi S. Domnini die 30 Aprilis 1729.*

135. Nam idem iuris dispositione cautum est, ut teneatur heres ad impensas legatae rei praestandae, ut Cerbidius Scevola respondit in Lege *His verbis* §. Alumno de legat. 3, et longe aptius in §. sequenti: – Item Testator Liberto militiam his verbis legavit, Seio Liberto meo militiam do lego, illam militiam, quam et Testator habuit: quaesitum est, an onera omnia et introitus militiae ab herede sint danda? Respondi, danda – *in Tolentina Erectionis Archipresbiteratus die 5 Decembris 1744.*

136. Qua de re quum a Iosepho Stopeni constitutum fuerit legatum Missarum in sorte scutorum 118, cum quibus inde activus creatus est census ad rationem scutorum quinque pro centenario et anno cum Communitate Arimini, et illius fructus decursi ab anno 1792, quo intermissa fuit Missarum celebratio, ad diem 15 iunii 1795 in summa scutorum 18. 15 depositi erant in Ariminensi Monte Pietatis, proposito dubio: – III. An et

(1) Scilicet, ut Episcopus super faciem loci adhibito consilio Peritorum tantum alium exquirat et Sacrae Congregationi suggerat modum, quo stallum praedictum sine deformitate et minori, qua poterit, impensa confici queat, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 29 die 5 Decembris 1744.*

quomodo erogari debeant fructus superextantes in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit:– Ad tertium, Affirmative ad formam fundationis ad taxam obulorum 12 ½, deductis expensis pro constituendo Legato necessariis, ab Ordinario liquidandis – *in Ariminen. Legati die 11 Februarii 1797.*

137. Quin imo Exequutori etiam expensae Literarum Apostolicarum sunt reficiendae per hereditatem, non vero per Beneficiatum, licet hic nominatus fuerit a Testatore, ac ea propter huiusmodi impensa non videretur necessaria *in Aquipendien. Expensarum die 22 Iulii et die 23 Septembris 1758.*

138. Siquidem Canonicus Ioannes Savini testamento, quo decessit, mandavit erectionem Beneficii, cui primum nominavit Canonicum Sardoni, qui de facto post obitum Testatoris possessionem eiusdem accepit. Raimundus Rollius, unus ex Exequutoribus testamentariis, post finem litium, quas fratres Savinii intentaverant, petiit, ut sibi reficerentur impensae, quas ipse fecerat, ab hereditate Testatoris, inter quas illa erat Literarum Apostolicarum. Episcopus omnes probavit, exceptis, quae factae fuerant pro iisdem Literis, vel quia necessariae non fuissent, cum posset rite recteque fieri erectio et institutio nominati a Fundatore sine Edictorum propositione, vel quia, si necessariae fuerant, refici deberent a Canonico Sardoni, non ab hereditate Testatoris. Sacra Congregatio rescripsit: – Pro gratia, deductis tamen expensis Bullarum Beneficii –; sed iterum institit Rollius, cum sustineret, Edicta omitti sine nullitate non potuisse, ob apertam sanctionem Textus in cap. fin. de electione in 6, atque hanc esse communem Doctorum sententiam et Curiarum ecclesiasticarum praxim. Necessaria cum igitur fuerit impensa Literarum Apostolicarum, ea propterea refici debebat. Proposito hinc dubio: – An sint reficiendae expensae Bullarum Beneficii et per quem in casu etc.–, Sacra Congregatio die 22 Iulii 1758 respondit: – Iterum proponatur; sed mox reproposito dubio sub eadem formula, responsum dedit: – Reficiendas esse per hereditatem – *in Aquipendien. Expensarum die 23 Septembris 1758.*

139. Non possunt vero ab Administratoribus Ecclesiarum vel Locorum Piorum deduci expensae ex eleemosynis Missarum, nisi Loca Pia alios non habeant reditus: nam tunc tantum deduci potest, quantum pro Missarum ipsarum Sacrificio est necessarium *in Cathacen. die 16 Decembris 1634 lib. 15 Decretorum pag. 144.*

140. Hinc expensae pro expediendis Literis Apostolicis, quibus indulgetur facultas ineundi contractum emphyteuticum, faciendae sunt pro medietate a Beneficiato et Deliberatario, cum in supplici libello tantum, non edictis et oblationibus apposita non fuerit conditio, quod illae fieri deberent a Deliberatario *in Spoletana Emphyteusis die 18 Iunii 1796.*

141. Enimvero Sacerdos Iulius Nuvoletti possessor Beneficii erecti in Ecclesia S. Margaritae Villae Maltignani petiit facultatem concedendi illius bona in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam sub conditione, quod Emphyteuta subesse deberet omnibus expensis necessariis. Obtenta huiusmodi facultate et promulgatis Edictis, Hieronymus Ercoli emphyteusim obtinuit pro annua summa scutorum septem supra decem. Videbatur itaque, quod Beneficiatus non teneretur ad sumptus pro expediendis Literis Apostolicis, dum in primo supplici libello protestatus fuerat, quod Emphyteuta facere deberet omnes expensas necessarias, idque in Edictis exprimi debuisset: neque ad eas teneri videbatur Deliberatarius; nam in Edictis et oblationibus, quae informabant contractum, nulla facta fuerat illarum mentio. Res ergo remanebat sub dispositione iuris, ex qua fieri debent expensae pro ratione utilitatis et commodi, et per consequens a Beneficiato et Deliberatario pro virili, dum utilis erat emphytheusis Beneficiato ob meliorem conditionem Beneficii, aeque utilis Deliberatario ob lucrum, quod afferre solet. His proinde perpensis, proposito dubio: – II. An et cuius sumptibus sint expediendae Literae Apostolicae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative sumptibus utriusque pro medietate – *in Spoletana Emphyteusis die 18 Iunii 1796.*

142. Ad expensas vero quod attinet, quae occasione litium fiunt, Partem victam victrici in expensas litis esse condemnandam statuunt iura in L. *Eum, quem temere* ff. de Iudiciis, in L. fin. Cod. de ord. cognit., et firmat Rota

coram Emerix decis. 95 §. 1, coram Falconerio de alimentis decis. 10 §. 1 *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824* §. *Theresia.*

Item *in Romana Legati Pii super Expensis die 16 Iunii 1827* §. *Partem.*

143. Hinc expensae litis sunt reficiendae ab iis, qui liti causam dederunt *in Sabinen. die 31 Maii 1783* §. *Ad III.*

144. Idcirco omnes et singulas expensas tam iudiciales, quam extraiudiciales, concurrente inhibitione praecedenti, et spreta subsequenti, reficiendas esse firmavit Constantinus Vot. decis. 203 n. 2 et 3, Rot. in decis. 391 coram Ansaldo n. 9, et decis. 285 n. 5 coram Crispo *in Urbanien. die 19 Augusti 1775* §. *Hinc.*

145. Notissimum tamen est, expensarum refectionem, utpote quae poena temerarii atque improbi litigatoris sit, nonnisi ei iniungendam esse, qui victus ex arena discesserit, L. 13 §. 6 Cod. de iudiciis *in Neapolitana Matrimonii super Expensis die 27 Novembris 1858* §. *Verum.*

146. Quum itaque expensarum refectio poenae loco iure habeatur, Inst. de poen. temer. litigan. §. 4, in quolibet dubio pro poenarum exclusione iudicium ferendum est *in Neapolitana Matrimonii super Expensis die 27 Novembris 1858* §. *Defensor.*

147. At quum translata iam fuerint integra acta ad Iudicem appellationis expensis appellantis, si Promotor Fiscalis istius Curiae voluerit, maxime in Causis censurarum ob violatam immunitatem ecclesiasticam latarum, sententiam tueri, Sacra Congregatio declaravit, non esse solvendam ab appellante ullam portionem expensarum pro actis faciendis coram Iudice appellationis *in Arianen. die 28 Aprilis 1635 lib. 15 Decretorum pag. 191.*

148. Hinc Sacra Congregatio declaravit, ea verba, quae habentur Decreto Cap. 20 vers. – nisi aliter ex loci consuetudine servetur –, referri tantum ad partem posteriorem, quae subsequitur versum, si subsit consuetudo, – ut ad appellantem integrum hoc onus pertineat –; ideoque appellatum actis translatis uti nolentem nullo pacto cogendum esse eorum expensam subire *in Vicen. die 7 Octobris 1604.*

149. Qui vero appellavit ab Edicto Episcopi, et Sacra Congregatio illud merito approbavit, tenetur reficere sumptus transportationis et traductionis scripturarum, quas Episcopus facere curavit sua pecunia, animo impensam repetendi *in Oriolen. die 7 Februarii et die 28 Augusti 1756.*

150. Siquidem Ecclesia S. Salvatoris de Oriola in Cathedralem erecta, condita fuerunt Statuta, quibus exemplo aliarum Cathedralium, indictis poenis, Canonici et Dignitates sacris Ordinibus praediti esse deberent, nec non respectiva munera per se ipsos implere tenerentur. Verum haec etiam Statuta fuga temporis et desidia Capituli spreta inde fuerunt, cum neque Sacros Ordines Canonici susciperent, neque ea etiam servarent, quae in Caeremoniali Episcoporum de assistentia praestanda Episcopo Pontificalia agenti aut Sacrum facienti aut concionanti constituta sunt. Episcopus igitur vitia haec per Edictum evellere curavit. Restiterunt huic Edicto duo ex Canonicis, qui tamen posthac Edicto paruerunt, et Sacrista, qui erat secunda Capituli Dignitas. Post varias de appellatione controversias penes Metropolitanum, Sacrista petiit a Summo Pontifice dispensatio ab Ordine Presbiterali, quia hic Ordo Dignitati suae non erat adnexus, et quia variis aegritudinibus et praesertim in oculis obnoxius erat. Episcopus scripturas omnes tam a Sacrista, qua a duobus Canonicis in Episcopali audientia editas, transmisit. Cum vero plures ex his Hispano essent sermone Episcopus, ut Causa proponi posset, curavit sua pecunia, ut in Italicam linguam converterentur, animo tamen impensam repetendi. Sacra Congregatio nedum approbavit, quod Episcopus in Edicto statuerat, sed et proposito dubio: – V. An et a quo debeant refici sumptus transportationis et traductionis scripturarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, reficiendos esse a Sacrista – *in Oriolen. die 7 Februarii 1756.*

151. Reproposito dein dubio sub formula:- An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius - *in Oriolen. die 28 Augusti 1756.*

152. Hinc postquam Sacra Congregatio declaravit, Clerum Ecclesiae Parochialis Maratheae continuare debere in annua prae-

statione modiorum seu tumulorum quinquaginta frumenti pro quarta decimarum debita Episcopo, quin obstaret quaedam lis super eadem decimarum exactione a Populo sive Communitate Maratheae promota, proposito dubio: – II. An Episcopus Cassanensis pro quarta decimarum teneatur contribuere expensis ac sumptibus litis motae per Communitatem Maratheae super exactione ipsarum decimarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Cassanen. Quartae decimarum die 4 Iulii 1739.*

153. At qui legata praestare non debet, nec litis expensas, ut illa impleantur, ferre tenetur *in Nullius Leprignani Legatorum die 7 Iulii 1781.*

154. Siquidem quum Ioannes Franciscus Malatesta ultimo testamento plura reliquisset legata, et, quibus ab heredibus non impletis, Abbas S. Pauli extra Urbis moenia occasione visitationis indixisset infra trimestre eorumdem solutionem, hinc Promotor Fiscalis in Possessorum contumaciam reditus omnes sequestro subiecisset, reclamavit Maria Theresia Malatesta ac sequestrum amoveri postulavit super bonis, quae ex iuribus dotalibus possidere affirmavit et Matris Mariannae dispositione, cuius favore dixit omnia et singula bona Testatoris Ioannis Francisci erant obligata. Qua de re Sacra Congregatio decrevit, non esse detrahendas expensas litis super bonis praefatae Mariae Theresiae; proposito enim dubio: – II. An super bonis assignandis sint detrahendae expensae hodiernae litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit:– Ad secundum, Negative super bonis Mariae Theresiae; et amplius – *in Nullius Leprignani Legatorum die 7 Iulii 1781.*

155. Unde qui litem agunt favore Operis Pii, expensas litis facere non debent de proprio, sed sumptibus eiusdem Pii Operis, cum nullum ex lite compendium habeant *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787 et die 16 Februarii 1788.*

156. Enimvero quum hereditaria bona Romani Boari in emphyteusim data fuissent absque Beneplacito, eorumque possessores legata pia ab eo praescripta haud adimplerent, Parochi Madrariae et S. Nicolai Parochianorum nomine nullum contractum emphyteuticum dixerunt ac enixe instarunt, ut pia opera iuxta mentem praefati Boari adimplerentur, quin tamen iidem de proprio ferre deberent expensas litis,nullum enim compendium ex lite habebant; proposito idcirco dubio: – IV. An et cuius sumptu sint faciendae expensae praesentis litis favore Operis Pii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum, Affirmative sumptibus Operis Pii – *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787.*

157. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, in decisis; et amplius – *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788.*

158. Compertum enim est, legitimos Piorum Legatorum, quae Parochialibus Ecclesiis vel Pauperibus Parochianis relicta sunt, Administratores esse Parochos; ideoque illorum nomine in iudicio stare posse *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Ad* (1).

159. Idcirco Administratores hereditatis Iacobi Fornaciari, qui iussit eam distribui in tot subsidia dotalia, non tenentur facere de proprio expensas litis, ob id actae, ut clarius tutiusque dignoscerentur Puellae, quae praeferri deberent; nec enim aequitas et iustitia patitur, ut iidem Administratores litem hanc, quam pro rite exequenda Testatoris voluntate aggrediuntur, suo sumptu agere cogantur. Proposito hinc dubio: – V. An expensae huius litis fieri debeant sumptibus hereditatis Fornaciari in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quintum, Affirmative – *in Fanen. Subsidiorum dotalium die 9 Aprilis 1785.*

160. Unde Administratores Operis Pii haud tenentur facere de proprio expensas litis, quam contra Episcopum merito agunt ad effectum etiam, ut respectiva iura declarentur, licet Praeses Congregationis protestetur, litem agendam non sumptibus Congregationis, sed Vocalium, qui contradicunt *in Faventina Redditionis rationis die 19 Septembris 1772.*

161. Siquidem Episcopus Faventinus occasione pastoralis Visitationis anni 1769 opta-

(1) Ceccoper. lucubrat. can. lib. 3, tit. 12, n. 17; Amostaz de Causis Piis lib. 5, cap. 6, n. 70; Crispin. visit. pastor. part. 2 §. 18, n. 10.

vit computa inspicere administrationis Pii Operis a Paulo Spada instituti, quod Congregatio a suo nomine Paulina administrabat; sed Deputati praefatae Congregationis Paulinae, Vocales appellati, libros exhibere recusarunt, seseque ab Ordinarii iurisdictione dixerunt exemptos. Postea Pauperum nomine libellus Summo Pontifici fuit oblatus, quo conquesti sunt de non sequuta eleemosynarum partitione, atque idcirco iniungi Vocalibus postularunt, ut fieret illarum distributio, iuxta Testatoris praeceptum. Episcopus quum nonnisi quam inspectis dispunctisque computis instructam reddere posset Sacram Congregationem, librorum petiit exhibitionem; sed quia Vocales illos exhibere denuo detractarunt, nihil referre posse respondit. Id causa fuit, cur ad quaestiones omnes inter Episcopum et Vocales dirimendas necesse fuerit plura dubia Sacrae Congregationi proponere, ut ab eadem resolverentur. At Marchio Mutius Spada, qui dictae Congregationi Paulinae praeerat, solemniter apud acta declaravit, nolle se Episcopi petitioni obsistere, et protestatus est, litem agendam non sumptibus Congregationis Paulinae, sed Vocalium, qui contradicebant. Sacra Congregatio, postquam dubia proposita resolvit, ac praesertim quod Vocales tenerentur reddere rationem administrationis Episcopo, sed minime deferre seu mittere ad Episcopum in Civitate Faventiae libros et scripturas respicientes dictam administrationem, propositis dubiis: – VIII. An praesens lis agenda sit sumptibus dictae Congregationis, seu potius sumptibus illius Vocalium in casu etc. *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* IX. An reficiendae sint eidem Congregationi a dictis Vocalibus etiam expensae hucusque factae in casu etc. –, respondit: – Ad octavum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad nonum, Negative; et amplius – *in Faventina Reddit. rationis die 19 Septembris 1772.*

162. Hinc expensae litis per Exequutores Pii Montis dotalis factae non sunt omnes desumendae ex reditibus eiusdem; sed etiam a Muliere, quae subsidium dotale accepit, debentur pro rata, taxandae a Secretario Sacrae Congregationis *in Castellaneten. Dotis die 22 Maii et die 10 Iulii 1751.*

163. Siquidem Pium Montem dotalem fundavit anno 1643 Sacerdos Ioannes Giovinazzi, cuius curam et administrationem Capitulo Cathedralis Ecclesiae Castellanetae commisit. Orta subinde controversia est inter Episcopum primum executorem Pii Montis et tres alii, nempe Archidiaconum Thesaurarium et Cantorem, quorum duo spreto Episcopi primi executoris interventu et consensu, edixerunt, subsidium dotale tribuendum esse secundum petitionem Francisci Chiesi, ac tertius spreto pariter interventu et consensu eiusdem Episcopi contendit, dandum esse Catharinae Pizziferro: sed Catharina la Fratta posthabita confugit ad Sacram Congregationem, quae favore ipsius respondit. Hinc Episcopus quaerelas detulit Sacrae Congregationi, et ad omnes controversias praecidendas octo dubia proponere curavit. At his controversiis e medio sublatis, alia suborta est inter Elisabetham Chiesi et Capitulum, ob legatum dotis debitum pro triennio exacto atque impleto, cum Elisabeth peteret summam ducatorum 360, et Capitulum hanc quantitatem deberi negaret, et detrahendam esse sustineret portionem ex causa impensarum litis actae cum Episcopo. Contra Elisabeth contendit, Capitulum nullam habere actionem ex causa impensarum litis contra Episcopum, nisi probaret pactum aut obligationem Elisabeth, aut utile eidem negotium ea lite gestum fuisse: pactum et obligationem nullam esse, tacitum consensum Elisabeth in huiusmodi litem abesse, cum detrimentum ex ea accepisset, dilata dotalis subsidii solutione, ob praefatam controversiam. His autem perpensis, proposito dubio: - An sumptus litis contra Episcopum per Exequutores Pii Montis erogati desumi debeant ex reditibus eiusdem Pii Montis in casu etc. –, Sacra Congregatio, cum declaraverit, praefatae Elisabeth deberi subsidium dotale Pii Montis pro rata summa maturata, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative pro rata taxanda coram D. Secretario – *in Castellaneten. Dotis die 22 maii 1751.*

164. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Castellaneten. Dotis die 10 Iulii 1751.*

165. Non licet vero Operariis seù pii Operis Administratoribus impendere Operae reditus pro sumptibus litis, quam ipsi agunt contra Canonicos ius habentes in eiusdem administratione, cum lis super respectivis iuribus vertat *in Spoletana Expensarum die 26 Septembris 1739.*

166. Enimvero Mercurius Letus Sermoscatus bis mille scuta in tot censibus consistentia legati iure reliquit anno 1604 Fabricae insignis Ecclesiae Collegiatae S. Petri Civitatis Spoleti duplici adiecto onere, altero nimirum erogandi annua scuta quinquaginta in dotale subsidium unius Puellae, et altero impendendi quidquid, soluto dicto annuo subsidio, residuum foret in beneficium et restaurationem Fabricae dictae Ecclesiae: ut recta vero dictorum censuum administratio fieret, prae ceteris mandavit, deputari duos Aediles sive Operarios et unum Capserium, qui teneretur reddere rationem in fine cuiuslibet anni administrationis Priori dictae Ecclesiae S. Petri cum interventu dictorum Operariorum; et quotiescumque Opera aliqua pecuniarum summa indigeret, praedictus Capserius teneretur solvere Personae deputandae cum participatione et scientia Operariorum, et onus Puellam praedictam anno quolibet nuptui tradendi florenos centum incumberet praefato Priori et Canonicis dictae Ecclesiae ac Operariis pro tempore deputandis. Defuncto Testatore, Prior Canonici et Operarii sub annum 1629 Statuta quaedam Episcopi confirmatione roborata ediderunt, inter quae dispositum legebatur, quod distributio subsidii dotalis faciendum foret de triennio in triennium. Inde anno 1655 Card. Facchinettus Civitatis Spoletanae Episcopus praecepit, ne Operarii independenter a Priore et Canonicis vel ipsius licentia reditus impenderet in beneficium et utilitatem Fabricae. Capitulum asseruit, Operarios antiquiores enunciatis Statutis absque ulla contradictione semper obsequutos fuisse: at moderni Operarii contendentes, licitum sibi esse reditus supradictorum censuum in beneficium et utilitatem Fabricae independenter a Priore et Canonicis dictae Collegiatae erogare, ac memoratum subsidium dotale singulis annis alicui pauperi Puellae iuxta testamentariam dispositionem, non autem de triennio in triennium fore distribuendum, ac proinde distributionem trium subsidiorum dotalium et respective electionem trium Puellarum anno 1736 a dictis Priore et Canonicis peractam sustineri non posse, sententiam votis conformem a Vicario Generali impetrarunt: sed ulteriori Causae cognitione delata ad A. C., iste sententiam praedictam ea in parte, qua declaratur, non licuisse Capitulo, nisi unicam quolibet anno eligere Puellam, revocavit pronuncians, – electionem trium Puellarum anni 1736 fuisse et esse valide et canonice factam –; in altera vero parte, qua iubetur, unam tantum Puellam deinceps fore quolibet anno eligendam per caput separatum confirmavit. Cum autem tum Capitulum, tum Operarii respective ad S. Rotae Auditorium appellaverint, putarunt inde Operarii, sibi licere reditus eiusdem Operis pii impendere, quemadmodum nonnullas pecuniarum summas ab eius aerario in hunc finem iam extraxere. At secus arbitrantes memorati Canonici et Prior, inhaerentes praesertim Edicto moderni Episcopi novissime sub anno 1738 promulgato, quo id Operariis vetebatur absque licentia in scriptis eiusdem Episcopi, ad coercendam libertatem, quam sibi asserebant Operarii, supremam Sacrae Congregationis auctoritatem implorarunt.

167. Proposito itaque dubio: – An Operariis Ecclesiae Collegiatae S. Petri liceat reditus Operae impendere pro sumptibus litium circa modum dotandi Puellas et respective circa modum erogandi eosdem reditus in beneficium Fabricae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ex praedictis sumptibus litis circa modum dotandi Puellas factis ante transitum sententiae A. C. Furietti in rem iudicatam. – *in Spoletana Expensarum die 26 Septembris 1739.*

168. Idcirco Ecclesiae Cathedralis Cavallicensis Operarius, qui reparationi et Fabricae illius ex institutione potissimum officii sui praeerat, expensas litium de proprio facere tenetur, dum iura praedicti officii contra Capitulum vel alios tuetur; proposito enim dubio: – II. An expensas litium in defendendis iuribus sui Officii contra Capitulum Canonicos vel alios dictus Operarius de proprio facere debeat, vel ex reditibus Fabricae ab ipso administratis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative

ad primam partem in casu, de quo agitur, Negative ad secundam; et amplius - *in Cavallicen. die 7 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

169. Unde Promotor Fiscalis quum litem egisset non in utilitatem Capellaniarum erigendarum in Ecclesia Parochiali Alviani iuxta dispositionem Francisci Maria Titolivii, sed potius ad destruendam illius voluntatem, heredes sustinuerunt, expensas litis subeundas non esse ex fructibus hereditatis; hinc Sacra Congregatio reiecta praetensione dicti Promotoris Fiscalis, proposito dubio: - III. An sit locus subministrationi expensarum ex fructibus bonorum pro praedictis Capellaniis assignatorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative; et amplius - *in Amerina Capellaniarum die 12 Martii 1763.*

170. Qua de re quum lis in commodum et utilitatem Operis pii peracta fuerit inter Capitulum et Canonicum Mattioli et Priorem ac duos Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Christinae Civitatis Eugubii, eiusdem expensas facere non debent de proprio quatuor Canonici, sed ex reditibus hereditatis Triangoli, quia praedicta lis circa eiusdem dispositionem implendam versabatur, ita ut essent exequendae resolutiones capitulares dierum 24 iulii et 24 septembris 1769: sed expensae, quae erant faciendae a Priore et duobus Canonicis, refici non debent a praefata hereditate Triangoli; his enim in terminis propositis dubiis: - II. An expensae litis fieri debeant ex reditibus hereditatis Triangoli, ita ut sint exequendae resolutiones capitulares dierum 24 iulii et 24 septembris 1769, seu potius a quatuor Canonicis in casu etc. III. An expensae, quae fieri debent a Priore duobus Canonicis et Puellis, sint reficiendae ab hereditate Triangoli, seu potius ab ipsis Priore Canonicis et Puellis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad tertium, expensas fieri debere a Priore et duobus Canonicis; et amplius - *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770.*

171. Quin imo si Administratori adeo perspectae erant vires patrimonii Ecclesiae, cuius administrationem gerebat, ut facile posset praevidere impares esse fore ad litis expensas sustinendas, et eas sub arbitratu, inconsulto Episcopo ac citra ullam Ecclesiae utilitatem fecit, iniuria certo repetere videtur, non secus ac Tutor, qui reposceret id, quod, nullo Praetoris recte instructi Decreto intercedente, ex bonis pupillaribus impendit, quodque nec Pupillo impendere expediebat, nec vires eius patrimonii patiebantur, ceu post legem *Quid ergo* ff. de contr. tut. et util. act., legem *Officio* §. 1 et 2 ff. ubi Pupillus educ. vel morari debeat, docet Voet lib. 27 tit. 4 n. 5 *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Insuper.*

172. Hinc usque dum mota lis pendet, nonnisi inconsulto administrata Ecclesia factas refunderet expensas, quum contra, litis exitum expectans, si ob eam se laesam dignosceret, Administratorem suum cogere posset ad damna resarcienda, ex traditis a Barbosa in lib. 2 iur. eccles. cap. 17 n. 5 *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Perpendendum.*

173. Idcirco cum Canonicus Stramigioli adversus Executores testamentarios Serra et Paci temere atque iniuste litem egisset, et post adversam Rotae sententiam quinque annos vixisset, quin ullum unquam de expensarum refectione verbum fecerit, nec ipse nec eiusdem heredes praetendere possunt expensarum refectionem, quia et ex perceptis quinque annorum reditibus eas sibi satis iam superque compensasset, nec propterea locus esse potest suspensioni Canonicatus, ut heredes praetensam expensarum redintegrationem assequi possent; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An locus sit refectioni expensarum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An locus sit suspensioni nominationis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative; et amplius - *in Pisauren. Expensarum et Nominationis die 1 Septembris 1832.*

174. Quapropter si Executor testamentarius et Capellanus temere litigaverit, sumptus litis non sunt detrahendi ex bonis Capellaniae, sed is seu heres eius ferre ac etiam Parti victrici reficere tenetur, quin diminutio fructuum cedere debeat damno eiusdem Capellaniae, sed propinquorum institutoris, qui ex gratia quamdam summam super ipsius bo-

nis obtinuerint *in Callien. et Pergulana Expensarum die 29 Martii 1830.*

175. Iamvero ultimo, quo decessit, elogio anni 1803 Franciscus Antonius Alegi ex omnibus et singulis suis bonis Capellaniam instituit iussit, imposito onere tria singulis hebdomadis litandi Sacrificia. Huius voluntatis executorem elegit Sacerdotem Benvenutum Viticchi, quem primum etiam Capellanum constituit ea tamen conditione, ut uxori Luciae Sassi praeter domus habitationem suppeditaret alimenta ex bonis Capellaniae, donec viveret et vidua permaneret. Vicarius Apostolicus, perpensis hereditatis viribus, praeter habitationem scutata quadraginta tria et obulos octoginta ab Executore testamentario eidem Viduae singulis annis solvenda praecepit. At inde amica inita fuit conventio, qua Exequutor testamentarius die 18 maii 1804 Viduae Sassi cessit ratione alimentorum, donec viveret, annuum fructum duorum censuum ad hereditatem Alegi spectantium seu scutata quadraginta duo, ac promisit, se ad rationum exaequationem quolibet anno eidem soluturum obulos centum octoginta. Cum autem decem circiter post annos debitores huiusmodi censuum, ut a scutatis quadraginta duobus scutata quatuor et obulos viginti pro rata commodi subducerentur, instarent, ut Vidua de iisdem compensationem a Capellano seu executore testamentario percontaretur, Capellanus non solum ei obstitit, sed etiam litem in Curia Episcopali Pergulensi intendit pro imminutione annuae pensionis, ob alterius census activi scutorum bis centum iacturam. Capellani votis arrisit Vicarius Generalis sententiamque tulit, qua edicebatur, pensionem Viduae adsignatam cohibendam esse ad annua scutata triginta tria et obulos octoginta. Ad A. C. Tribunal provocavit Mulier, et post acre ac diuturnum certamen victrix evasit: imo Capellanus damnatus fuit ad omnium expensarum refectionem, quae summam constituebant scutorum 214. $22\frac{1}{2}$. Obtentum mandatum super censibus Capellaniae dotem efformantibus confestim exequendum curavit Vidua Sassi: at dum de censibus constituta auctione vendendis agebatur, nova in eadem Episcopali Curia exarsit lis super exequutionis validitate, propterea quod Capellanus Viticchi contenderet, eiusmodi mandatum vim suam exerere non posse contra dotem Capellaniae, sed potius adversus ipsius Capellani patrimonialia bona. Iterum Vidua infelicem in ipsa Curia experta exitum ad tribunal A. C. denuo confugit: atque istud, praevia abrogatione Decretorum Episcopalis Curiae, semel iterumque census Capellaniae publicari mandavit. Tulit hoc graviter Canonicus Felix Masci, defuncti Viticchi successor, qui ne ad ruinam Capellaniae bona vocari pateretur, supplex adiit Summum Pontificem, ut Sacerdos Camillus Sassi defunctae Viduae frater ac heres tela sua in bona hereditaria Benvenuti Viticchi vertere iuberetur.

176. Episcopus censuit, Capellanum et Executorem Viticchi, inconsulto etiam ipso Episcopo, potius temere et contra fas lites suscepisse, ac ea propter in expensis omnibus ipsummet seu eius hereditatem condemnandam esse. Nam Vicarius Apostolicus iam praefatam summam statuerat ex bonis Capellaniae, et Vicarii sententiae Partes communi placito adhaerendum sibi duxerunt. Iniuria itaque Capellanus Viticchi postea litem movit. Et licet census iacturam fecerat Capellania, ex annuo tamen reditu scutorum sex et septuaginta, detractis alimentis in scutis 43. 80, supererant scutata 32. 20, quae congruam suppeditabant eleemosynam pro Missis centum quinquaginta septem quolibet anno a Capellano celebrandis. Iniuria quoque Viticchius compensationem scutorum quatuor quam Vidua ob inductam ratam commodi efflagitaverat, iugiter detrectavit; scitum namque est, qui a debitore mandatum accepit ad exigendum, ut sibi satisfaciat, iure posse non sequuta solutione in mandantem agere. Propriam insuper, non Capellaniae Viticchius quaerebat utilitatem; agebatur enim de onere per obitum Viduae penitus extinguendo, ideoque unius Viticchi, qui Capellaniae fruebatur reditibus, intererat, ne interim annui fructus vel minimum decrescerent, imo per imminutionem alimentorum, si fieri posset, augescerent. Contra videbatur, Exequutor testamentarius haud omnino iniustam intendisse litem, cum Vicarius Generalis eiusdem votis adhaesisset: imminutis enim reditibus, aequitati consonum videbatur, ut, procul testamentarii Executoris culpa immi-

nutis hereditatis reditibus, tum Capellani stipendium, tum Viduae alimenta servata proportione, decrementum paterentur. Lis praeterea a Viticchio mota ad utilitatem Capellaniae suapte natura redundare videbatur, cum eo spectaret, ut Capellani pro tempore seu Capellaniae fructus in dies non decrescerent. Nam et sex Testatoris consanguinei inopia pressi iam inde ab anno 1806 Apostolicum impetraverant Rescriptum, quo praecipiebatur, – ut ea pars fructuum hereditatis Alegi, quae nunc quotannis persolvitur pro exhibitione Viduae Alegi, post ipsius obitum applicetur et persolvatur Oratoribus in ipsorum indigentiae levamen iuxta divisionem faciendam ab R. P. D. Episcopo, cui Sanctitas sua praesentis gratiae executionem commisit cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis –.

177. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An refectio expensarum litis sit facienda ex bonis Capellaniae Alegi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An imminutio fructuum cedere debeat damno Capellaniae, seu potius propinquorum Testatoris in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* III. An et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, provisum in secundo – *in Callien. et Pergulana Expensarum die 29 Martii 1830.*

178. Unde Canonicus ab ipsa Fundatrice primum electus seu eius heres nequit retinere impensas litis factas, ut Canonicatus erigeretur cum pecunia, quae eidem tradita est, ut uniretur alteri Canonicatui erigendo iuxta mentem eiusdem Fundatricis, adeoque locus est restitutioni, licet quoad fructus decursos placeat de concordia ad mentem *in Montis Alti Expensarum die 23 Novembris 1754 et die 22 Martii 1755.*

179. Siquidem Volumnia Angeletti praevia donatione erigi mandavit Praebendam Canonicalem in Ecclesia Collegiata Terrae Fontii. At Lucas heres Matris nullam dixit praefatam donationem coram R. Fabricae Commissario, qui tamen eam validam declaravit. Appellavit Lucas, sed paullo post diem obiit supremum, scriptis heredibus Patribus Conventualibus, qui ope appellationis Causam prosequi curarunt; sed iisdem victis, in exequutionem mandata est donatio Volumniae per erectionem Canonicatus. Impensas diuturnae huius litis subiit electus ab ipsa Volumnia Canonicus Franciscus Pascuccius in summa scutorum 723, 80. Post erectum Canonicatum Camilla Evangelisti nurus Volumniae tradidit Canonico Pascucci summam scutorum 235, quae provenire dicebantur a Volumnia, quaeque unienda erant alteri Canonicatui erigendo ad praescriptum Volummiae. Cum autem pecuniam hanc Canonicus Pascuccius in fundum novi Canonicatus, quem tamen, dimisso primo, accepit, nunquam erogaverit, neque id factum fuerit, eo defuncto, ab herede, Canonicus Rampazzi, qui secundum hunc Canonicatum possidebat, in ius vocavit Ioannem Baptistam heredem, ut summam illam una cum fructibus decursis ab anno 1729 solveret. Episcopus censuit, non esse locum compensationi summae scutorum 235 cum expensis litis in dicta asserta summa scutorum 730. 80, quia Canonicus Pascuccius Causam suam egerat ratione patronatus, quia impensas nunquam repetierat, et quia ad has impensas sese scripta syngrapha obligatum voluerat Pascuccius Canonici frater. Contra Pascuccius compensationem sustinuit, cum Patronus non teneatur Causam sua pecunia agere, ut fundatio sustineatur, obligatio suscepta ab Angelo Antonio Pascuccio respiceret expensas factas ante annum 1680, quo scripta fuerat syngrapha, non vero eas, quae inde factae fuerunt, et quarum creditor erat Canonicus Pascuccius, quin eius silentium impensas non repetentis obesset; nam id non erat modus tollendae obligationis, cum et ipse et heres scirent, ius eorum salvum esse. Insuper contendit, non probari a Rampazzio illa scuta 235 tradita a Camilla fuisse hereditaria Volumniae et data, ut unirentur fundo Canonicatus: quod si probaretur, non posse fructus exigi, cum bona fide pecuniam illam consumpserit Canonicus Pascuccius, imputando illam in suum creditum.

180. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus restitutioni summae scutorum 235 una cum fructibus, seu potius com-

petat retentio pro praetensis expensis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem quoad capitale, Negative quoad secundam; quo vero ad fructus, placere de concordia ad mentem – *in Montis Alti Expensarum die 23 Novembris 1754.*

181. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Montis Alti Expensarum die 22 Martii 1755.*

182. Unde cuilibet Administratori refici quidem debent necessariae, non item superfluae expensae, ex doctrina Bartoli in Lege Qui *sub conditione* 110 ff. de condit. et demonstrat., quam probat Rota in Recent. decis. 431 n. 11 part. 13 *in Feretrana Applicationis super expensis litis die 13 Septembris 1800* §. *Quae.*

183. Quin imo si constet, Administratores seu Rectores Beneficii irrationabiliter ac nullo iure suffultos litigasse, non secus ac Tutores et Curatores, qui litium impendiis suo aere resarciendis tum obstringuntur, cum iniustae tuentur lites, L. *Non est ignotum* Cod. de administr. tutor. *in Callien. et Pergulana Expensarum die 30 Ianuarii 1830* §. *Iamvero.*

184. Idcirco qui non necessariam, sed plane voluntariam et iniustam excitavit controversiam, nullo modo praetendere potest expensarum refectionem, ad Textum in L. 79 ff. de iudiciis, Constant. ad Statutum Urbis adnot. 59 §. 314, Rot. in decis. 1911 §. 13 coram Coccino *in Pisauren. Expensarum et Nominationis die 1 Septembris 1832* §. *Nicolaum.*

185. Expensae autem, quae rem alias interituram servant, vel quae prohibent, ne deterior fiat, inter necessarias recensentur *in Romana Condonationis die 21 Novembris 1840* §. *Nec* (1).

186. Contra inter voluptuarias adnumerantur picturae, incrustationes, aliaque id genus ornamenta *in Romana Condonationis die 21 Novembris 1840* §. *Silentio.*

187. Quin imo ex iis, quae tradunt Belletti disquis. Cleric. de Clericor. debit. et Card. Antonelli de iuribus Clericor. lib. 2 part. 13 cap. 6 n. 2 Ecclesia tunc tenetur ad expensarum redintegrationem occasione litis solutarum, quum ea non solum utilitatis, sed etiam necessitatis causa litem ipsam sustinere debuisset *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Verumtamen.*

188. Neque illud refert obiicere, ad refectionem expensarum satis esse, ut saltem ob utilitatem Ecclesiae iudicium inceptum fuerit: nam prout tenet idem Antonelli loc. cit. part. 6 cap. 12 n. 14, quem sequitur S. Rota in Recent. decis. 778 part. 2 n. 3, ad eam admittendam refectionem in comperto antea esse debeat, pecuniam, quae repetitur, versam fuisse in necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Neque.*

189. Quoad autem controversias inter Patres Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii et Parochos de Consortio actas super admissione in idem Consortium Vicarii amovibilis ab iisdem Patribus deputati ad curae animarum exercitium in Ecclesia Parochiali S. Iacobi, quum ambae Partes in Episcopum compromissent iureiurando observare promittentes quidquid ab eo declaratum fuisset etiam sub clausula refectionis sumptuum etc. et Episcopus Laudum protulisset favore praedicti Vicarii, Sacra Congregatio Laudum quidem confirmavit, sed proposito dubio: – II. An et a quibus sint reficiendae expensae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Iudices suos – *in Comen. die 27 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

190. Similiter quum Ioanna Lucilla de Blondis heredes sibi Moniales SS. Bernardini et Marthae scribens, praecepit eis, ut nobili Puellae civi Bononiensi, quae religiosum in earum Monasterio habitum suscipere vellet, et subsidio aliquo indigeret, supplementum, Familia de Bosellis praelata, tribuerent; quumque plures in huius Legati exequutione lites experiri Moniales debuissent, propositis dubiis: – XI. An eveniente lite super praelatione, Personarum legitimatione, aliisque de causis tam opinatis, quam inopinatis licitum sit RR. Monialibus litem sustinere expensis

(1) L. *Impensarum*. ff. de Impens. in rem dotal. factis; Heinecc. in pandect. lib. 25 tit. 1.

depositi tunc facti vel faciendi, seu potius expensis propriis Monasterii? XII. An idem dicendum et faciendum sit de expensis aliarum litium usque nunc a RR. Monialibus factis, Monialesque de illis reintegrandae sint? XIII. An idem dicendum et faciendum sit de praesenti lite in casu etc. –, Sacra Congregatio, respondit: - Ad Iudices suos – *in Bononien. Supplementi Dotis die 8 Iunii 1726.*

191. Hinc quum Vicarius Generalis Aesinus controversiam occasione tumulationis Cadaveris Comitis de Manellis quoad electionem sepulturae exortam inter Patres Capuccinos et Parochum S. Nicolai favore Patrum Capuccinorum deciderit, sed dictum Parochum per caput separatum ab expensis absolverit praeterquam ab honorario suo, quod persolvi mandavit ab utraque Parte, proposito dubio: – An et in quibus Decretum Vicarii Generalis Aesini sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative; et quoad expensas, ad mentem – *in Aesina Sepulturae die 22 Septembris 1714 lib. 64 Decretorum.*

192. Ad Conservatores Sodalitii autem quod spectat, qui Puellae excessivam constituerant dotem in eiusdem Sodalitii potius damnum, quam utilitatem, tenentur de proprio facere expensas litis, licet tamquam rei coacti eam egerint, ac licet unus dumtaxat ex illis contra dictam dotis assignationem reclamaverit *in Callien. Subsidiorum dotalium die 15 Decembris 1787 et die 7 Iunii 1788.*

193. Enimvero Sodalitium Callii sub titulo de Misericordia dotes ex instituto piisque elargitionibus erogabat: in consilio itaque diei 25 maii 1785 alter ex quatuor congregatis Conservatoribus Antonius Brancuti protestatus est, quod duo ex illis constituissent nobili Puellae Annae Biscaccianti insignem dotem scutorum sex centum, cum alter semel et bis negativum dederit calcum, qui tamen illis post dimissum consilium accessit, initoque foedere resolutionis sanationem ab Episcopo impetrarunt. Antonius Brancuti autem probavit, id non esse in potestate eorumdem, cum valde limitata esset Conservatorum facultas, quoad subsidia dotalia. Contra alii Conservatores contenderunt, se illam licet insignem summam assignare potuisse, ac subeundas esse expensas litis a Sodalitio, de cuius libertate in collatione dotium agebatur. Quaenam vero, respondit Brancutius, Sodalitio utilitas ex promissa dote? In eius immo vergebat damnum ob excessivam quantitatem, totumque compendium erat Puellae Biscaccianti, cuius gratia litem agebant Conservatores. Proposito hinc dubio: – III. An et cuius sumptibus conficiendae sint expensae litis in casu etc. –, Sacra Congregatio, nulla declarata praedicta assignatione dotis in summa scuta sex centum, responsum dedit: - Ad tertium, Affirmative sumptibus Conservatorum, qui liti consenserunt – *in Callien. Subsidiorum dotalium die 15 Decembris 1787.*

194. Conservatores flagitarunt exinde recessum a decisis, quia Societatis deduxerunt iura tamquam Rei coactique ab Episcopo, qui in executionem Rescripti 6 maii 1786: – Episcopo pro informatione et voto, auditis, iisdemque praefixo termino ad deducenda iura sua in Sacra Congregatione –, terminum ipsis praescripsit unius mensis, ad praefata iura deducenda. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Callien. Subsidiorum dotalium quoad tertium dubium die 7 Iunii 1788.*

195. Idcirco quum Archiepiscopus Ferrariensis nova Sodalitio Sanctissimi Sacramenti Oppidi Bondeni observanda proposuisset Statuta, non defuerunt aliqui ex Sodalibus, qui illa impugnare conati sunt; qua de re in iudicium vocarunt Promotorem Fiscalem: iidem propterea, non vero Confraternitas expensas litis ferre tenentur, ex eo quod iniuria eam egerant, quin aliquid commodi et utilitatis Sodalitio adveniret, licet in eadem Causa plura etiam dubia, quae ipsum Sodalitium et Parochum eiusdem Oppidi Bondeni respiciebant, fuerint resoluta; his enim in terminis proposito dubio: – XI. An ad litis expensas teneatur Confraternitas, seu potius Carolus Bonatti aliique subscripti in mandato procurae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius - *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782.*

196. Unde si in facto sit negligentia, ob quam Confraternitas pecuniam solvere debuerit, ipsa pro expensis litis et pecunia soluta supplere debet de propriis capitalibus et fructibus, concessa tamen reductione Missarum ad rationem perpetuae *in Ariminen. Reductionis die 8 Maii 1773.*

197. Siquidem Sodalitium S. Hieronymi post favorabiles sententias coram A. C. obtentas, devoluta Causa ad S. Rotam, diuturnae litis dispendio perterritum ad vindicandam hereditatem Petri Ciucci, transactionem inierunt cum heredibus Alexandri, quorum favore iura omnia et rationes super hereditate Petri Testatoris renunciarunt, cum lege adimplendi legata ab eo demandata ac Sodalitio solvendi scuta mille, eique reficiendi damna et expensas litis, et transactionis confirmationem ab Apostolica Sede reportandi. Cum tamen promissam summam scutorum mille heredes Alexandri non haberent, primum censum favore Sodalitii imposuerunt, dein facti debitores fructuum in quantitate scutorum 500, binas Sodalitio cesserunt domunculas valoris scutorum 1500, ex quibus deductis expensis annua scuta 18 retrahebantur. Anno 1758 Commissarius R. Fabricae S. Petri ob non sequutam satisfactionem piorum legatorum, quae in Testamento Petri Ciucci demandata fuerant, immissionem postulavit ad easdem domunculas, a Sodalitio S. Hieronymi acquisitas. Lis tamen peremptа fuit praevia solutione summae scutorum 150 Tribunali R. Fabricae totidemque eius Commissario compositionis titulo traditae, iniuncta tamen lege, ut pro onerum reductione Sodales Sacrae Congregationi preces exhiberent. Unde Sacra Congregatio reductionem Missarum ad rationem perpetuae quidem indulsit, sed simul mandavit, ut Confraternitas pro expensis praesentis litis et pecuniis solutis pro compositione de propriis capitalibus suppleret, non vero erogari possent fructus decursi et decurrendi ex praedictis domunculis. Nam Confraternitas ad solutionem adacta fuerat in poenam non sequuti adimplementi. Propositis quippe dubiis: - I. An et quomodo sit locus reductioni onerum praescriptorum in testamento Petri Ciucci in casu etc. II. An pro expensis huius litis et pecuniis solutis pro compositione erogandi sint fructus interea et imposterum decurrendi ex duabus domunculis, seu potius Confraternitas teneatur de propriis capitalibus et fructibus supplere in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative pro reductione Missarum ad rationem perpetuae; et scribatur Episcopo iuxta mentem. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Ariminen. Reductionis die 8 Maii 1773.*

198. At Officiales et Confratres Societatis Misericordiae Oppidi Polimarti, litem agentes contra Episcopum, sustinuerunt, eiusdem expensas non ab ipsis, qui nullum a Societate emolumentum percipiebant, sed ex reditibus eiusdem Societatis, de cuius interesse agebatur, esse persolvendas. Confratres enim huiusce litis sustentatione nil aliud optabant, nisi ut Sodalitas illaesa maneret et praeiudicia removerentur, quae ex annua subministratione ab Episcopo imperata omnino evenissent, cum Episcopus iam Officialibus Societatis redituum administrationem iam interdixisset pecuniasque penes debitores repertas sequestro subiecisset, ac plures Sodales ab albo Confratrum delevisset novosque addidisset, eorumque nominibus in Tabella descriptis, hanc sequenti Decreto firmasset: - Amoventes, lacerantes deturpantes aut quocumque modo alterantes praesentem Tabellam seu addentes alios Confratres, sint ipso iure excommunicati -. Hinc Sacra Congregatio, cum aliis ius Confratrum respicientibus, proposito dubio: - IV. An ad expensas praesentis litis teneantur Confratres, seu potius fieri debeant ex reditibus Confraternitatis in casu etc. -, responsum dedit: - Dilata, remotis sequestris, et reintegratis interim Confratribus - *in Balneoregien. Electionis Alumni die 28 Ianuarii 1769.*

199. Promotor Fiscalis inde Episcopi dispositionem defendit atque contendit, expensas praesentis litis subeundas esse a Confratribus dissentientibus, quippe quia non ad tuenda Societatis iura, sed cervicose iniuste et ut Episcopo contradiceret eam instituerunt. Sacra Congregatio vero nedum mandatum Episcopi, quo Confratribus praecipiebatur electio Alumni eiusdem Oppidi cum praestatione triginta scutorum annuorum, ut manere posset in Seminario, nullum edixit, Confratres ultimo loco deletos ab Episcopo reintegravit, ac re-

spective novos ab eodem Episcopo electos delevit, nec non facultatem Officialibus Confraternitatis administrandi et exigendi reditus restituit, removitque sequestra, sed et reproposito quarto dubio sub eadem formula, respondit: – Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Balneoregien. Electionis Alumni die 16 Septembris 1769.*

200. Qua de re quum venisset dies erigendae Capellaniae ab Catharina Zagarolia institutae, et Franciscus Zagarolius patronus ob diminutionem redituum petiisset diminutionem oneris Sacrorum, sed Sacra Congregatio die 22 septembris rescripsisset: – Onus Missarum redigendum esse ad rationem eleemosynae manualis iuxta regionem –; hinc Zagarolius rursus institisset, ut obtineret, quod petierat, pluribus adnixus rationibus, Sacra Congregatio postquam, re mature perpensa, declaravit, locum esse erectioni Capellaniae ad rationem perpetuae, proposito dubio: – II. An pro expensis huius litis sint erogandi fructus interim decursi capitalis Capellaniae adhuc non erectae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative; et ad D. Secretarium pro taxatione – *in Viterbien. Capellaniae die 11 Ianuarii 1744.*

201. Unde nec Patronus tenetur de proprio facere expensas litis pro recuperandis Capellaniae bonis, cum id principaliter respiciat eiusdem Capellaniae utilitatem, non vero commodum privatumque ius praedictorum Patronorum, qui litem sustinent; his enim in terminis proposito dubio: – An expensae litis per Patronos sint detrahendae a bonis recuperandis pro dote Capellaniae in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Montis Falisci Expensarum litis die 17 Septembris 1768.*

202. Expensae litis vero inter Patronos factae quoad modum praesentandi Canonicos fieri debent ab ipsis pro virili, exceptis vere Pauperibus arbitrio Ordinarii, non autem a Canonicis et Beneficiatis, licet eorum Praebendae sint pingues *in Firmana Iurispatronatus super expensis litis die 10 Augusti 1792.*

203. Iamvero plerique Parochiani Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Firmi litem egerunt in Sacra Congregatione cum Comitibus de Giliuccis quoad activum eorum patronatum seu modum nominandi Canonicos; et Sacra Congregatio resolvit, praesentationem faciendam esse collegialiter, et intervenire debere Parochianos Patresfamilias. Inde qui litem egerunt contra Giliuccios, Canonicos urserunt pro integro eius sumptu aut pro eo saltem, quod nequibant Patroni pauperes contribuere, vel modum distribuendi dictum sumptum inter Parochianos omnes. Nam inter Patronos plures erant pauperes, ideoque tamquam Patroni actionem habebant adversus Ecclesiam, ut eius aere contribueret litis sumptus eodem ferme modo, quo ius habebant ad alimenta ex Cap. *Nobis* de iurepatronatus, ex eo potissimum quod pingues Canonicorum Praebendae huiusmodi subsidium patiebantur. Extendi tamen non posse videbatur canonica providentia a Patronorum alimentis ad sumptus privatae eorum litis. Ab his profecto ad magis privilegiata inferri posset alimenta, ut inquit Surdus de alimentis lib. 1 quaest. 120 n. 10, non item contra. Debentur simul Pauperi sumptus litis et alimenta, sed ab eo, cum quo iusta agit Causam, ut passim dixit Rota ac praesertim in decis. 140 n. 3, et decis. 331 n. 1 coram Lancetta. At in themate non egerunt Parochiani litem cum Canonicis ad activum fortasse vindicandum iuspatronatus, sed de modo inter se certarunt nominandi, nec interpellato Capitulo. Idcirco aequum non censuerunt Canonici, ut gravarentur sumptu, quem in proprium Parochiani commodum fecerant, quemadmodum sentit Lambertinus de iurepatronatus art. 14 quaest. 2 part. 3 lib. 2: – Non est aequum, si litigant Patroni de eorum iurepatronatu, vel eius quasi possessione, quis eorum sit Patronus vel quasi possidens, ut huiusmodi lites fiant sumptibus Ecclesiae in aliorum utilitatem particularem –. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An expensae litis sint reficiendae a Canonicis et Beneficiatis S. Michaelis Archangeli in casu etc.–, *Et quatenus negative.* II. An et quomodo facienda sit distributio inter Parochianos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative et amplius. Ad secundum, Affirmative pro virili, exceptis vere Pauperibus arbitrio Archiepiscopi; et am-

plius – *in Firmana Iurispatronatus super expensis litis die 18 Augustis 1792.*

204. Alias enim expensae reficiendae sunt ab eo, de cuius interesse agitur *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Ad IX.*

205. Hinc expensae litis pro bonis Capellaniae vindicandis reficiendae sunt ex ipsis bonis vindicatis, ad tradita per Rotam in Calaguritana Capellaniae super sumptibus litis die 4 iulii 1732 coram Millino *in Panormitana die 23 Martii 1765* §. *At quidem.*

Item *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Ad IX.*

206. Idcirco si Administratores Legati pii iure ac merito litem egerint, Episcopus neque ex Decreto in actu Sacrae Visitationis edito eos adigere potest, ut litis expensas, quas praedicto Legato adscripserant, tradant Depositario mulctarum Curiae Episcopalis *in Amerina die 29 Maii 1824.*

207. Enimvero Ioseph Venturelli Archidiaconus Cathedralis Amerinae supremis tabulis anno 1712 conditis praedium nuncupatum *Valle Rignano* venerabili domui Missionariorum Urbis legavit adiecta lege, ut in eadem domo alerentur sacrisque disciplinis instituerentur duo Iuvenes, singulis quadrienniis a quibusdam nobilibus Familiis Amerinis, ab ipso Testatore designatis, eligendi. Reiecto a Missionariis Legato, usque ad annum 1775 reditus erogati fuerunt in dotandis duabus Puellis ad praescriptum Testatoris. At inde Administratores Legati et Amerinus Episcopus obtinuerant a s. m. Pio VI, ut dictum praedium Amerino Seminario adscriberetur ac uniretur cum onere alendi duos Adolescentes singulis quadrienniis eligendos ab iisdem Administratoribus: pactaque conventa usque ad annum 1814 religiose fuere servata. Modernus autem Episcopus Amerinus reputans, reditus Legati Venturelli duobus Adolescentibus alendis minime sufficere, Iuvenes electos et in Seminario receptos repente dimisit. Quadriennium inutiliter Administratores consumpserunt, ut Episcopo suaderent, reditus oneri ferendo esse pares; ipse tamen nunquam Iuvenes in Seminario admittere voluit: quin imo conditiones unionis contractui adiectas omnino corrigendas esse decrevit. Morem gerere Administratores recusarunt: cumque nihil proficerent, monitorium coram A. C. expediendum curarunt, quo Seminarium provocarunt – ad dimittendam possessionem sive administrationem dicti praedii, reddita eodem tempore ratione fructuum perceptorum –. Promotor Fiscalis ad Auditorem Sanctissimi confugit, qui, auditis omnibus interesse habentibus, die 25 martii 1820 sequens edidit Decretum: – Salvis exceptionibus et sine praeiudicio quorumcumque iurium Partium, praevia descriptione bonorum et rerum cuiuscumque generis ad Legatum Venturelli pertinentium facienda per Peritos hinc inde eligendos, attento etiam consensu Partium, mandavit per instantem (Promotorem Fiscalem) restitui citatis(Administratoribus) praefata bona resque alias, ut supra, iuxta memoratam descriptionem –. Recuperata possessione bonorum, ac stipulata transactione die 21 septembris 1822 cum Seminario quoad fructus perceptos, Episcopus mox in actu sacrae Visitationis accepti et expensi rationes de Legati reditibus ab Administratoribus petiit; cumque adnotatos invenisset sumptus litis adversus Seminarium actae, solemne tulit Decretum die 20 novembris 1822, quo litem iniustam inutilem ac damnosam fuisse declaravit; ideoque statuit, expensas litis in summa scutorum 77. 87 1/2 non esse detrahendas a Legato pio, sed Administratores teneri intra terminum unius mensis praefatam summam tradere Depositario mulctarum Curiae Episcopalis una simul cum scutis 43. 15, quae existebant ad effectum eadem erogandi in utilitatem Loci Pii. Qua de re Administratores confugerunt ad Sacram Congregationem: atque probarunt, rem utilem ipsos egisse, cum praedium et fructus a quinquennio decursos maxima ex parte vindicaverint, quos in acquirendo pecore pro praedii cultione adhibendo et dissolvendo aere alieno consumpserunt. Decretum insuper Auditoris Sanctissimi cum Monitorio A. C. congruit, dum et bona restitui mandavit, et sarta tecta iura pro condicendis fructibus servavit. Lis igitur contra Seminarium acta rationabilis fuit ac iusta, cum in utilitatem Legati Venturelli cessisset. Contra Episcopus probare studuit inutilem ac iniustam fuisse litem, cum is paratus esset restituere praedium. At Administratores responderunt, Episcopum restitutionem perficere velle ea con-

ditione, ut pensionem scutorum quadraginta Seminario quotannis pro quolibet Adolescente ab ipsis eligendo solverent; et fructus indebite perceptos restituere detrectaret. Demum advertebatur, agi in themate de Decreto in actu Sacrae Visitationis edito, adeo ut devolutivam tantum appellationem admitteret; sed admonet Card. De Luca in disc. 5 ad Concilium Tridentinum, Concilii Tridentini sanctionem sess. 24 cap. 10, sess. 13 cap. 1 de reformatione ad ea pertinere Decreta, quae respiciunt correctionem morum aliasque provisiones, quas in forma extraiudiciali potius more prudentis Patrisfamilias prompte dare oporteat vel congruat, non autem ad illa, in quibus more Iudicis atque in figura seu forma iudicii procedi debeat.

208. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Decretum Episcopi exequendum sit in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Amerina die 29 Maii 1824.*

209. Quin imo si ex Rescripto S. Congregationis constet, quod expensae litis in utilitatem Pii Operis fuerint erogatae, locus est integrae eorumdem refectioni, licet alter ex Executoribus seu Administratoribus cum nonnullis Oppidanis obstitissent *in Feretrana Applicationis super expensis die 24 Ianuarii 1801.*

210. Siquidem quum Parochus unus ex duobus Executoribus seu Administratoribus executor Pii Operis, cuius fructus erant erogandi in eleemosynas et subsidia dotalia favore Pauperum, ex gratia petierit ac obtinuerit applicationem pecuniae cumulatae in reparationem aedium et pauperae suae Parochialis Ecclesiae, sed quum alter Executor seu Administrator cum nonnullis Oppidanis ac Episcopus obstitissent, coactus fuerit per allegationem typis impressam gravia rationum momenta confutare, Sacra Congregatio mandavit, reficiendas esse eidem impensas liquidandas a Secretario, reservato iure Pio Operi contra quos de iure; his enim in terminis proposito dubio: – An et in qua summa et a quibus sint solvendae expensae litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in summa liquidanda a D. Secretario, reservato iure Pio Operi contra quos de iure – *in Feretrana Applicationis super expensis die 24 Ianuarii 1801.*

211. Quapropter expensae litis in scutis 19. 50, actae pro vindicanda hereditate Michaelis Raffanelli, qui legatum Missarum reliquerat Sodalibus Sanctissimi Nominis Iesu Ecclesiae S. Ioannis Decollati, sunt detrahendae ex fundo dicti legati; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An et in qua summa sit constituendus fundus Pii Operis Raffanelli in casu etc. II. An et quomodo sint erogandi fructus superextantes in casu etc. III. An et quomodo et de quibus expensis sit redintegrandum Sodalitium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative comprehensis etiam fructibus superextantibus ad totum annum 1793, detractis omnibus expensis litis in summa scutorum 190, 50. Ad secundum et tertium, provisum in primo – *in Parmen. Reductionis Onerum die 16 Augusti 1794.*

212. Idcirco quum Iacobus de Comitibus sub poena caducitatis prohibuisset, ne Exequutores testamentarii peterent commutationem suae voluntatis, sed Episcopus commutationem a Summo Pontifice obtinuisset, ac ob id praefati Exequutores, habito Rescripto ab Emo Pro–Auditore eiusdem Summi Pontificis: – De aperitione oris arbitrio Sacrae Congregationis –, litem agere debuissent, proposito dubio: – III. An praesens lis agenda sit sumptibus hereditatis bo. me. Iacobi Conti, seu potius sumptibus illius Exequutorum testamentariorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Asculana Commutationis Voluntatis die 20 Ianuarii 1776.*

213. Similiter quum Capitulum Collegiatae Ecclesiae Sanctorum Faustini et Iovitae nec non Sancteses seu Administratores litem suscepissent contra possessorem Capellaniae, institutae a Sernutio Ciccolini, contenderunt, expensas ex reditibus Capellaniae faciendas esse, de cuius interesse praecipue agebatur, ceu ad rem Rota in Calaguritana super sumptibus litis die 4 iulii 1732 coram Millino; iidem enim litem egerunt, ut exequutioni mandaretur Testatoris voluntas, quae vel temporum iniuria, vel Capellanorum studio, vel Sanctesium negligentia despecta fuit: iure idcirco litem fuisse institutam, nec Capitulum vel Sancteses mulctari posse, quod exe-

quutionem voluntatis Testatatoris urgerent. Qua de re proposito dubio: – IX. An ad expensas praesentis litis quoad Capellanum et Capellaniam teneantur Capitulum sive Sancteses, vel potius sint faciendae ex reditibus Capellaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad nonum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

214. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad nonum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Viterbien. die 21 Novembris 1767.*

215. Hinc et Mansionarii Ecclesiae Cathedralis Imolensis quum rite ad formam testamenti Matthaei Bartolocci contulissent subsidium dotale Puellae Margharitae Piani, reclamante Francisca a Flumine, contenderunt, expensas litis posse hereditariis pecuniis substinere, ex eo quod respiciebat exequutionem voluntatis pii Testatoris ipsorum curae commissae; adeoque proposito dubio: – III. An litis sumptus, per Congregationem Mansionariorum substentae, debuerint et debeant desumi ex reditibus piae hereditatis, et in qua summa? *Et quatenus negative.* IV. An et in qua summa debeant pia hereditas reintegrari pro pecuniis intuitu earumdem expensarum ex illa hactenus desumptis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative in summa liquidanda per D. Secretarium. Ad quartum, provisum in antecedenti – *in Imolen. Subsidii Dotalis die 11 Septembris 1762.*

216. Qua de re hereditas seu Pium Opus tenetur ad expensas litis usque ad reiectam aperitionem oris Brevis Apostolici, quo controversia dirempta fuerat inter Canonicos administratores et eorumdem Agentem *in Camerinen. Expensarum die 17 Martii et die 30 Aprilis 1757.*

217. Siquidem Ioannes Iacobus Baldinius primum Archipresbiteralem Ecclesiam S. Urbani Terrae Apiri in Collegiatam erigi curavit, datis in dotem duodecim Canonicatuum fructibus sexaginta Locorum Montium et in distributiones quotidianas fructibus aliorum duodecim Locorum, ac dein heredem scripsit Capitulum, auctis singulorum Canonicatuum reditibus ad annua scuta centum, ea lege, ut hanc summam nunquam excederent, utque hereditarii, qui superessent, reditus erogarentur in dotes Puellarum, praelatis Consanguineis. Capitulum itaque, ut possit exigere fructus Locorum Montium inter ceteros subinde constituit negotiorum gestorem, quem vocabant agentem, Antonium Angelum Fedeli, qui ab anno 1731 usque ad annum 1755 munus, recepto salario, fideliter implevit. Sed eo anno Capitulum per literas monuit Fedelium de imminutione salarii ob redituum imminutionem: sed is, sive quia literas non recepit, sive qua alia ratione ignorabatur, non rescripsit, unde commotum Capitulum eum ab Officio removit. Tum Antonius egit coram A. C. postulans custodiri suam possessionem, edito Brevi Summi Pontificis, in quo praecipiebatur, – ut ab Officio Agentis, nisi legitima et iusta causa intercederet, inconsulta Sede Apostolica, amoveri non posset –: nam anno 1741 Decreto Capitulari et successivo instrumento stipulato Fedelius confirmabatur negociorum gestor, cum obligatione eum non removendi sine iusta et legitima causa. Breve autem hoc ignorabat Capitulum: hinc novem ex Canonicis litem agere curarunt etiam cum propriis expensis, nisi ad eas tenceretur hereditas Baldinii, tribus consanguineis Antonii Angeli reluctantibus ac protestantibus, ne ipsi et hereditas huic oneri subiicerentur. Canonici illi litem tandem amiserunt, cum coacti fuerint, ut e libris capitularibus deleretur Decretum remotionis et describeretur Breve Apostolicum. Contenderunt igitur praefati tres Canonici, non posse sumptus litis in damnum Capituli et hereditatis Baldiniae cedere, quia litem inutilem calumniosam egerant. Alii vero novem Canonici ignorantiam Brevis Apostolici deduxerunt, et subreptitium et obreptitium dixerunt: sed aperitio oris reiecta fuerat in Decreto Emi Pro-Auditoris Sanctissimi. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An hereditas Baldini teneatur ad expensas factas occasione litis, de qua agitur? *Et quatenus affirmative.* II. Ad quas expensas teneatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, taxationem faciendam esse coram D. Secreta-

rio – *in Camerinen. Expensarum die 17 Martii 1757.*

218. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit. – Ad primum, in decisis iuxta modum, nempe usque ad denegatam aperitionem oris. Ad secundum, in decisis ad formam primi dubii, et ad mentem; et amplius – *in Camerinen. Expensarum die 30 Aprilis 1757.*

219. Quocirca quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Asculanae renuisset acceptare novum Canonicatum erigendum iuxta voluntatem advocati Antonii Testa, Sacra Congregatio postquam declaravit, non esse locum praefatae erectioni, sed potius substitutioni favore Convictricium, proposito dubio: – II. An expensae praesentis litis sint desumendae ex bonis hereditariis, seu potius an et a quibus debeant refici in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, expensas litis desumendas esse ex bonis hereditariis; et amplius – *in Asculana Erectionis die 7 Augusti 1756.*

220. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Asculana Erectionis die 18 Septembris 1756.*

221. Nam aequa videtur reintegratio expensarum, quas Causae Piae Procurator fecit ad vindicanda illius bona *in Turritana die 28 Maii 1791 §. Aequa* (1).

222. Amplia, aequum pariter videtur, ut statim eas consequatur, cum ob id aes alienum contrahere coactus fuerit *in Turritana die 28 Maii 1791 §. Aequa.*

223. Quod si praefatus Causae Piae Procurator absque gravi damno expensas litis consequi valeat intra annum ex fructibus bonorum, non sunt distrahenda capitalia, sed ex fructibus reintegrari debet: his enim in terminis proposito dubio: – III. An et quomodo reintegrari debeat Procurator Causae Piae de sumptibus litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative ex fructibus collectis et colligendis – *in Turritana die 28 Maii 1791.*

224. Idcirco quum Gabriel Triangoli testamento condito anno 1754 heredem scripsisset Collegiatam Ecclesiae S. Christinae Eugubii ea lege, ut Canonici erigerent duos Canonicatus, quumque in actu erectionis iidem plures apponere vellent conditiones extra mentem Fundatoris, ob idque Familiae contemplatae litem agere debuissent, proposito dubio: – VII. An sumptus praesentis litis facti et faciendi per Gismundi et Sanfigi occasione erectionis dictorum duorum Canonicatuum ex dispositione dicti Triangoli sint subministrandi ex reditibus eius hereditatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad septimum, Affirmative – *in Eugubina Erectionum Canonicatuum die 26 Martii 1763*

225. Nam communiter quippe receptum est, quod sumptus litis, ex cuius patrocinio et victoria commodum aliquod ac utilitas sit Ecclesiae vel Loco pio obventura, debeant ex illius bonis ac reditibus deduci, ad tradita per Glossam in Cap. *Cum inter* de electione, ibique Abbas n. 4. Barbosa de Canonicis et Dignitatibus Cap. 24 n. 24 et 25, Scarfantonius ad Ceccoperium lucubrat. canonic. lib. 4 tit. 13 n. 1, et firmavit Rota coram Ludovisio decis. 263 per totum, in Illerden. Expensarum 5 iulii 1702 §. Hinc coram Card. Scotto, in Giennen. seu Baestien. Reintegrationis Massae communis super exhibitione 20 ianuarii 1758 §. Neque coram Bussio *in Spoletana Expensarum die 22 Augusti 1739 §. Momentum.*

226. Hinc expensae litis, quae cedat in commodum et utilitatem Ecclesiae Loci vel Operis Pii, ex istius bonis ac reditibus detrahi debent *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770 §. Nonnulla.*

Item *in Ariminen. Reductionis die 12 Martii 1773 §. Ad II; in Feretrana Applicationis super expensis die 13 Septembris 1800 §. At.*

227. Quapropter certi exploratique iuris est, sumptus litis, cuius patrocinium pertineat ad commodum aliquod et utilitatem Ecclesiae Beneficii aut Operis Pii, ex illius bonis ac re-

(1) Bellet. disquisit. cleric. de cleric. debit. §. 3. n. 40; Antonell. de iur. et oner. Clericor. lib. 2, part. 6, cap. 12 n. 1.

ditibus detrahendos esse *in Callien. et Pergulana die 30 Ianuarii 1830* §. *Iamvero.*

Item *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Iamvero* (1).

228. Nam ex scitissima iuris regula statuitur, quod qui ex lite sentit commodum sentire debet et sumptuum incommodum, Cap. *Qui sentit* de regulis iuris in sexto *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Iamvero.*

229. Amplia, etiamsi Administratores aut Rectores Causa ceciderint *in Amerina die 8 Maii 1824* §. *Idque.*

Item *in Callien. et Pergulana die 30 Ianuarii 1830* §. *Iamvero; in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Neque haec* (2).

230. Siquidem Administratores praecipue Ecclesiarum et Piorum Operum Tutoribus aequiparantur, ceu post textum in Clementina *Quia contingit,* docet Rota in decis. 262 n. 2 coram Ratto, et in Recent. decis. 432 n. 9 part. 2 n. 26: at scitissimum in iure, Tutori restituendas esse omnes impensas signanter etiam in litem factas favore Pupilli, ex L. 1 §. Item sumptus 9 ff. de tutor. et rat. distrah., L. 1 §. Praeterea, 4 et 5 ff. de contr. tutel. et util. act., L. *Sumptus* 3 Cod. de administr. tut. *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847* §. *Iamvero.*

231. Neque enim Administratores Curatores et Tutores de litium exitu tenentur, quem incertum esse et casui fortuito aequiparari, nemo ignorat, adeo ut ad earum impensas subeundas adigi nequeant, nisi ipsos irrationabiliter litigasse demonstretur *in Amerina die 8 Maii 1824* §. *Idque.*

232. Idcirco nemo potest declinare ex regula passim recepta, quod particeps quisque sive consocius ad eas pro virili teneatur expensas, quae in commune sociale bonum conducunt, argumento Text. in Lege *Si unus* §. Si quod unus ff. pro socio, et in terminis firmavit Rota in Oxomen. Contributionis 17 martii 1732 coram Calcagnino *in Cassanen. Quartae decimarum die 6 Iunii 1739* §. *Cum.*

233. Enimvero Scevola in Lege 40 fam. hercisc. ait: – Ex parte heres institutus Causam de totis bonis, quam omnes heredes patiebantur ob inultam mortem, suscepit et obtinuit. Coheres partem suam ab eo petebat, nec partem sumptuum factorum in litem praestare volebat. Quaesitum est, an doli exceptio noceret? Respondi, si idcirco amplius erogatum esset, quod ipsius quoque Causa defensa esset, habendam rationem sumptuum. Sed etsi omiserit doli exceptionem, agere posse de recipienda portione sumptuum – *in Feretrana die 18 Augusti 1764* §. *Deinde.*

234. Hinc expensarum litis contributio ab iis omnibus facienda est, ad quos ipsa lis pertinet, et cuius exitus aeque interest: nam quod commune respicit bonum, communi pariter impensa est subeundum, Cap. 45 de electione, Castren. in Leg. 2 Cod. Si plures in una sententia, Rot. decis. 402 n. 1 coram Cavalerio, decis. 78 n. 1 coram Carillo, praesertim si maioris partis consensu eadem lis acta fuit; nam ut inquit Scevola – quod maior pars Curiae effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint –, L. *Quod maior* 19 ff. ad municip., vel ut ait Ulpianus: – Refertur ad universos, quod publice fit per maiorem partem –, L. 160 ff. de reg. iuris – *in Viterbien. Expensarum litis die 17 decembris 1768* §. *Idque.*

235. Amplia, id locum obtinet, etiamsi maior pars expresse liti contradixerit, nam dolose agere videtur, qui vult utilitatem litis sentire, eius autem sumptus non ferre, Gloss. in L. *Apud antiquos* Cod. de furt., L. *Ut si quis* §. Lubet ff. de relig. et sumpt. funer., Larrea decis. 88 n. 14, Rot. in Oxomen. Contributionis 17 martii 1732 §. Quandoquidem coram Calcagnino: receptumque est etiam, ubi res est de lite acta nomine Universitatis contra aliquos de eadem Universitate; omnes enim ad contributionem tenentur eodem prorsus modo, quo Cives cum Civitate litigans tenetur ad collectam impositam occasione eius litis, quae Civitatis commodum respiciat, quamvis duplici praegravaretur onere, et uti actor et uti civis, Bartol. et Bald. in L. *Ab omnibus*

(1) Rot. in decis. 228 Recent. part. 1 n. 1; Beltramin. in adnot. ad Gregorium XV decis. 163 n. 7, Litt. A; Card De Luca de iudic. disc. 39, n. 16.

(2) L. 10, §. 1; L. 12 et 13 de negotiis gestis; Rota coram Ratto in Turritana decimarum super nullitate executionis 22 iunii 1781.

§. Si Titio ff. de leg. 1, Card. De Luca de Iud. disc. 39 n. 26, et in terminis litis actae nomine Coetus ecclesiastici Rota in Maioricen. Contributionis 2 decembris 1729 coram Nunez, et in dicta Oxomen. Contributionis 17 martii 1732 coram Calcagnino *in Viterbien. Expensarum litis die 17 Decembris 1768* §. *Idque.*

236. Idcirco notum in iure est, lites ab aliquo Collegio aut Universitate susceptas Collegii ipsius vel Universitatis sumptibus peragendas esse *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Quantum.*

237. Nullum propterea dubium, quin lites ab aliquo Collegio aut Universitate actas sumptibus Collegii vel Universitatis peragi debeant, Rot. in Recent. decis. 418 n. 3 part. 4, praesertim ubi Collegium seu Universitas non agendo urgeat, sed excipiendo iura sua tueatur, ita ut Collegium fiat quodammodo Reus necessarius relatione ad Actorem, qui illud vocavit in iudicium *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Ad III.*

238. Quapropter Capellani aliique Sacerdotes de Clero Collegiatae Ecclesiae Oppidi Pontis Curoni neć non Archipresbiter praedictae Ecclesiae tenentur pro virili ad expensas litis inter eosdem actae quoad subministrationem utensilium *in Derthonen. die 6 Iulii et die 28 Septembris 1726.*

239. Siquidem excitatis controversiis quoad subministrationem vini cerae et hostiarum pro celebratione Missarum inter Capellanos aliosque Sacerdotes de Clero Collegiatae Ecclesiae Oppidi Pontis Curoni et Archipresbiterum, Curia Episcopalis condemnavit praedictum Clerum ad expensas necessarias pro manutentione vini candelarum et hostiarum, idque etiam Curia Metropolitana confirmavit. Re inde ad Sacram Congregationem delata, Archipresbiter confirmationem ursit; sed ingenue admittere non dubitavit, non esse locum refectioni expensarum, attento stylo Sacrae Congregationis, magnam tamen pro se militare aequitatem, cum ageretur de magnis expensis factis in utraque Curia, Ordinaria videlicet et Metropolitana. Sacra Congregatio postquam declaravit, Archipresbiterum non teneri ad subministrationem utensilium, de quibus agebatur, illis, qui celebrabant in sua Ecclesia ex obligatione Beneficii sive Capellaniae, exceptis illis, cum quibus habebat conventiones particulares, et quoad Missas adventitias, teneri ad dictam distributionem, quatenus permitteret, eos in sua Ecclesia celebrare, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per Celebrantes, proposito dubio: – IV. An sint reficiendae expensae litis, et in qua summa in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, non esse reficiendas expensas factas occasione litis in hac Sacra Congregatione; et quoad alias ad Emum Metropolitanum, prout de iure – *in Derthonen. die 6 Iulii 1726.*

240. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 6 iulii 1726?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, in decisis; sed teneri pro virili, et amplius – *in Derthonen. die 28 Septembris 1726.*

241. Unde Capitulares Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Civitatis Foggiae quum ex ingenti terraemotu magna ex parte luctuosam suorum redituum iacturam subierint, ob idque deliberaverint, Episcopo officia sua prudenter interponente, ut universi reditus in unum conferrentur acervum, indeque primum sumerentur ducati mille in reparationem domorum impendendi, et quidquid fructuum reliquum esset, detractis necessariis Ecclesiae sumptibus, inter Canonicos, qui divinis Officiis interessent, ex aequo repartiri deberet, sed tres ex praefatis Canonicis, quorum Praebendae salvae et incolumes ab omni terraemotus damno evaserant acriter obstiterint. Sacra Congregatio in contradictione trium Canonicorum nedum praefatam deliberationem approbavit, sed et proposito dubio: – II. An et qui teneantur ad expensas huius litis in casu etc. –, responsum tulit: – Ad secundum, expensas, quae fiunt pro exequutione resolutionum, detrahendas esse ex communi Massa Capitulari; ad reliquas vero teneri de prio Canonicos Contradictores – *in Troiana Praebendarum die 6 Decembris 1738.*

242. Qua de re contendentibus octo ex Canonicis antiquioribus et iunioribus Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi Civitatis Tolentinae, Priorem Antonium Benaducci tamquam Pa-

rochum teneri Missae Sacrificium singulis diebus pro Populo applicare nec non obstringi per se ipsum concionari ac Evangelium Populo explicare, atque fructus a die captae possessionis Prioratus ob non emissam fidei professionem coram Ordinario suos minime fecisse, tandemque intortitia, quae occasione tumulationis Canonicorum in Collegiata obveniebant, ad singulos ex Canonicis aeque ac ad Priorem pertinere, reliquis vero tribus Canonicis Catervo Benaducci Philippo Dionysi et Nicolao Sereni renuentibus assentiri hisce litibus ac protestantibus, earumdem litium sumptus deberi per antedictos octo Canonicos collitigantes subministrare, Sacra Congregatio postquam declaravit, Priorem praefatis muneribus per se ipsum fungi debere ad formam Concilii, sed fructus praedictos non esse restituendos, et intortitia huiusmodi non pertinere ad Canonicos una simul cum Priore, cum servandum esset solitum, proposito dubio: – VII. An in expensis pro Causis vertentibus in Sacra Congregatione inter Priorem et nonnullos Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Iacobi Tolentini contribuere debeant Canonici Benaducci Sereni et Dionysi seu potius subministrandae illae sint per Canonicos collitigantes tantum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Tolentina Missae Parochialis et Professionis Fidei die 16 Maii 1739.*

243. Hinc Archipresbiter, qui tertia est Capituli Dignitas, tenetur pro rata aliarum Dignitatum concurrere ad expensas litis, quam Capitulum egit contra Parochos, ad tuendam Capituli excellentiam ac Ecclesiae Cathedralis dignitatem nec non emolumenta funerum, de quibus etiam is participat *in Faventina die 15 Septembris 1764.*

244. Siquidem acta fuerat lis inter Capitulum et Parochos Faventinos de iuribus honorificis ac de emolumentis funerum in Sacra Congregatione anno 1761: quae transactione perempta est. Capitulum postea in partiendis expensis inter litis consortes comprehendit Archipresbiterum, qui tertia erat Cathedralis dignitas, sed ipse conferre partem recusavit: namque contendit, litem actam cum Parochis ad se non pertinere, se erga Capituli corpus extraneum esse, nullius cum Capitulo emolumenti participem; emolumenta autem funerum pertinere ab laborem, eaquae non a Capitulo, sed ab heredibus defunctorum praestari, iuramentum tuendi Ecclesiae iura non augere obligationem praeter ius, ac denique novum esse, ut ad praestandas expensas cogerentur, qui eas per centum et septemdecim annos nunquam praestiterunt. E contra Capitulum sustinuit, praecedentem litem respexisse non minus commune decus, quam utilitatem et lucrum omnium, Archipresbiterum iuramento promisisse defensionem iurium Ecclesiae, eumque non esse extra Capituli corpus, cum et certam sedem in choro et ius suffragii inter ceteros haberet, quin obesset, quod non participaret de distributionibus; nam de iis non participabat, cum nihil ab initio in commune aerarium contulisset. Nec etiam obesse poterat contrarius usus, cum nunquam venisset similis casus, quo ageretur non minus de honore atque excellentia ipsius Capituli, intra quod Archipresbiter certe erat, sed de ipsius Archipresbiteri quaestu, qui funerum emolumenta cum aliis percipiebat. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Archipresbiter teneatur concurrere ad expensas litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative pro rata aliarum Dignitatum, et amplius – *in Faventina die 15 Septembris 1764.*

245. Idcirco etiam Beneficiati et Clerici Ecclesiae contribuere debent cum Canonicis pro expensis litis, si haec in commodum et utilitatem eorumdem cedat *in Lauretana Horarii die 8 Iunii 1782.*

246. Iamvero quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Lauretanae plenis suffragiis horarium quoad servitium chori variare censuisset, sed in contradictorem se praebuisset Xaverius Monti Canonicus iubilatus cum nonnullis Choralibus, Sacra Congregatio mandavit, ut etiam Beneficiati eiusdem Basilicae pro expensis huiusmodi litis contribuere tenerentur; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Beneficiati et Clerici eiusdem Cathedralis Lauretanae teneantur contribuere in expensis litis in casu etc. –, Sacra Congregatio postquam declaravit, id Capitulo licuisse, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Lauretana Horarii die 8 Iunii 1782.*

247. Quum itaque quatuor ex septem Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Petri Montis Martiani litem agerent contra Archipresbiterum primam Dignitatem, cui annexa erat cura animarum eiusdem Ecclesiae, sustinuerunt, cogendos esse etiam tres dissentientes Canonicos ad sumptus litis, quia de communibus certabant iuribus Capituli, satisque ad id erat, quod probabiliter iustam haberent litigandi causam, ceu ad rem Card. Ant. De Luca observ. ad decis. 394 de Franch. n. 3. Proposito hinc dubio: – XX. An Capitulares dissentientes debeant contribuere in expensas praesentis litis et pro qua rata in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad vigesimum, Affirmative pro virili, excepto Archipresbitero; et amplius. Quoad subministrationem, nihil – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

248. Nam quando agitur de iure et de communi interesse Capitularium omnium, sumptus litis detrahendi sunt ex Massa communi *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Ad III* (1).

249. Hinc tenentur ad expensas litis indistincte omnes Canonici, cum agatur de tuendo iure totius Capituli; quin ratio habenda sit de eiusdem litis eventu, cum sufficiat litem evidenti calumniae nota carere, ut omnes de gremio ad illius expensas compellantur *in Narnien. Iuris interessendi et votandi die 11 Ianuarii 1783* §. *Ad II.*

250. Amplia, id sibi locum vindicat, etiamsi praeter commune totius Capituli emolumentum adsit peculiaris utilitas cuiusvis Capitularis *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Ad III* (2).

251. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, expensas assignatas a Capitulo ex massa communi redituum Ecclesiae Canonico deputato, ut in Curia tueretur iura ipsius Capituli, posse persolvi a Depositario Capituli eidem Canonico etiam renuente Episcopo subscribere ordines *in Melevitana Expensarum die 30 Martii 1686 lib. 36 Decretorum pag. 109.*

252. Idcirco cum res sit de Ecclesiae negocio, litis expensas sustinendas esse a Massa communi edocet Rota in decis. 138 Recent. part. 1 decis. 157 coram Manzanedo, decis. 499 n. 6 et 7 coram Penia, et decis. 402 n. 1 coram Cavalerio *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Quantum.*

253. Nec obstat, nonnullos ex Canonicis suum liti assensum non praebuisse, immo vero aperte dissensisse: nam quum maior pars Canonicorum in litem consenserit, minor pars quae dissentit, absorbetur ac suffocatur a maiori, quemadmodum tradit Card. De Luca in disc. 30 de Beneficiis n. 8 *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Quantum.*

254. Hinc expensae litis fieri debent a Capitulo, non vero a singulis Canonicis, dum lis acta contra Beneficiatos eiusdem Ecclesiae iura totius Capituli respiciat, quin tamen contribuere debeant praedicti Beneficiati *in Narnien. Iuris Interessendi et votandi die 8 Februarii 1783.*

255. Enimvero anno 1733 Clemens X Mensae Capitulari Narniae univit bona omnia, quae ad Ecclesiam Beatae Mariae Virginis *del Ponte* dictae Civitatis pertinebant, ut distributiones quotidianae augerentur, quorum duas ex tribus partibus perciperent Canonici, tertiam Beneficiati, qui ab anno 1765 conquesti fuerunt extraiudicialiter apud Episcopum de privativa Canonicorum dictorum bonorum administratione. Verum non expectata Episcopi sententia, occasione exequendi cuiusdam contractus de praedictis bonis, Canonicis placuit Beneficiatos audire, eorumque suffragia exquirere. Deinde tamen Canonici privativam bonorum administrationem exercuerunt. Hinc Beneficiati iudicialiter ius ferendi suffragium reclamarunt. Cum autem nonnulli ex Canonicis petitioni Beneficiatorum assentirentur et litem agere recusarent, Capitulum sustinuit, teneri ad expensas litis indistincte omnes Canonicos, cum ageretur de tuendo iure totius Capituli, quin ratio habenda esset de eiusdem litis eventu, cum sufficeret, litem evidenti calumniae nota carere, ut omnes de gremio ad illius expensas tenerentur. Proposito hinc dubio: – II. An expensae

(1) Constant. ad statutum Urbis adnot. 59 n. 311; Rot. in Avenionen. convocationis Capituli super expensis 17 martii 1752 §. Deterioris coram Vicecomite.

(2) Rot. in decis. 402, n. 1 coram Cavalerio; in Lycien Legati Pii 6 decembris 1754 §. fin. coram Vicecomite.

huius litis pro parte Canonicorum fieri debeant a Capitulo, seu potius a singulis Canonicis in casu etc. –, Sacra Congregatio, declarato prius iure Capituli privative administrandi praefata bona, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius, et ad D. Secretarium iuxta mentem: et mens est, quod Universitas Canonicorum contribuere debeat, non comprehensis Capellanis seu Beneficiatis – *in Narnien. Iuris interessendi et votandi die 8 Februarii 1783.*

256. Quum itaque Summus Pontifex per Literas Apostolicas confirmavisset resolutionem capitularem diei 10 iunii 1757, cui assentiti fuerant Decanus Ecclesiae Cathedralis Tridentinae, duplici lato suffragio, et quatuor Canonici, aliis quinque dissentientibus, qui propterea subreptitias et obreptitias eas dixerunt, quin executioni mandari valerent, Sacra Congregatio postquam declaravit, non esse locum aperitioni oris Literas Apostolicas esse exequendas et Decano competere ius duplicis voti absoluti, propositis dubiis:– IV. An et quibus Canonicis competat ius detrahendi expensas huius litis ex Massa capitulari? *Et quatenus negative quoad Canonicos impugnantes exequutionem recensitorum Brevium.* V. An iidem teneantur reintegrare Massam de pecuniis extractis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, competere Canonicis instantibus pro exequutione Brevium. Ad quintum, teneri Canonicos opponentes – *in Tridentina die 14 Februarii 1761.*

257. Unde si lis agatur cum Archipresbitero prima Capituli Dignitate, qui etiam a Capitulo petat congruam ratione actualis curae animarum contra consuetudinem invectam, quum de utilitate totius Capituli agatur, expensae sunt detrahendae a Massa communi *in Baren. Congruae et Expensarum die 9 Februarii 1760.*

258. Iamvero postquam Sacra Congregatio declaravit, curam habitualem Parochialis et Collegiatae Ecclesiae Terrae Noiae esse penes Capitulum, actualem penes Archipresbiterum, praefatus Archipresbiter petiit congruam taxandam in scutis centum, nec non contendit, expensas tam factas, quam faciendas non esse desumendas ex Massa communi, ex eo quod lis agebatur cum altero Capitulari; sed Capitulum sustinuit, nullam ei deberi congruam, et expensas subduci posse a Massa communi, quamquam lis ageretur cum Archipresbitero, ex firmatis per Scarfantonium ad Ceccoperium lib. 4 tit. 13 n. 13. Sacra Congregatio nedum statuit, haudquaquam Archipresbitero dandam esse congruam per Capitulum, sed et proposito dubio: – II. An expensae factae in toto decursu Causae tam factae, quam faciendae, sint desumendae a Massa Capitulari, seu potius erogandae a Canonicis particularibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, – *in Baren. Congruae et Expensarum die 9 Februarii 1760.*

259. Quapropter expensae litis factae ad cogendos Presbiteros et Clericos Civitatis, ut servitium praestarent Cathedrali Ecclesiae, sustinendae sunt ex Massa capitulari dumtaxat, non vero etiam ab Episcopo sub praetextu, quod et ipsi interesse debeat splendor suae Sponsae *in Troiana Servitii die 23 Iunii 1742.*

260. Siquidem exorta controversia inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae et Presbiteros nuncupatos Confraternitatum Sanctissimae Annunciationis et S. Leonardi quoad servitium ab iisdem in praefata Ecclesia praestandum, praedictum Capitulum contendit, expensas huius litis ab Episcopo una cum toto Capitulo sustinendas esse, quia utrique interessebat Cathedralis Ecclesiae servitium, eiusque in peragendis sacris functionibus decorem servari; confirmavitque, ex eo quod Episcopus praedecessor, ut Sponsae suae splendori consuleret, non dubitaverit etiam solus similem controversiam adversus Presbiteros et Clericos Civitatis instituere ac tueri. Proposito vero dubio: – III. An et qui teneatur ad expensas huius litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, expensas detrahendas esse ex Massa capitulari – *in Troiana Servitii die 23 Iunii 1742.*

261. Unde maior Capituli seu Collegii pars nedum iure capitulariter statuit, agendam esse litem, quae praeeminentias et alia iura totius Collegii, non vero singulorum respiciat, sed et expensas esse detrahendas ex communi

Massa, licet alii a ferendis suffragiis ad id decernendum abstineant et adversentur *in Tarentina Praeeminentiarum super executione Resolutionis capitularis die 13 Februarii 1751.*

262. Enimvero exortis inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae Tarentinae et Ioannem Villegas eiusdem Cathedralis Ecclesiae Archidiaconum pluribus controversiis quoad praeeminentias aliaque iura Capituli et Cleri, quae ab Archidiacono impetebantur, sexdecim Capitulares, qui Archidiacono adhaerebant, a ferendis suffragiis abstinuerunt, ceteri secreta tulerunt et viginti fuere, quibus Capitulariter placuit, litem agendam esse, uno tantum in aliam obeunte sententiam. Lis itaque acta fuit, et post varios casus, eidem Archidiaconus nuncium emisit. At quoad expensas iam factas Archidiaconus et Capitulares,qui ei favebant, contenderunt, eas non esse extrahendas ex universa Massa, quae una eademque erat Capituli et Cleri. Urserunt vero triginta Capitulares, servandum esse, quod placuit Congregationi diei 5 augusti anno 1747, cum lis, de qua agebatur, in dicta Congregatione Capitulari haud respiceret iura singulorum, sed iura totius Collegii, quin obstaret, quod sexdecim Capitulares a suffragiis ferendis abstinuissent; Capitulares enim, qui a suffragiis ferendis abstinuerant, sese eo casu extraneos reddiderunt a Collegio, et ius omne in ceteris coaluit. Propositis itaque dubiis: – I. An resolutio Capitularis capta die 5 augusti 1747 quoad sustentationem litis sumptibus Capituli et Cleri substineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et unde detrahendae sint expensae factae tum in partibus, tum in Curia Romana pro sustentatione litium actarum cum Archidiacono et litis consortibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo. – *in Tarentina Praeeminentiarum super executione Resolutionis capitularis die 13 Februarii 1751.*

263. Quin imo si nec maior, sed aequalis Canonicorum pars iure ac merito, ceteris reluctantibus, iura Capituli tuetur, expensae litis sunt detrahendae ex reditibus totius Capituli, non vero pro rata Capitularium *in Viterbien. die 28 Septembris 1737.*

264. Iamvero cum Canonicus Marinelli, qui curae animarum onus sustinebat in Ecclesia Collegiata Sanctorum Faustini et Iovitae, fuerit apopletico ictu correptus, Episcopus in Coadiutorem seu Vicarium Curatum deputavit Ioannem Baptistam Mancini ac inde Canonicum Iosephum Contestabili, qui tamen non modo munere sibi commisso defungi renuit, sed et cum alio Canonico Grandini, quibus mox accessit Canonicus Bonfili, nomine totius Capituli, aliis interim duobus Canonicis cum Priore reluctantibus, Sacram Congregationem adiit, autumans curae animarum onus Canonicis non incumbere, adeoque nec ipsum nec ullum alium ex Canonicis posse ab Episcopo compelli, ut, Canonico Curato defuncto aut ex infirmitate aut alia legitima causa impedito, munus Oeconomi seu Vicarii susciperet. Nam licet asserta habitualis cura animarum penes Capitulum resideret, in facto tamen erat, quod Canonicus Curatus Canonicalem Praebendam, cui adnexa erat cura Animarum, per Concursum independenter a Capitulo in titulum perpetuum assequebatur, eamdemque animarum curam libere exercebat, ac omnia emolumenta inde obvenientia sibi vindicabat. Accedebat etiam observantia, qua semper alius Sacerdos in Oeconomum seu Adiutorem fuerat deputatus. Hinc Sacra Congregatio dispositionem Capituli revocavit; et propositis dubiis: – IV. An liceat dictis Canonicis una cum Canonico Bonfili tueri in hac lite iura Capituli, etiamsi forent reluctantes alii duo Canonici cum Priore in casu etc. V. An expensae huiusmodi litis sint detrahendae ex reditibus totius Capituli, seu potius Capitularium pro rata in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Affirmative ad primam partem; et amplius – *in Viterbien. die 28 Septembris 1737.*

265. Amplia, si unus etiam Canonicus litem agat, ut iura Capituli tueatur, expensas litis ab iis refici debent, qui praefatae liti causam dederunt et in Causa sunt contradictores *in Sabinen. die 31 Maii 1783.*

266. Siquidem in Comitiis diei 31 decembris 1782 electus fuit Camerarius Sacrarii Collegiatae Ecclesiae Oppidi Ereti Caesar Sola, qui Subdiaconus non erat et aberat e loco residentiae causa studiorum. Electionem hanc

impugnavit Canonicus Curius Pienezza, eamque nullam esse probavit. Contendit insuper praefatus Pienezza, ipsum subire expensas praesentis litis, ut iura Capituli tueretur, et propterea refici debere ab iis, qui consenserunt in electionem Canonici Sola, utpote quia liti causam dederunt, et in praesenti Causa erant contradictores. Itaque Sacra Congregatio nedum praefatam electionem nullam edixit, quin dictum Officium Camerarii exerceri posset per Substitutum, sed et proposito dubio: – III. An et qui teneantur ad expensas litis in casu etc. –, responsum tulit: – Ad tertium, teneri Archipresbiterum et Canonicos, qui consenserunt liti – *in Sabinen. die 31 Maii 1783.*

267. Non licet vero uti distributionibus quotidianis ad litium impensas *in Iuvenacen. Distributionum quotidianarum die 16 Ianuarii 1744* §. *Paucis.*

268. Idcirco Canonici Cathedralis Ecclesiae Alexanensis detrahere non possunt sumptus litium, quae praevia conclusione capitulari introducuntur, ex Massa communi distributionum; proposito enim dubio: – III. An sumptus litium, quae praevia conclusione Capitulari introducuntur, detrahi possint ex Massa communi ante illius divisionem inter Capitulares? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Negative quoad Massam communem destinatam pro distributionibus – *in Alexanen. die 1 Septembris 1742.*

269. Similiter quum Canonici Ecclesiae Collegiatae Terlitii petierint, ut declararetur: – II. An expensae futurarum litium detrahi possint ex distributionibus quotidianis, seu quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative ad primam partem; quo vero ad secundam, recurrant in casibus particularibus – *in Iuvenacen. Distributionum quotidianarum die 3 Aprilis 1745.*

270. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decis, et amplius – *in Iuvenacen. Distributionum quotidianarum die 29 Maii 1745.*

271. Nam distributiones quotidianae integrae semper manere debent: quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, expensas pro litibus Capituli posse quidem sumi ex Massa communi distributionum, salvis tamen distributionibus quotidianis *in Dubium die 20 Februarii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 372 a tergo.*

272. Idcirco quum Archipresbiter et unus ex duodecim Canonicis ac alii quidam ex antiquioribus Presbiteris participantibus Ecclesiae Cathedralis Rubensis litem egerint contra erectionem Praebendarum Theologalis et Poenitentiariae nec non Decreta Episcopi, quibus praecipiebatur interessentia congressibus super casibus conscientiae observantia caeremonialis Episcoporum et reintegratio duarum Praebendarum Canonicalium de iurepatronatus laicorum; sed alii Capitulares praemissis litibus assentiri renuerint aegreferentes hoc Massae communis detrimentum, quae constituebatur ex variis legatis piis habentibus annexum considerabile onus Missarum lectarum nec non plurium Anniversariorum, et quod supererat de praefata Massa, deductis dictis oneribus et aliis, decimarum videlicet spolii Advocati Procuratoris et similibus, per modum quotidianarum distributionum, percipiebatur a Capitularibus, proposito dubio: – An pecuniae pro expensis faciendis in causis pendentibus discutiendis in Sacra Congregatione vel in aliqua earum sumi possint ex Massa communi Ecclesiae Cathedralis Rubensis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et Episcopus mandet reintegrari Massam Capitularem de pecuniis extractis – *in Ruben. Expensarum die 25 Septembris 1734.*

273. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Ruben. Expensarum die 20 Novembris 1734.*

274. Hinc expensae per Capitulum factae ad componendam controversiam inter Causam Piam et heredem Fundatoris eiusdem in propria Ecclesia non sunt extrahendae ex Massa communi, sed ex proventibus ipsius Causae Piae *in Leodien. Confirmationis Concordiae die 15 Iulii 1747.*

275. Enimvero Carolus Franciscus Rossi de Liboy Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Petri Civitatis Leodiensis heredem scri-

psit Canonicum de Moraichen eiusdem Ecclesiae Collegiatae Decanum sibique coniunctum sanguine, - ad eis gaudendum una cum Dominis de Capitulo S. Petri et regendum similiter et proventum applicandum in augmentum cuiuslibet partis Fundationis Piae per nos in dicta Ecclesiae factae vel ad talem aliam fundationem, quam mihi reservo facere, si opportunum censuerim –. Cum autem praefatus de Liboy in Codicillis quamdam facere visus fuerit variationem, lis orta est inter dictum Decanum et Capitulum. Ne vero inter litis discrimina universa bona hereditaria, partim ex gravissimorum sumptuum causa, partim ex neglecta eorum cura et administratione in perditum irent, optimum consilium utrique colligantium parti visum fuit inire concordiam, plurimum in id enitente Leodiensi Antistite. Sacra Congregatio, postquam concordiam eidem exhibitam confirmavit, declaravit, expensas ob id factas subministrandas esse ex proventibus Causae Piae; proposito enim dubio: – II. An expensae in Causa hactenus factae aliaeque in posterum faciendae subministrandae sint ex Massa communi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, expensas hactenus factas esse subministrandas ex proventibus Causae Piae; et amplius – *in Leodien. Confirmationis Concordiae die 15 Iulii 1747.*

276. Quinimo si lis haud totius Capituli vel Ecclesiae iura vel utilitatem respiciat, sed privata Capitularium iura, expensae huiusmodi litis nequaquam desumi possunt ex Massa Capitulari *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

277. Siquidem quum inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Mariae Pedonis et Praepositum eiusdem Ecclesiae plures subortae fuerint controversiae respectiva iura eorumdem respicientes, proposito dubio: – XX. An huius litis expensae tam factae, quam faciendae solvi debeant ex Massa Capitulari? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad vigesimum, Negative - *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

278. Exortis itaque pluribus controversiis inter Dignitates et Canonicos nec non Presbiteros participantes Cathedralis Ecclesiae Bituntinae quoad respectiva eorumdem iura, proposito dubio: – IV. An expensae litium, quas Dignitates et Canonici pro eorum interesse privato tantum sustinent et in futurum sustinebunt , desumi possint ex Massa communi cum Presbiteris participantibus seu Mansionariis, vel potius ex earumdem Dignitatum et Canonicorum portionibus; et quid de expensis praesentis litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative ad primam partem, ac etiam quoad expensas praesentis litis - *in Bituntina die 26 Septembris 1739.*

279. Similiter exortis inter Canonicos et Portionarios Collegiatae et Receptivae simul Ecclesiae Terrae Galatonae Massam communem habentes pluribus controversiis, servitium praesertim et respectiva iura et onera respicientibus, Portionarii sustinuerunt etiam, irritas esse et attentatas conclusiones capitulares de expensis praefatae litis a communi Massa detrahendis, dum Canonici contendebant, quod cum dictae conclusiones processissent ex pluralitate suffragiorum Capituli habiti cum interventu etiam Portionariorum, et lis respiceret commune bonum Ecclesiae et defensionem iurium Canonicorum, dubitari vix poterat de illarum efficacia. Proposito vero dubio: – XIX. An conclusiones Capitulares habitae super expensis faciendis in praesenti lite substineantur, seu potius quisque teneatur de proprio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad decimum nonum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Neritonen. Plurium die 12 Iulii 1760.*

280. Hinc expensae factae et faciendae a Canonicis Cathedralis Ecclesiae Cavallicensis pro tuendis litibus coram Sacra Congregatione et aliis Tribunalibus adversus Beneficiatos eiusdem Ecclesiae non sunt ex Massa communi extrahendae *in Cavallicen. Residentiae et Distributionum die 30 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

281. Idcirco quum Capitulum Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Stephani Oppidi Castri Fidardi iniuste litem egisset contra Praepositum eiusdem Ecclesiae, ne indultum iubilationis obtineret post quadragenarium servitium, Sacra Congregatio, postquam declaravit, concedendum esse indultum iubilationis cum participatione de punctaturis seu fallentiis, proposito dubio: – III. An

expensae litis, de qua agitur, fieri debeant a Capitulo ex pecuniis Massae Capitularis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative et amplius – *in Lauretana Iubilationis die 2 Decembris 1775.*

282. Unde expensae litis eo tantum in casu sunt extrahendae a communi Massa, cum eaedem Ecclesiae utilitatem respiciant *in Comen. die 30 Septembris 1724* §. *Fundamentum* (1).

283. Incongruum enim est, ut sumptus ad lites inter eosdem Capitulares vertentes ex Communi Massa subministrentur *in Ruben. Expensarum die 11 Septembris 1734* §. *Massa.*

284. Perpendendum hinc in iure, an iniuria lis agatur, an interfuerit universus Coetus Capitularis, ut ea instituereturad propria iura servanda, anve ex ea aliquid commodi vel utilitatis percipiat universum Capitulum: ubi enim unum, vel alterum ex hisce extremis deficiat, ratio et ius dictitant, non a Coetu, sed a singulis expensas fore sustinendas *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Perpendendum.*

285. Siquidem hac super re constans videtur Sacrae Congregationis sententia, quae sapienter, ubi Capituli commodum aberat, nunquam passa est, expensas litis aere communi solvi *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Hac.*

286. Qua de re quum agitur de iuribus particularibus unum inter et alterum Capitularem, nihilque utilitatis aut detrimenti in Capitulum redundat, sumptus litis non sunt detrahendi ex Massa capitulari, sed subeundi a Partibus collitigantibus, de quarum privato iure et de personali praerogativa tantummodo disceptatur *in Faventina Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Ad III.*

287. Hinc Beneficiati constituentes unum corpus litemque agentes non contra tertium nec pro interesse Communitatis, sed inter ipsos quoad praecedentiam, nequeunt extrahere expensas huiusmodi litis ex Massa communi; adeoque, si extraxerint, tenentur reintegrare Massam de pecuniis extractis *in Gerunden. Expensarum die 11 Ianuarii 1721.*

288. Enimvero inter Beneficiatos Cathedralis Ecclesiae Gerundensis nonnulli reperiebantur Beneficiati graduati, Laurea doctorali videlicet insigniti, quique utebantur veste nobiliori, et alii reperiebantur non graduati. Inter Beneficiatos graduatos et non graduatos exorta fuit controversia super delatione vexilli et astarum Baldachini occasione associationis Sanctissimi Viatici ad Infirmos, contendentibus graduatis id ad se spectare, et sustinentibus non graduatis, id ad eos non pertinere. Post iudicia in partibus agitata, Causa delata fuit ad Sacram Rituum Congregationem, quae die 11 decembris 1718 rescripsit: – Dilata, et examinentur formiter Testes; et interim servetur sententia Episcopi, –in qua declaratum fuerat, Beneficiatis graduatis competere praecedentiam privative ad ceteros Beneficiatos non graduatos, et in ea esse manutenendos. Quum autem Beneficiati graduati deprehenderint, non graduatos extraxisse ex Massa communi expensas eousque factas pro lite sustinenda, et ulterius ex eadem Massa extrahere velle alias expensas in posterum pro eadem Causa faciendas, idque minime iustum esse reputaverint, ex quo non agebatur de lite contra tertium vel pro interesse Communitatis, sed de lite inter ipsos unum idemque corpus constituentes, examen huius Causae remitti obtinuerunt ad Sacram Congregationem. Propositis itaque dubiis: – I. An liceat Beneficiatis non graduatis pro expensis litis, de qua agitur, extrahere pecunias ex Massa communi? II. An idem liceat Beneficiatis graduatis, ita ut valeant ex eadem Massa communi extrahere non solum expensas faciendas, sed etiam factas occasione praedictae litis? *Et quatenus Negative quoad utrosque.* III. An Beneficiati non graduati teneantur reintegrare Massam de pecuniis extractis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative; et amplius in omnibus – *in Gerunden. Expensarum die 11 Ianuarii 1721.*

(1) Rot. in Burgen. Servitii 20 novembris 1595 §. Nec obstare coram Litta inter eius decisiones manuscriptas lib. 2 pag. 90; coram Ludovisio decis. 263, n. 3; coram Manzanedo decis. 157, n. 1; in Recent. part. 1, decis. 138, n. 1.

289. Idcirco quum ageretur quaestio inter Praepositum et Camerarium Ecclesiae Cathedralis Imolensis super iure convocandi Capitulum, quin aliquid utilitatis aut detrimenti in Capitulum redundaret, expensae litis fieri non potuerunt ex Massa communi, sed ab iis, qui in litem consenserunt; his enim in terminis proposito dubio: – III. An et a quibus fieri debeant expensae litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, fieri debere ab iis, qui in litem consenserunt – *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774.*

290. Similiter quum Canonici Collegiatae Ecclesiae Sancti Bartholomaei Murrivallium litem egissent contra Mansionarios et Clericos eiusdem Ecclesiae, ut privatum sibi et privativum vindicarent ius ferendi suffragium in comitiis Capitularibus, simulque decrevissent facere sumptus litis ex Massa communi, Sacra Congregatio resolvit, sumptus sustinendos esse expensis singulorum Canonicorum, qui nomen liti dederunt, non vero ex Massa communi; proposito enim dubio: – III. An et cuius expensis sit sustinenda lis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative expensis singulorum Canonicorum, qui nomen liti dederunt; et amplius – *in Firmana Vocis in Capitulo die 18 Novembris 1797.*

291. Quapropter quum plures Capitulares Ecclesiae Collegiatae Oppidi Tungrensis iniuste contendissent, haud deberi vigore indulti abessendi Canonico Thomae Philips portionem emolumentorum ex Anniversariis tam fixis, quam incertis et extraordinariis, Sacra Congregatio postquam decrevit, eidem deberi portionem emolumentorum iuxta solitum, proposito dubio: – II. An expensae huius litis detrahi debeant ex Massa Capitulari, seu potius an et qui ad illas teneantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative; et teneri Canonicos, qui litem moverunt – *in Leodien. Indulti die 28 Augusti 1751.*

292. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Leodien. Indulti die 15 Aprilis 1752.*

293. Quin imo licet maior Capituli pars litem intendat, quae tamen Ecclesiae vel Capituli universi utilitatem haud respicit, expensae eiusdem non sunt detrahendae ex communi Massa, sed sustineri debent ab iis tantum, qui in litem consenserunt *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848.*

294. Siquidem Andriense Municipium unanimiter Canonicum Cathedralis Andriensis Vincentium Latilla ad quintam Dignitatem, cui nomen erat Prior Ecclesiae S. Richardi, nominavit; sed nonnulli ex Canonicis, indicto festine Capitulo, per maiorem suffragiorum numerum, in eam venerunt conclusionem, ut scilicet praefatam electionem veluti haud legitime et simoniace peractam penes Episcopum incusaret. Episcopus vero mandavit, institutionem ac possessionem praefatae Dignitatis Vincentio Latilla dandam esse, ceu reapse factum est. Unde Canonici recursum interposuerunt ad S. Sedem, qui etiam sustinuerunt, expensas litis detrahendas esse ex Massa communi, cum Causa utilitatem Ecclesiae respiceret; quin imo, licet lis esset iniusta, consensus maioris partis adhuc minori praeiudicaret, et litis expensae ex Massa communi detrahi deberent, ad monitum Larea decis. granat. 88 part. 2 per totum. Contra Canonicus Latilla et alii plurimi e Capitulo contenderunt, expensas litis ferendas esse ab iis tantum, qui huiusmodi liti subscripserunt, haudquaquam e communi Capituli arca sumendas. Nam lis promota fuit ex mera voluntate vel ex iniusta oppositione; eamque veluti calumniosam Promotor Fiscalis pluresque Canonici agnoverunt, quin aliquid commodi vel utilitatis Ecclesia et universus Coetus capitularis perciperet. His utrinque perpensis, Sacra Congregatio nedum validam praefati Prioris electionem et possessionem edixit, sed et proposito dubio: – IV. An expensae huius litis detrahi debeant ex Massa capitulari, seu potius an et qui ad illas teneantur in casu? –, responsum tulit: – Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; scilicet teneri eos, qui in litem consenserunt – *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848.*

295. Hinc ad expensas litis iniuste actae contra Synodum Diaecesanam non tenentur contribuere, nisi qui expresse eidem liti con-

senserunt *in Viterbien. die 28 Ianuarii 1769.*

296. Siquidem habita mense septembris 1762 ab Emo Episcopo Viterbiensi et Tuscanensi Diaecesana Synodo, paucos post dies interposita fuit nomine Cleri Secularis et Regularis appellatio, cum nullitatis accusaret Clerus tum ipsam Synodum, tum leges in illa indictas, nemine prius audito: simulque peteret, has sibi communicari redigique ad aequitatem. Post varios clamores animadversiones et replicationes impositum fuit silentium reclamantibus, reservata tantum cognitione particularium controversiarum, quae inter Capitulum Cathedrale Viterbiense et Parochos vertebant. Querelis autem imposito fine, nova inde quaestio exorta est, an ad contributionem expensarum litis actae adversus Synodales Constitutiones teneretur universus Clerus Secularis et Regularis, vel potius tantum iis, qui liti consenserunt, et ad eamdem agendam se obstrinxerunt. Qui Synodo adhaeserunt, contribuere renuebant, cum lis promota fuisset ex mera voluntate iniusta esset et processisset ex spiritu contradicendi. Idcirco adigi non poterat universus Clerus ad tot inutiles et iniustas expensas, maxime quia maior ac etiam sanior pars Synodo adhaeserat, eidemque parere declaraverat. Unde Sacra Congregatio audacem interpositam appellationem iterasque emissas protestationes delendas mandavit, ac perpetuum reclamantibus silentium imposuit, reservata tantum cognitione controversiarum inter Capitulum Cathedrale Viterbiense et Parochos existentium. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et qui teneantur contribuere expensis litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Teneri eos, qui expresse in litem consenserunt – *in Viterbien. Expensarum litis die 28 Ianuarii 1769.*

297. Tum enim reipsa Universum Capitulum ad contributionem tenetur, cum lis iusta sit et necessaria ad iura ipsius Capituli tuenda; secus vero quando lis promota est ex mera voluntate vel ex iniusta oppositione: nam hoc casu ii tantum tenentur, qui litem moverunt, quique se subscripserunt in mandatis procurae *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Quartum* (1).

298. Unde si maior Capituli pars iniuste litem instituerit, expensae litis aere communi solvi minime debent, sed ad eas tenentur Canonici, qui litem moverunt *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Hac.*

299. Qua de re communiter receptum est, ubi litigium inter Canonicos, vel Loci Pii Administratores vertat super praeeminentia aut alio simili iure, quod nullum Ecclesiae afferat beneficium, litis expensas ex propriis cuiusque litigantis bonis esse persolvendas *in Spoletana Expensarum die 22 Augusti 1739* §. *Momentum.*

Item *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Si vero*

300. Hinc exortis controversiis quoad absentiam et perceptionem distributionum inter Alexandrum Fabritium aliosque Praebendatos et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Firmanae, iisque favore Fabritii aliorumque Praebendatorum resolutis, proposito etiam dubio: – VI. An expensae factae et faciendae in hac Causa per Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Firmi contra Praebendatos in Sacra Congregatione ac Iudice seu Iudicibus ab ea delegatis sint extrahendae ex Massa communi Capitulo et Praebendatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Negative; et amplius in omnibus, nec non Fabritius redeat ad residentiam omnino – *in Firmana Distributionum die 3 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

301. Idcirco quum Capitulum Basilicae Lauretanae in erectione Canonicatus a Thoma Balduccio instituti quasdam conditiones, perceptionem aliquorum emolumentorum praesertim respicientes, quas Communitas Senogalliae patrona acceptaverat, apposuisset, et novus Canonicus Benedictus Fabri cum eadem Patrona subinde reiiceret, Sacra Congregatio, postquam omnes super hac re exortas controversias deciderit, proposito dubio: – VIII. An Canonicus Fabri teneatur contribuere ad sumptus praesentis litis in casu etc. –, respon-

(1) Constantin. ad Statutum Urbis annot. 59, n. 314; Ceccoper. Lucubrat. can. lib. 4, tit. 13, tom. 2, n. 2; Rota coram Coccino decis. 1911, n. 13; et in Recent. decis. 1111, part. 6, n. 2.

sum dedit: - Ad octavum, Negative; et amplius - *in Lauretana Canonicatus die 20 Iulii 1754.*

302. Similiter postquam Sacra Congregatio declaravit, sustineri Decretum Diaecesanae Synodi deferens primum locum post Archipresbiteros Portionariis, tametsi non antiquioribus, Ecclesiarum S. Mariae in Sylvis et S. Mercurii Terrae Capriolae Cantoratus Officium obtinentibus, decrevit, Sacerdotem Dionysium de Nardellis, qui praeelectus fuit in officio Cantoratus praefatae Ecclesiae S. Mariae in Sylvis, quique contendit, potiorem sibi post Archipresbiterum, prae ceteris Portionariis licet senioribus, honoris praerogativam deberi, haudquaquam teneri contribuere in expensis huiusmodi litis; proposito enim dubio: – III. An Cantor Dionysius de Nardellis teneatur contribuere in expensis huius litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative - *in Larinen. Praecedentiae die 11 Augusti 1742.*

303. Itaque Sacra Congregatio non resolvit controversias quoad expensas litium exortas inter Canonicos Collegiatae Terrae Modicae, nisi prius audiret interesse habentes; propositis enim dubiis: – VIII. An Canonici Collegiatae praedictae de iurepatronatus teneantur contribuere et concurrere in expensis litium et pro qua rata? *Et quatenus affirmative.* IX. An sint cogendi solvere ratam sibi tangentem pro tempore praeteriti cui vel quibus remediis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum et nonum, audiantur Canonici obtinentes Canonicatus de iurepatronatus – *in Syracusana Praepositurae die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

304. Quum autem Ioannes Antonius Trincanus Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Euphemiae Insulae praetenderet, se non teneri ad contribuendum pro expensis a Capitulo factis in quibusdam litibus, quia protestationem ipse emiserat, in qua declarabat, se parere velle Decretis a Sacra Congregatione editis anno 1711, et quia lites non respiciebant utilitatem Ecclesiae, propositis dubiis: – I. An R. D. Ioannes Antonius Trincanus Canonicus Collegiatae S. Euphemiae Insulae teneatur ad contributionem expensarum factarum per eius Capitulum et Canonicos occasione litium? *Et quatenus affirmative.* II. Ad quas et in qua summa? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Ordinarium, qui procedat in omnibus prout de iure – *in Comen. die 30 Septembris 1724.*

305. Exortis itaque controversiis inter Praepositum Collegiatae Ecclesiae Terrae Modicae et Canonicos eiusdem Collegiatae, propositis dubiis: – VI. An idem Praepositus teneatur contribuere seu concurrere ad expensas litium et pro qua rata? VII. An teneatur contribuere ad expensas litium etiam cum congrua sibi spectante ratione curae animarum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum et septimum, dabitur responsio in casibus particularibus – *in Syracusana Praepositurae die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

306. Unde iuxta naturam ac indolem litium expensae sunt reficiendae vel a Fabrica Ecclesiae vel a Capitulo *in Melevitana Expensarum die 5 Maii 1708 lib. 58 Decretorum.*

307. Enimvero – post terminatas diutinas et acerrimas controversias in hac Sacra Congregatione agitatas inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Melitae ex una, et Promotorem Fiscalem illius Curiae Episcopalis ex altera partibus in binis Causis pluries propositis, altera inscripta: Melevitana Insignium, altera vero: Melevitana Synodi, Canonicus Mangionus, qui in munere Agentis negociorum Capituli plerosque annos iisdem Causis operam suam praestitit, praetendere cepit refusionem expensarum in eis erogatarum, detrahendarum vel ex reditibus Fabricae eiusdem Ecclesiae, vel ex contributione facienda a singulis Canonicis: hinc triangularis quaestio desuper revixit, obnitente eodem Promotore Fiscali, Ecclesiae reditus ad alios usus destinatos neutiquam insumendos in Canonicorum litigiis promovendis, quemadmodum usque ab anno 1703 recursum de hoc habuit ad Sanctissimum, precibus ad hanc S. Congregationem remissis. Ex adverso praetendentibus Canonicis, antedictas Causas uti Capitulo et Ecclesiae conducentes non alias, quam ex eiusdem Ecclesiae reditibus fore restaurandas; vel sin minus declarari, omnes Canonicos ad earum contributionem teneri eos quoque,

qui praememoratarum litium introductioni et prosequutioni sese opposuerunt, quod sane iidem Canonici oppositores impugnare satagunt. Relatis huiusmodi instantiis in Congregatione diei 23 iulii proxime praeteriti, rescriptum extitit: « Quoad expensas, praevia liquidatione facienda per Peritum eligendum, ponatur Causa in folio ». In cuius Rescripti obsequium, iam electo Curiali Perito, hic, Partibus auditis, binas extradidit relationes, alteram in Causa: Insignium, in qua post approbatas vel moderatas expensarum notulas pro parte eiusdem Canonici Mangioni exhibitas sine praeiudicio expensarum in Partibus factarum, hunc calculum confecit. Pro expensis Causae Patroni 67. 20: pro expensis factis a Canonico Mangiono 45. 70, Impressoris 70. 50, Amanuentium 22. 33, pro agentia eiusdem Canonici 477. 50; in totum sc. 683, 23. Alteram vero in Causa: Melevitana Synodi, pari modo efformatam, in qua calculus huiusmodi perlegitur: pro expensis Causae Patroni 150. 30, pro expensis eiusdem Canonici 82. 22, Impressoris 133. 90, Amanuentium, 58. 10, pro agentia dicti Canonici, accessu et recessu 492, 50; in totum sc. 917. 02 1/2, uti latius ex actis peritiarum in Summario exhibendis. Nuperrime tandem exhibita fuit relatio Episcopi iamdiu requisita super precibus Sacrae Congregationi porrectis a Canonico Mangiono tangentibus dumtaxat expensarum refectionem in Causa Melevitana Synodi, in qua idem Antistes, audito Capitulo, propugnat, eiusmodi expensas, neque ab Ecclesiae reditibus, neque a Canonicis, qui renuerunt adhaerere appellationi a reliquis interpositae a Constitutionibus Synodalibus, esse refundendas, pluribus desuper cumulatis iuribus, uti fusius in eadem relatione in Summario Promotoris Fiscalis exhibenda.

308. Itaque hodie supradictis Partibus interesse habentibus monitis –, proposito dubio: – An et a quibus litis expensae sint subministrandae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Quoad expensas litis Insignium esse subministrandas a Fabrica, et quoad litem Synodi esse subministrandas a Capitulo, iuxta mentem declarandam ab Emo Praefecto – *in Melevitana Expensarum die 5 Maii 1708 lib. 58 Decretorum.*

309. Qua de re quum in Ecclesia Cathedrali Asculi duplex existeret patrimonium, Capituli unum, Fabricae alterum, propositis dubiis: – I. An liceat Canonicis et Capitulo Ecclesiae Cathedralis Asculanae ex pecuniis seu reditibus Fabricae eiusdem Ecclesiae conficere sumptus litium aliarumque rerum, quae spectant ad Capitulum et non tangunt interesse ipsius Ecclesiae vel Fabricae, seu potius fieri debeant ex reditibus ipsius Capituli et Canonicorum in casu etc. II. An constet, quod Canonici et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Asculi ex pecuniis seu reditibus Ecclesiae vel Fabricae eiusdem Ecclesiae confecerint sumptus litium aliasque expensas, quae spectant ad ipsum Capitulum et non tangunt interesse ipsius Ecclesiae seu Fabricae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, praefigendum esse terminum Canonicis ab Episcopo ad reddendam rationem coram eodem – *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

310. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis a primo ad secundum dubium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, in decisis iuxta modum, nempe praefigendum esse ab Episcopo terminum Capitulo ad reddendam pro nunc rationem ultimi decennii coram eodem; et amplius – *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

311. Quum autem in Capitulo extet Officium Canonistae, qui debeat Institutiones canonicas legere et lites eius agere tuerique, ob deficientiam Clerici secularis, qui illud accipere velit ac valeat, Sacra Congregatio indulget quidem ad tempus, ut ex ipsius vacantis Officii reditibus aliqua summa detrahatur pro stipendio Advocati laici, sed nequaquam id indefinite concedere merito censet, ac imo eam adiicit conditionem, ut singulis annis Edictum promulgari debeat, quo seculares Clerici ad illud munus inviteantur *in Aquileien. Canonistatus die 6 Februarii 1743.*

312. Iamvero s. m. Bonifacius IX, supplicanti Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Civitatis Austriae seu Fori Iulii, duos ex triginta novem Canonicatibus eiusdem Ecclesiae

suppressit statuitque, ut omnes eorum reditus atque etiam quotidianae distributiones perpetuo cederent pro aequis partibus in stipendium unius Magistri in Theologia atque unius Doctoris in iure canonico; et si unum vel alterum deesse contingeret, fructus et distributiones alterutrius Officii vacantis converterentur in utilitatem fabricae et Ecclesiae supellectilium. Capitulum postulavit a s. m. Clemente XII facultatem erogandi ex reditibus Officio Canonistae attributis scuta triginta in stipendium Advocati laici, propterea quod nulli reperirentur idonei Clerici seculares, qui ad formam Bonifacianae Constitutionis vellent officium Canonistae suscipere ac praesertim agere tuerive in iudicio lites Capituli frequentes admodum atque complures. Sacra Congregatio die 15 decembris 1736 Patriarchae Aquileiensi commisit, ut, veris existentibus narratis, pro eius arbitrio expetitam facultatem Capitulo impartiretur ad quinquennium tantum duraturam, si tamdiu perdurassent lites Capituli ea tamen lege, ut, si forte idoneus aliquis Clericus intra quinquennium sese exhiberet perfuncturum Officio Canonistae, statim is a Capitulo foret eligendus, ad eumque finem singulis annis Edictum promulgari deberet, quo seculares Clerici ad illud munus invitarentur. Exin vero Capitulum alias obtulit preces, quibus proposuit, num deficientibus Clericis aliis secularibus eligi posset ad munus Canonistae eiusdem Ecclesiae Canonicus, ac non solum fructus tam Praebendae, quam Officii, verum etiam quotidianas distributiones percipere, dum absit sui muneris causa; itemque Canonicus ita electus sive per se, sive per alium posset patrocinium praebere in Causis Capituli, vel potius confirmandum esset indultum illud erogandi annua scuta triginta in stipendium Patroni sive Advocati laici ad tempus indefinitum, donec scilicet Clericus aliquis secularis adfuisset Officium Canonistae subiturus. Aquileiensis Patriarcha censuit, magis expedire, ut fructus Canonistae tribuerentur Fabricae Ecclesiae veluti summopere indigenti sacris supellectilibus, decerptis tamen annuis scutis triginta pro stipendio unius et alterius Patroni Causarum Capituli, quamdiu Clericus deesset Secularis, qui vellet ac valeret recte atque integre Canonistae munus exolvere. Retulit enim, successu temporum difficilis nimirum evasisse Bonifacianae Constitutionis observationem, cum pauci extitissent Clerici ad id munus electi; ac eius rei causa coniiciebatur, vel imperitia fori, vel muneris difficultas, vel tenue stipendium, vix summam octuaginta scutorum pertingens, vel demum infrequens consuetudo, quod Clerici penes laicos Iudices Causas orarent atque forenses inter clamores versarentur. Interea vero Ioannes Benalea utriusque iuris Doctor et Canonicus ipsius Collegiatae supplex exposuit Summo Pontifici, se anno 1741 copiam sui fecisse pro obtinendo Canonistae munere; verum Capitulum renuit huius Canonici postulatis morem gerere, cum servitium Canonici haud recte componi posset cum muniis Canonistae, quae assiduam requirebant operam, tum in lectione Institutionum canonicarum, tum in agendis litibus Capituli.

313. His itaque perpensis, propositis dubiis: - I. An ob vigentem de praesenti et contingibilem in futurum deficientiam habendi Clericum secularem ad Bullae Bonifacii IX praescriptum Capitulum possit seu debeat unum ex Canonicis de gremio Laureatum eligere in Canonistam, quatenus aliquis eorum Laureatus forum sequatur? *Et quatenus affirmative.* II. An, non obstante Canonici absentia a choro ob personale exercitium sui muneris Canonistae praesertim in patrocinando Causas pro Capitulo, lucretur distributiones? III. An huiusmodi Canonicus eligendus in Canonistam etsi Laureatus, forum tamen non exercens, possit per Substitutos capaces etiam laicos supplere in defendendis dictis Causis Capituli? *Et quatenus in omnibus negative.* IV. An Indultum provisionale per quinquennium Capitulo concessum prorogandum sit indefinite, donec duraverit deficientia dicti Clerici secularis, per Edictum tamen quotannis invitandi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro gratia prorogationis Indulti ad aliud quinquennium tantum, iuxtá formam praecedentis – *in Aquileien. Canonistatus die 6 Februarii 1743.*

314. Animadvertendum tamen est, quod Sacra Congregatio ex vetusta consuetudine denegare solet refectionem expensarum, quae expletae fuerint occasione litis penes eamdem

actae, licet victos victoribus condemnari consuescat in expensas factas pro suis iuribus tuendis coram Episcopali Curia, antequam controversiae ad ipsius tribunal deferrentur *in Derthonen. Iurium parochialium die 8 Iunii 1726* §. *Quartum.*

Item *in Leodien. Residentiae die 8 Maii 1762* §. *Disputat; in Adiacen. Distributionum die 24 Martii 1762* §. *Postulat; in Spoletana die 23 Aprilis 1763* §. *Post; in Pinnen. die 26 Augusti 1826* §. *Ceterum; in Romana Legati Pii super expensis die 16 Iunii 1827* §. *Deinde; in Romana Nullitatis Matrimonii die 22 Augusti 1840* §. *Haec.*

315. Receptum proinde illud est, in Causis, quae apud Sacram Congregationem agitantur, ut litis expensae a temere litigantibus refici non debeant *in Romana Nullitatis Matrimonii die 22 Augusti 1840* §. *Haec.*

316. Secus vero dicendum quoad sumptus litis in aliis tribunalibus seu coram Curia Episcopali prius agitatae, antequam controversia ad Sacram Congregationem deferretur *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826* §. *Ceterum.*

Item *in Romana Legati Pii super expensis die 16 Iunii 1827* §. *Deinde.*

317. Idcirco reficiendae non sunt expensae factae occasione litis in Sacra Congregatione praeter illas in Tribunali Ordinarii seu Nunciaturae factas; quum enim Canonicus Palmer contendisset, non licuisse Decano Ecclesiae Collegiatae Oppidi Tungrensis illiusque adhaerentibus pecunias extrahere ex massa communi pro lite peragenda, cum eam absque ulla Ecclesiae et Capituli utilitate niterentur agere contra Statuti censuram et contra voluntatem quinque Capitularium, qui expresse adversabantur eidem liti, eosdem condemnari nedum ad reintegrandam Massam de pecuniis extractis, sed etiam ad reficiendas expensas per ipsum in litis sustentationem erogatas, ex eo quod agebatur de lite iudicialiter prius agitata in Tribunali Nunciaturae cum succumbentis condemnatione in expensis, et ad Sacram Congregationem in gradu appellationis delata, proposito dubio: – III. An quae et ad cuius favorem sint reficiendae expensae litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, non esse reficiendas expensas factas occasione litis in Sacra Congregatione; et quoad alias, ad Nuncium Apostolicum, prout de iure, et amplius – *in Leodien. Residentiae die 12 Iunii 1762.*

318. Unde sumptus litis in aliis Tribunalibus sunt quidem victoribus reficiendis, non vero quae fiunt penes Sacram Congregationem *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826.*

319. Enimvero Parochi Sanctissimi Salvatoris et S. Leonardi contenderunt penes Curiam Episcopalem, Ecclesiam S. Antonii Civitatis Planellae non Collegiatam, sed Parochialem esse utrique Paraeciae communem; Sacerdotes in ea residentes non Canonicos, sed simplices esse Praebendatos, et sacras omnes, quae ibidem peragebantur functiones, non ad illos, sed ad Parochos pertinere. At Parochi, tum in possessorio, tum in petitorio devicti, appellationem ad Sacram Congregationem interposuerunt, ubi Partes etiam quaestionem moverunt de litis expensis, ad quarum medietatem Collegiatae rependendam damnati fuerunt Parochi a Curia Episcopali in exitu iudicii petitorii. Animadvertebatur tamen, quod etiamsi legibus consonum sit, victos victoribus expensas reficere, quemadmodum etiam pluries decrevit Sacra Congregatio quoad sumptus litis in aliis tribunalibus prius agitatae, nunquam tamen reficiuntur expensae factae occasione litis in Sacra Congregatione. Proposito itaque dubio: – XIV. An et quomodo sit locus refectioni expensarum in casu? –, Sacra Congregatio, resolutis prius dubiis favore Canonicorum, responsum tulit:–Ad decimum quartum, quoad expensas peractas in Curia Episcopali, servetur sententia Vicarii Generalis; quo vero ad expensas in Sacra Congregatione, non esse reficiendas – *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826.*

320. Hinc Sacra Congregatio decrevit quidem, restituendas esse favore Canonici Ignatii Antonii Cervotti distributiones quotidianas, cum Romae commoratus fuerit pro tuenda Capituli Cathedralis Adiacensis lite, sed denegavit eidem refectionem expensarum penes Sacram Congregationem factarum ad effectum habendi dictas distributiones; proposito enim dubio: – An cogendum sit Capitulum ad resti-

tuendas favore Canonici Ignatii Antonii Cervotti distributiones quotidianas penes ipsum depositas, simulque reficiendas expensas praesentis litis iudiciales et extraiudiciales in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative quoad distributiones tantum usque ad initium litis super eisdem distributionibus – *in Adiacen. Distributionum die 21 Augusti 1762.*

321. At expensarum indemnitatem consequi posse Mulierem cum Viro de Matrimonii nullitate agentem non ex capite temeritatis in litigando, sed iure actionis, firmat Abbas in cap. *Ex parte* n. 10 de accusatione cum aliis relatis per Rotam in decis. 16 n. 1 coram Caprara, et in Posnanien. Matrimonii super alimentis et sumptibus litis 26 iunii 1747 §. 2 coram Emo Bussio *in Romana Nullitatis Matrimonii die 28 Augusti 1840* §. *At.*

322. Hinc, salva ceteroquin generali regula, sicut alimentorum, ita et expensarum administrationem Mulieri contra Virum agenti concedit Sacra Congregatio *in Romana Nullitatis Matrimonii die 22 Augusti 1840* §. *At.*

323. Compertum enim est, expensarum et damnorum refectionem hisce in controversiis venire ex Sacrae Congregationis instituto *in Firmana Matrimonii die 27 Martii 1847* §. *De.*

324. Quo posito, damna ab eo refundenda esse, qui ipsorum fuit causa, indubitatum in iure est, ut post Textum expressum in Cap. *Si culpa* de iniuriis et damno dato, in L. Aquilia ff. ad leg. aquiliam, egregie docet Rota in decis. 1008 n. 8 et seq. coram Dunozetto, et in Romana seu Ariminen. Nullitatis Matrimonii quoad emendationem damnorum 5 Iulii 1844 §. 3 coram De Petro *in Firmana Matrimonii 27 Martii 1847* §. *De.*

325. Inter huiusmodi vero damna expensas quoque recenseri, utpote patrimonium imminuentes, pluries resolvit S. Rotae tribunal, veluti in decis. 80 n. 7 part. 3, decis. 4 et 5 part. 18 Recent. tom. 1, in Romana super liquidatione damnorum 1 iunii 1832 §. 5 coram Zacchia *in Firmana Matrimonii die 27 Martii 1847* §. *De.*

326. Hinc et expensae pro salario defensoris Matrimonii subministrandae sunt ab eo, qui tuetur validitatem *in Spoletana Dissolutionis super Expensis die 23 Aprilis 1763* §. *Nec sibi* (1).

327. Id etiam vim obtinet quoad professiones religiosas: quum enim Pater Aemilianus Gerlinlks Monachus Monasterii Cremifaniensis Ordinis S. Benedicti Causam Romae ageret nullitatis professionis ob assertam vim ac metum a Patre illatum, proposito dubio: – An constet de validitate, vel invaliditate professionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et quoad expensas, utatur iure suo ad formam Bullae (2) – *in Passavien. Professionis die 18 Iunii 1757.*

328. Nam expensae litis subministrandae sunt, si bonum ius cum paupertate concurrat *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ad X receptissimam* (3).

329. Siquidem persaepe Rota etiam in longe maiori summa scutorum centum, nempe in scutis ter centum subministrationem decrevit in decis. 637 n. 3 coram Molin., et in Romana fideicommissi super alimentis et sumptuum litis 3 Martii 1728 §. Nihilominus coram Card. Crescentio *in Senogallien. die 8 Iunii 1765 Ad X receptissimam.*

330. Unde ad sumptuum litis praestationem consequendam duo in petente una simul concurrere debent, bonum scilicet ius ac paupertas *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super interventu Defensoris ex officio et super subministratione die 26 Septembris 1857* §. *Quin.*

(1) Benedict. XIV in Constit. quae incipit. *Dei miseratione.*

(2) Siquidem Benedictus XIV in memorata Bulla, quae incipit: *Si datam*, haec statuit: – Id solum peculiariter pro Defensore professionis in praesentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario aut mercede sive pro expensis in defensione Causae occurrentibus, eidem praestandum esse Iudex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Professo renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si professus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quae temporalia possidet, ad huiusmodi solutiones teneatur; si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis, de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo Causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis Literis nostris de Matrimonii Defensore statuimus –.

(3) *Si instiiutae* de Inoffic. Testam., Rot. in decis. 617, n. 18 part. 4, tom. 3, et decis. 398 per tot. part. 13 Recent.

331. Ceterum boni iuris fumus sufficit et praesumptio, ut Mulier assequi valeat alimenta et sumptus litis, ad tradita per Sabellium in summa diversorum tract. tom. 1 §. 24 verb. *Alimenta* n. 10 *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super pertinentia Causae et provisione die 5 Iunii 1858 §. Concurrere.*

332. Quod si vir iustas habere causas non reficiendi damna et expensas videatur, Sacra Congregatio mandat, ut Partes utantur iuribus suis *in Firmana Matrimonii die 27 Martii 1847.*

333. Enimvero Vincentius Fassinelli et Gesualda Cerquozzi coram Parocho Ecclesiae SS. Angelorum Custodum ab Altari post Sacrum redeunti inopinato sese invicem per verba de praesenti coniuges, universo Populo adstante, conclamarunt. Mox in carcerem detrusi, poenas patrati criminis luerunt. Facti hinc poenitens Vincentius, Mulierem exinde abhorrens, Matrimonium nullum dixit, illudque nullatenus ratum habiturum declaravit. Curia Archiepiscopalis nullum esse Matrimonium, ex eo quod ipsi iurisdictioni Parochi haud subiiciebant, decidit; ac Virum ad expensas refundendas damnavit. Mulier et Matrimonii Adsertor appellationem interposuit. In facto itaque erat, quod ex Vincentii reluctatione in ducendam Gesualdam plurima huic damna obvenerant; hinc ad damna et expensas reficiendas damnari videbatur. Dubitabatur tamen, num haec locum haberent, ubi constaret, Vincentium legitimis de causis resilire a data Matrimonii fide, scilicet si, ut ipse asserebat, revera post compertum habuerit, et eiusmodi vitam egisse Gesualdam probaretur, ut sui honoris iacturas fecerit, vel quid aliud grave passa fuerit. Scitum quippe est, iure Canonum plures dari causas, quae resiliendi a sponsalibus facultatem praebent, interque eas praesertim adnumeratur superveniens mutatio notabilis. Et quando iusta causa resiliendi provenit ex culpa unius, non tenetur pars altera ad ulla damna vel expensas, ceu docent Sanchez lib. 5 disp. 61 n. 33 et 54, Reiffenstuel lib. 4 Decret. tit. 1 §. 2 n. 322. Verum tamen erat, Vincentium de hac sententiae parte nullatenus queri; unde vehemens exurgere poterat praesumptio mali iuris conscientiam os ipsi obducere, nisi forte in animo volutaret seorsim sua iura protueri. His hinc perpensis, proposito dubio:- An sententia Curiae Archiepiscopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?-, Sacra Congregatio respondit:-Sententiam quoad declarationem nullitatis Matrimonii esse confirmandam; in reliquis, quoad sponsalia expensas et damna, Partes utantur iuribus suis - *in Firmana Matrimonii 1847.*

334. Quum autem Mulier Angela Cagiati pro nullitate Matrimonii ageret, ob impotentiam proprii Viri Caietani Ferri, propositis dubiis: - I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? II. An et quomodo sit locus refectioni expensarum in casu?-, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum et secundum, praevia sanatione processus facto verbo cum Sanctissimo, dilata; et suppleantur acta iuxta instructionem, et ad mentem - *in Romana Nullitatis Matrimonii die 22 Augusti 1840.*

335. Alias enim quum Angela de Nave Matrimonium contraxisset cum Antonio Romagnolo, Sacra Congregatio nedum validum edixit Matrimonium, quod nullum propter defectum proprii Parochi praetendebatur, sed et proposito dubio: - II. An et pro qua summa sint subministranda alimenta et sumptus litis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative arbitrio Emi Praefecti - *Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii die 20 Februarii 1723.*

336. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit:- Ad secundum, in decisis; et quoad alimenta et sumptus litis ad Emum Praefectum - *in Caesenaten. seu Forolivien. die 26 Iunii 1723.*

337. Hinc etiam post absolutum iudicium super nullitate Mulier de iure repetit expensas, quas occasione litis facere debuit *in Spoletana Dissolutionis Matrimonii die 14 Maii 1763.*

338. Iamvero post absolutum iudicium super nullitate Matrimonii, in quo binae prodierunt Sacrae Congregationis resolutiones editae diebus 3 et 24 Iulii 1762, sumptus peractae litis repoposcit Clara Cesarini contra imbellem Virum Augustinum Sciamanna non ea ratione, qua expensae regulariter in iudi-

ciis reficiuntur a temere litigantibus, sed iure actionis; quo Uxor litigans cum Viro super nullitate Matrimonii, ab eo consequitur sumptus litis, ut tenet Abbas in Cap. *Ex parte* de accusat n. 10. Nec sibi officere putavit, quod eosdem sumptus non petiisset pendente lite, cum post litem etiam finitam salva maneat actio illorum refectionis: maxime quia inter expensas, quarum restitutionem postulavit Oratrix in summa scutorum 354. 96, eae numerarentur, quae solutae fuerant Defensori Matrimonii, ut praescribitur in Constitutione *Dei miseratione* Benedicti XIV; et quia expensas ipsa Oratrix ut plurimum persolvit cum expressa animi sui declaratione consequendi a Viro illarum restitutionem, ceu legebatur in syngraphis de recepto, similemque protestationem emisit in iudicio exequutoriali peracto coram A. C. Et petitam expensarum restitutionem suaderi censuit etiam ex aequitate, quum illis causam dedisset Vir ipse, qui optime noscens suam impotentiam, ut fassus est coram Peritis, temere Matrimonium contraxit cum damno infelicis Mulieris, quae ultra florescentium annorum iacturam et incommodum passum in triennali fere experimento, nonnihil etiam pudoris sustulit, quaeque propterea ob Viri culpam subiici non debet alteri iacturae expensarum magna ex parte absorbentium suam dotem, cum potius culpa suum tenere deberet auctorem. Atque compensanda non esse contendit cum expensis restituendis scuta quadraginta constante Matrimonio soluta a Viro pro *spillatico,* quae iuxta suam indolem consumpta fuerant in muliebribus ornamentis, vel scuta triginta post solutum Matrimonium restituta ex causa fructuum dotalium, quae iustam habuerunt compensationem cum alimentis a Muliere perceptis fere per annum extra domum Viri.

339. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quae expensae litis et in qua summa sint restituendae seu reficiendae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative quoad omnes expensas in Causa factas pro summa liquidanda coram D. Secretario, imputatis fructibus exactis a Cesarini usque ad diem soluti Matrimonii; et amplius – *in Spoletana Dissolutionis Matrimonii die 14 Maii 1763.*

340. Qua de re quum Mulier nonnullis ex assertis causis e domi Viri divertisset, Sacra Congregatio, pendente processu super separatione thori, nedum mandavit subministrationem alimentorum, si eadem in Monasterium se reciperet, nec non subministrationem expensarum et sumptuum litis, sed et, ipsa iam in Monasterio secessa, declaravit, Virum teneri etiam ad alimenta praeterita a die discessus a domo eiusdem nec non ad expensas factas pro ingressu in Monasterium *in Parmen. Alimentorum die 1 Decembris 1714 et die 6 Iunii 1716 lib. 64 et 66 Decretorum.*

341. Iamvero, – nonnullis assertis ex causis diverterat Marchionissa Octavia de Rubeis ab eius viro Marchione Paulo de Rubeis; ac primum confugit ad Monasterium S. Catharinae Civitatis Ferrariae, exindeque anno decurrente 1705 ad patrios lares se recepit. Indigne id ferens iam dictus Vir instantiam in Sacro hoc Consessu promovit super thori separatione opportunaque interim provisione, atque sub die 12 februarii 1707 Rescriptum obtinuit: « Ad Iudices suos quoad negotium principale; et quoad provisionem, Episcopis Parmen. et S. Domnini pro informatione ». At enixius insistente eodem Marchione, placuit EE. VV. sub die 7 subsequentis aprilis rescribere: «Praevio recessu a decisis, Episcopo S. Domnini, qui conficiat processum super separatione thori, et transmittat, et D. Marchionissa redeat ad Monasterium sibi benevisum, subministratis tamen expensis per dictum Marchionem». Facto deposito librarum 2000 nonullis adiectis conditionibus, Uxor praefata sub die 2 iulii praeindicati anni in Conservatorio Tertiariarum S. Dominici Mantuae secessit, ibique perseveravit ad mensem usque septembris tum subsequentis, quo ad patrios lares iterum refugit sub motivo, quod alimenta a Viro protraheretur. Facti itaque serie exposita, in Congregatione 17 novembris 1708 tria proposita fuere dubia, videlicet: « I. An et in qua quantitate alimenta sint taxanda seu subministranda Marchionissae in Monasterio, vel extra illud? II. An debeantur expensae et sumptus litis? III. An et a quo tempore Vir teneatur ad alimenta praeterita et ad refectionem expensarum in casu etc. ». Super quibus dubiis responsum prodiit: «Ad primum, Affirmative in

summa pro nunc librarum 6000 annuarum per Marchionem assignanda et non solvenda, nisi postquam Marchionissa redierit ad Monasterium claustrale et cum facultate Episcopo Burgi S. Domnini augendi dicta alimenta, prout de iure. Ad secundum, Affirmative iuxta quantitatem arbitrandam ab Emo Praefecto. Ad tertium, proponatur, postquam Marchionissa redierit ad Monasterium ». Obsequens se praebuit praefata Marchionissa EE. VV. mandatis, secedendo in Monasterio, ut perhibetur, claustrali S. Iuliani Civitatis Firmi; proindeque supplex iterum sistit in hodierno Conventu pro resolutione tertii tantum ex supradictis dubiis, cum super reliquis iam opportune fuerit provisum; sicque instantiam promovet super consequutione alimentorum praeteritorum, ut contendit, a die, quo egressa fuit a Monasterio S. Catharinae Ferrariae, nec non etiam super refusione expensarum, quarum notula exhibetur –.

342. His itaque perpensis, proposito dubio: - An et a quo tempore Vir teneatur ad alimenta praeterita et ad refectionem expensarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Teneri a die discessus a domo Viri, bonificatis sumptibus receptis, nec non teneri ad expensas factas pro ingressu in ultimum Monasterium – *in Parmen. Alimentorum die 1 Decembris 1714 lib. 64 Decretorum.*

343. Praefatus Marchio de Soranea quoad alimenta praeterita tantum novam obtinuit audientiam; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad alimenta praeterita in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius - *in Parmen. Alimentorum die 6 Iunii 1716 lib. 66 Decretorum.*

344. Quin imo si Mulier petiit declarationem nullitatis Matrimonii vel dispensationem, et obtinuerit dispensationem, Vir tenetur ei reficere expensas litis, licet tueatur, se nullitati, non vero dispensationi obstitisse *in Neapolitana Matrimonii super expensis die 27 Novembris 1858.*

345. Siquidem die 24 iunii 1854 Aloisius Picarelli matrimonium rite contraxit cum Magdalena Andrisani: sed ob Viri impotentiam Mulier postmodum civile pro dotis rerumque suarum restitutione iudicium instituit, et mox Pontificem Maximum ope Sacrae Congregationis adiit postulans, ut praeter disquisitionem validitatis vel nullitatis Matrimonii facultatem ei faceret disputandi dubium super dispensatione a Matrimonio rato et non consummato. Omnibus ad formam sacrorum Canonum expletis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio die 27 martii 1858 respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative; vetito tamen Aloisio transitu ad alias nuptias absque venia Sacrae Congregationis –. Ad tramites huius Rescripti Dispensationis Brevi a Pontifice obtento, Magdalena ad iudicii expensas in Aloisium taxandas processit: qua de re notulam in id de more exhibuit. At obstitit Picarellius, ac libello proposito postulavit, ut expensarum refectioni non esse locum decerneretur. Quandoquidem expensarum refectionem tunc tantum locum sibi vindicare propugnavit, cum alteruter ex litigantibus in sua actione vel exceptione succubuerit. Nullatenus vero in themate dici posse subdidit Picarellius victoriam Andrisaniam retulisse. Non enim Sacra Congregatio Matrimonii nullitatem, prout Andrisania postulaverat, declaravit, sed dispensationem a Matrimonio rato et non consummato concedendam censuit. Atqui Aloisius eatenus tantum Andrisaniae intentioni obstitisse contendit, quatenus Matrimonii nullitas ex praetenso impotentiae vitio urgebatur; ad dispensationem vero quod attinebat, nedum nunquam restitisse, sed aperte imo in eam consensisse. Nec obstare poterat, quod ipse serius, quam par esset, in dispensationem consensisset: nam cum huiusmodi consensum expresse dedisset, priusquam controversia definita esset, id satis erat, ne idem Aloisius Causa cecidisse videretur. Siquidem temere litigans dici non potest, qui fasces ultro submittit, antequam Iudices Causam definiant, prout statuit S. Rota psaesertim in decis. 83 n. 11 coram Ansaldo, et in Romana Expensarum 16 decembris 1850 §. 5 coram Antinori. Multo minus ratione praetensae contumaciae ad expensarum refectionem damnari poterat ;

nam ipse ob id demandatae iudiciali inspectioni obstitit, quia ex Medicorum testimoniis atque eorum etiam, qui ab Andrisania inducti fuerant, constabat, Aloisium omnimoda genitalium integritate pollere. Praeterea Aloisius Procuratorem constituit apud Sacram Congregationem, et per eum institit, ut iudicii dies differretur, quin obesset, quod nullam Advocati opere concinnatam allegationem Sacrae Congregationi exhibuisset, cum apud Sacram Congregationem vel ipsis Partibus liceat sua iura deducere. Idcirco nullam adesse rationem sustinuit, cur is ad expensarum refectionem damnari posset. Contra Magdalenae Patronus defendit, esse locum expensarum refectioni, quia victrix adamussim a Causa discessit eius Clientula, ex quo solutio Matrimonii, quam ipsa postulabat, reipsa decreta fuit ope dispensationis. Nam ex neotherica lege, vulgo *Regolamento*, expensarum refectionem deberi atque decerni perpendit in art. 24 generatim, nullo facto discrimine inter nullitatis, vel dispensationis iudicium. Absonum subinde dixit a veritate, quod Aloisius in dispensationem consensisset. Ceterum nec, si consensus intercessisset, expensarum refectionem declinari posse contendit. Non enim ex Partium consensu Matrimonii solutionem pendere, sed Causam necessario faciendam ad tramites Benedictinae Constitutionis, et ab hac necessaria Causa victricem discessisse Magdalenam observavit, quae solutionem petiit vel ex capite nullitatis, vel ex titulo dispensationis, et proinde per editam resolutionem, quod postulaverat, assecuta est.

346. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An sit locus refectioni expensarum in casu etc? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative - *in Neapolitana Matrimonii super expensis die 27 Novembris 1858.*

347. Nam et licet Vir Comes Casatus non solum consenserit in dispensationem, sed eam ultro postulaverit, ut ab actione nullitatis, quam mulier Comitissa Eleonora Busca ob illius impotentiam urgebat, posset declinare, non propterea expensarum refectionem effugere valuit; proposito enim dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Affirmative; salvis iuribus Comitissae quoad restitutionem dotis aliorumque eius creditorum et expensarum litis, prout de iure - *in Mediolanen. Matrimonii die 24 Maii 1732.*

348. Idcirco explorati iuris est, Uxori inopi, licet Matrimonii nullitatem in iudicio sustineat, habita ratione fructuum bonorum Uxoris eiusque filiorum, alimenta et sumptus litis a viro esse praestanda, ut ex Textu in Cap. *Ex parte* de accusatione, a die petitionis, reservato iure agendi pro fructibus anteriorum annorum ex bonis Filiorum perceptis *in Cracovien. Matrimonii super alimentis et sumptibus litis die 21 Iulii 1759.*

349. Siquidem contracto nobili Femina Barbara Kossov Matrimonio cum Iosepho Mifieska susceptaque filiola, cum iterum utero gereret, decessit Vir, et Barbara ad secundas venit nuptias invita et reluctans cum Antonio Remer. Sed paullo post initum hoc Matrimonium querelam nullitatis eiusdem proposuit, cum quia vi metuque, tum quia coram Parocho neutrius Coniugis proprio contractum fuisset. Victa tamen fuit in Episcopali Audientia Cracoviae et in Tribunali Nunciaturae Apostolicae. Appellavit ad Sacram Congregationem, et cum Vir bona dotalia possideret detineretque etiam bona hereditaria Iosephi Mifieska primi Viri, quae spectabant ad eius filios, qui a Matre educabantur, postulavit ab Sacra Congregatione, ut Antonius Remer compelleretur ad praestanda alimenta et sumptus litis. Mandata igitur fuit ab Sacra Congregatione Episcopo iurisdictio, ut Matri et Filiis alimenta taxaret et sumptus litis, ab Antonio praestanda. Respondit Episcopus, censere alimentorum et sumptuum litis subministrationem faciendam esse, habita ratione fructuum bonorum Uxoris eiusque Filiorum. Decreto autem, quod tulit, damnavit Antonium Remer ad praestandos annuos florenos 1500 a die 30 aprilis 1757, qua petita fuerunt alimenta et sumptus litis a Barbara, reservato iure agendi pro fructibus anteriorum annorum perceptis ex bonis Filiorum. Decretum hoc ne repetitis quidem censuris exequutionem habuit, quibus tamen pressus Antonius venit ad Sacram Congregationem, quin tamen aliquid deducere

curaverit. Barbara autem postulationem suam renovavit pro subministratione alimentorum et sumptus litis, quae responderet fructibus bonorum et dotalium, quae ad Filios pertinebant saltem in summa annua florenorum 4000, et quidem a die motae litis, non ut Episcopus decreverat a die petitionis. Nam bona dotalia erant florenorum triginta millium, bona filiorum erant nonaginta millium; unde patebat, bona dotalia reddere annuos florenos 3000, bona Filiorum reddere quotannis florenos 4500. Proposito itaque dubio: - An et in qua summa et a quo tempore debeantur alimenta et sumptus litis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative iuxta votum Episcopi - *in Cracovien. Matrimonii super alimentis et sumptibus litis die 21 Iulii 1759.*

350. Nam cum fructus dotis spectent ad Maritum propter onera Matrimonii, consequens est, ut, si Vir non ferat haec onera, nequeat fructus suos facere, ut disserunt Bartolus in L. *Divortio* n. 11 ff. solut. Matrim., Barbos. in L. *De divisione* n. 4 in fin. et n. 11 ff. eod. tit., Mantic. de tacit. lib. 12 tit. 29 n. 15, Boss. de dote cap. 20 §. 2 n. 8, Molin. de rit. nupt. 3 quaest. 42 n. 39, aliique frequenter *in Cracovien. Matrimonii super alimentis et sumptibus litis die 21 Iulii 1759* §. *Decretum.*

351. Amplia, hoc locum habet, etiamsi Vir onera Matrimonii non ferat Uxoris culpa, ut prosequuntur Fontanell. de pact. nupt. claus. 6 gloss. 2 part. 1 n. 20, Surd. de aliment. tit. 1 quaest. 4 n. 36, Boss. de dote cap. 20 §. 2 n. 11, Gratian. discept. for. 244 n. 18 *in Cracovien. Matrimonii super alimentis et sumptibus litis die 21 Iulii 1759* §. *Decretum.*

352. Idcirco quum nobilis Vir Ioseph Perez de Guzman post querelam nullitatis Matrimonii postulaverit dispensationem super eodem Matrimonio tamquam rato et non consummato, et Uxor Anna Ponze de Leon, pendente lite, postulaverit alimenta et sumptus litis, proposito dubio: - II. An sit locus subministrationi sumptuum litis et alimentorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative; et amplius, et ad D. Secretarium tam pro liquidatione expensarum, quam pro taxatione alimentorum - *in Corduben. Dispensationis die 22 Novembris 1760.*

353. Hinc et Francisca Urbani, instante Viro Ludovico de Vecchis pro declaratione nullitatis Matrimonii ex defectu formae conciliaris, postulavit subministrationem alimentorum et sumptuum litis ob suam extremam paupertatem et ob praesumptionem boni iuris; et Sacra Congregatio proposito dubio:- III. An sit locus subministrationi alimentorum et sumptuum litis in casu etc. -, respondit:- Ad tertium, Affirmative; et ad D. Secretarium pro taxatione - *in Camerinen. seu Fabrianen. Matrimonii die 27 Iunii 1761.*

354. Qua de re Vir dives agens pro nullitate Matrimonii aequam tenetur subministrare pecuniae summam Uxori praesertim pauperi tam pro alimentis, quam pro expensis litis *in Florentina Matrimonii die 27 Ianuarii et die 28 Aprilis 1855.*

355. Siquidem nobilis adolescens comes Eugenius Fava anno 1853 Matrimonium clandestine contraxit cum honesta Puella Marianna Sarti coram Parocho S. Mariae Maioris. Curia Florentina validum declaravit Matrimonium: sed appellatione a Comite Fava interposita ad Sacram Congregationem, Mulier in actu propositionis Causae petiit subministrationem in summa scutorum 300. Nam subministrationem notissimae utriusque iuris sanctiones ac vigens Codex §. 937 declarant. Bonum ius arguit ex propitia primarum actionum sententia, quae Matrimonii validitatem declaravit, tum ex iis, quae iam super principe controversia disputabantur. Accedebat Mariannae paupertas, quamobrem impossibile ei erat gravissimas ac diu per omnes forenses ambages traductae litis expensas perferre. Nec subministratio tributa ab Curia Florentina executioni committi potuerat, cum adversarii bona universa non in Etruriae territorio, sed in Pontificia ditione posita essent. Proposito hinc dubio: - II. An et in qua summa sit locus subministrationi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative iuxta petita - *in Florentina Matrimonii die 27 Ianuarii 1855.*

356. Alterum exin libellum proposuit Defensor Mariannae, in quo petiit, - subministrari Clientulae suae scuta 400 pro sumptibus litis; nec non alia scuta 50 quolibet mense

anticipato solvenda titulo alimentorum et decentis exhibitionis usque ad effectivam praestationem obsequiorum matrimonialium –. Nam bonum ius post Florentinae Curiae sententiam ac Sacrae Congregationis resolutionem in discrimen revocari non poterat. Paupertatem vero satis probatam censuit, cum a documentis in prima propositione exhibitis, tum ab eo etiam, quod Mulieri nulla fuerit dos constituta, ut adeo iuxta ea, quae S. Rota in Leodien. Matrimonii super alimentis et sumptibus litis die 1 martii 1700 coram Lancetta tradit, - iam inducta dicatur paupertatis probatio ex dispositione iuris nil ultra dotem in Muliere praesumentis –. Nec excessivam existimavit petitam sive pro alimentis, sive pro sumptibus litis subministrationis quantitatem, perpendens quoad alimenta, ea non ex necessitate tantum dimetienda esse, sed iuxta Coniugis, qui ea debet, conditionem et dignitatem, eiusque patrimonii vires suppeditari oportere, ceu docet Rota in citata Leodien. Ast prorsus exiguam censendam contendit petitam pro sumptibus litis subministrationem, si perpenderentur expensae, quas in anteactis iudiciis Oratrix perferre debuit, illae praesertim, queis in novo conficiendo processu ac in iterato Causae periculo subiicetur. His mature perpensis, proposito dubio: – An et in qua summa sit locus subministrationi tam pro alimentis, quam pro sumptibus litis in casu?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative in summa scutorum ter centum tam pro alimentis, quam pro sumptibus litis – *in Florentina Matrimonii die 28 Aprilis 1855.*

357. Compertum proinde in iure est, quod pendente iudicio super validitate Matrimonii, quando praesertim ratum sit et consummatum, subministranda per Virum sint alimenta et sumptus litis Uxori, quamvis ista esset penitus indotata, L. *Si neget* de liber. agnoscen., Sanchez de Matrim. lib. 2 disput. 41 n. 51, Surd. de aliment. tit. 1 quaest. 113 n. 6 *in Caesaragustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Posito.*

Item *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super competentia seu avocatione et super subministratione die 30 Ianuarii 1858* §. *Ad.*

358. Quando enim res sit de Matrimonio non solum rato, sed et consummato, etiamsi neque de bono iure, neque de paupertate constaret, condemnandus nihilominus esset Maritus tum ad alimenta, tum ad sumptus litis, ceu docet Rota in decis. 158 Recent. part. 12 n. 123, decis. 16 n. 1 coram Caprara *in Corduben. Dispensationis die 22 Septembris 1760* §. *Praeterea.*

Item *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super interventu Defensoris ex officio et super subministratione die 26 Septembris 1858* §. *Ad.*

359. Quin imo quum bonum ius et paupertas in Muliere concurrant, locus est anticipatae praestationi alimentorum pro modo dignitatis et decentiae nec non expensis litis per Virum exterum et divitem, licet praefata Mulier sit indotata *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super pertinentia Causae et provisione die 30 Ianuarii die 5 Iunii 1858, in Romana Matrimonii die 14 Maii die 27 Augusti et die 17 Septembris 1859.*

360. Enimvero mota anno 1856 per anglum virum Thomam Farmer Bayli in Neapolitana Curia controversia super nullitate Matrimonii, quod inibi pluribus ab annis ipse iniverat cum Euphrosina Falcini Florentina, haec e re sua censuit supplicem libellum Summo Pontifici porrigere pro Causae avocatione vel ad Emum Urbis Vicarium, vel ad Sacram Congregationem Concilii. Qui sane libellus quum Rescripto dimissus fuerit: – Instet coram Sacra Congregatione, citata parte –, haud mora Euphrosina, vadatis tum Thoma Bayli, tum Defensore Matrimonii ex officio, petiit etiam subministrationem pro litis impensis in summa scutorum 1000, cum de eiusdem paupertate saltem relativa et de bono iure constaret. Siquidem paupertatem saltem relativam plene comprobari contendit ex testimonio tum Parochi, tum Generalis Ordinis Minimorum, tum alterius Sacerdotis. Bonum ius per se ipsum patebat, cum Matrimonium rite recteque contractum fuisset atque in possessione validitatis Euphrosina maneret, quousque contrarium per geminatas sententias non statueretur. Quin imo licet nec de paupertate, nec de bono iure constaret, locus tamen esset subministrationi pro alimentis et sumptibus litis, cum de Matri-

monio rato et consummato ageretur. Contra Defensor Viri contendit, nedum excludendum esse Defensorem Matrimonii ex officio in huiusmodi incidentali quaestione, sed nec locum esse subministrationi praedictae, cum nec bonum ius, nec paupertas concurreret. Quandoquidem deesse dixit bonum ius in excitata quaestione super Causae avocatione, nam de iure eadem penes Curiam Neapolitanam agi debebat, ibique subministratio petenda: ac deficere paupertatem, cum haec rigorose et positive probanda esset, ad tradita per Rotam in Recent. decis. 782 n. 3 part. 3. Habebat namque Euphrosina, prout asserebatur, non modo quibus laute pasceretur ipsa atque familia, sed quae insuper ad vitae commoditatem et splendorem requiruntur; aedes scilicet amplas et eleganter instructas in frequentiori Urbis via, currum vestes et omnia, quae ad muliebrem ornatum desiderabantur. Strictius sed demum cum Euphrosina agendum esse subdidit, cum de Muliere ageretur indotata, cui proinde subministratio non ex dotis fructibus, sed ex proprio aere a Marito solvenda esset, Coscius de separat. thori lib. 2 cap. 12, Bossius de effect. Matrim. part. 2 cap. 18 §. 8, Cavall. quaest. 754 n. 24. Proposito interim dubio: – II. An et in qua summa sit locus subministrationi in casu? –, Sacra Congregatio, admisso interventu Defensoris Matrimonii ex officio, respondit: – Ad secundum, habebitur ratio in propositione Causae super avocatione – *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super interventu Defensoris Matrimonii ex officio et super subministratione die 26 Septembris 1857.*

361. Quum itaque ageretur Causa super avocatione, proposito dubio: – II. An et in qua summa sit locus subministrationi in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative in scutis centum pro nunc – *in Neapolitana seu Romana Matrimonii super competentia seu avocatione et super subministratione die 30 Ianuarii 1858.*

362. Deinde vero Euphrosina, cum Vir petierit, omisso medio, Causam remitti ad Sacram Congregationem, huic renuit subesse iudicio, nisi prius depositum decerneretur pro eius alimentis et sumptibus litis ac restitutione summae ab ea solutae pro Defensore Matrimonii ex officio, pro quo decretum fuerat depositum ab Viro conficiendum in anteacta Causa avocationis. Quare instantiam Mulier porrexit, qua postulavit, – declarari non esse locum propositioni Causae, nisi facto deposito alimentorum anticipate menstruatim Instanti solvendorum in summa ab Sacra Congregatione praefinienda, ac nisi persoluta subministratione pro sumptibus litis in summa pariter ab Sacra Congregatione praefinienda; ac tandem nisi restituta summa scutorum septuaginta ex deposito iam persoluta Illmo et Rmo D. Matrimonii Defensori in incidenti super competentia –. Hinc Mulieris Defensor contendit, non esse in Causa procedendum, nisi prius Actor extraneus depositum pro iudicii securitate conficeret, ex neotherica Lege §. 796; idque per depositum, ut in sequenti §. 797. Vir enim nil Romae possidebat, nisi Villam Strotiam, quam emptionis venditionis contractu iam alienaverat, quin suffragaretur Mulieri hypothecaria actio, quia de eius nullitate iam pendebat iudicium, neque eam potuisset experiri, quin novum iudicium intentaret, cuius impos omnino erat, deficientibus sibi mediis: idque eo vel magis, quod ageretur etiam in themate de alimentorum provisione, quae dilationem non patiebantur. Meliori nec omine obtrudi poterat, Mulierem indotatam esse, quandoquidem etiam indotatae praestanda esse alimenta, ex Surdo de alimentis tit. 1 quaest. 32 n. 11, et ex S. Rota in decis. 14 n. 6 coram Bichio. Ex quibus conclusit, haud cogi posse Mulierem iudicium subire, nisi praevio facto deposito a Viro cum pro alimentis, tum pro sumptibus litis, uti docet Coscius de separat. thori lib. 2 cap. 6 n. 34. Concurrere praeterea subdidit extrema paupertatis ac boni iuris pro Muliere ad depositum decernendum; ac ea saltem in quantitate decernenda esse per depositum alimenta, quam eousque suppeditaverat Vir eius, in scutatis nempe centum menstruis, iuxta simillimam decisionem S. Rotae coram Pamphilio decis. 737. Siquidem commensuranda veniunt alimenta non ad tramites indigentiae, sed iuxta familiarum personarumque decus, ceu habet S. Rota in decis. 43 n. 4 coram de Cursiis. Idipsum decernendum quoad litis expensas: namque mo-

nuit, scutata centum alias indulta vix pro tertia parte dispendii suffecisse pro duobus iudiciis exactis; ac tandem restituenda esse per depositum ab Viro scutata septuaginta, quae ipsemet debuisset solvere pro Defensore Matrimonii ex officio in Causa avocationis, quaeque sub spe recuperationis Mulier ipsa persolvit. At Defensor Viri substinuit, retardari non posse propositionem Causae per petitam alimentorum sumptuumque litis subministrationem; quippe nullibi cautum est, ut Causae propositio sit interim inhibenda, nisi huiusmodi subministratio in antecessum praestetur. Hinc per incidentales instantias alimenta Mulier petere debet ex Codice iudiciario §. 790, et quoad sumptus litis, Benedictus XIV in Constitutione *Dei miseratione* paupertatis casum praevidens, statuit, Defensorem ex officio in huiusmodi Causis intervenire oportere.

363. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An Causa sit proponenda coram tribunali Emi Urbis Vicarii, seu potius coram S. Congregatione in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, facto per Virum deposito scutorum sex centum pro alimentis in menstruis scutatis centum, et subministratis pro nunc scutis quatuor centum pro sumptibus litis, comprehenso etiam honorario soluto et solvendo Defensori Matrimonii - *in Neapolitana seu Romana super pertinentia Causae et provisione die 5 Iunii 1858.*

364. Post haec Procurator Euphrosinae ope libelli citationis institit, ut ulterius depositum pecuniae eius favore decerneretur pro defensionis expensis, praeter summam iam depositam in scutis 130. Proposito itaque dubio praeter alterum, quod Causae meritum respiciebat: - II. An et in qua summa sit locus ulteriori deposito in casu? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Affirmative ad summam scutorum bis centum - *in Romana Matrimonii die 14 Maii 1859.*

365. Declarata Matrimonii validitate favore Mulieris, Vir novae audientiae beneficium petiit obtinuitque: sed Mulieris Defensor pro viribus institit, ut decernerentur alimenta in summa scutorum menstruorum centum, tum quoad praeterita non soluta, tum quoad futura solvenda pro tempore Sacrae Congregationi magis beneviso; quo vero ad sumptus litis in summa pariter benevisa. Nam demandatum depositum scutorum sex centum pro alimentis in menstruis scutatis centum finem habuerat mense novembris; et quamvis Baylius sine iudiciali strepitu alia alimenta in menstruis scutatis centum Uxori suppeditaverit, attamen antequam Causa super merito ageretur ab alimentorum subministratione cessavit, et post pronunciatam Matrimonii validitatem alimenta Uxori omnino denegavit. Et cum ageretur de Viro extraneo non menstruatim, sed anticipate per depositum praestanda esse per annum vel biennium, ceu factum fuisse monuit antea in hac Causa decreto deposito ad sex menses. Proposito hinc dubio: - II. An et in qua summa sit locus subministrationi alimentorum et sumptuum litis in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, dilata ad proximam, facto intra triduum favore Euphrosinae libero deposito scutorum bis centum in causam declarandam - *in Romana Matrimonii die 27 Augusti 1859.*

366. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio, quum steterit in decisis quoad Causae meritum cum clausula - Amplius -, respondit: - Ad secundum, quoad alimenta, Affirmative in menstrua summa scutorum centum usque ad praesentem diem imputatis subministrationibus; quo vero ad sumptus litis, utatur iure suo coram R. D. Sacrae Congregationis Secretario - *in Romana Matrimonii die 17 Septembris 1859.*

367. Unde lite pendente in Sacra Congregatione super validitate Matrimonii, cum locus sit praestationi alimentorum favore Mulieris, eidem sunt reficiendae omnes expensae iudiciales et extraiudiciales factae in Causa super alimentis, liquidandae a Secretario eiusdem Sacrae Congregationis *in Lauretana Matrimonii super expensis die 14 Augusti 1824.*

368. Ubi enim agitur de sumptibus factis ad tuendam alimentorum causam, expensae omnes tam iudiciales, quam extraiudiciales reficiuntur, ad tradita per Rotam in Romana alimentorum super expensis 10 februarii 1792 §. 2 coram Bayane, ac in Romana alimentorum et expensarum 3 martii 1797 §. 17 coram

Molines *in Romana Legati Pii super expensis die 16 Iunii 1827* §. *Partem.*

369. Siquidem lite super validitate Matrimonii inter Ioannem Baptistam Riccardi ac Theresiam Bellini initi in Sacra Congregatione pendente, instetit Mulier coram Auditore Sanctissimi, ut ei aliquam decerneret summam pro alimentis et pro sumptibus litis a Viro et a Vincentio Riccardi eius Patre praestandam; obtinuitque die 17 septembris 1822 Causam et Causas remitti – ad Sacram Congregationem Concilii, coram qua mandavit, Partes uti iuribus suis etiam super praetensis alimentis et sumptibus litis –. Re itaque ad Sacram Congregationem dilata, haec die 31 ianuarii 1824 rescripsit, locum esse subministrationi alimentorum in summa scutorum viginti quinque quolibet mense a die motae litis. Instaurato autem certamine die 26 iunii responsum fuit: – In decisis iuxta modum, nempe pro scutis decem quolibet mense –. Post haec Theresia Bellini reficiendos esse contendit pro summa in posterum liquidanda sumptus omnes iudiciales et extraiudiciales, quos ipsa sive penes Curiam Ecclesiasticam Laureti, sive coram Auditore Sanctissimi, sive in Sacra Congregatione pro obtinenda alimentorum assignatione, subire coacta est. Animadvertit enim, nihil esse in iure notius, quam victum in expensas victori esse condemnandum, L. *Properandum* §. Sive autem alterutrum Cod. de Iudiciis, L. *Eum, quem temere* ff. eod. tit., Rota coram Lancetta decis. 1299 n. 1; ipsam vero e iudicio victricem semper discessisse, ac ea propter impensas omnes eidem rependere oportere, quin obesset, quod in alimentorum definitione condemnatio in expensas addita non fuerit. Cum enim de sumptuum refectione actio in Sacra Congregatione non fuisset instituta, nil mirum quod nulla de eisdem fieret mentio: et cum huiusmodi impensae non tam officio Iudicis, quam iure actionis debeantur, idcirco contendit, semper peti posse, ad Textum in L. *Mulier* §. Si rem, ubi Glossa in verb. fortassis ff. de legat. 3, et firmat Ridolphinus in prax. iudic. part. 1 cap. 13 n. 606. Postremo addidit, sumptus omnes esse reficiendos, nec rationem habendam, quod alimenta in comitiis 21 februarii in scutis viginti quinque decreta, die 26 iunii ad scuta decem fuerint coercita, quoniam ex alimentorum imminutione minime sequebatur, Mulierem non plenam consecutam fuisse victoriam. Nam Theresia in genere alimenta petiit, summamque constituendam Sacrae Congregationis prudentiae remisit. Praeterea imminutionem illam tribuendam dixit Adversariorum culpae, qui, nihil omnino eidem deberi contendentes, nec statum patrimonii ediderant, nec vadimonium servaverant: quae si initio litis praestitissent, Causa in suo exordio esset absoluta.

370. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus refectioni expensarum iudicialium et extraiudicialium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et esse locum refectioni expensarum iudicialium et extraiudicialium factarum in Causa super alimentis; et ad D. Secretarium pro taxatione, et ad mentem – *in Lauretana Matrimonii super expensis die 14 Augusti 1824.*

371. Si vero probetur, quod lis acta penes Sacram Congregationem haud respiceret causam alimentorum, eiusdem expensae non sunt reficiendae *in Romana Legati Pii super expensis die 16 Iunii 1827.*

372. Iamvero semel atque iterum coram Sacra Congregatione pugnatum fuit anno 1826 inter Moniales S. Philippi ad exquilias et Congregationem de Propaganda Fide super praestatione Legati in summa scutorum 420, 34. Cumque Moniales in utroque certamine victrices discessissent, Tribunal A. C. adierunt pro impetranda executione reiiudicatae et condemnatione memoratae Congregationis in expensas tam iudiciales, quam extraiudiciales. Debitum hinc dissolvit Congregatio, salvis rationibus hinc inde super liquidatione functionum et expensarum: et urgentibus Monialibus solutionem expensarum litis, die 5 septembris 1826 ex Rescripto Auditoris Sanctissimi ad Sacram Congregationem ablegata fuit Causa – super liquidatione functionum et expensarum, prout de iure –. Moniales itaque contenderunt, sibi litis expensas iudiciales et extraiudiciales esse reficiendas, cum ageretur de Causa alimentorum. Etenim Card. Barberinius heredi imposuit onus quotannis pendendi scuta 300 – alle poverelle di S. Filippo –: at annua Legata miserabilibus Personis relicta alimen-

torum locum tenent, piique relicti naturam sortiuntur et privilegia. Congregatio vero de Propaganda Fide sustinuit, locum non esse refectioni expensarum, cum nec temere nec sine iusta causa litem egisset, nec res esset de alimentis. In supremis enim tabulis Card. Barberinius Legatum Monialibus reliquit scutorum 300, eaque conferre prohibuit – in altro uso, che per comprare lino e lana da tessersi dalle medesime –. At vero dum idem Cardinalis annuum scripsit Legatum – a favore delle penitenti della Lungara –, illud in alimentorum causam expresse significavit, legemque dixit, ne erogaretur – in altro uso, che per vitto delle medesime –. Vi igitur discretivae, ut aiunt, locutionis aperte colligebatur, Legatum Monialibus S. Philippi relictum non esse inter causas severioris iudicii adscribendum, nec propterea esse locum refectioni expensarum. Accedebat consuetudo Sacrae Congregationis, quae denegare solet refectionem expensarum, quae factae fuerint occasione litis penes eamdem actae.

373. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et in qua summa sint liquidandae functiones et expensae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Romana Legati Pii super expensis die 16 Iunii 1827.*

374. Alias vero Sacra Congregatio mandat etiam refectionem expensarum litis coram eadem actae, cum agatur de Causa spolii; propositis enim dubiis: –. I. An constet de spolio, ita ut Capitulo Collegiatae Novarum sit concedenda manutentio, et, quatenus opus sit, redintegratio in possessionem seu quasi iuris privativi benedicendi Fontem cereum paschalem in die Sabbati Sancti cum interventu Parochorum S. Petri S. Andreae et S. Nicolai vel per se vel mediantibus eorum Deputatis, nec non in eadem die pulsandi campanas ante ceteras Ecclesias Parochiales, atque in possessione distribuendi in Feria V Olea Sancta ceteris Parochis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus refectioni expensarum iudicialium et extraiudicialium favore Capituli Collegiatae Novi in casu etc. III. An sententia Curiae Archiepiscopalis Ianuensis sit servanda quoad condemnationem expensarum, seu potius expensae sint compensandae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus. Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Derthonen. Spolii Manutentionis et Redintegrationis die 14 Aprilis 1821.*

375. Nam ex natura huius iudicii sequitur refectio expensarum tum iudicialium, tum extraiudicialium, ut, post Textum in L. 2 Cod. ad leg. Aquiliam, ibique Glossa in verb. Aqua, firmavit Rota in Cornetana Spolii die 6 iunii 1777 §. 6 coram Sentmanat *in Derthonen. Spolii Manutentionis et Reintegrationis die 24 Martii 1821* §. *Sed.* (1).

376. Ceterum ex §. 14 Statuti Sacrae Congregationis edito anno 1847 contumax tenetur quidem reficere expensas propositionis favore instantis, sed oportet, ut vere contumacia verificetur; alias enim locus non est refectioni expensarum praedictae propositionis, licet Secretarius Sacrae Congregationis eas iam taxaverit *in Maceraten. Nominationis et Lacerationis nihil transeat die 26 Augusti 1848.*

377. Siquidem Caietanus Carnevalini nec non Tarquinius Mattei sibi respectivos assumpserunt Defensores, qui dubii formulam rite concinnarunt penes Sacram Congregationem, sed post varias comperendinationes Causa fuit proposita, quin Mattei Defensor allegationem iurium distribuisset: is enim ope Memorialis eiusdem dubii reformationem comperendina-

(1) Siquidem ex Statuto seu *Regolamento* Sacrae Congregationis edito anno 1847 sunt reficiendae expensae litis apud eamdem actae nedum quando agitur de contumacia alterius ex litigantibus, ut in §. 14; sed et hisce in casibus, scilicet: – §. 22. Se la risoluzione della Sacra Congregazione sarà munita della clausula *« et amplius »* un nuovo esperimento dovrà dimandarsi all' Emo Prefetto, il quale se crederà di non doverlo accordare per se stesso, potrà rimettere l' istanza col Decreto: « Per memoriale citata parte » alla piena Congregazione: in ambedue i casi ottenendosi favorevole Rescritto, la Causa non potrà riproporsi prima di tre mesi, osservandosi l' ordine della prima proposizione; e soccombendo la parte istante, sarà essa tenuta alla rifazione delle spese di cosi fatto straordinario esperimento. §. 24. Tanto nei casi contemplati dal §. 14 e 22, quanto negli altri, in cui secondo i Decreti della S. Congregazione ha luogo la rifazione delle funzioni e spese (cioè nelle cause di Matrimonio di alimenti di attentati e spogli) la parte vincitrice ne esibirà a Monsignor Secretario la nota per essere da lui approvata o moderata, e munita dell' opportuna ordinanza sulle le norme vigenti –.

nationemque postulavit. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio proposito dubio: – An et cuius favore sit locus nominationi Beneficii S. Ioannis, ita ut sit locus immissioni et sint expediendae Bullae in casu –?, die 29 ianuarii 1848 respondit: – Affirmative favore Carnevalini –. Illico sategit Carnevalinius, ut per celerem functionum expensarumque solutionem contumaciae suae poenam lueret Matteius, iuxta nuper latam ab Sacra Congregatione legem: qua de re obtinuit a Secretario Sacrae Congregationis Decretum, quo taxabantur una simul functiones et expensae propositionis contumacialis in scutatis triginta quinque supra centum. Quod ut innotuit Matteio, is reconventionali libello petiit – declarari, non esse locum refectioni expensarum, sin minus moderari taxationem a praefato Secretario confectam. At Defensor Carnevalini contendit, taxationem tum in genere, tum in specie locum in themate habere. In genere, quia nedum a communi iure proficiscitur onus rependendi expensas propositionis contumacialis, uti prae ceteris apparet ex L. 13 Cod. de iudic., L. 3 cod. de fruct. et tit. expens. aeque ac Authen. *Qui semel* quomodo et quando Iud., sed etiam ex §. 14 et 24 Statuti a Sacra Congregatione ediiti. Nec dubitari fas erat de Adversarii contumacia, cum ex §. 15 laudati Statuti contumax haberetur etiam is, qui – abbia domandato e non ottenuto la dilazione –, veluti revera contigit Matteio. In specie vero nec de excessu argui posset peracta taxatio, tum quia, cum nullum habili tempore de ea significatum fuerit gravamen, praesumptio iuris erat, ipsam fuisse iustitiae et aequitati consonam, tum etiam quia post accuratum computum prodiit liquidationis Decretum, quo petitio pro scutatis 151. 96 admissa fuit pro scutatis tantum 135.

378. Sacra Congregatio vero, postquam resolvit quoad Causae meritum, standum esse – in decisis, et amplius –, proposito dubio: – II. An et in qua summa sit locus refectioni expensarum in casu? –, responsum dedit: – Ad secundum, in casu, de quo agitur, non esse locum refectioni expensarum – *in Maceraten. Nominationis et Lacerationis nihil transeat die 26 Augusti 1848* (1).

379. Idque rursum exinde statuit Sacra Congregatio, cum similes concurrerent circumstantiae, quibus vera excludebatur contumacia ad effectum reficiendi expensas, etiamsi Secretarius ipse Sacrae Congregationis Decretum

(1) Sacra Congregatio iure ac merito Decretum Secretarii, quo expensas taxavit, revocare censuit; nam in §§. 14 et 15 Statuti anno 1847 editi haec habentur: – ibi – In conformità a quanto si dispone sulla contumacia nel §. 14 del citat. Regolamento, rimane stabilito che se preceduti tutti gli atti preparatorii suddetti, una delle parti persistesse nella sua contumacia, non si darà luogo a dilazione, ma la Causa a relazione di Monsignor Secretario si risolverà *etiam unico*. E se seguita la risoluzione, la parte contumace volesse domandare la nuova udienza, questa non si accorderà, se non abbia prima pagata alla parte attrice le spese della proposizione contumaciale §. 15. Per parte contumace si ritiene quella, che citata non sia affatto comparsa, nè abbia esibita nel termine prefisso veruna allegazione, ovvero abbia dimandata, e non ottenuta la dilazione –. §. 24. Tanto nei casi contemplati dal §. 14 e 22. quanto etc., la parte vincitrice ne esibirà a Monsignor Secretario la nota per essere da lui approvata o moderata e munita dell' opportuna ordinanza sulle norme vigenti –.

At in casu, de quo agebatur, haudquaquam verificabatur, quod Mattei Defensor – non sia affatto comparsa nè abbia esibita nel termine prefisso veruna allegazione –: nam is memoriale distribuit, quo nedum petiit comperendinationem, sed etiam dubii reformationem. Idcirco nil obstabat, quod haud comperendinati nem obtinuisset. Iamvero licet dubium rite concinnatum ac subscriptum fuerit, de iure adhuc eiusdem reformationem petere poterat. Nam in §. octavo praefati Statuti editur: – ibi – §. 8. Concordandosi il dubbio tra le parti, si sottoscriverà da Monsignor Secretario o di lui Uditore, e sottoscritto che sia non potrà variarsi senza nuova istanza concernente la riforma dello stesso dubbio da discutersi in contradizione delle medesime parti –. Quum autem Defensor Mattaei, postquam dubium subscriptum fuit, petierit eiusdem dubii reformationem, et haec admissa minime fuerit, hinc ex subsequenti §. 9 illud discuti debebat penes ipsam Sacram Congregationem – ibi – §. 9. In caso di discordia se ne formerà uno *ex officio*, riservando però con analogo Decreto alle parti il diritto di disputare in piena Congregazione e contemporaneamente in merito, anche sulla riforma del Dubbio per memoriale –. Idcirco nullatenus contumacia ad effectum reficiendi expensas verificari poterat, dum Mattei Defensor suo iure utebatur.

Id etiam accedebat, quod Sacra Congregatio rem favore Carnevalini in illa ipsa propositione et in subsequenti resolvit: nullum propterea damnum illi attulerat praetensa contumacia. Idcirco nec aequitas patiebatur, ut Matteius ad expensas damnaretur.

ab eodem latum super liquidatione expensarum tueri curaverit *in Neapolitana Statutorum super refectione expensarum die 24 Aprilis 1852.*

380. Enimvero die 20 septembris 1851 proposita fuit in Sacra Congregatione controversia oborta Canonicos Ecclesiae Collegiatae Gurvis Octavae inter et Clerum eiusdem Ecclesiae, eaque resoluta favore Collegialium, comperendinationem propositionis frustra petente adversae partis Defensore, qui inde, ut remedium passae cladi afferret, sollicitus novae audientiae beneficium a Sacra Congregatione supplici libello petiit. Ast victricis partis Procurator, innixus Sacrae Congregationis legi §. 14, Causae repropositioni acriter obstitit, nisi prius propositionis contumacialis functiones ac expensae sibi reficerentur, quarum ideo notulam in scutis 109. 12 exhibitam moderari ac taxari in scutis 105 obtinuit Decreto Secretarii Sacrae Congregationis die 19 ianuarii 1852. Grave id quidem visum est Cleri Procuratori: ideoque reconventionali libello institit, non esse locum ulli refectioni expensarum; sin minus moderari taxationem. Nam dispositio §. 383 vigentis Motus-Proprii Supremi Imperantis vim omnem obligandi adimit Sacrae Congregationis dispositioni, quam noviter omnino invectam fuisse censuit quoad refectionem expensarum. Antiquam ceteroquin praxim et observantiam perenniter servatam Sacrae Congregationis fuisse, contendit, numquam reficiendi expensas, nullo facto discrimine, utrum contumax quis fuerit vel non, aut dilationem postulaverit: id maxime maiestati Sacrae Congregationis decere, quae a forensi strepitu abhorrens, non ad instar iudicialis aulae, sed potius tamquam Apostolici Principis oraculum ex bono et aequo et oeconomice potius controversias assolet definire. Quidquid autem esset de vi atque efficacia neothericae legis edictalis, ursit tamen, haud eam fore applicandam praesenti casui, in quo verae contumaciae culpa minime subsistebat. Non enim a iudicio abfuisse, dixit, vel pro divexandis contradictoribus, vel pro induciis fraudolenter captandis detrectandisque Decreta. Agebatur de Clero, Actoris parte agente, cuius valde potius interesse debebat, ut in possessionem sui iuris, a quo contra solemnem conventionem deiectus a Capitulo fuit, quamprimum reintegraretur. Nec alia de causa breviter differri Sacrae Congregationis iudicium petitum fuisse, nisi ad defensionem comparandam super novis documentis Clientibus ab ipso Defensore exquisitis et sero nimis acceptis. Procul hinc aberat fraus et dolus petendi dilationem. E contra Defensor Canonicorum sustinuit, undique servatam iri decretam expensarum refectionem et taxationem, cum Clerus praedictus vere contumax fuisset. Nam contumacem eum haberi, qui in iudicium venit et sine Iudicis licentia recessit, statuit Cap. *Prout* de dolo et contumacia, Gloss. 1. in addit., et contumaciam litis damno coercendam esse monet Textus in lege *Contumacia* 53 de damn. infect.; eo vel magis quia Adversarii Actoris partes gerebant, quo in casu gravius puniendi, ad monitum Gloss. 1 de reg. iur. in 6, reg. *Eum, qui certus;* quoniam maior censetur contumacia Actoris, quam rei, ex Cap. *Causam quae,* et dicta Glossa de dolo et contumacia. Excusationem incassum quaeri subdidit in libello pro dilatione porrecto; non enim ad declinandam expensarum refectionem proficiebat dilationem petiisse, sed obtinuisse eam opus erat, secus contumacia continuo verificabatur ex edictali lege art. 15, quae religiosae servanda, utpote Canonico et Caesareo Iuri omnino consona, ex Cap. 2 et ibi Glossa de Procurator. et L. *Sancimus* 13 Cod. de iudiciis.

381. Postremo Secretarius Sacrae Congregationis advertebat, perperam veluti de novitate insimulari legem praefatae Sacrae Congregationis, quae victori expensas a contumace solvendas mandat, antequam redeundi venia eidem tribuatur. Iam enim sub sa. me. Pontifice Clemente XII die 6 septembris 1731 publici iuris erat Edictum, cuius etiam rubrica notatu digna habetur: - Rinnovazione di ordini da osservarsi, indispensabilmente nelle proposizioni delle Cause nella Sacra Congregazione del Concilio -, ubi idem sancitum legitur (1). Patebat hinc, nil novi quoad

(1) Siquidem in §. 4 haec habentur: - Almeno per dieci giorni avanti dovrà intimarsi *qualiter Causa fuit iam descripta et posita in folio et proponetur omnino in prima S. Congregatione, ideo* etc., e questo ac-

expensas fuisse inductum per neothericam legem anni 1847, sed ibidem fideliter relatum fuisse quidquid ex Sacrae Congregationis disciplina iam praestitutum reperiebatur, adeo ut organicae legis adductus articulus 383 nil virium relatae dispositioni imminuat, et potius in adducentem retorqueri merito posse videatur. Addendum, legem illam pleno Sacrae Congregationis suffragio fuisse prolatam, ac Sacratissimi Principis oraculo sanctione roboratam. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An et in qua summa sint reficiendae expensae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In casu, de quo agitur, non esse locum refectioni expensarum – *in Neapolitana Statutorum super refectione expensarum die 24 Aprilis 1852.*

DECIMAE

1. Neminem latet, in veteri lege iure divino mandatum fuisse, ut de omnibus fructibus Decima pars detraheretur, cuius praesidio Sanctuarii Ministri alerentur, ceu videre est in Exod. XXII et Levit. XXVII, 28 *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774.*

2. Idem statutum noscitur a Sacris Canonibus, dum Fidelibus deprehenditur iniunctum onus tradendi Ecclesiae Ministris Decimam partem ex omnibus, quae quacumque de causa acquisivissent: sic enim habetur in Cap. *Decimam* de Decimis, et Caelestinus III in Cap. *Tua nobis* 26 de Decimis Vercellensi Episcopo ita scripsit: – Tua nobis fraternitas intimavit, quod quidam Laici Decimas Ecclesiis et Clericis suis perversis machinationibus subtrahere moliuntur . . . Quoniam igitur pati nolumus, ut Ecclesiarum et Clericorum iura praesumptione qualibet minuantur, mandamus, quatenus omnes, qui ratione personarum aut etiam praediorum Decimas Ecclesiae et Clericis suae Diaecesis exhibere teneantur, ad eas cum integritate reddendas, appellatione remota, compellas – *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Haec.*

3. Compertum hinc est, Decimarum substantiam et in veteri et in nova lege de iure semper divino habitam fuisse, quemadmodum ex sacris literis in Levit. cap. 27 et in Exod. cap. 22 *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Illud.*

Item *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Suam; in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud.*

4. Itaque in novo Testamento apud Matth. cap. X, 10; Luc. VIII, 3; X, 7 hoc tantum Fidelibus iniungitur, ut iis, qui Ecclesiae ministrant, vitae subsidia parent *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802* §. *Parochianorum.*

5. Idcirco Concilium Tridentinum in cap. 12 sess. 25 de reformatione merito statuit: – Non sunt ferendi, qui variis artibus Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant et in rem suam vertunt, cum Decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare noluerint aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecepit igitur Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus et conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali aut quibuscumque aliis Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut

ciocchè la parte già citata *ad concordandum de Dubio* non abbia scusa alcuna di non venire a domandare dilazione, non bastando le intimazioni, che molto avanti fossero state fatte, perchè quelle serviranno per accrescere la contumacia, ma non già per obbligar l' altra parte ad esser pronta e preparata per la proposizione. E se precedute tutte le suddette preparatorie la parte avversaria sarà contumace, non si ammetterà scusa alcuna per la dilazione, ma la Causa a relazione di detto Monsignor Segretario si risolverà *etiam unica.* E se per qualsivoglia accidente o causa procedente dalla parte contumace dovesse differirsi la risoluzione, o pure la parte, che è stata contumace, volesse dimandar la nuova udienza, dovrà pagare al Procuratore della parte attrice le spese della proposizione, e non possa ottenere la nuova audienza, con tutto che portasse motivi nuovi tanto *de facto,* quanto *de iure,* se prima non avrà rifatte le spese della detta precedente proposizione alla parte attrice –.

impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur – *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Quae.*

6. Ad Ecclesiam igitur pertinet modum pro temporum vicissitudine constituere, quo alimenta huiusmodi praestari debeant *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802* §. *Parochianorum.*

7. Siquidem ex doctrina divi Thomae 2. 2. quaest. 87 n. 1 constat apud omnes Canonistas, quod Ecclesia – pensatis opportunitatibus temporum et personarum possit aliam partem determinare –, ceu tradunt Covarruvias variar. resol. lib. 1 cap. 17 n. 2, Guttierez quaest. canon. cap. 21 n. 9, Engel. in ius can. Decret. lib. 3 tit. 30 n. 2, Pirhing eod. lib. et tit. n. 7, Reiffenstuel eod. tit. et lib. n. 9 *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802* §. *Parochianorum.*

8. Qua de re Decimae non sunt, – nisi pars fructuum, ad quam petendam ius competit Ecclesiis Parochialibus ratione ministerii Sacramentorum, ex Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 3 cap. 28 n. 2, seu ut ait Rota decis. 230 n. 6 part. 17 Recentiorum, Decimae sunt – quota frugum et aliorum licite quaesitorum debita Ministris Ecclesiae ratione administrationis Sacramentorum – *in Reatina Dismembrationis die 19 Decembris 1818* §. *Canonici.*

Item *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud.*

9. Hinc Decimas deberi Parocho, qui Sacramenta et alia divina ministrat, admonent Abbas in cap. *Ad Apostolicae* 20 de Decimis n. 1, Pirhing de Decimis n. 84, Engel. lib. 3 tit. 30 cap. fin. de Parochis, Rota in Recent. part. 18 decis. 400 n. 22 *in Reatina Dismembrationis die 19 Decembris 1818* §. *Canonici.*

Item *in Pisauren. die 17 Decembris 1825* §. *Decimas; in Firmana Decimarum die 27 Maii 1827* §. *Parochis.*

10. Idcirco ius decimandi utilius ac expeditius est pro exigendis annuis fructibus, iuxta cap. *Tua nobis* de Decimis, quam actio in personam *in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianuarii 1829* §. *At.*

11. Nam Parochianus non potest pro suo libito iura Decimarum Parocho auferre, ceu tradit etiam Rota in Decis. 164 n. 6 part. 19 tom. 1 Recent. *in Pisauren. die 18 Maii 1765* §. *Nullius.*

12. Parochiani vero – non tenentur Decimas deferre in Clericorum horrea, licet sint publica, quum ad id nullo pacto nullave lege obligentur –, ut inquit Barbosa de Offic. Paroch. part. 3 cap. 28 §. 2 n. 24 *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Vim.*

13. Quin imo paupertas non solum operatur deminutionem, sed omnimodam Decimae remissionem, per tradita a Franc. Marcho dec. 198 part. 2, Ricc. in prax. resol. 38 n. 2, Pikler in ius can. tit. de Decimis n. 17 *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Quaecumque.*

14. Idque praesertim vim obtinere videtur, si Ecclesia reditibus abundet; notum enim est, quod, ubi Ecclesiae bonis abundaverunt, a petitione Decimarum cessatum sit, ut refert Berardius in ius can. diss. 6 cap. 51 n. 1 *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Requevera.*

15. Exorta itaque controversia inter Capitulum et Presbiteros Ecclesiae Matricis et Parochialis S. Mariae Collis Terrae Peschi et Universitatem dicti loci, proposito dubio: – VII. An Decimae cupparum trium frumenti sint praestandae Presbiteris Ecclesiae Matricis a quolibet focolari, et an Personae talia focolaria constituentes possint dici Personae miserabiles, seu potius quae dicendae sint Personae miserabiles? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Affirmative ad primam partem, et in reliquis arbitrio Ordinarii – *in Nullius seu Montis Casini die 25 Ianuarii 1726.*

16. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 25 ianuarii 1726 quoad septimum dubium?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, in decisis – *in Nullius seu Montis Casini Praeeminentiarum die 11 Septembris 1728.*

17. Alias vero Decimas esse praestandas a Parochianis in manipulis, sive in qualibet recollectorum fructuum in specie, praescripserunt sacri Canones, et praesertim can. *Quicumque recognoverit,* et can. *Omnes Decimae* caus. 16 quaest. 7, cap. *Tua nobis* §. Cum de cunctis, et cap. *Ex parte* de Decimis *in Constantien. Decimarum die 7 Iulii 1781* §. *Causa*

Item *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802* §. *Parochianorum.*

18. Unde reprobanda videtur solutio Decimarum in pecunia, si praesertim consuetudo accedat, ut in similibus terminis tradit Rota in Chelmen Decimarum 30 martii 1733 §. 3 coram Canilliac *in Constantien. Decimarum die 7 Iulii 1781* §. *Causa.*

Item *in Callien. die 23 Ianuarii 1802* §. *Parochianorum.*

19. Unde irrita ac nulla censetur locatio perpetuo facta de Decimarum fructuum commoditate *in Constantien. Decimarum die 7 Iulii 1781* §. *Duo.*

20. Quapropter quum Collegiata et Parochialis Ecclesia de Stauffen stipulatus fuerit cum Parochianis et Filialistis in Taal contractum, quamdam praeseferentem perpetuae locationis et conductionis speciem, quo Decimae in pecunia loco speciei, certa praefinita pecuniarum quantitate pro qualibet specie colligendarum frugum, exigi deberent, Sacra Congregatio declaravit, Capitulum ius habere exigendi Decimas in natura, et Parochianos ad reintegrationem teneri a die motae litis pro summa liquidanda, quin ullatenus obstaret memoratus contractus *in Constantien. Decimarum die 28 Iulii 1781* (1).

21. Nec itaque egestas Parochianorum temporum angustia auctumque rerum pretium sunt idoneae causae, ut Decimae, quae in generibus praestari solent, ad certum statumque pretium exhibeantur, cum Parochi omnes iure meritoque repugnent *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802.*

22. Siquidem ab immemorabili Decimae usuveniebant in omnibus Paraeciis praesertim ruralibus Diaecesis Calliensis nedum praediales, sed etiam personales et sacramentales. Illas praestabat proprio Parocho quisque fundorum Possessor: has in modio tritici septuaginta librarum singulae Familiae pensitabant illis Ecclesiis, quae dum Fontem Baptismalem habebant, supra ceteras iure Matricitatis potiebantur, et in exactione Decimae exercebant in propinquas aliquot et finitimas Paraecias; proindeque quisque sive dives, sive pauper, sive possideret, sive secus degens, intra limites Ecclesiae Baptismalis, Decimam illam solvere tenebantur. In nonnullis vero Paraeciis onus quoque inerat Parochianis praestandi loco frumenti eamdem frumenti mensuram, cum Pater aut Materfamilias occumberet. Utrumque onus grave inde erat, cum rerum pretia excreverint. Ut enim olim septuaginta librae tritici ingravescente etiam annona iuliis quinque ad summum venibant, subinde scutis duobus vix comparari poterant. Hinc preces Parochiani ad Sacram Congregationem dedere, ut miserta eorum egestatem indulgeret, Decimas rependi posse in pecunia certo statoque pretio librarum septuaginta tritici in obulis 66 3 1/2, quod inter maximum infimumque pretium, iuxta Peritorum fidem, medium tenebat, relicto debitoribus arbitrio solvendi frumentum quotiescumque ipsis libuerit. Similem consuetudinem Vicarius Apostolicus vigentem retulit in nonnullis quoque finitimis Diaecesibus; auditisque de precibus Parochis, omnes huic petitioni repugnare affirmavit: – Alter enim paupertate Beneficii praetendit, alter veretur, ne quid Ecclesiae suae iuribus detrimentum importet; alter vetustatem conclamat, novitatem respuit; quisque eorum asseverat, sese pauperes huiusce Decimae debendae reos semper absolvisse. Singuli timent, ne si aliqua lex prodeat, quae pauperes vel eximat, vel minus debitores efficiat, omnes sese pauperes iactent. Illud insuper accedit, quamlibet fere ex hisce Ecclesiis Baptismalibus ab antiquo rependere solere singulis annis vel Episcopo, vel Canonicis certam quamdam frumenti quantitatem pensionis titulo. Itaque invisam hanc decimam baptismalem vel omnino tolli assentiuntur, modo sibi liceat eadem pecunia obulorum 66 3 1/2 debitum pensionariis frumentum tradere –. Ad haec perpendendum contra erat, num egestas Parochianorum temporum angustia auctum rerum pretium essent idoneae causae, cur Decimae, quae in generibus praestari consueverant, ad certum statumque pretium forent cohibendae.

23. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus praestationi Decimarum, et Funeris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem iuxta solitum; quo vero ad secundam partem, dilata et ad mentem – *in*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verbo *Alienatio* §. III, n. 320 ad 328, Tom. I.

Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802.

24. Si vero iustae adsint causae, Decimae in specie debitae ex concordia commutantur in quantitatem ad minimum pretium *in Callien. Decimarum die 23 Ianuarii 1802* §. *Hinc.*

25. Iustis enim de Causis Sacra Congregatio probare minime renuit, ut Decimae in specie debitae ex concordia commutentur in quantitatem ad minimum pretium *in Auximana Concordiae super Decimis die 17 Septembris 1796.*

Item *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Ianuarii 1802* §. *Hinc.*

26. Enimvero per transactionem initam anno 1622 Plebanum inter et Communitatem Offaneae conventum prae ceteris fuit, ut liceret Plebano eiusque Successoribus exigere Decimam frumenti a Parochianis iuxta novam mensuram, et Parochiani illam ferre tenerentur ad Plebani eiusque Successorum domum absque ulla contradictione, iis exceptis, qui intra Terram Offaneae eiusque suburbium habitarent, ad quorum domos mittere deberet Plebanus eiusque Successores, qui Decimam reciperent. Ad formam huiusce transactionis exactae subinde fuerunt Decimae, non sine tamen contentionibus inter Plebanum et Parochianos. Quum autem ad hoc ipsum tollendum inconveniens iamdiu in aliis Oppidis Auximanae Diaecesis inducta esset Decimarum praestatio in certa pecuniae quantitate per transactiones initas inter Parochos et Communitates, easque transactiones probasset Auximana Synodus Spada in ea verba: – A Magistratu alicubi cum Parocho de Decimis legitime transactum est, et communi nomine ab eo enumerata pecunia solvuntur, quod mirifice ad concordiam confert. Si quos aliis in locis hoc studium pacis incesserit, quod summopere commendamus, illi perficiendo libenter manum admovebimus –, iis propterea excitatus exemplis modernus Offaneae Plebanus Hieronymus Vici cum Oppidi Communitate egit, de simili ineunda transactione, cuius summa haec erat; ut scilicet Plebanus per se eiusque Successores Communitati Offaneae ius cederet exigendi Decimas in certa pecunia scutorum 110 iuxta praesentem frumenti et musti valorem determinata, Plebanis pro tempore in ratis bimestralibus a Communitate solvenda, quin tamen quinquaginta Familiae pauperes tenerentur amplius solvere annuam Decimam obulorum quindecim; utque Communitas ex quinquaginta scutatis duo sacra constitueret Patrimonia, quibus duo Clerici pauperes ad Sacerdotium promoveri possent, quorum alterius nominatio perpetuo ad Plebanum, alterius vero alternatim ad Plebanum et Communitatem pertineret.

27. Super hisce transactionis capitulis petita fuit Sacrae Congregationis Boni Regiminis approbatio; sed precibus pro informatione remissis, convocatisque communitativis comitiis, altum adversus eamdem transactionem declamavit Lucius ipse Betti, qui illam tamquam condeputatus probaverat, atque ex Consiliariis quatuordecim octo pro concordia suffragium tulerunt. Quum ob defectum igitur duarum ex tribus partibus suffragiorum exclusa fuisset transactio, hinc ob evidentem Oppidanorum utilitatem, de qua testabantur Priores Communitatis, suum Praeses Provinciae aperuit votum Sacrae Congregationi Boni Regiminis pro sanatione consiliaris resolutionis; et Sacra illa Congregatio de voto eius Fiscalis rescripsit die 12 septembris anni 1795: – Scribatur iuxta votum Fiscalis, nempe reportato per Parochum Beneplacito Apostolico super cessione Decimarum favore Communitatis, providebitur –. Episcopus retulit, annuum Parochiae reditum de anno 1765, quo illam obtinuit Vici non excessisse summam scutorum 396, sed ob insignes praediorum meliorationes attigisse tandem anno 1795 summam scutorum 1161. 70, comprehensis incertis ultra Decimas, quae annua reddebant scuta circiter 110; et valde utilem censuit praefatam concordiam. Nomine tamen Colonorum appositum fuit – nihil transeat –. Nam aliter duo de septuaginta arbitrabantur Patresfamilias, valdeque ipsis gravis videbatur solutio Decimae in certa pecuniae quantitate annis etiam caritatis, in quibus nullam praestare tenerentur Decimam. Maxime quia rigida foret exactio Communitatis, neglectis infortuniis, quae saepe eveniunt in praediis, neque fruerentur amplius pauperes Decimarum remissione, quam concedere consueverant Parochi. His vero cen-

tum viginti quinque alii adversabantur Patresfamilias, eniteque rogabant pro approbatione concordiae, quam maximopere utilem arbitrabantur. Perpetuae namque inter Parochos et Parochianos fuerunt contentiones in exactione Decimarum, frequentes cum detrimento animarum fraudes, non integrae saepe solutae Decimae, Emo Episcopo teste.

28. Contumacibus itaque Colonis, proposito dubio: - An et quomodo sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative arbitrio Emi Episcopi, constito de approbatione conciliaris resolutionis in forma iuris valida - *in Auximana Concordiae super Decimis die 17 Septembris 1796.*

29. Decimae autem de iure debitae Parocho sunt solvendae, etiamsi fructus mutentur in praediis, puta si loco frumenti seminetur vulgo - granturco - *in Ariminen. die 9 Maii 1637 lib. 15 Decretorum pag. 534.*

Item *in Civitatis Ducalis die 20 Maii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 604.*

30. Idcirco solvendae sunt Decimae ex plantis aureorum malorum aliarumque arborum, quae a Rusticis vix adultae explantantur et venduntur, quaeque in fructu esse videntur *in Ulixbonen. Decimarum die 23 Ianuarii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 350 a tergo.*

31. Fas tamen cuique est ac liberum, quamlibet seminis speciem serere, aut sativum praedium in pratum convertere, quin Parochi de imminutis Decimis conqueri valeant *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Pauca* (1).

32. Unde incertum quidem esse videtur, utrum lucrum, quod percipitur ex licentia piscandi diebus festis recensendum sit inter Decimas illas, quae in recognitionem divini dominii et in substentationem Ministrorum Ecclesiae persolvuntur, an vero agatur de portione illa lucri, quod quis percipit, quando ex indulgentia Episcopi diebus festis alicui operi incumbit iisdem diebus prohibito, quam quidem portionem Ecclesiae et Pauperibus reservavit Alexander III in cap. *Licet* de feriis, eamque eleemosynam potius, quam Decimam esse affirmat Panormitanus in dicto Cap. *Licet* de feriis n. 6: verius tamen est, de hac secunda specie Decimarum agi, cum versetur in exactione Decimarum ex piscibus, qui diebus tantum festis capiuntur, licet consuetudo adsit alias exigendi etiam aliis diebus Adventus et Quadragesimae et sextis feriis, quae videtur esse quaedam extensio illius iuris, quod diebus tantum festis spectabat ad Ecclesias, iuxta dictum Cap. *Licet,* si praesertim etiam aliis illis diebus reservatur Episcopo ius concedendi licentias piscandi, et prohibetur piscatio, nisi eadem licentia obtineatur *in Surrentina Decimarum die 31 Iulii 1728* §. *Verius.*

33. Admisso autem, quod huiusmodi Decimae non alio iure debeantur, quam ex Cap. *Licet* de feriis, perpendendum, an verior sit illius Textus interpretatio, quod intelligi debeat de portione eius, quod Piscatores, demptis expensis, lucrifaciunt: ceterum, quamvis Decimae istae adnumerandae essent inter illas primi, examinandum supererit, an debeantur, non detractis expensis, iuxta Textum in Cap. *Tua nobis* de Decimis, an potius eaedem expensae sint prius detrahendae, eo quod agitur de piscatione, quae praesefert speciem quamdam negotiationis, iuxta notabilem limitationem traditam in Cap. *Pastoralis* de Decimis: - Explicari postulasti, utrum quis possit de molendinis et piscariis necessarias expensas deducere, priusquam solvat Decimas ex iisdem, sicut est in negotiatione concessum -; piscatio autem de qua agitur recte negotiatio dici potest, cum in ea magnis sumptibus insignis copia piscium capiatur, ut aliis vendantur, quod eleganter notat Cuiacius in recit. solemn. ad lib. 65 legat. 3 *in Surrentina Decimarum die 31 Iulii 1728* §. *Admisso* §. *Ceterum.*

34. Compertum hinc est, Decimas esse praemium laboris, et ideo in can. 1 Caus. 16 quaest. 7 Episcopo fuisse concessas, ut illas Clericis laborantibus distribueret *in Brictinorien. Iuris decimandi et benedicendi die 8 Maii 1824* §. *Animadvertit.*

Item *in Nursina Decimarum die 18 Novembris 1826* §. *Parochus; in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Multa.*

35. Peracta vero Paraeciarum divisione, Parochisque regendi et pascendi munere oneratis, Decimae ipsis fuerunt assignatae, Cap.

(1) Rot. in Ariminen. Decimarum quoad novalia 16 Iunii 1747, §. fin. coram Caprara.

Cum contingat 29, et Cap. *Cum in sua* 30 de Decimis *in Brictinorien. Iuris Decimandi et benedicendi die 8 Maii 1824* §. *Animadvertit.*

Item *in Nursina Decimarum die 18 Novembris 1826* §. *Parochus.*

36. Hinc Decimae debentur Parocho, qui Sacramenta et alia divina administrat, cum praesertim reditus Paraeciae ita tenues sint, ut, oneribus deductis, congrua Parocho salva non sit *in Privernen. Decimarum die 18 Septembris 1751* §. *Hanc.*

Item *in Reatina Dismembrationis die 19 Decembris 1818* §. *Canonici; in Pisauren. die 17 Decembris 1825* §. *Decimas; in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Parochis* (1).

37. Imo Decimae non tantum ad Ministrorum Dei alimoniam, sed et ad Ecclesiarum conservationem sunt ordinatae, per Textum in Can. 30 et 31 quaest. 2 caus. 12, et praeter alios id etiam tenet Leurex in diss. can. 16 n. 39 *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 31 Martii 1770* §. *Quod si.*

38. Qua de re neque venire potest in dubium, quin nomine fructuum ad Ecclesias pertinentium Decimae quoque comprehendantur, atque idcirco onus reaedificationis Ecclesiarum ipsis Decimis insitum quemcumque Decimatorem sequatur *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 16 Septembris 1769* §. *Certum* (2).

39. Idcirco Decimatores debent restaurare Ecclesias, quae non habent Patronos *in Firmana die 17 Augusti 1776* §. *Quod* (3)

40. Insuper tenentur Decimatores ad praestandam sacram suppellectilem et stipendium assignandum novo Rectori *in Carpenctoraten. Dismembrationis die 30 Iulii 1785* §. *Qui* §. *Ad V* (4).

41. Qua de re Sacri Canones et Tribunalia centies declararunt, Parochis, ut privilegiatis, ius esse ad assequendam portionem Decimarum, ut statutum habetur in Cap. 2 §. Urbi autem de Decimis *in Asculana Literarum Apostolicarum die 25 Iunii 1836* §. *Si tamen.*

42. Nam ius Decimas materialiter recipiendi, ceu aiunt Scholae, inter potiora iura Parochorum adnumerari *in Brictinorien. Decimarum die 8 Maii 1824* §. *Animadvertit.*

Item *in Asculana Literarum Apostolicarum die 25 Iunii 1836* §. *Ad.*

43. Quo itaque fit, ut Parochi, qui iure fundatam pro se habent intentionem, in alios onus probandi contrarium transferunt, ad tradita per Reiffenstuellium in lib. 3 Decretalium tit. 30 §. 5 n. 99 et 100 *in Asculana Literarum Apostolicarum die 25 Iunii 1836* §. *Ad.*

44. Si vero Capitulum ab immemorabili tempore Decimas perceperit et nunquam in perceptione per spatium trium seculorum fuerit deturbatum et interruptum, ad ipsum spectat ius eas percipiendi, non vero Canonicis actu Curatis, quin eidem incumbat onus supplendi congruam, quae tamen de facto eisdem non deficit; his enim in terminis propositis dubiis: - IV. An et cui competat ius percipiendi Decimas in casu etc. V. An Capitulo, quod actu potitur iure decimandi, onus incumbat supplendi congruam Canonicorum Curatorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative favore Capituli. Ad quintum, Negative – *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Ianuarii 1838.*

45. Nam quamvis de iure communi in Decimis habeat fundatam intentionem Rector

(1) Abb. in Cap. *Ad Apostolicae* 20 de Decimis n. 1; Pirhing de Decimis n. 84; Engel lib. 3 Decret. tit. 30 de Decimis; Rota in decis. 400 Recent. part. 18, n. 22.

(2) Barbos. de offic. et potest. Parochi part. 1, cap. 13 n. 2; Rota coram Emerix dec. 407, n. 1; in Moguntina Reparationis Chori 4 iulii 1749 §. 2 coram Clemente; in Urbevetana Reparationis Ecclesiae 3 martii 1752 §. 4 coram Vicecomite; in Moguntina Reparationis Ecclesiae 13 Februarii 1758 §. 3 coram Emo Paracciano: et in Constantien. Reaedificationis Ecclesiae 3 martii 1758 §. 9 coram Ratto.

(3) Cap. 4 de Eccles. aedif.; Rot. in decis. 7, n. 8 coram Crispo; et in Constantien. Reaedificationis Aedium Parochialium 21 iunii 1773 §. 3; et in Confirmatoria diei 16 martii 1774, §. similiter 3 coram eodem.

(4) Kloc de Contribut. cap. 10, n. 34; Vanespen. in Ius. Eccles. univ. part. 2, tit. 6, cap. 5, n. 5 et 6; Barbos. in Decret. lib. 3 de Eccles. Aedif. n. 7; Tondut. Resol. Benef. cap. 39, n. 9; Sperell. decis. 68. n. 4; Panimoll. decis. 6 et 15, adnot. 8, n. 28 et 32; Fagnan. in Cap. *Cum Contingat* de Decimis, n. 44; Rot. in decis. 106, n. 2 coram Clemente; et in Leodien. Ampliationis Ecclesiae 4 iulii 1784, §. 11 coram De Salm.

vel is, cui est Beneficium unitum, in eisdem tamen pro sua tantum congrua portione assignata habet quoque Vicarius perpetuus de iure communi fundatam intentionem, ad tradita per Barbosam de iure eccles. lib. 3 Cap. 6 n. 34 *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *In hypothesi*.

46. Verum hoc non procedit, ubi per congruam dotationem satis fuerit Parocho provisum, ceu perpendit Rota in decis. 351 n. 4 part. 17 Recent. *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *In hypothesi*.

47. De reliquo dubitari nequit, quin decimae surgentes in Parochia alicuius Capituli, eidem Capitulo debeantur, etiamsi ex post facto aliquid alteri solvat, ut ad rem Rota in decis. 652 n. 1 et 2 part. 3 Recent. *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *In hypothesi*.

48. Nam quasi possessio eas percipiendi sufficit ad inducendam pro possessore iuris assistentiam *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *In hypothesi*.

49. Idcirco cum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Soranae curam animarum exerceret per Oeconomos inter Capitulares electos, et sacramentales Decimas ac oblationes, servato duplo pro Episcopo, nec non stolae nigrae iura ac proventus perciperet, Sacra Congregatio mandavit quidem, locum esse erectioni Parochi perpetui, eique assignandam esse unam ex Praebendis vacantibus pro congrua, sed proposito dubio: - III. An et quae iura ac emolumenta sint Capitulo servanda in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative in omnibus ad formam consuetudinis - *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852*.

50. Ius enim percipiendi Decimas acquiri potest etiam titulo diverso a Parochiali, nimirum consuetudine privilegio vel aliorum onerum correspectivitate *in Urbevetana die 30 Augusti 1788* §. *Nec* (1).

51. Hinc nova constitutio de non solvendis Decimis ad favorem Beneficiatorum existentium de corpore Capituli non est facienda, si alias Beneficiati praedicti ad illarum solutionem non tenerentur, sed sinendum est, ut iidem iure suo utantur *in Algaren. lib. 1 Decretorum pag. 86 a tergo*.

52. Animadvertendum tamen est, Decimas alias esse praediales seu reales, quae ex fructibus bonorum debentur *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Porro*.

Item *in Hortana Stipendii et liberationis a molestiis die 29 Iulii 1775* §. *Maximopere; in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Hisce* (2).

53. Aliae vero personales seu sacramentales, quae a singulis Familiis, inspecto uniuscuiusque numero solvuntur *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Porro* (3).

54. Hinc Decimae dicuntur personales et sacramentales, si solvantur habita Familiarum ratione inspectoque tantum earum numero, ad tradita per Schmalzgrueber in ius can. lib. 3 tit. 30 §. 1 n. 5, Engel ibid. §. 1 n. 1 *in Senogallien. Decimarum die 29 Martii 1738* §. *Monachorum*.

55. Immo praesumuntur personales seu sacramentales, non constito de titulo, ad Textum in Cap. *Quamvis* de Decimis, Cap. *Secundum* de Praebendis, Fagnan. in Cap. 1 ne Praelat. vices suas etc. n. 21 *in Urbevetana die 30 Augusti 1788* §. *Toti*.

56. Praeterea Decimae aliae appellantur dominicales, quae a Dominis fundorum solvuntur; aliae coloniales, quae a Colonis pensitantur *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Itaque* §. *At vero*.

57. Quum itaque praestatio Decimarum personalium sit onus Personis inhaerens, idcirco persolvi debent Parocho, a quo quisque recipit Sacramenta *in Pisauren. die 18 Maii 1765* §. *Praeterea*.

Item *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Porro* (4).

(1) Rot. in Nullius seu Celsonen. Parochialis super bono iure 8 decembris 1778 §. Arguments coram Card. Millino; et in Asculana Contributionis Congruae 28 aprilis 1755 §. 17 coram Card. Elephantutio.

(2) Hostien. in summ. n. 3. Azor part. 1 instit. moral. lib. 7. cap. 28. quaest. 3. Fagnan. in Cap. *Quamvis* n. 1, et in Cap. *Cum contingat*, n. 21 de Decimis.

(3) Schmalzgrueber in ius can. lib. 3, tit. 30, §. 1, n. 5.

(4) Leuren. in For. Benef. part. 1. quaest. 458. n. 6. Barbos. in Cap. *Ad Apostolicae*. n. 1 de Decimis.

58. Siquidem ita definivit Lucius III in Cap. *Ad Apostolicae* 20 de Decimis scribens ad Archiepiscopum Strigoniensem: – Intelleximus, quod quaedam consuetudo in Hungaria inolevit, ut multitudo Populi plerumque de Parochia unius Episcopi in Diaecesim alterius transferatur, in qua licet per multa tempora moram traxerit, uterque tamen Episcoporum, tam is, cuius Parochiam reliquerunt, quam is, cuius Parochiani sunt facti, decimationem requirit; ideoque tua Nos duxit Fraternitas consulendos, cui potius Decimae sint reddendae. Noveritis igitur, quod aequum est, ut illi Ecclesiae Decimae personales reddantur ab eis, in qua Ecclesia percipiunt Sacramenta - *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Porro.*

59. Idcirco si quis, relicto veteri domicilio, ad aliam Parochiam se transferat, personales Decimas Parocho novi domicilii praestare debet *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Porro.*

60. Nam Decima personalis seu sacramentalis variabilis ac transitoria est de Parochia in Parochiam eodem ferme modo, quo Parochianorum emigratio ex una in aliam contingit *in Pisauren. Decimarum die 18 Iunii 1785* §. *Propterea* (1).

61. Qua de re Decimae personales seu sacramentales dicuntur correspectivae ad curam animarum ac perceptionem Sacramentorum; ac ideo non debentur, nisi ab iis, qui degunt intra limites Paraeciae *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Hisce.*

62. Hinc Decimae sacramentales, quae non ratione fructuum, sed administrationis Sacramentorum solvuntur, in parva quantitate pensitantur, uti perpendit Card. De Luca de Decimis disc. 5 n. 4 7 et 9 *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Denique.*

63. Idcirco Decimae personales sunt solvendae a Mercatoribus in loco, ubi percipiunt Sacramenta *in Venetiarum anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 141.*

64. Celebris tamen fuit apud antiquos controversia, cuinam Parocho debeatur Decima praedialis, quando praedium situm est in Parochia unius Diaecesis, et illius dominus habitat in Parochia alterius Diaecesis: sed Alexander III censuit, pro illius decisione recurrendum esse ad consuetudinem, uti habetur in Cap. *Cum sint homines* de Decimis *in Hortana Decimarum die 6 Martii 1723* §. *Pro.*

65. Unde invaluit opinio, quod Decimae praediales debeantur Parocho loci, in quo sita sunt praedia, quando non adest consuetudo in contrarium *in Hortana Decimarum die 6 Martii 1723* §.. *Pro* (2).

66. Qua de re Parochi Decimas exigere possunt super omnibus praediis in districtu Paraeciae sitis, sive ab indigenis, qui incolunt Paraeciam, possideantur, sive alienigenis, qui alio lares fixos habent, ut, post Textum in Cap. *Cum contingat,* et in Cap. 30 de Decimis, tradunt Fagnanus ibidem n. 21, Pirhing in ius can. tit. 30 de Decimis n. 25, Rota in Corduben. Decimarum 25 iunii 1751 §. 3 coram Molino *in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803* §. *Ex.*

Item *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud; in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Hisce.*

67. Hinc Decimae debentur Parocho Territorii, ubi praedia decimanda existunt, sive Parochiani in Ecclesia Parochiali, sive in alia in eodem territorio existente Sacramenta recipiant, ad tradita per Rotam in decis. 48 n. 2 coram Bichio, et in Recent. decis. 169 n. 4 part. 5 *in Sarsinaten. Onerum die 30 Iulii 1774* §. *Ad III.*

Item *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Respicit; in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud; in Fabrianen. Parochiae die 27 Iulii 1839* §. *Quod; in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Hisce.*

68. Nam etsi Decimarum ius competat Ecclesiis Parochialibus ratione ministerii Sacramentorum, nullum tamen dubium est, quin solvi debeant praediales Decimae Parocho territorii, ubi ipsa praedia decimanda existunt, Cap. *Cum sint* et Cap. *In tua* de Decimis

(1) Piringh in Ius Can. lib. 3 tit. 35 de Decimis, n. 84, tom. 3; Vanespen. Iur. Eccles. part. 2, tit. 33, cap. 3, n. 12; Fagnan. in Decret. lib. 3, Cap. *Contingat* de Decimis, n. 53; Rot. in decis. 1291 n. 18 coram Lancetta.

(2) Gonzalez in Cap. *Cum sint homines* tit. de Decimis; Rota in decis. 27, n. 16 Recent. part. 14.

in Sarsinaten. Onerum die 30 Iulii 1744 §. *Ad III.*

Item *In Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud.*

69. Amplia, quamvis in alia Paraecia Sacramenta percipiantur, ad tradita per Rotam in decis. 48 n. 2 coram Bichio, et in Recent. decis. 169 n. 4 part. 5 *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud.*

70. Etenim huiusmodi Decimae debentur ex praediorum fructibus, quae colliguntur intra Parochiae limites *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769* §. *Ex parte.*

Item *in Hortana stipendii et liberationis a molestiis die 29 Iulii 1775* §. *Maximopere; in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803* §. *Ex; in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud* (1).

71. Quapropter onus reale est, quod praediorum possessores et cultores ubicumque sequitur, Cap. fin. §. Ceterum de Decimis in 6, Rot. coram Ansaldo decis. 207 n. 16 *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud.*

72. Integrum enim Decimarum onus etiam in Conductores et Emphyteutas refundi, qui integros percipiunt fructus, docet ad Textum in Cap. *A nobis* 24 de Decimis Pirhing in ius can. lib. 3 tit. 30 sect. 3 de Decimis §. 1 n. 48, Reiffenstuel eod. lib. et tit. §. 3 n. 38 *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Hisce.*

73. Hinc Decimae praediales, tamquam ex fructibuspraediorum debitae, sunt rependendae Parocho ab illorum domino seu cultoribus, quamvis extra Parochiam degentibus, sive fructus percipiant iure locationis, sive colonìae, sive alio quocumque titulo, quia Colonus et Conductor pro Domino possident *in Hortana stipendii et liberationis a molestiis die 29 Iulii 1775* §. *Maximopere.*

Item *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Hisce.*

74. Idcirco quum Mannus Baldinus et alii de Terra Bassani contendissent, haud teneri et cogi posse ad frumenti praestationem in favorem Parochi S. Iosephi, quia licet colerent bona intra limites dictae Parochiae existentia et quidem cum uno boum iugo, attamen in ea non habitabant nec Sacramenta suscipiebant, Sacra Congregatio declaravit, teneri illos ac cogendos esse *in Hortana Decimarum die 25 Septembris 1694 lib. 44 Decretorum pag. 477.*

75. Nam Decimae praediales cum inhaereant ipsis praediis frugiferis, debentur Parocho, intra cuius Parochiam praedia sunt sita; nec attendi debet, an praedii Possessor sit nec ne Ecclesiae subditus et Parochianus, ceu ad rem Abbas in Cap. *Cum sint* de Decimis n. 6 *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Verum.*

76. Idcirco Decimae praediales debentur Episcopo et Clero loci, ubi praedium extat, cum constet, illud situm esse intra fines Diaecesis et Parochiae eorumdem, licet Dominus praedii eiusque Coloni habitent in alia Parochia et diversa Diaecesi, ideoque Episcopus et Clerus alterius Diaecesis, qui eas perceperunt, restituere tenentur a die motae litis *in Larinen. et Vulturarien. Decimarum die 21 Iulii 1753 die 10 Maii et die 20 Septembris 1755.*

77. Siquidem controversia orta est inter Episcopum Larinensem et Clerum Oppidi Collistorti, atque Episcopum Vulturariensem et Clerum Oppidi Celentiae de Decimis colligendis e latifundio nuncupato *Difesa valle,* quod ab anno 1744 excoli inceptum est. Nam Episcopus Larinas et Parochus ac Clerus Collistorti pluribus Testibus ac documentis probare insudarunt, praedictum latifundium situm esse intra fines Diaecesis Larinatis et Parochiae Collistorti. Unde iidem arguerunt, satis habere fundatam intentionem in iure colligendi Decimas ex eo latifundio, licet ipsius Coloni, immo ipsemet Dominus incolerent Oppida Celentiae et Carlentini, quae sita erant in Diaecesi Vulturariensi. Nam Decimae praediales eisdem debebantur, licet latifundii possessor et Coloni ad aliam Parochiam et Diaecesim diversam pertinerent; et consequenter tenebantur Clerus Celentiae et Episcopus Vulturariensis Decimas perceptas ab anno 1748 restituere, ob malam fidem impressam a lite contestata. Propositis interim

(1) Fagnan. in Cap. *Quoniam* 13 de Decimis n. 1; et in Cap. *Contingat* 14 eod. tit. n. 21.

dubiis: – I. An et ad quem seu quos spectent Decimae ex fructibus recolligendis ex tenuta seu *Defensa Valle* seu *la Valle* nuncupata in casu etc. *Et quatenus spectent ad Episcopum Larinensem et ad Clerum Collistorti.* II. An eisdem restituendae sint Decimae per Episcopum Vulturariensem et Clerum secularem Oppidi Celentiae perceptae ab anno 1748 usque ad praesens in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructionem – *in Larinen. seu Vulturarien. Decimarum die 21 Iulii 1753.*

78. Instructio haec fuit, – ut committeretur Episcopo viciniori deputationem Periti de consensu Partium eligendi, sin minus ex officio, qui, citatis Partibus, recognosceret describeretque loca, quae contravertuntur, eorumque limitibus designatis et praesertim, an eadem sint, quae nuncupantur Defensae Vallis cum illis, quae Divi Petri in Valle vocantur, elevata planta iudiciali factae recognitionis et descriptionis –. Mandata igitur fuit iurisdictio Episcopo Sancti Severi, qui, utriusque Partis accedente consensu, rem delegavit Vicario suo Generali. Hic ex consensu Partium Peritum elegit accessitque cum eo Testibus et Partibus ad loca controversa, ubi cognitis et descriptis finibus effossisque muris veterum quorumdam dirutorum aedificiorum, quae antiqua divi Petri in Valle vestigia iudicata fuerunt, Testibusque in faciem loci examinati, processum confecit, qui ad Sacram Congregationem transmissus fuit. Peritus duplicem chartam delineavit, alteram quae eorumdem veterum aedificiorum formam exhibebat, alteram, quae totius Defensae Vallis ambitum ostendebat. Cum igitur tum ex probationibus datis in prima Causae propositione, tum ex Testium examine totoque accessu putarent Episcopus Larinas Archipresbiter ac Clerus Collistorti certo constare, Defensam Vallem sitam esse intra fines Diaeceseos Larinatis, et quod magis erat, eam sitam esse, ubi olim erat Ecclesia et Territorium divi Petri in valle, ideo postularunt responderi ab EE. PP. Decimas ad eos spectare. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Decimas spectare ad Episcopum Larinensem et Clerum Collistorti. Ad secundum, esse restituendas a die motae litis – *in Larinen. seu Vulturarien. Decimarum die 10 Maii 1755.*

79. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Larinen. seu Vulturarien. Decimarum die 20 Decembris 1755.*

80. Unde Sacra Congregatio declaravit, Decimas praediales esse solvendas a praedia possidentibus Parocho, etiamsi ab ipso Sacramenta non recipiant *in Assisien. die 30 Maii 1620 lib. 12 Decretorum pag. 42.*

Item *in Feretrana die 19 Ianuarii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 310; in Hortana Decimarum die 25 Septembris 1694 lib. 44 Decretorum.*

81. Quapropter exteri bonorum conductores et possidentes extra Parochiam ac Diaecesim commorantes ad Decimarum solutionem obstringuntur eo etiam modo et quantitate explendam, quae ab indigenis, cum eadem bona seu praedia excolebant, praestabatur, licet attentis peculiaribus circumstantiis quandoque mitius res componitur *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831.*

82. Siquidem in Archivio Episcopalis Curiae Amerinae liber existebat, cui titulus: – Bona emphyteutica census et canones Mensae Episcopalis Amerinae ex vetusto Codice fideliter exarata de mandato Illmi et Rmi Domini Torquati Perotti Episcopi Amerini anno 1637 – (1). Ex loci usu et consuetudine Decimarum ratio – due quarti di grano e due di biada – ad quartam rubli vulgo *Rubbio* partem pro utraque frugum specie redigebatur: nomine autem *lavoreccio* tanta telluris quantitas intelligi solebat, quanta binis in anno bobus ad tritici sementem arari poterat, quae-

(1) Hic, ubi de Decimis praedialibus sermo occurrit, illud inter cetera statutum legitur: – Attigliano (unum ex Diaecesis Oppidis) ogni aratro paga due quarti di grano e due di biada ... Si deve poi sapere, che un' aratro s' intende ancora un lavoreccio; per il che se uno fa un lavoreccio e tiene due aratri, non facendo altre terre di fuora del lavoreccio, paga solo una Decima; ma se facesse una Famiglia sola due lavorecci, deve pagare due Decime. Se poi uno avesse un bove solo, deve pagare mezza Decima. Per pagare poi detto aratro la Decima, deve lavorare da marzo fino a tutte le sementi, e se facesse solo le maggesi, e non vi seminasse, deve pagare *pro rata-*

que peritorum hominum iudicio ad sex circiter terrae rubla pertingebat. Hac nimirum methodo ab omnibus Attiliani Agricolis frumentarias Decimas, quae inter eiusdem loci Archipresbiterum et Mensam Episcopalem dividebantur, a vetustissimis usque temporibus ad huius seculi initium fuisse constanter persolutas, easdemque viginti quatuor numero colligi quotannis consuevisse, certum exploratumque erat. Verum deinde accidit, ut ex praediis, quae ab Attilianis indigenis antea colebantur, eique Decimarum oneri adamussim respondebant, quinquaginta circiter rubla in dominium excellentissimae Familiae Lante transierint, ac viginti duo circiter rubla a Vincentio Sensini empta fuerint. Quapropter eorum praediorum cultura Attilianensibus adempta, multis iam ab illinc annis exerceri cepit tum a Conductore bonorum Familiae Lante, tum ab heredibus Vincentii Sensini, qui omnes, etsi extra Amerinam Diaecesim domesticos haberent lares, quotidie tamen suos Attilianum boves et villicos mittere, atque ita impensam colendis agris operam navare non desierunt. Iamvero Attilianensium animarum curam gerente Antimo Antimi, qui die 6 maii 1801 Archipresbiteratus possessionem adierat, praefati Agricolae contendere exorsi sunt, eiusmodi praedia ad unum dumtaxat *lavoreccio,* atque unum hinc inde cultorem devenisse; nec nisi unam idcirco Decimam exigi utrinque posse, se autem omni prorsus decimarum onere esse eximendos, quippe qui Attiliani non degebant, ac suas ipsi Decimas in loco domicilii persolvebant. Sed hisce rationum momentis anno 1823 minime sibi acquiescendum censuit Pancratius Parca modernus Archipresbiter, adeoque diem dixit in Episcopali Curia Amerina heredibus Sensini et Conductori bonorum Familiae Lante, ut praescriptam Decimarum quantitatem, pro sua quique parte solvere obstringerentur, quemadmodum Attilianenses aratro terram colentes iam inde a priscis temporibus solvere consueverunt, et subinde etiam, nemine obsistente, solvere non praetermittebant. Incassum tamen: nulla enim Decimarum vis ad totum fere annum 1829 ab iis soluta fuit, quo anno Amerinus Episcopus Vincentius Macioti de tuendis Ecclesiae suae iuribus maxime solicitus, totam ea super re controversiam sapientissimo EE. PP. iudicio dirimendam postulavit.

83. Promotor Fiscalis contendit itaque, frumentarias Decimas tam a Conductore bonorum Familiae Lante, quam ab heredibus et possessoribus bonorum Sensini in Oppido Attiliani solvendas esse, etsi eorum nemo intra Amerinae Diaecesis fines domicilium haberet. Ius enim decimandi ex dispositione iuris exortum et in Tridentina Synodo sess. 23 cap. 12 de reformatione luculentissime expressum propugnavit dictus Promotor Fiscalis super omnibus praediis in Paraeciae seu Diaecesis districtu sitis exerceri posse, sive ea praedia possiderentur ab indigenis, qui Paraeciam aut Diaecesim incolebant, sive ab alienigenis, qui alibi morabantur. Idcirco iidem omnes Decimas praediales Parocho territorii solvere tenebantur, licet alibi Sacramenta perciperent, quin ullum esse posset perfugium Conductori bonorum Familiae Lante, quod ipse non polleret omnimodo et absoluto eorum praediorum dominio, quae in Attiliani territorio sita erant, cum integrum Decimarum onus etiam in Conductores et Emphyteutas refunderetur, qui integros percipiebant fructus. Nec quidquam proderat Conductori bonorum Familiae Lante et heredibus bonorum Sensini ad praescriptionem confugere: quum enim constaret, Decimarum solutionem a praefatis heredibus et Conductore controverti primum cepisse sub Antimo Antimi Archipresbitero, qui ineunte hoc seculo Parochi munus susceperat, certe ad diem usque modernae litis nonnisi novem et viginti annorum lapsus obtendi poterat pro Decimarum exemptione, imo vero duorum fere et viginti ad summum, quoniam ea de re praescriptio, si unquam inceperat, per iudicialem interpellationem Archipresbiteri Pancratii Parca 1823 interrupta fuisse dicenda erat, atque omnis propterea sublata etiam bona fides ad praescribendum necessaria. Qua de re dicti Conductores et heredes ac possessores bonorum Sensini obstringendos esse dixit in Attiliani territorio ad Decimarum solutionem eo etiam modo et quantitate explendam, quae ex veteri illo Amerinae Curiae libro depromebatur, cum satis multis testibus ostenderet, legitimam pro eiusmodi Decimarum ratione stare observantiam

et consuetudinem etiam immemorabilem. Hinc absurdissimum esse subdidit, quod ab Adversariiis contendebatur, se scilicet ad unam tantum Decimam posse hinc inde obstringi, quum ea omnia praedia, quibus ipsi colendis operam navabant ad unum solummodo *lavoreccio* utrinque devenisse arbitrarentur. Si enim vera esset isthaec ratiocinandi species, iam illud fieri aliquando potuisset, ut, omnibus Attiliani praediis a praedivite quodam viro coemptis, una tantum Decima universi territorii cultura Ecclesiae obvenisset. Verumtamen ut omnis lucri suspicio ab Ecclesia averteretur, huiusmodi controversiam mitius conciliandam proposuit Promotor Fiscalis (1).

84. His mature perpensis, proposito dubio: - An quomodo et a quo tempore Conductores bonorum Familiae Lante et Heredes Sensini solvere Decimas teneantur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative ad formam voti Promotoris Fiscalis a die ultimae solutionis - *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831.*

85. Unde si Parochi ius decimandi in territoriis aliarum Parochialium, inità etiam earumdem permutatione, exercuerint, servandum est iuxta consuetudinem, licet ipsae vi permutationis in aliam Diaecesim transierint *in Brictinorien. Iuris decimandi et benedicendi die 8 Maii 1824.*

86. Enimvero finibus Abbatiae S. Ruffilli Foripompilii Nullius Diaecesis, Capitulo SS. Patriarchalis Basilicae Vaticanae perpetuo unitae, Parochiales continebantur Ecclesiae divi Petri Principis Apostolorum, cuius Archipresbiter erat Episcopus Brictinoriensis, et S. Christophori de *Salbaglione,* quae ad Brictinoriensem Diaecesim pertinebat. In territorio autem eiusdem Abbatiae inter ceteras recensebantur Archipresbiteralis Ecclesia S. Nicolai de Meldula et Parochiales Ecclesiae S. Ruffilli de *Vitignano* S. Andreae in *Rossano* ac S. Mariae in *Fiordinano:* Archipresbiteralis S. Nicolai Ecclesia regenerationis lavacrum Incolis ceterarum Paraeciarum ministrabat; cumque ob locorum distantiam et viarum asperitatem periculum animarum infantium baptizandorum immineret, Decreto Capituli Vaticani die 7 decembris 1626 Ecclesia S. Mariae in *Fiordinano* Archipresbiteralis cum Fontis privilegio fuit constituta, eique ceterae Parochiales fuere attributae, - salvis tamen ac reservatis Archipresbitero Meldulae circa reliqua quibuscumque iuribus et signanter circa Decimas, talia qualia sunt et illi competunt..., et in eo statu, in quo hodie reperiuntur, nec novo Archipresbitero et novae Plebi *di Fiordinano* ullo unquam tempore ius aliquid quaeratur aut quaesitum censeatur in praeiudicium dicti Archipresbiteri et Plebis Meldulae -. Archipresbiter autem S. Petri de Foropompilio in memoratis Paraeciis decimandi iure pollebat. Promiscuo ex territorio frequens erat controversiarum occasio. Quamobrem die 18 novembris 1816, Apostolica intercedente Auctoritate, permutatio inita fuit, qua Paraeciae S. Petri et S. Christophori Brictinoniensi Episcopo subiectae attributae fuerunt Abbatiae et Vaticano Capitulo, Paraeciae vero S. Ruffilli S. Andreae S. Mariae, una cum aliquot aliis parochialibus Ecclesiis ab Abbatia ipsa dismembratae, Episcopo fuere concessae. Permutatione vero non obstante, Archipresbiter S. Nicolai de Meldula et S. Petri de Foropompilio ius decimandi, ut antea, exercuerant; sed illud in Paraeciis sibi adscriptis ob permutationem evanuisse contendit Brictinoriensis Episcopus

(1) Siquidem ipse dixit: - Quando le Famiglie di Attiliano erano le proprietarie ed insieme le coltivatrici dei beni appartenenti ora alla Famiglia Lante e agli Eredi Sensini, si esigevano da tutto il territorio venti quattro Decime, ed ora se ne riscuotono sedici. Dunque otto erano considerati i *lavorecci* dei beni predetti, e devono essere otto le Decime corrispondenti dall' affittuario Lante e dagli Eredi Sensini. Quindi si supplica la Sagra Congregazione del Concilio, che voglia decretare essere tenuto il primo a consegnare annualmente alla Mensa Vescovile, e per essa al Parroco di Attiliano cinque Decime, ognuna composta di quarti due di grano e due di biada, com' essere obbligati i secondi a soddisfare annualmente tre Decime nella divisata quantità, ad onta che dai calcoli fatti secondo i Periti più sarebbero le Decime, non volendosi però alterare l' antico sistema e numero, aggiungendo alle prime quelle ancora, che i detti debitori siano coartati a pagare le Decime per tutti gli anni trascorsi, non solo perchè il diritto di esigenza di esse non può soggiacere sotto il beneficio della prescrizione, ma ancora perchè il Parroco le ha sempre reclamate estragiudizialmente ed anche in Tribunale sin dall' anno 1823 -

idque ab Sacra Congregatione declarari petiit. Apostolicis enim permutationis Literis cautum erat, – quod salvum et illaesum servetur Capitulo Cathedralis Ecclesiae Brictinoriensis ius exigendi Decimas in quadam parte territorii Ecclesiae S. Christophori de *Salbaglione* eos prorsus modo, quo usque in praesens illud exercuit –. Si quid igitur iuris (ita disserebat Episcopus) in dismembratis Paraeciis sartum tectum Archipresbiteris Meldulae et Foripompilii servari voluisset, aeque perspicue fuisset memoratis in Literis expressum –. De iure autem Episcopo reservantur Decimae propter laborem, quem haudquaquam dicti Archipresbiteri conferebant pro dismembratis Ecclesiis. Unde incongruum foret, ut Brictinoriensis Episcopatus fines invaderent, cum in Cap. 18 de Decimis aperte statueretur, esse attendendum - etiamsi illae Ecclesiae in uno sint, vel in diversis Episcopatibus constitutae, quia difficilis nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius percipiat Decimas, cum ex hoc Episcopatuum fines confundi non immerito viderentur –. E contra Vaticanum Capitulum ex permutatione Paraeciae nullum detrimentum nullamque iacturam Archipresbiterorum iura subiisse censuit, cum, ad tollendum ius quaesitum, vel expressam illius abrogationem requiri contenderet, vel certe quod iuris exercitium, permutatione peracta, impossibile omnino evaserit. Imo quum in Apostolicis Literis Paraeciae - cum omnibus et singulis Beneficiis locis atque operibus suis iuribus ac privilegiis ceterisque pertinentiis perpetuo respective – concessae fuerint, expressa de decimandi iuris incolumitate sanctio adesse videbatur, quia in toto et pars continetur. His accedebat pactum expressum de Decimis, quod favore Capituli Cathedralis Brictinoriensis fuerat adiectum, quin obesset, quod Capitulum Brictinoriense nullum onus pro Parochianis S. Christophori sustineret, cum Decimas non semper esse laboris praemium concluserit Vaticanum Capitulum.

87. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo Archipresbiteris S. Petri de Foropompilio et S. Nicolai de Meldula competat ius decimandi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta consuetudinem - *in Brictinorien. Iuris decimandi et benedicendi die 8 Maii 1824.*

88. Hinc Decimae sunt solvendae etiam a Clericis pro praediis, titulo hereditario emptionis donationis et conductionis ab ipsis possessis, ex quibus antequam praedicta praedia ad eorum manus pervenirent Decimae solvebantur, haud ipsis suffragante asserta consuetudine non solvendi *in Marsicana die 12 Augusti 1651 lib. 19 Decretorum pag. 143.*

89. Amplia, etiam ex iis praediis, ad quorum titulum sunt promoti, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium *in Ussellen. Decimarum die 11 Maii 1658 lib. 21 Decretorum pag. 248 a tergo.*

90. Qua de re Decimae sunt solvendae a laicis ratione praediorum, quae prius a Regularibus utcumque exemptis possidebantur, nihil eis suffragante quoad hoc Religionum exemptione *in Ariminen. die 31 Iulii 1621 lib. 12 Decretorum pag. 16.*

91. Quum autem Dominicus d' Amico anno 1808 ab Italico Demanio nonnulla emisset praedia, quae partim ad Ecclesiam Collegiatam S. Laurentii, partim ad Minores Conventuales Oppidi Montis S. Petri Angelorum Firmanae Archidiaecesis olim pertinebant, et eorumdem praediorum conductores Decimas pro ratione fructuum, quos ipsi percipiebant, iugiter Parochis solvere consuevissent atque in praesens solverent; cumque tam Collegiata, quam Regulares, dum praediorum potiebantur dominio, immunes haberentur a pendendis Decimis, adeoque ipse ratus, se eodem iure censendum, praesertim quia fundos sibi comparaverat exemptos ab omni onere, a solvendis Decimis sese abstinuisset, propositis dubiis: – I. An sit locus praestationi Decimarum in casu? *Et quatenus Affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Firmana Decimarum die 17 Iunii 1826.*

92. Idcirco cum res non sit de Decimis personalibus aut sacramentalibus, sed de praedialibus, debentur Episcopo et Parocho ad instar tributorum onerum realium, licet praedii possessores et coloni ad aliam Parochiam vel Diaecesim pertineant *in Larinen. seu Vulturarien. Decimarum die 21 Iulii 1753* §. *Cum.*

Item *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Illud.*

93. Siquidem Decimae reales, quae debitae sunt ex quodam iure territoriali seu iurisdictionali illi Ecclesiae solvi debent, intra cuius limites bona existunt, ita ut Parochus de suis emolumentis certior reddatur, eiusque sustentatio non pendeat a Parochianorum voluntate, an in una vel in altera Paraecia aetatem agere velint, praesertim cum in praedialibus quoque non omnino exulet eadem ratio curae animarum ac administrationis Sacramentorum saltem in habitu seu in potentia, si praediorum domini in ipsis praediis vitam ducere atque in ea Paraecia Sacramenta recipere deligant *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Hisce.*

94. At quum ex consuetudine Decima frumenti tantum persolvatur, et Parochiani medietatem persolverent Parocho domicilii, alteram Parocho, in cuius Paraecia praedia sunt sita, Regulares et Pia Loca merito sustinent, se medietatem tantum solvere debere, ex eo quod medietas huiusmodi Decimae praedialis, altera sacramentalis censetur ac est *in Pisauren. Decimarum die 9 Septembris 1679 et die 15 Ianuarii 1718.*

95. Enimvero – Decima tantum frumenti ad rationem unius mensurae pro qualibet viginti in Diaecesi Pisaurensi solvitur: et Parochiani, qui in diversa habitant Parochia ab ea, in cuius districtu praedia possident, medietatem Decimae praefatae solvunt Parocho, in cuius Parochia degunt, quae Decimae medietas semper habitationem Possessoris sequitur, ita ut cum ipso de uno ad aliam transeat Parochiam. Quare cum Regulares et Pia Loca praetenderent, medietatem huiusmodi Decimae praedialem esse, alteram autem sacramentalem, ut etiam Episcopus tunc temporis in relatione data anno 1675 enunciat et nuncupat, propositum fuit in Congregatione habita die 9 septembris 1679 dubium: « An Regulares et Loca Pia teneantur solvere Decimam integram, vel medietatem? », cui responsum fuit: « Teneri pro medietate ». Adversus hanc resolutionem Capitulum Cathedralis et Parochi Urbani reclamarunt, eo quia cum quamplurima bona dietim in dominium Regularium et Locorum Piorum transferantur, eorum Decimae maximam patiuntur diminutionem. Hinc ab anno 1681 septem formiter examinati fuerunt Testes, qui deponunt, Decimam, tam scilicet medietatem debitam Parocho praediorum, quam alteram Parocho habitationis, persolvi solum ex frumento tempore messis et a praediorum Possessoribus, non autem ab aliis, quamvis ditissimis Parochianis. E contra Forenses non habitantes integram, si bona possideant, Decimam solvunt, sicuti Hebraei ex praediis conductis, et quidem medietatem Parocho eorum habitationis, et alteram Parocho, in cuius Parochia sita sunt bona conducta. Ex quibus omnibus Parochi Urbani inferunt, a ratione extraneum non esse, ut ratione domicilii Decimae praediales solvantur, si consuetudo ita se habet; in talibus enim consuetudo praeiudicat ex Glossa in Cap. *Significavit* verb. praediorum de Parochia, et Glossa in Cap. *Ad Apostolicae* in fine casus de Decimis. Hinc monito Procuratore Regularium et Locorum Piorum, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 septembris 1679 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Pisauren. Decimarum die 15 Ianuarii 1718.*

96. Decimae Sacramentales vero spectant ad Parochum domicilii, licet quis ab octo annis ante obitum rus continuo habitaverit, quandoque tamen ad Civitatem redierit *in Pisauren. die 8 Iunii 1765.*

97. Siquidem anno 1758 ruri, quo se octo ante annos receperat, obiit Opitius Mazza Pisaurensis. Exarsit controversia inter Parochum S. Iulianii Trivii antiqui, in cuius Parochiae finibus defunctus est, et Parochum Ecclesiae Cathedralis Pisaurensis, in cuius Parochia Opitius natus ac antiquam familiae domum habebat, super restitutione Decimarum sacramentalium, quae interim Parocho Cathedralis solutae erant. Capitulum dixit, Opitium natum educatumque in veteri domo familiae intra fines Parochiae: nunquam domicilium Civitatis deseruisse, imo usque ad diem obitus retinuisse semper, ac domum urbanam frequentissime se recepisse, ibi celebrioribus anni diebus commoratum et pernoctasse; matrem Ecclesiam agnovisse semper, revisisse, summa pietate coluisse, ibi dies integros transegisse, ad Sacramenta per-

cipienda illam unice adivisse, ad illam pro iis suam familiam adduxisse; suae Ecclesiae Decimas summa fide solvisse, ac ipso die mortis, dum in Civitate erat, solvendas iussisse, ideoque nunquam suae Parochiae esse obnoxium desiisse. Maxime quia integrum decennium extra eam Parochiam moratus non fuerat, cum nonnisi ab octo tantum annis rusticam domum, animi potius et valetudinis causa, cepisset incolere. Praeterea etsi duplex domicilium habuisse dicendus fuisset, praeferendum illud, in quo Sacramenta percipiebat; Decimas enim Sacramentales deberi in compensationem laboris. Neque in his circumstantiis rationem habendam esse contendit temporis vel maioris vel minoris, quo unam vel alteram domum inhabitabat. Alia ex parte asseruit Trivii Parochus, Opitium iam octo ante mortem annos assiduam diuturnamque moram ruri in sua Parochia traxisse, ibique defunctum; ideoque omni iure eas Decimas ad se pertinere, ad tradita per Rebuff. de Decimis quaest. 6 n. 24, Rot. Recent. decis. 124 n. 7 part. 5. Dubitari non posse subdidit, illum animo acquirendi domicilium se rus transtulisse, ubi domum suo sumptu aedificaverat, quam maiori, imo maxima anni parte cum familia incolebat. Sustinuit inde, haud requiri decennium ad subiectionem Parocho, favore cuius sola habitatio per maiorem anni partem sufficit, etiam sine animo habitandi semper. Quod si Opitius duplex domicilium habuisset, illud spectandum ac praecipuum habendum, quo pro maiori temporis parte utebatur. Ambigi autem non poterat, quod Opitius rus continuo incolebat, a quo aliquando per occasionem ad Civitatem redibat. Nullius certe momenti esse subinde contendit quodcumque ipsius Opitii factum contra apertam legem canonicam, cum Decimarum solutio contra iura Parochi a Parochianorum voluntate haud pendet.

98. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An Rectori Ecclesiae Parochialis Sancti Iuliani Trivii antiqui sint restituendae Decimae sacramentales, de quibus agitur, et a quo tempore? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Pisauren. die 8 Iunii 1765.*

99. Unde servanda est consuetudo solvendi integras Decimas, si possessores et praedia intra fines Paraeciae extent, medietatem vero Parocho praedii, et medietatem Parocho habitationis, cum diversas incolant Parochias a Parochiis praediorum *in Pisauren. Decimarum die 9 Iulii 1785.*

100. Siquidem parochialitate Ecclesiae S. Leonardi suppressa et animarum cura in ipsam Cathedralem et Parochialem limitropham translata, Canonicus Petrucci, qui eam exercebat, cum viderit, plures defecisse familias, quae olim domos incolebant intra fines suppressae Parochiae sitas, illarumque heredes, alibi in Civitate habitantes, Decimarum sibi praestationem abnuere, censentes propriis Parochis deberi veluti personales seu sacramentales, licet ipse praediales esse putaret, petiit, ut definiretur, ad Decimarum sui favore solutionem teneri tum heredes praefatos, tum et alios, qui alio migrarint, sive in posterum migrassent. Contra vero probabatur, Decimam frumenti in Pisaurensi Civitate et agro praestari in ratione unius ex mensura viginti hoc tamen pacto, quod habitantes in Territorio et Parochia, cuius intra fines et praedia sita erant, integram proprio Parocho Decimam solvebant, qui vero sive in territorio, sive in Civitate Parochias incolebant diversas a Parochiis praediorum, dimidiam pendebant Decimam Parochiae habitationis, dimidiamque Parochiae, cui praedia suberant; atque ita ex parte praedialis Decima erat, quae perpetuo manebat, et ex parte personalis, quae personam toties sequebatur, quoties ab una Parochia ad aliam diverteret. Idque constabat ab antiquiori Episcopi informatione Sacrae Congregationi sub annum 1675 reddita, nec non ab eiusdem resolutione edita die 9 septembris 1679 in Causa Pisauren. Decimarum; atque demum a duabus sententiis A. C. alia anni 1714 et alia anni 1782. His itaque perpensis, proposito dubio: – An quomodo et cui sint solvendae Decimae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta solitum, nempe ad normam informationis Episcopi anni 1675; et amplius – *in Pisauren. Decimarum die 9 Iulii 1785.*

101. Ius itaque habebant Parochi Pisaurensis Diaecesis decimandi in vigesima parte frumentum et linum. Integram lini Decimam exigebant Suburbani, in quorum Paraeciis

erant bona; dividebatur altera frumenti in praedialem et sacramentalem, ac ratione bonorum et domicilii aequis inter Suburbanos et Urbanos dividebatur partibus, seu ut Incolae aiebant, unum cuique solvebatur ex quadraginta. Nemo ex Laicis immunis erat ab huiusmodi solutione. Qui alibi morabantur domumque Pisauri retinebant apertam, sacramentalem adhuc Urbanis solvebant Parochis. Integrum locatores et domini directi solutionis onus in conductores et emphyteutas refundebant. Loca vero Pia, quae in hoc erant iudicio, immunia se dicebant pro parte dominicali, ac – nedum quoad novalia, vel propriis manibus exculta, sive in Cap. *Nuper* de Decimis excepta, sed etiam quoad noviter et quomodocumque quaesita –, teste in prima informatione Pisaurensi Episcopo. Ita ab immemorabili servabatur tempore, licet perpetuae inter Parochos Parochianos et Loca Pia fuerint controversiae, ceu resolvit Sacra Congregatio die 9 septembris 1679 et die 15 ianuarii 1718. Anno rursus 1729 damnavit Vicarius Generalis Pisauri illos de Factoribus, qui, retenta ibi domo, alio se contulerant, ad solvendam Parocho S. Michaelis Archangeli medietatem Decimae sacramentalis, reservato eis iure illam repetendi a Suburbano Parocho Nubilariae. Per alteram eiusdem Vicarii sententiam, ab A. C. confirmatam, manutentionem obtinuit anno 1741 urbanus quoque Parochus S. Luciae in possessione exigendi Decimas sacramentales. Post resolutiones Sacrae Congregationis editas die 8 iunii 1765 et die 9 iulii 1785, eodem anno 1785 addixit A. C. Pisaurensi Capitulo sacramentalem Decimam Marchionis Caroli Mosca Barzi, qui domum retinebat in Civitate, sed in Terra morabatur Gradariae; confirmavitque sententiam Sacra Rota in Pisauren. Decimarum 26 iunii 1786 et 14 maii 1787 coram Resta. Ac reassumpta tandem per Parochum Trivii antiqui de sacramentalibus Decimis controversia, ei Pisaurensis Vicarius Generalis manutentionem concessit in possessione exigendi Decimas tantum praediales, Urbanis vero Parochis sacramentales. Ab hoc igitur novissimo iudicato recursum habuit Triviensis Parochus ad Summum Pontificem, precibusque ad Sacram Congregationem remissis, ad Causam cum Parochis urbanis, quaedam venerunt Loca Pia; retulitque Episcopus, quod – agitur de praestatione decimali ab assertis privilegiis ibi possidentibus Ecclesiae illi Parochiali semper denegata, et iamdiu a Rectoribus ne quidem petita –, quodque Triviensis Ecclesiae – reditus annuus sistit in scutis circiter centum quinquaginta large ad congruam Parochialem cuique sufficientibus –.

102. Parochi Urbani concedebant quidem Parocho Trivii antiqui Decimas praediales, sed sibi vindicabant sacramentales, tum ex dispositione iuris, tum ex immemorabili consuetudine rebusque iudicatis, scilicet medietatem Decimae frumenti Parochis ruralibus ratione bonorum, medietatem urbanis ratione domicilii spectare contenderunt. Suam etiam Loca Pia defenderunt immunitatem ex consuetudine, Monasteria nempe S. Mariae Magdalenae, Corporis Christi, S. Catharinae et Purificationis, Conventus S. Dominici, Servorum Mariae et S. Nicolai Vallis manentis, ac Hospitalis Pisauri. Probarunt enim per Testes ad perpetuam examinatos ac respectivos eorum Codices, nunquam pro parte dominicali solvisse Decimam lini aut frumenti, excepto Hospitali et Monasterio Purificationis, quae non pro omnibus, sed pro uno vel altero praedio Decimam solvebant frumenti ad rationem unius ex quadraginta, seu pro medietate. Dum omnem vero Loca Pia denegabant praedialem Decimam, rem non esse dixerunt de illarum substantia, quae de iure est divino, sed de quantitate et modo, qui per consuetudinem variari potest. Vim tamen sentiebant iterati Rescripti annorum 1679 et 1718; nam agebatur de Locis Piis in genere praediisque secundae erectionis, et Sacra Congregatio definivit: – Teneri pro medietate –. Ideoque in hypothesi deficientis consuetudinis damnari non posse contenderunt, ultra dimidiam Decimam frumenti ad similitudinem Hospitalis et Monasterii Purificationis, licet dubium a Sacra Congregatione resolutum annis 1679 et 1718 de Decimis [fuerit in genere, frumenti scilicet et lini. Huiusmodi dimidia vero solvenda erat ex bonis secundae erectionis, de quibus tantum in resoluto actum fuit casu, et quidem in areis, cum id ex Testibus constaret, et Parochiani de iure non tenerentur Decimas deferre in horrea. Integrum au-

tem Decimarum onus, cum praemissa sacramentalium et praedialium distinctione, in Conductores et Emphyteutas pro huiusmodi bonis reiecerunt, accedente praesertim consuetudine. Conveniebant quoad Decimas sacramentales per eos solvendas, qui domum Pisauri retinebant apertam, et alibi morabantur. Pauca vero Pisaurenses Parochi et Loca Pia quoad variationem culturae frumenti et lini. Quisque enim naturali uti valet libertate serendi unam potius, quam alteram seminis speciem, vel convertendi sativum praedium in pratum, quin de imminutis Decimis queri valeant Parochi; et constabat, nunquam variatam fuisse culturam in eorum fraudem. Demum advertebatur, quod si Causam obtineret Parochus Trivii antiqui quoad futurum, ei forsan reddendum esset, quod contra suum ius in praeteritum non exegit, vel a tempore, quo Parochiam obtinuit, vel a die saltem motae litis. Ceterum sub bona consuetudinis rerumque iudicatarum fide sacramentales Parochi Urbani exegerunt Decimas ab iis etiam, qui domum Pisauri habebant apertam, eademque consuetudine non solverunt Loca Pia praediales; hinc in his terminis excusari poterant a restitutione quoad praeteritum.

103. His mature perpensis, propositis dubiis:–I. An quae Decimae ex quibus generibus ad quam rationem et in quo loco sint solvendae Parocho Trivii antiqui, seu Parochis urbanis Civitatis Pisauri pro bonis sitis in districtu Paraeciae Trivii antiqui et spectantibus ad Incolas Regulares Locaque Pia dictae Civitatis Pisauri in casu etc. II. An quae Decimae ad quam rationem et quibus sint solvendae pro bonis sitis intra fines Paraeciae Trivii antiqui et locatis sive in emphyteusim concessis per exteros proprietarios Incolis Pisaurensibus in casu etc. III. An cui et ad quam rationem sit solvenda Decima ab iis, qui retinent domum tantum apertam in Civitate Pisauri, nec ibi aut continuo aut in maiori anni parte habitant in casu etc. IV. An et quomodo solvenda seu consignanda sit Decima pro terris redactis ad usum prati et pascuorum, in quibus satio frumenti et lini praetermissa sit in casu etc. V. An et a quo tempore sit locus restitutioni Decimarum exactarum et respective consignationi non hactenus traditarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad formam resolutionum anni 1679 1718 et 1785. Ad secundum, Affirmative a Conductoribus et Emphyteutis iuxta consuetudinem, ut in primo. Ad tertium, Affirmative ad formam resolutionis anni 1785. Ad quartum, Negative in omnibus iuxta consuetudinem. Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam a die motae litis, ut in primo – *in Pisauren. die 24 Martii 1792.*

104. Hinc et civis Pisaurensis, qui uti Praesul Romae commoratur, sed praedia in Diaecesi Pisaurensi possidet, et domum apertam et Familiares suos in ea degentes Pisauri habere videtur, Decimam sacramentalem iuxta consuetudinem solvere tenetur *in Pisauren. die 21 Ianuarii 1826.*

105. Enimvero Romam petiit anno 1824 Pisaurensis Patricius comes Aloisius Ciacchi, et inter Romanae Curiae Praesules cooptatus Decimam sacramentalem proprio Parocho S. Michaelis Pisauri solvere praetermisit. Parochus ita solutionem Decimae ex immemorabili consuetudine, quam Sacra Congregatio die 24 martii 1792 sanxit, reclamavit. Nam dictus Praesul praedia in Pisaurensi Diaecesi possidebat, ac domum apertam, et Familiares suos in ea degentes, Pisauri habebat; idque pluribus exemplis confirmavit possidentium et procerum, qui alibi ac etiam Romae vivebant, domum et in ea Familiares Pisauri retinebant, et Decimam Parocho Pisaurensis domicilii persolvebant. E contra Praesul Ciacchi immunem a solutione Decimarum Parocho domicilii se esse contendit, quoniam pro participatione Sacramentorum tribuebantur, quae ratio cum in eo cessaret, qui Romae commorabatur, cessare debebat etiam legis dispositio. Addidit quoque, a iure devium esse, ut ipse duplici sacramentalium Decimarum onere eodem tempore gravari posset, Pisauri nempe et Romae, ubi expensae funeris iuxta Statutum Cleri locum obtinebant Decimarum: neque enim bis idem exigi debebat, ad Textum in Cap. *Bona fides* de regulis iuris, et Rota in decis. 58 n. 1, et decis. 87 n. 3 coram Gamberini. Demum illud praecipue perpendendum proposuit Ciacchius, se Pisauri, reservatis duobus tantum

cubiculis pro Famulis, suam in avitis aedibus diaetam aliquot mobilibus instructam fratri suo Sacerdoti Maximo Ciacchi Pisaurensis Ecclesiae Cathedralis Archidiacono locasse; ideoque nullam amplius ea in Civitate habere domum apertam, imo ne mansionem quidem propriam, in qua se reciperet, si in Patriam se conferret. Dubitandum proinde non esse dixit, se ne animo quidem domicilium retinere Pisauri, sed illud Romam omnino transtulisse, et ideo ad ipsum non pertinere huius Sacrae Congregationis resolutiones, quae ab Episcopo et a Parocho S. Michaelis fuere commemoratae. Respiciebant enim eos, qui licet absentes, – Ministros tamen vel reliquam ipsorum familiam habent Pisauri, animoque ibi domicilium retinent –, uti legebatur in folio Causae Pisauren. Decimarum 3 martii 1792 §. Conveniunt: illos uno verbo, qui domum Pisauri apertam habebant, quam se habere negabat; eo quidem certius, quia duo cubicula in contractu locationis excepta huiusmodi erant, ut famulorum tantum habitationi inservire possent.

106. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Parocho S. Michaelis sit solvenda Decima in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad formam consuetudinis – *in Pisauren. die 21 Ianuarii 1826.*

107. Unde inita concordia inter Parochum et Communitatem, qua quisquis loci domum aliudve immobile corpus possideret, solveret Decimae nomine obulos viginti quinque, qui neque domum neque praedium haberent, obulos decem, sed inde mutatis rerum dominiis, qui bona acquirebant, negabant duplicem solvere Decimam, Sacra Congregatio declaravit, huiusmodi modernos Possessores, solventes Decimas pro bonis in antea possessis, haud teneri pro bonis postea quaesitis ad novam Decimarum solutionem, neque Regulares Tertii Ordinis S. Francisci, neque alia Pia Loca ad eas solvendas cogi posse, pro bonis quocumque modo ac titulo quaesitis, imo nec Clericos pro bonis post concordiam in Patrimonium Sacrum assignatis, nec Particulares, qui tempore concordiae nulla bona possidebant, pro bonis postea quaesitis a solutione Decimarum interim a die motae litis eximi debere *in Tudertina Decimarum die 15 Iulii 1747 die 26 Aprilis die 23 Augusti 1749 et die 26 Februariis 1752.*

108. Enimvero diuturno usu et longa quasi possessione Archipresbiteri Parochialis Ecclesiae S. Felicis Oppidi Massae ius nacti fuerant exigendi a Populo annuam praedialem Decimam, sive in speciebus tritici et musti, sive in obulis triginta. Cum anno 1612 Archipresbiter in ius vocasset Oppidanos aliquot, qui Decimam non solverant, commota est Universitas, actaque lite, vicit Archipresbiter, et controversia transactione sopita fuit anno 1616, pacta conventa fuerunt, ut quisquis Massae domum aliudve immobile corpus possideret, solveret Decimae nomine obulos viginti quinque, qui neque domum neque praedium haberent, obulos decem: placuit Pauperes immunes essent, census loco praediorum. Transactionem Beneplacito Apostolico comprobatam fuisse credebatur, nec deerat aliqualis probatio. Servata transactio est ad annum 1747: sed paulatim detrimentum sensere Archipresbiteri; nam mutatis rerum dominiis, qui bona acquirebant, negabant duplicem solvere Decimam, hinc decrevit reditus annuus Archipresbiteri, ita ut, deductis oneribus et impensis, vix pro Rectore superessent annua scuta 29, 49. Ut malo huic medicinam pararet Dominicus Antonius Biaginus, qui Archipresbiteratu fungebatur, preces obtulit Summo Pontifici, a quo Causae cognitio amplissimis Patribus data fuit. Audito igitur Episcopo, rescriptum est, Causam proponi, citata Communitate aliisque interesse habentibus.

109. Propositis itaque dubiis: – I. An bona, quae ab anno 1616 remanserunt per concordiam affecta certo oneri Decimarum, transierint ad alienas manus cum onere suo, ita ut moderni Possessores illorum, licet solventes Decimas pro bonis in antea possessis, teneantur pro bonis postea quaesitis ad novam Decimarum solutionem, pro quantitate solvi solita ab antiquis illorum respectivis Possessoribus? II. An ab huiusmodi solutione eximantur Clerici pro bonis eisdem post concordiam in Patrimonium Sacrum assignatis, et Patres Tertii Ordinis aliaque Loca Pia dictae Terrae, pro bonis quocumque titulo quaesitis? III. An Particulares, qui de tempore concordiae nulla bona

possidebant, teneantur ad solutionem Decimarum ad taxam concordiae pro bonis postea quaesitis, etiamsi acquisitio non esset, nisi de rata tantum bonorum, altera remanente penes antiquum possessorem adhuc solventem Decimas in ea quantitate? *Et quatenus affirmative ad primum et tertium, et negative ad secundum.* IV. An dicti Particulares laici et ecclesiastici etiam Regulares et Loca Pia dictae Terrae teneantur Parocho ad solutionem Decimarum praeteritarum et non solutarum a die Rectoriae moderni Archipresbiteri, vel potius a die concordiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative quoad Clericos; et in reliquis videatur particulariter. Ad tertium, Affirmative ad formam concordiae. Ad quartum, Affirmative iuxta resoluta in praecedentibus pro nunc a die motae litis – *in Tudertina Decimarum die 15 Iulii 1747.*

110. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius in omnibus – *in Tudertina Decimarum die 26 Aprilis 1749.*

111. Exinde Archipresbiter Dominicus Antonius Biaginius definiri postulavit Causam contra Regulares et Loca Pia particulari iudicio reservatam: et hanc nactus occasionem aliud addidit controversiae caput de Exteris, qui bona possidebant in territorio Massae, quos ad Decimarum solutionem damnandos esse censuit. Propositis hinc dubiis: – An RR. PP. Tertii Ordinis S. Francisci et alia Loca Pia Terrae Massae pro bonis quocumque titulo et a quocumque tempore quaesitis teneantur Parochiali solvere Decimas, ad quam rationem et a quo tempore in casu etc. II. An Exteri bona in territorio Massae possidentes eidem Ecclesiae Decimas solvere teneantur, ad quam rationem et a quo tempore in casu etc. –; Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative a die captae possessionis Parochiae ad formam concordiae – *in Tudertina Decimarum die 23 Augusti 1749.*

112. Pugnam subinde adversus Patres et alia Loca Pia instauravit Archipresbiter Dominicus Antonius Biaginius; sed repropositio dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Tudertina Decimarum die 26 Februarii 1752.*

113. Quando itaque praedia existant in una Parochia illorumque Possessores in alia habitent et quaestio sit, an Decima sit praedialis, vel personalis, consuetudo sedulo inspicienda est; si enim ipsa faveat Parocho loci, ubi sita sunt praedia, etiam Exteri praedia habentes intra limites Ecclesiae Parochialis dicti Parochi Decimas solvere tenentur *in Hortana Decimarum die 13 Februarii 1683 die 19 Augusti 1684 die 22 Septembris 1685 lib. 35 Decretorum pag. 420 et 421 die 25 Septembris 1694 lib. 44 Decretorum pag. 477 die 16 Aprilis 1695 lib. 45 Decretorum pag. 207 die 10 Aprilis 1723 et die 13 Septembris 1738.*

114. Iamvero Angelus Gozzadinus iamdudum Ecclesiarum Hortae et Civitatis Castellanae Episcopus anno 1626 ad petitionem Dionysii Decii sui Vicarii Generalis exponentis, multas ultra et citra Tyberim reperiri Villas, quarum Incolae, tum propter dicti fluminis inundationem, hyemali praesertim tempore, tum ob earum a Civitate distantiam, aegre poterant ecclesiasticis Sacramentis refici Missaeque Sacrificium audire, binas erexit Parochias, alteram scilicet in Ecclesia S. Iosephi – cum honoribus et oneribus solitis et consuetis et praesertim Sacramenta habitatoribus a proprio Parocho administrandi, Missam diebus festivis celebrandi aliaque faciendi, prout quilibet Parochus facere tenetur, et cum recognitione et solutione annuali Tinotiae unius grani tempore recollectionis a quolibet iugum Bobum habente, aliaque de iure debita et consueta, iuxta consuetudinem aliarum Terrarum Diaecesis et aliorum viciniorum –. Hac ita duarum eiusmodi Parochiarum erectione secuta, plures successu temporis inter illos, qui dictae Parochiali Ecclesiae S. Iosephi subiecti censebantur, et inter eiusdem Parochialis Rectorem promotae sunt controversiae super solutione seu traditione Decimarum frumenti mensura consistentium; primum enim, conquerente Parocho, praefatas Decimas sibi detrectari, tametsi reditus omnes Ecclesiae suae

in ea tenuissima frumenti exactione trium rubrorum quantitatem anno quolibet non excedente consisterent, Sacra Congregatio, audito Episcopo, die 13 februarii 1683 et 19 augusti 1684 eidem praecepit, ut Parochianos renuentes ad controversam solutionem compelleret. Deinde vero quidam Bernardinus Mercuri, non obstante praemisso Sacrae Congregationis Rescripto, contendere cepit, se minime teneri ad enunciatam frumenti praestationem eo sub obtentu, quod licet agrum in Paraccia S. Iosephi conduxisset statisque anni temporibus cum uno Bobum iugo excoleret, attamen intra fines Paracciae S. Ioseph ipse non habitaret, neque ab eius Rectore Sacramenta reciperet, sed Incola esset Territorii Bassani extra dictam Parochiam positi, ubi nocturno tempore Boves suos detinebat, nec nisi illucescente die consueverat eos ad colendum agrum educere, statimque cum illis post occasum solis ad domum suam revertebatur. Sed quia Parochus excipiebat, praestationem frumenti ab Episcopo in memorato instrumento reservatam Rectori Ecclesiae S. Iosephi esse Decimam praedialem, ideoque Bernardinum quamvis exterum et alibi degentem ad eam cogi debere, praesertim quia Regionis illius mos esset, ut ab Exteris quoque et Forensibus persolverentur Decimae Parochis, intra quarum Parochiarum limites existerent agri ab ipsis excolti, Sacra Congregatio proposito dubio: – An dictus Bernardinus teneatur atque cogendus sit ad praestandum Parocho Ecclesiae S. Ioseph controversum frumentum? respondit: – Dilata, et videndum de consuetudine Regionis, et an Decima, de qua agitur, esset praedialis, vel potius personalis – *in Hortana Decimarum die 22 Septembris 1685 lib. 35 Decretorum pag. 420 et 421.*

115. Controversiam hanc, quae diu siluerat, postea Parochus redintegravit, pluribusque consentance ad memoratum Sacrae Congregationis Rescriptum allatis Testium depositionibus,quibus assertam aliarum Parochiarum consuetudinem sibi faventem nisus est comprobare, curavitque sequens proponi dubium:–An Mannus Baldinus et alii teneantur atque cogendi sint ad praestandum Parocho Ecclesiae S.Iosephi controversum frumentum?, cui, Parocho dumtaxat iura sua promovente, responsum fuit: – Affirmative – *in Hortana Decimarum die 25 Septembris 1694 lib. 44 Decretorum pag. 477.*

116. Reproposita dein Causa ad petitionem Parochianorum succumbentium sub consueto dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – Non retardata solutione Decimarum favore Parochi S. Iosephi, coadiuvandas esse probationes super consuetudine coram Episcopo, auditis etiam Parochis Bassani – *in Hortana Decimarum die 16 Aprilis 1695 lib. 45 Decretorum pag. 207.*

117. Post haec ad tramites editi responsi nomine Parochianorum collecta fuerunt documenta; primo scilicet iudicialis ac iurata declaratio Parochorum Bassani testantium, se in pacifica reperiri possessione exigendi controversas Decimas ab Incolis Bassanensibus, licet isti bona intra limites Parochiae S. Iosephi possideant; secundo depositio sexdecim Incolarum Bassanentium affirmantium, dictas Decimas nunquam Parocho S. Iosephi fuisse persoluta, sed eas Parochis Bassani praestari consuevisse; tertio congeries partitarum ex publicis libris Communitatis Bassani extracta, ex quibus apparere dicebatur, earumdem Decimarum solutio in manibus Parochorum dicti loci Bassani peracta; quarto attestatio Fratrum S. Bernardini Civitatis Hortae Subcollectoris spoliorum nonnullorum Civium Hortanorum et dictorum sexdecim Bassanentium deponentium, Parochum Ecclesiae S. Ioseph Decimas ab iis dumtaxat, qui suam Paraeciam inhabitabant, non autem ab Exteris, qui ibi bona possidebant atque excolebant, exigere consuevisse; quinto depositio nedum Rectoris alterius supradictae Parochiae S. Laurentii, verum etiam aliorum Parochorum, qua habebatur, ipsos Decimas ab Incolis et Parochianis tantum, haud vero ab Exteris bona intra suarum Parochiarum limites existentia possidentibus et excolentibus percepisse; et sexto demum descriptio domorum et stabulorum, quae Bassanenses in dicta Parochia retinebant, ex qua constabat, ea adeo diruta esse, ut ibi nequiret habitari. Novis hisce documentis instructi praefati Parochi obtinuerunt disceptari dubium: – An Decimae debeantur in casu, et an sit standum, vel recedendum a

decisis die 25 septembris 1694?, cui Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et extrahantur partitae, citata Parte; et examinentur Testes formiter, ac scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Hortana Decimarum die 10 Aprilis 1723.*

118. Putantes autem nonnulli ex saepedictis Parochianis, qui asserebantur Incolae Terrae Bassani et Possessores agrorum in plano Lucignani intra fines supradictae Parochiae S. Iosephi existente, satis valida cumulasse monumenta, quorum praesidio declarari possent immunes a controversa frumenti traditione, ad quam rigide ab moderno Parocho quotannis compellebantur, enixe flagitarunt, ut EE. PP. resolvere dignarentur: – An Decimae debeantur, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis die 25 septembris 1694 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et in decisis – *in Hortana Decimarum die 13 Septembris 1738.*

119. Exorta hinc controversia, inter Praepositum S. Laurentii, et Plebanum S. Gregorii Terrae Urbisaliae, proposito dubio: – XII. An illi, qui a Praeposito Sacramenta recipiant, teneantur pro fructibus recollectis in praediis Plebaniae subiectis solvere Decimas Plebano in casu etc. –, Sacra Congregatio ante omnia respondit: – Ad duodecimum, dilata; et examinentur hinc inde formiter Testes – *in Maceraten. Iurium parochialium die 17 Iunii 1719.*

120. Quando autem quis sub duabus Parochiis domicilium habet, tunc si unum sit principale et alterum accessorium, personales Decimae priori Parocho sunt solvendae: si vero sub utraque Parochia aeque permaneat, tunc inter utrumque Parochum sunt partiendae *in Nucerina Praecepti Paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Verum.*

121. Verum si quis, mutato domicilio, extra suam Parochiam laboret negotietur aut aliquid aliud agat etiam per magnam anni partem, tenetur nihilominus Decimas persolvere Parocho illius Ecclesiae, intra cuius ambitum domicilium retinet; quia ibi de iure percipere deberet Sacramenta et divina audire, licet per accidens ratione absentiae alibi utrumque adimpleat, ceu ad rem Piringhius in ius can. lib. 3 tit. 30 n. 84 *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Verum.*

122. Propria vero alicuius Parochia illa dicitur, intra cuius limites quis domicilium habet, ad tradita per Barbosam de offic. et potest. Parochi part. 2 Cap. 21 n. 35 *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Propria.*

123. Si quis igitur rei familiaris curis distentus, aut rusticationis causa, ad Villam seu agrum se conferat, non efficitur subditus Parochi, in cuius ditione rurale domicilium situm reperitur, ut docet Benedicti XIV in Inst. 30 n. 7, et refert resolutionem captam a Sacra Congregatione in una Florentina, in qua declaravit, – Parochum ruralem non esse verum Parochum, quando rus itur causa rusticationis, vel pro rusticationis negotiis – *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 23 Aprilis 1774* §. *Propria.*

124. Itaque quamvis veteres Doctores in varias abierint sententias, utrum ad Paraeciam noviter erectam Decimae devolverentur, vix acta dismembratione, an potius opus esset, ut ab Episcopo ei adsignarentur, omnis tamen sublata est controversia ex Cap. 4 sess. 21 de reformatione Concilii Tridentini, ceu fuse demonstrat Fagnanus in Cap. *Cum contingat* lib. 3 Decretalium tit. 30 n. 31, ubi citatae Sessionis Tridentini Concilii verba ad trutinam revocans, ait, unumquodque eorum – Decimarum ipso iure transitum in filialem Ecclesiam excludere – *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839* §. *Nec* (2).

125. Addit insuper Fagnanus, dum Sacrae Congregationis Secretarii munere ipse fungeretur, ad S. Rotae consultationem hac super re PP. EE. accuratam iniisse discussionem, atque die 11 martii 1617 tulisse responsum: – Decimas ad Ecclesiam Ma-

(1) Praefata instructio in eo versabatur, ut pro viribus studeret, in claris – poni observantiam proximam fundationi Parochiae, omniaque in universum colligeret, quae colligere posset, ut facti veritas innotesceret–.

(2) Consonant Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 2, cap. 28, §. 11; Monacellius in adnot. ad form. 3, tit. 2, n. 15; Reiffenstuel lib. 3 Decret. tit. 30.

tricem pertinentes non transire ipso iure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanere apud Ecclesiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad praescriptum Concilii assignaverit –; quae tamen decisio, eodem monente Fagnano, super Decimis praedialibus tantum edita est, Decimas autem personales ipso iure favore novae Parochiae cedere disserit, quia hae illi Ecclesiae pensitandae sunt, in qua quis divina officia audit atque percipit Sacramenta *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839* §. *Nec.*

126. Unde licet personales seu sacramentales transeant ipso iure in Parochialem recens erectam etiam ante ullam Episcopi assignationem, praediales tamen, nisi in dismembratione ab Episcopo explicite assignentur pro sustentatione novi Parochi, non censentur in eum transferri neque pro rata, sed remanent integraliter Rectori Matricis *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *In subiecta.*

127. Idcirco cum quaestio ageretur de congrua novo Parocho constituenda, ac propugnaretur, Praepositum maioris Ecclesiae Civitatis Pergulensis, qui curam animarum exercebat in Oppidis *Pantana* et *Belise,* verba vendidisse, cum ius decimandi novae Paraeciae Pantanae cessisset, ex eo quod Decimae ipso iure devolverentur in novum Parochum, Sacra Congregatio, antequam rem definiret, inter cetera mandavit, ut accuratius referretur etiam de qualitate Decimarum; propositis enim dubiis: – I. An et quae bona et quomodo sint tribuenda Paraeciae Pantanae in casu? II. An cui et quomodo sit tribuendum incrementum pretii fundorum alienatorum in casu? III. An qui fructus et a quo tempore debeantur Paraeciae Pantanae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, dilata; et scribatur Episcopo, qui accuratius referat de quantitate et qualitate Decimarum nec non de fundis Paraeciae Pantanae assignatis et de reditu taxarum, quas sibi Parochiani imposuerunt, ac de causis retardatae consignationis dotis Paraeciae Pantanae – *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839.*

128. Sacrae Congregationis mandatis satisfecit Episcopus, cum etiam retulerit, Decimas praediales et certas ex Praepositura donatas Paraeciae Pantanae scutata attingere quotannis viginti et octo. Hinc repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative; et esse attribuendam annuam summam scutorum quadraginta ex bonis donatis a s. m. Leonis XII, scuta viginti quinque desumenda a Praepositura, ex Confraternitate Gonfalonis scuta 10. 31, praeter oblationem decretam a Pantanensibus, et Decimas de iure percipiendas. Ad tertium, satis provisum per Episcopum, erogatione iam facta – *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 7 Septembris 1839.*

129. Similiter quum Sebastianus Carolus et Iacobus fratres Villae Marranellae et Ecclesiae Castri Bastiae parochialis Incolae praedium emphyteuticum intra fines Parochiae S. Donati acquisiverint, ibique moram traherent, et ob id Parochus Bastiae contendisset, eosdem ad praeceptum paschale in sua Ecclesia implendum teneri et ad sibi integram Decimarum, quas pro medietate praestabant, quantitatem solvendam, proposito dubio: – II. An et in qua quantitate debeantur Decimae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, dilata; et reproponatur, citato etiam Parocho S. Donati, et addito dubio super qualitate Decimae, de qua agitur – *in Nucerina Praecepti paschalis et solutionis Decimarum die 14 Maii 1774.*

130. Ceterum iustis de causis Sacra Congregatio in ipso etiam actu dismembrationis Paraeciae S. Gregorii, quae iamdiu unita erat cum Ecclesia Parochiali S. Michaelis, nedum indulsit dismembrationem, sed et ipsum ius decimandi in novum Parochum expresse transtulit; proposito enim dubio:–II. An sit probanda proposita congruae constitutio pro nova Paraecia in casu?–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta modum, nempe ut praeter scutata 67 et obulos 20 ius sit Parocho S. Gregorii fontis baptismalis et decimandi in propria Parochia, imposito tamen eidem Parocho onere offerendi quotannis cereum duarum librarum Ecclesiae S. Michaelis die festo Titularis in signum honoris – *in Urbinaten.*

Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852.

131. Idcirco quum Sacra Congregatio resolverit, manutentionem Ecclesiae ac aedium pro Capellano Curato SS. Angelorum spectare ad Collegiatam S. Elpidii, proposito dubio: – III. An et quatenus habitatores et Coloni Territorii S. Elpidii assignati dictae Ecclesiae SS. Angelorum Custodum teneantur subire onus dictarum praestationum, et teneantur quoque persolvere Decimas Ecclesiae Matrici in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative ad formam resolutionis primi dubii – *in Firmana die 7 Septembris 1776.*

132. Quum itaque Episcopus Reatinus in actu Sacrae Visitationis decrevisset, spectare ad Archipresbiterum Castri Franchi iurisdictionem per totum Territorium ei adiunctum ab ipsa Civitate Reatina iuxta descriptionem a Peritis factam, assignando Parochis SS. Eusanii Leopardi et Donati domos rurales existentes prope dictam Civitatem in descriptione non comprehensas, sed hanc confinium divisionem acriter impugnantes fratres Stola, qui adiunctum praedium in territorio Castri possidebant, renuerint persolvere Decimas, Sacra Congregatio post approbationem praefati Episcopi Decreti, proposito dubio: – II. An et a quibus debeantur Decimae a die Decreti Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Deberi ab incolentibus domos fratrum Stola existentes in Parochia Castri Franchi – *in Reatina Dismembrationis et iuris Decimandi die 31 Maii 1783.*

133. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Reatina Dismembrationis et iuris Decimandi die 10 Ianuarii 1784.*

134. Qua de re novus Parochus ex dismembratione constitutus percipere nequit Decimas super praediis, quae in cessione eidem facta ab antiquo Parocho comprehensa minime videntur *in Sarsinaten. Onerum die 20 Augusti 1774.*

135. Iamvero Parochus S. Iacobi Terrae Linarii pro certo posuit, locum nuncupatum *S. Romano* subiacere Castro Linarii eiusque Gubernationi, et in illius territorio situm esse, prout desumebatur ex Testibus, quibus cohaerebat Episcopus in sua relatione, dum aiebat: – hoc ius decimandi intra fines dictae Parochiae S. Romani reservatum fuit Parocho Linarii –. Quare abusum dixit, quod Parochus S. Romani a nonnullis suis Parochianis certam frumenti quantitatem perciperet, cum praesertim Parochus Linarii ab antiquissimo tempore Decimas percipere semper et indistincte censuerit ex universis praediis in districtu suae Parochiae existentibus, atque etiam ex praediis, quae Custos S. Romani appellabat primae erectionis. Idcirco inhaerendum esse observantiae contendit et consuetudini super illarum exactione; maxime ubi consuetudo probata fuerit particulariter et in praeciso casu, quemadmodum in praesenti quaestione ab Sacra Congregatione anno 1742 fuit adamussim definitum. Contra narrabatur, Castrum Linarii cum universo Populo usque ad annum 1663 subiectum fuisse Parochiae S. Romani, cuius Parochus duplicem Decimam in frumento et lino percipiebat. Ab eo autem tempore deventum fuisse ad dismembrationem et novae Parochiae erectionem, novo hinc Parocho assignatas titulo congruae fuisse Decimas ex frumento tam Parochiae Linarii, quam alterius S. Romani, praeter Decimas lini ex nova Parochia, et alia plura. His ergo positis animadvertebatur, Decimas tributas a Populo fuisse ratione administrationis Sacramentorum, easque Parocho S. Romani cessas Parocho Linarii cum omnibus oneribus: ac praeterea Parochianos uti singulos Decimas persolvisse intuitu bonorum, quae in ambitu Parochiae possidebant; proindeque inferebatur, Parochum tunc temporis S. Romani quoad bona primae erectionis collectationi nec subiectum fuisse, nec subiici potuisse. De his autem constare videbatur, tum ex inventariis Curiae Episcopalis exhibitis annis 1727 1761 et 1765, in quibus fiebat mentio solutionis pro bonis tantummodo acquisitis, tum etiam ex testimonio Francisci Rossi, qui per biennium fuit Parochus S. Linarii, quique Decimas nunquam exegit, cum eas descriptas non invenerit in notula ab antecessore relicta, tum demum ex Colonorum aliorum Testium depositione. Nec obesse videbantur Testes in contrarium afferendos, cum eorum depositio referri posset ad Deci-

mas persolutas ex bonis postea quaesitis; et cessionem anno 1663 a Parocho S. Romani factam nec comprehendisse, nec comprehendere potuisse bona primae erectionis.

136. His utrinque perpensis, proposito dubio: – III. An et super quibus bonis ius competat eidem Parocho Linarii percipiendi Decimas in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad tertium, Affirmative exceptis bonis primae electionis; et amplius – *in Sarsinaten. Onerum die 20 Augusti 1774.*

137. Hinc Sacra Congregatio, iusta intercedente causa, indulget quidem erectionem novae Parochiae, sed simul mandat, ut loco Decimarum summa pecuniae eisdem respondens solvatur ab Hominibus novae Parochiae antiquo Parocho – *in Novarien. Divisionis seu Dismembrationis die 20 Septembris 1760.*

138. Siquidem Communitates Paroni et Locarni ab uno regebantur Parocho, qui in loco Paroni residebat: hinc Homines Locarni nedum proprium petierunt Parochum, sed etiam dismembrationem Decimarum ipsius loci, quae cederet in extenuationem redituum antiqui Parochi, qui ceteroquin a Testibus asserebantur pingues. Idcirco praefati Homines in publicis comitiis solemnem quidem sponsionem emiserunt de congrua, sed non integra novo Parocho tradenda. Proposito vero dubio: - II. An Decimae et obventiones, quae solvuntur ab Hominibus Locarni sint adiudicandae novo Parocho Ecclesiae S. Dionysii in casu etc. –, Sacra Congregatio, concessa Paraeciae dismembratione, responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et ad Episcopum pro executione, iuxta instructionem (1) – *in Novarien Divisionis seu Dismembrationis Parochiae die 20 Septembris 1760.*

139. Haud itaque indulgetur Parocho exemptio ab onere solvendi certam pecuniae summam Decimarum causa alteri Ecclesiae Parochiali occasione, qua haec in Collegiatam erigitur, cum praesertim nulla subsit iusta causa *in Marianen. Erectionis Collegiatae die 13 Februarii 1751.*

140. Enimvero Praefecti Terrae Lurii petierunt, ut Plebana Ecclesia S. Petri eiusdem Terrae in simplicem Collegiatam erigeretur; sed praeter Episcopum etiam Parochus Ecclesiae S. Angeli Roleani, postulans liberari ab onere solvendi Plebanae Ecclesiae Lurii annua scuta 42 Decimarum causa, sese huic erectioni contradictorem praestitit. Clerus vero et Praefecti Terrae Lurii sustinuerunt, reiiciendum esse Parochum a gratia exemptionis ab onere solvendi ex causa Decimarum annua scuta 42, quum, si Plebana Ecclesia Lurii in Collegiatam erigeretur, reditibus, quibus indigebat, spoliari non deberet, praesertim quod Parochus Roleani non monstraret necessitatem. Congruam enim habebat pro more Regionis, et onus retinendi Subcuratum annuo stipendio scutorum 8 non ita grave erat, ut ferri non posset, sicut illud aequo animo tulerunt antecedentes Parochi et ipse eousque tulit: eoque amplius, quod vel ipse sibi imputare debebat, si Parochiam voluit, quae hoc habebat onus, vel si aliquid praestandum erat, praestari debebat a Parochianis, quibus Subcuratus praesto erat, non a Plebana Ecclesia Lurii, quae Decimas recipere debebat. Proposito hinc dubio: – II. An Parochus Ecclesiae Sancti Angeli Roleani eximi debeat ab onere solvendi Parochiae Plebanae Ecclesiae Sancti Petri annua scuta 42 solvi solita in causam portionis Decimarum in casu etc. –, Sacra Congregatio, concessa erectione Ecclesiae S. Petri in Collegiatam, responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Marianen. Erectionis Collegiatae die 13 Februarii 1751.*

141. Quum autem Sacra Congregatio censuisset, esse locum dismembrationi Villae de Torcas ab Ecclesia Cathedrali Segobricensi vel ob distantiam, vel ob negligentiam Canonicorum, nec non concedendum iuspatronatus Marchioni de Castelvi loci domino iuxta modum, proposito dubio: – III. An novo Parocho

(1) Scilicet – Episcopo Emi Patres (qui ad annuendum dismembrationi moti sunt inspecto onere per Homines Locarni suscepto pro manutentione Parochi) iniungendum esse mandarunt, ut in exequutionem Decreti praedicti mandet fieri per Homines Locarni obligationem validam de solvendo Parocho integram congruam, utque eidem reserventur tantum emolumenta stolae, et quoad Decimas Episcopus curet per Locarnenses Parocho Paroni solvi aliquam summam respondentem valori Decimarum, quae dicto Parocho tradendae essent a dictis Locarnensibus, earumdemque summam loco Decimarum subrogando –, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 32 die 20 Septembris 1760.*

concedendae sint Decimae correspondentes curae animarum in Villa de Torcas in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1740 respondit: – Ad tertium, Negative –. Superatis iam a praefato Marchione omnibus obstaculis, cum ad exequutionem Rescriptorum Sacrae Congregationis properaret, praepeditus fuit votis Incolarum, qui Decimas solvere et praestare volentes, postularunt ab eo, ut peteret recessum a decisis. Obsequens itaque Marchio eorumdem desiderio, retractari definitionem illam postulavit. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis super tertio dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Episcopo pro informatione et voto super novis precibus, audito Capitulo – *in Segobricen. Dismembrationis die 22 Iunii 1748.*

142. At Parochus frustra praetendit medietatem Decimarum, si ad Monasterium primum spectabat, et exinde Pontifex Mensae Cathedralis Ecclesiae satis clare assignaverit *in Nursina Decimarum die 23 Decembris 1826.*

143. Siquidem Monachi S. Benedicti Nursinae Civitatis curam olim habebant Parochialis Ecclesiae S. Peregrini eorum Monasterio annexae, verum postea consilium inierunt muneri huiusmodi nuntium mittendi. Pactum hinc Monachos inter et Populum intercessit, quo res ita composita fuit, ut imposterum Populus Parochos amovibiles deligeret, et Abbas Monasterii eos nominaret ac instituendos praesentaret Episcopo; praeterea ut – dimidia pars Decimarum recipiatur a Confraternitate Sanctissimi Sacramenti, et tradatur Parocho pro tempore, alia pars recipiatur a Monachis –. Qua ex re Monachi mediam Decimarum partem ex Paraecia S. Peregrini proficiscentium iugiter perceperunt. Suppresso exinde Monasterio S. Benedicti per Constitutionem s. m. Pii VII incipien. *Ad tuendam* diei 6 ianuarii 1820, qua Episcopalis Cathedra in Nursina Civitate denuo erecta fuit, – omnia et singula bona sive urbana sive rustica sive libera sive in emphyteusim concessa ad dictum Monasterium spectantia – Mensae novae Cathedralis Ecclesiae tributa fuerunt; Communitati autem Nursiae, cui Pontifex onus iniunxerat – supportandi expensas pro manutentione Parochialis Ecclesiae, nec non constituendi annuam pecuniae summam ab Ordinario statuendam pro congrua illius Rectoris sustentatione –, concessae fuere – praestationes oblationesque fidelium, sive in pecunia, sive in cera, sive in holosericis vulgo pallii nuncupatis huiusmodi Parochiali Ecclesiae debitae –. Quum vero in susceptae obligationis exonerationem Communitas medietatem Decimarum, Monachis olim debitam, Parocho assignaverit, orta hinc est controversia, utrum ex Piana Constitutione ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae, an potius ad Parochum, uti Communitatis cessionarium, pertineret ista Decimarum medietas. Parochus enim contendit, quod Piana Constitutio, bona ad Monasterium spectantia Mensae Cathedralis Ecclesiae concedens, potius spectasse videbatur bona, quorum proprietas ad Monasterium pertinebat, quam ius exigendi partem Decimarum, quae fidelium oblationibus accensentur. Absonum imo videbatur, eam fuisse Pontificis mentem, ut parte Decimarum privaretur Parochus S. Peregrini, cum annuus reditus, non comprehensis incertis stolae, pertingeret ad scuta 16. 17 1/2, et onera ac eleemosyna Missae pro populo conficerent summam scutorum 20 05. Contra Canonici sustinuerunt, perspicuum exploratumque esse, quod Monasterium S. Benedicti ex pacto atque observantia trium fere seculorum ius acquisivisse symbolam Decimarum percipiendi; et hanc Decimarum medietatem ad Mensam Capitularem pertinere ex eo arguerunt, quod Pontifex in laudata Constitutione – omnia et singula bona sive rustica, sive urbana – ad extinctum Monasterium spectantia eidem Mensae tribuerit. Idcirco nullo iure potuit Communitas pro Congrua Parochi S. Peregrini adsignare Decimarum medietatem, quae Capitulo debebatur tamquam Monachorum successori. Neque audiendas dixerunt querelas Parochi de congruae tenuitate, quia eidem expeditissima erat actio contra Communitatem, quae hoc onere devincta erat ex Piana Constitutione.

144. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et ad quem spectet medietas Decimarum olim Monasterio S. Benedicti debita in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad Mensam Cathedralis Ecclesiae – *in Nursina Decimarum die 23 Decembris 1826.*

145. Bona autem, quae nonnisi diuturno temporis spatio solent ad culmen pervenire, vere ac proprie inter novalia recensentur *in Constantien. die 16 Decembris 1769* §. *Contendit* (1).

146. Hinc praedia novalia dicuntur, quae de novo ad culturam sunt redacta, de quo non extat memoria, quod aliquando culta fuerint *in Constantien. die 16 Decembris 1769* §. *Inquirendum.*

147. Siquidem Innocentius III in Cap. *Quid per novale* 21 de verb. signif. dixit, Praedecessores nostri –, ut novale intellexerint agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset –; idemque notat Glossa ibidem verb. de novo: – Terra, ex quo de novo redacta est ad culturam, de quo non extat memoria, quod culta fuerit, semper erit novale, quantum ad ius Decimarum, ex quo semel fuit novale – *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769* §. *Inquirendum.*

148. Hinc Episcopus nec Decimas agrorum novalium dismembrare potest ab Ecclesia Parochiali, quia eiusdem Parochus per Capellanum pia opera conventa non adimplet, nec eas alteri Parocho adiudicare, sed auctoritate sua ordinaria obnixe incumbere tenetur pro implemento piorum operum *in Cracovien. piorum operum Inadimplementi die 21 Iulii 1759 et die 12 Ianuarii 1760.*

149. Enimvero excisis a Palatino Cracoviensi nemoribus septemque Villis aedificatis, cum Decimae agrorum novalium ad Episcopalem Mensam ex Regni Constitutionibus pertinerent, Episcopus Cracoviensis anno 1618 precibus eiusdem Palatini ductus eas donavit non Parochiae Zborovecensi, in qua eaedem Villae sitae erant, sed Praeposito alterius Parochialis Ecclesiae Oppidi Pacanow, pluribus adiectis legibus et conditionibus. Ex hac donatione alteri Parocho facta, controversiae, ut percipi facile poterat, ortae sunt inter Parochum Zborovecensem et Pacanowensem, quae tamen transactione inita anno 1620 sopitae fuerunt, qua conventum est, ut in Capella Villae Bezebrus, una ex illis septem, Missae Sacrificium die Dominico et aliis festis per Capellanum celebraretur, ac plura alia faceret ea lege et conditione, ut quilibet Capellanus pro tempore suae administrationis teneretur licentiam a Parocho Zborovecensi in scriptis obtinere et approbationem ad conciones ab Officialibus procurare. Sed inde quinquaginta ab annis iam domus Capellani dilapsa fuerat, nullus amplius in ea Villa Sacerdos Capellanus moram faciebat, etiam Capella ruit. Parochus itaque Zborovecensis Praepositum in ius vocavit, ut Capellam et Capellani domum restitueret ac in eadem Villa Sacra ageret aliaque pia opera impleret, quorum causa Praeposito donatae fuerant Decimae. Episcopus tandem sententiam tulit anno 1757, qua, declarata contraventione Praepositi, pronunciavit, Decimas percipiendas ex Villis servandas esse eidem Praeposito ratione Sacrorum et Officii Beatae Mariae Virginis aliorumque piorum operum in Ecclesia Pacanowiensi imposterum implendorum; Decimas vero novalium agrorum Capellam et reliqua omnia, quae ad curam animarum pertinebant, Parocho adiudicavit. Cum autem Praepositus ab hac sententia non appellasset intra decendium, expedito mandato, immissus fuit Parochus die 13 novembris 1757 in possessionem Capellae et Decimarum, qui manus admovit reparationi eiusdem Capellae et domus Capellani, atque ipsum Capellanum, qui Sacra aliaque divina ageret, et in Villa perpetuo resideret, mercede conduxit. Rebus sic stantibus, proposito dubio : – I. An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et ad mentem: et mens est, ut scribatur Episcopo Cracoviensi, ut auctoritate sua ordinaria obnixe incumbat pro implemento operum piorum, et certioret Sacram Congregationem – *in Cracovien. Piorum operum Inadimplementi die 21 Iulii 1759.*

150. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Cracovien. piorum operum Inadimplementi die 12 Ianuarii 1760* (2).

151. Quum itaque Sacerdos Petrus Moeslin

(1) Pirhing tit. 30, sect. 1, §. 3; Pignatell. Consult. canon. 358, n. 1, t. 1.

(2) Reliqua habes in verb. *Attentata*, n. 137 ad 140 tom. II.

nominatus a Patribus Societatis Iesu Collegii Friburgensis in Brigovia ad Ecclesiam Parochialem Merzhausensem, exin contra idem Collegium eiusque Patres litem movisset, ut Decimas solverent, proposito dubio: – II. An et quae Decimae dicto Moeslin debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Decimas novalium non deberi; et amplius – *in Constantien. Permutationis Parochiae die 20 Novembris 1756.*

152. Qua de re investitura Decimarum praedialium titulo feudi ab Episcopo concessa laicis ex consuetudine immemorabili non extenditur ad novalia, quae in dies intra et prope antiquarum Decimarum confines insurgunt *in Tridentina die 1 Septembris 1635 lib. 15 Decretorum pag. 248.*

153. Nec potest ab Episcopo ad huiusmodi novalia ampliari *in Tridentina die 1 Septembris 1635 lib. 15 Decretorum pag. 248.*

154. Quinimo ab Episcopo sunt prudenter coercendi poenis a Sacro Concilio Tridentino praescriptis in Cap. 12 sess. 25 de reformatione impedientes perceptionem Decimarum novalium *in Constantien. die 17 Novembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 185.*

155. Quum itaque tres Parochiae tribus diversis Pagis territorii Oppidi Podii Mirteti ob locorum ruinam in unam redactae fuissent, et curam animarum exerceret Archipresbiter Ecclesiae Beatae Mariae de Assumpta dicti Oppidi, Sacra Congregatio declaravit, assertos Canonicos praefatae Ecclesiae manutenendos esse in quasi possessione percipiendi Decimas territorii dicti Podii, non obstante iuris assistentia in favorem Archiepiscopi; earumdemque Decimarum perceptionem licitam esse quoad Decimas novalium dicti territorii ad limites possessionis eorumdem *in Farfen. Decimarum et deputationis Capellani die 1 Septembris 1691.*

156. Unde servanda est consuetudo dividendi Decimas seu fructus antiquatos et novales inter praesentes Capitulares massam communem habentes *in Gadicen. die 12 Decembris 1767 et die 30 Iulii 1768.*

157. Enimvero in Cathedrali Gadicensi Ecclesia una fiebat Massa ex frumento vino oleo aliisque fructibus, qui percipiebantur nomine Decimarum. Hi convertebantur ex specie in pecuniam. Hinc invaluit forsan consuetudo, ut non anno eorum collectionis, sed altero, qui insequebatur, distribuerentur inter Dignitates Canonicos aliosque Capitulares, et si contingeret, ut ex his quisquam interim vitam decessisset retracti pretii participes fierent eius heredes. At si pretii pars aliqua venire nequiverit eo anno in divisionem ex impedimento vel non reperti emptoris, vel non factae exactionis, aut ex alia causa, iidem heredes non admittebantur amplius ad comparticipationem eiusdem partis, cui nomen tribui solebat fructuum antiquatorum, sed ea postea dividebatur inter Capitulares tantum actu existentes, qui contra obligabantur solidum restituere eius summae, quae in antecessum vel excessive vel minus recte fuisset iam distributa, et ab onere contribuendi in restitutionem immunes evadebant heredes Capitularium defunctorum, qui eam summam accepissent. Haec quum esset illius Ecclesiae inveterata consuetudo, sicuti a Promotore fiscali Regii Aerarii pluribus ab annis excitata fuit quaestio super nonnullis Decimis novalibus tum contra alias Hispaniae Ecclesias, unde evenit, ut Decreto Iudicis ad eam quaestionem delegati suspensa remanserit ab anno 1758 Decimarum perceptio; ita extincta subinde lite iussu Catholici Regis restitutaque Ecclesiis possessione ac libertate perceptionis, dubitatio orta est, an Decimarum ab eo anno non distributarum, quarum valor 150 millia Velionensia Regalia excedebat, participes fieri deberent heredes Capitularium interea temporis defunctorum. Re ad Sacram Congregationem delata, Capitulares sustinuerunt, consuetudinem custodiendam esse eo vel maxime, quod iuri communi conformis inveniretur. Fructus enim praeteritorum annorum non iam inter antiquos, bene vero inter existentes Canonicos sunt dividendi. Idque sine dubio eo magis obtinet, quum reditus pertineat ad communem Massam et Capitulum collective sumptum, sicuti in praesenti casu contingebat. Id eo argumento confirmarunt, quod sicuti Canonici Massam habentes communem oneri suberant restitutionis emolumentorum, quae antecessores perceperunt, si id fieri debere contingeret, quin ad eam adigerentur defunctorum heredes; ita aequum erat, ut Canonici tantum efformantes Capitulum sentirent com-

modum illud, quod eidem Capitulo interea accrescebat, qui enim damnum experiebatur, ad lucrum admitteretur ex aequo necessum erat. Contenderunt insuper Capitulares, eamdem consuetudinem ad Decimas etiam novales, de quibus agebatur, protendi, quum nulla dispar militaret ratio; esse proinde eodem modo distribuendas non obstante, quod fructus antiquatos excederent, quia merum hoc accidens erat, speciem non immutans. Defenderunt enim, iudicii rationem ex pervetusta consuetudine iuri conformi, non ex maiori, vel minori quantitate fructuum pendere.

158. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An consuetudo dividendi inter praesentes fructus antiquatos seu restitutos servanda sit in casu etc. II. An huiusmodi consuetudo sit servanda quoad Decimas novales ab anno 1758 suspensas et deinde exactas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, iterum proponatur – *in Gadicen. die 12 Decembris 1767.*

159. Capitularas rursum sustinuerunt, nullum intercedere discrimen inter Decimas, quas novales vocabant, et ceteros fructus ad Capitulum spectantes; aequum hinc esse, ut quae dividendi ratio iusta quoad has visa fuit, servaretur pariter quoad huiusmodi Decimas novales. Proposito itaque dubio: – An consuetudo dividendi inter praesentes fructus antiquos seu restitutos servanda sit quoad Decimas novales ab anno 1758 suspensas et deinde exactas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Gadicen. die 30 Iulii 1768.*

160. Nam dum de Decimis agitur, inhaerendum est observantiae et consuetudini super illarum exactione *in Sarsinaten. Onerum die 30 Iulii 1774* §. *Ad* (1).

161. Siquidem in Decimarum materia, si res inter Ecclesias praesertim sit, consuetudo principem tenet locum, eique obsequendum esse, certi iuris est, ex censura Textus literalis in Cap. 18 *Cum sint*, in Cap. 20 *Ad apostolicae* de Decimis: – Quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum –; et in Cap. 32 *In aliquibus* eodem titulo: – Illae quippe Decimae necessario solvendae sunt, quae debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata – *in Pisauren. Decimarum die 18 Iunii 1785* §. *In.*

162. Idcirco si adsit consuetudo, Capitulum Cathedralis Ecclesiae tenetur solvere Episcopo Decimas pro medietate, non vero in quarta parte; his enim in terminis proposito dubio: – VIII. An Decimae debeantur Episcopo a Capitulo dictae Cathedralis Bisacciensis, vel potius in quarta parte? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Affirmative ad primam partem iuxta solitum, Negative ad secundam – *in Bisacciarum die 15 Martii 1738.*

163. Quum vero Episcopus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Albintimiliensis antiqua consuetudine unitim Decimas colligerent, sed exinde solus Episcopus portionem suam Decimarum colligeret, ex eo quod Oppidani aliam portionem Capituli tradere recusabant, frustra Capitulum institit, ut compelleretur Episcopus in societatem redire, ne secessio eidem detrimentum afferret *in Albintimilien. Unionis Decimarum die 26 Februarii et die 20 Maii 1752.*

164. Iamvero ius erat Episcopo et Capitulo Cathedralis Ecclesiae Albintimiliensis confirmatum Literis Apostolicis Summorum Pontificum Lucii III et Urbani V colligendi Decimas non in ipsa tantum Civitate Albintimilii, sed etiam in octo Locis Oppidisque Territorii. Hoc ius Episcopi et Capitulum, antiqua consuetudine sive commoditatis sive utilitatis gratia introducta, ita exercuerunt, ut Decimas unitim colligerent, binis quolibet anno electis tum ab Episcopo, tum a Capitulo Procuratoribus, qui una simul Civitatem et Loca praedicta peragrantes Decimas colligerent, collectasque in unum horreum reponerent, et inde in duas aequales partes dividerent, quarum alteram Episcopo, alteram Capitulo traderent. Servata haec consuetudo fuit ad annum usque 1716, quo tempore cum octo illa Oppida et Loca Decimas Capitulo praestare recusassent, qui tunc Ecclesiae illi praeerat, Episcopus, ne in iure suo, quod ab octo Oppidis Locisque non im-

(1) Gloss. in Cap. *Super eo* de Censibus; Rot. in decis. 1766, n. 7 coram Coccino.

pugnabatur, detrimenti aliquid caperet ex societate et communione cum Capitulo, satius duxit ab unione secedere, et portionem suam Decimarum opera sui Procuratoris collegit, servavitque hunc morem, donec duravit lis, qua tandem post plures annos secundum Capitulum absoluta, iterum unitim a duobus Procuratoribus Episcopi nempe et Capituli Decimae collectae fuerunt. Sed cum, re iudicata necquicquam obstante, plurimi ex Oppidanis dictorum locorum Decimas Capitulo tradere recusassent, Episcopus iterum portionem suam opera sui Procuratoris exegit, frustra postulante Capitulo, ut ad societatem et unionem rediret: qui sequuti sunt Episcopi eamdem methodum et viam tenuerunt, magno Capituli detrimento, cui pene omnes Oppidani, spreta re iudicata, Decimas tradere recusabant. Qui subinde Ecclesiae illi praeerat Episcopus, licet plurimum egerit ore et scriptis, ut Decimae ab Oppidanis contumacibus solverentur, noluit tamen morem illum antiquum Decimas unitim cum Capitulo colligendi observare, nisi ea lege et conditione percipiendi ultra dimidiam partem, alias libras 50 singulis annis: auxit inde eas ad libras 100. Cum vero anno 1743 ne his quidem libris 100 contentus esset, aliasque leges et conditiones societati et communioni indicere vellet, quas Capitulum recusavit, solus portionem suam Decimarum collegit. Procuratores vero a Capitulo electi nihil aut pene nihil a contumacibus Oppidanis exigere potuerunt. Idcirco Capitulum a Summo Pontifice postulavit, ut compelleretur Episcopus ad antiquam unionem redire, cum id immemorabilis, ut asserebat, consuetudo iuberet, sed quam Testes non probabant. Hinc videndum erat, an eadem tanti esset, ut recederetur a regula iuris, quae vult, invitum neminem cogi posse, ut in societate et communione sit, praesertim si a societate et communione detrimenti aliquid capiat, et postquam ab anno 1716 societas haec et communis exactionis Decimarum vel dissoluta, vel saltem interrupta fuit.

165. His itaque perpensis, proposito dubio: - An Procurator Mensae Episcopalis Albintimiliensis teneatur coniunctim cum Procuratore Capituli eiusdem Cathedralis colligere Decimas ab octo Locis, nimirum Bordighiera Saxo Burghetto Valle croxia Soldano S. Blasio et Campo Rubeo, easque integras reponere in uno eodemque horreo, et finita recollectione pro medietate dividere unam pro se recipiendo, alteram vero medietatem relinquendo pro Capitulo, iuxta antiquum solitum et consuetum, seu potius eidem Procuratori Mensae Episcopalis liceat medietatem dictarum Decimarum exigere a praefatis octo Locis seiunctim a Procuratore Capituli in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et ad D. Secretarium iuxta mentem - *in Albintimilien. Unionis Decimarum die 26 Februarii 1752.*

166. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius - *In Albintimilien. Unionis Decimarum die 20 Maii 1752.*

167. Alias vero concedenda est manutentio in iure exigendi Decimas praesertim sacramentales in ea quantitate, quam consuetudo satis probata induxit *in Spoletana Decimarum die 8 Iulii 1843.*

168. Siquidem gaudebat ab immemorabili Cathedrale Capitulum Archidiaecesis Spoletanae iure decimandi in Villa *Morgnano;* huiusque iuris causa repetebatur ex cessione nominationis Paraeciarum sibi olim subiectarum favore Ordinarii: et licet anno 1765, exorta quaestione tam super exactione ipsa, quam super eiusdem mensura et quantitate, acriter dimicaverint coram Archiepiscopali Curia Canonici ac Morgnanenses, attamen a Vicario Generali iussum est, - illmum Capitulum manutenendum fore et esse in quieta et pacifica possessione vel quasi iuris exigendi Decimam a praedictis familiis in quantitate cuppae dimidiae frumenti quolibet anno, et pro qualibet familia tempore recollectionis cuiuslibet anni -. Quod subinde confirmavit Tribunal R. C. Apostolicae. Per multum temporis conticuere omnes: ast cum aegre ferret Capitulum, multos moram contraxisse in dimidio cuppae tritici solvendo pro Decima, tandem anno 1838 iudiciali actu eos excitavit, multisque bona pro solutionis securitate oppignoravit. Illico Morgnanenses ad Sacram Congregationem reclamarunt, con-

querentes de quantitate, quae superaret quartam cuppae triticae partem, usum iam invectum clamantes, ut Decimae in ea mensura solveretur: postea, mutato consilio, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium convolantes, crambem repetierunt. Ab hac praeceptum fuit Archiepiscopo Spoletano, ut curaret rem componere de bono et aequo: incassum tamen insudatum est. Cum autem Sacra illa Congregatio cognovit, Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prioribus precibus iam fuisse praeventam, ad eam Morgnanenses remisit. Morgnanenses itaque valde adlaborarunt, ut se exonerarent a praestanda maiori quantitate, quam quartae partis cuppae frumentariae.

169. Id enim probarunt ex testimonio plurium familiarum ac ipsius Parochi ruris Morgnani, qui ultra quadragesimum annum eam Paraeciam fuerat moderatus. Addebantur nonnullae accepti apochae a Capituli Camerario remissae familiis Morgnanensibus, quibus patebat, ipsas quartam Cuppae partem solvisse. Denique his consonabat Archiepiscopus in literis sub anno 1839 ad Sacram Congregationem datis, ubi fatebatur: – Cum egenis potissimum Canonici Camerarii, adprobante Capitulo, fuerunt indulgentiores iuxta casus circumstantias, et ab improbae exactionis specie penitus sese abstinuerunt, ut Ecclesiasticorum proprium est –. Quum autem tempus, quo incepta solutio solius quartae partis, a pluribus Incolis ignotum remaneret post praefatas sententias super manutentione, si non centenaria, saltem quadragenaria observantia concurrebat, quae satis erat ad inducendam praescriptionem. Quin imo circa Decimarum quantitatem pensitandam non requiritur praescripto ordinaria, sed nuda observantia etiam decennalis. Demum, attenta Incolarum paupertate, locum esse contenderunt Decimarum imminutioni. E contra Capitulum dispositioni Concilii Tridentini in cap. 12 sess. 25 de reformatione innixum propugnavit, nihili facere adsertam ex adverso consuetudinem, cuius requisita ad unguem probanda essent, quando agitur de minoratione Decimarum, cum iuris dispositio faveat semper illi, qui iure potitur decimandi. Enimvero ex libris Capitularibus, teste Archivista, constabat, eamdem normam perpetuo habitam fuisse, in exigenda Decima scilicet mediae cuppae in singulas familias. Qui contra haec deponebant audiendos non esse in clamavit Capitulum, quia cum essent de familiis Morgnanensibus, erant Testes in causa propria, maxime familia praedicti Parochi, cuius nomen inter debitores anni 1762 et 1763 descriptum inveniebatur. Accepti autem apochae ad unam tantum familiam, non vero ad universitatem familiarum Morgnanensium pertinebant, ac brevissimo coercebantur tempore; adeoque remissiones huiusmodi Decimarum nunquam vel in toto vel in parte perpetuae et constantes permanserunt, profecto ad consuetudinem inducendam requiri factum maioris partis cuiuscumque universitatis patebat ex Cap. 3 de consuetudine et ex L. 35 ff. de legibus, quin ex actibus facultativis, etsi pluries repetitis, ulla induceretur obligatio. Negavit, tantam esse agricolarum Villae paupertatem, quae Decimarum diminutionem importaret; quia fere omnes Incolae plus minus habebant ex praediis, unde honeste viverent, cum praesertim Decimae solvendae ab ipsis essent sacramentales, quae non ratione fructuum, sed administrationis Sacramentorum in parva quantitate pensitabantur; idcirco ad eas solvendas omni iure tenebantur.

170. His utrinque perpensis, proposito dubio: – In qua quantitate solvenda sit Decima a Morgnanensibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Capitulum manutenendum esse in iure exigendi Decimas in medietate cuppae frumenti – *in Spoletana Decimarum die 8 Iulii 1843.*

171. Nam circa quantitatem et modum decimandi ad consuetudinem et observantiam omnino recurrendum est, ad tradita per Rotam in Recent. decis. 311 n. 5 part. 6, decis. 12 n. 6 part. 19 *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Suam.*

Item *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Quae; in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Morgnanenses.*

172. Immo circa Decimarum quantitatem non requiri praescriptionem ordinariam, sed nudam observantiam prae oculis habendam; et observantiam quoque decennalem valere ad probationem, – ubi non est contra expres-

sam iuris dispositionem - statuit Rota in Recent. decis. 344 n. 4 part. 13 *in Pisauren. Decimarum die 18 Iunii 1785* §. *Cum autem.*

Item *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Porro.*

173. Cum igitur Decimarum inter unam aliamque Ecclesiam partitio seu praestatio uni potius, quam alteri Ecclesiae, sit praeter, non contra ius; ideo nec immemorialis nec centenaria requiritur, sed imo quadragenariam atque etiam decennalem satis esse saepe definivit Rota in decis. 279 n. 2 Recent. part. 2, decis. 82 n. 5 coram Clemente, et in Cracovien. Decimarum 29 novembris 1752 §. 13 coram Card. Elephantutio *in Pisauren. Decimarum die 18 Iunii 1785* §. *Cum.*

174. Nam inter ecclesiasticas Personas satis est etiam decennalis, ad tradita per Barbosam in cap. 26 n. 12 de Offic. et potest. Parochi *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Respicit.*

175. Unde quum Parochus Collegiatae Ecclesiae S. Matthaei tres ex quinque partibus Decimarum reliquas duas partes quatuor eiusdem Ecclesiae Canonici perciperent, sed inde anno 1628 ex pii Testatoris fundatione quinto Canonicatu instituto, consuetudo obtinuerit, ut Decimae aliaque omnia Stolae emolumenta pro medietate inter dictum Rectorem et Canonicos dividerentur, non obstantibus contrariis protestationibus emissis anno 1676 anno 1707, ac rursum moderno subinde Rectore tres partes reclamante, proposito dubio: – I. An Rectori Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Matthaei Sarni debeantur tres ex quinque partibus Decimarum praedialium, vel potius eidem debeatur medietas earumdem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Sarnen. Iurium parochialium die 15 Ianuarii 1718.*

176. Quum itaque Parochiani Oppidi S. Victoris sustinerent, dolosam atque ampliorem mensuram ab Archipresbitero pro Decimis supposita ad veterem et iustam reducendam esse, et Episcopus reductionem mandaverit ad tenutam Synodalem librarum viginti duarum frumenti per appaltatorem publicum mensurarum, proposito dubio: - IV. An sit locus reductioni mensurae pro exactione Decimae in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* V. An Archipresbiter teneatur restituere excessive perceptum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, servetur Decretum Episcopi; et amplius. Ad quintum, dilata - *in Caesenaten. die 9 Februarii 1765.*

177. Nam in Decimarum materia consuetudo praecipue spectari solet ad controversias dirimendas, iuxta censuram Textus in Cap. 18 *Cum sint* et in Cap. 20 de decimis *in Callien. Decimarum et Funeris die 23 Februarii 1802* §. *Parochianorum.*

178. Unde consuetudinis immemorabilis maximam esse vim praesertim in materia Decimarum monent Fagnanus in Decret. lib. 3 Cap. *Cum contingat* de decimis n. 18, Rota in Recent. part. 2 decis. 279 n. 3, coram Clemente decis. 82 n. 5, et in Cracovien. Decimarum 29 novembris 1752 coram Card. Elephantio *in Pisauren. die 17 Decembris 1825* §. *Quae.*

Item *in Nursina Decimarum die 18 Novembris 1826* §. *At.*

179. Qua de re immemorabilis tribuit exemptionem a praestatione Decimarum *in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803* §. *Fanenses.*

180. Neminem enim latet, ex immemorabili etiam ac centenaria consuetudine praescribi posse ius decimandi; eoque magis cum res sit inter personas ecclesiasticas quadragenaria observantia potis est ad legitimam praescriptionem inducendam *in Auximana seu Camerinen. Iurisdictionis die 12 Iulii 1721* §. *Huiusce.*

Item *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *Respicit; in Nursina Decimarum die 18 Novembris 1826* §. *At.*

181. Unde ius decimandi ex quadragenaria una cum titulo saltem colorato praescribi tradunt Antonellius de temp. legal. lib. 2 cap. 57 n. 18, Schmalzgrueber in ius eccles. lib. 3 part. 3 §. 3 n. 63, Rota in Recent. decis. 191 part. 19, decis. 142 n. 13 coram Molines *in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803* §. *Haec.*

182. Ut enim legitime praescribi possit adversus Ecclesiam aliqua obligatio, veluti

ius decimandi praeter iusti tituli probationem, quadragenarium saltem temporis spatium requiritur nullo contrario actu interruptum *in Amerina Decimarum die 23 Aprilis 1831* §. *Nec.*

Item *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Porro* (1).

183. Qua de re consuetudinis requisita ad unguem sunt probanda, quando agitur de minoratione Decimarum, cum iuris dispositio faveat semper illi, qui iure potitur decimandi, ceu ad rem Antonell. de temp. leg. lib. 2 cap. 57 n. 18, Schmalzgrueber in ius eccles. lib. 3 part. 3 n. 63, Rot. in Recent. decis. 19 part. 19, decis. 142 n. 13 coram Molines *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *At.*

184. Notum enim cuique, beneficium suum nemini debere esse damnosum, et Decimarum solutiones, - quae non sunt uniformes nec universales, sed factae a singulis personis quasi vigore tacitae transactionis, non inducere consuetudinem circa quotae debitae minorationem –, ex Rota in Recent dec. 441 n. 2 part. 2; et ex actibus facultativis, etsi pluries repetitis, nullam induci obligationem, ceu ad rem Gratianus discept. for. cap. 655 n. 49, Postius de manuten. observ. 45 n. 1 *in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Neque.*

185. Ceterum bona fides consuetudini rebusque iudicatis innixa excusat a Decimarum restitutione quoad praeteritum *in Pisauren. Decimarum die 3 Martii 1792* §. *A promissis* (2).

186. Compertum enim est, ius percipiendi Decimas praescribi non posse, nisi ex immemorabili vel ex quadragenaria cum titulo, immo cum certa scientia et patientia unius partis et bona fide alterius *in Costantien. Decimarum die 16 Decembris 1769* §. *Advertit* (3).

187. Idcirco non quaelibet probatio ad eam adstruendam sufficit, sed quae ex Testibus probatissimis educitur, cum iustificatione nempe requisitorum, quae in hac probatione desiderantur, recensita per celebrem Glossam in Cap. 1 de praescriptione *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Nec.*

188. Unde incontroversum in iure est, tam Religiosos, quam Clericos posse Decimas tam active, idest ius non solvendi, quam passive, idest ius percipiendi Decimas ab aliis praescribere, ut ea ratione, qua in veteri Testamento Levitae Levitis Decimas non praestabant, ita in novo Clerici Clericis eas non solvant, Cap. 2 de Decimis *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Tandem.*

189. Qua de re si Parochiani pluribus ab annis integre Decimas praestare recusaverint et Parochi eas exigere neglexerint, Episcopus ad preces novi Parochi congruam non habentis de iure aequam statuit taxam, iuxta Parochianorum conditionem, quin obstet praetensa contraria consuetudo, cum adsit mala fides Parochianorum *in Privernen. Decimarum die 20 Novembris 1751.*

190. Enimvero consuevisse Privernates dicebatur antiquo tempore Parochis suis Decimas integre praestare, inde Parochorum negligentia paullatim evenisse, ut negligeretur praestatio integra tanta populi tenacitate, ut nihil profecerint Episcopi publicis Edictis et Synodalibus Constitutionibus, quibus et Parochis negligentibus et Populo recusanti poena infligebatur: Episcopum anno 1669 certam taxam statuisse, quae tamen usu recepta non fuit, cum Parochi, qui Privernates erant, sive quia Patrimonialia bona haberent, sive quia nollent cum Parochianis suis lites agere, contenti essent modica illa frumenti cicerum fabarumque et similium specierum quantitate, quam a Parochianis exigebant. At cum Parochiam S. Ioannis Evangelistae obtinuisset Sacerdos Andreas Raymundi Setinus, hic, ubi agnovit reditus Parochiae in scutis 50 annuis ex solis tamen fundis praediisque, facta onerum omnium deductione, remanere in annuis scutis 20. 18, ad Episcopum confugit, ut congrua sibi assignaretur in Decimis. Episcopus hanc provinciam Vicario Generali man-

(1) Cap. *De quarta* et Cap. *Ad aures* de praescriptione; Schmalzgrueber in Ius Eccles. lib. 3, part. 3, §. 3, n. 63.

(2) L. *Bonae fidei* ff. de acquiren. rer. dom.; Rot. in Decis. 654, n. 21 coram Olivatio; in Romana seu Viterbien. Immissionis super fructibus 18 martii 1757 §. fin. coram Borullo.

(3) Fagnan. in Cap. *Nuper* de Decimis n. 37, Boemer. in Decret. lib. 3 tit. 30, n. 53; Rot. coram Molin. decis. 299, n. 10; et in Salamantina Decimarum 27 februarii 1757 §. 5, et 8 maii eiusdem anni §. 4 coram Frangipane.

davit, qui tunc Visitationem agebat. Vicarius novam taxam constituit statuitque, ut pro integra Decima Parocho praestaretur quantitas haec frumenti, nempe Cives primi gradus traderent *mezza quarta,* secundi gradus *un quarto d' una quarta,* tertii gradus *un' ottava d' una quarta,* ultimi demum gradus *mezzo baccile ossia un decimo sesto.* Hanc tamen taxam recipere renuentibus Parochianis et contendentibus, cogi non posse ad praestationem certae quantitatis frumenti, cum semper tradiderint quidquid et iuxta conditionem statumque Personarum et iuxta tempestatum ubertatem vel sterilitatem dare potuerant, Parochus ad Sacram Congregationem recursum interposuit. Episcopus interim duos selegit Canonicos, qui taxam recognoscerent, eorumque consilio taxam confirmavit. Solverunt quidam, alii longe plures in iudicium venerunt. Parochus itaque contendit, congruam supplendam esse Decimis, quas integre primum praestare solebant Parochiani; eosque frustra excipi de contraria consuetudine, cum in mala fide semper constituti fuerint Edictis Episcoporum et Constitutionibus Synodalibus, ita ut legitimum nunquam sumere potuerit initium, deesse tamen ex facto probationes illas, quibus monstrari posset consuetudo, cum res erat de quantitate Decimae, nam quatuor illae, quae concurrere debebant, deficiebant.

191. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An Decimae debeantur? *Et quatenus affirmative.* II. An et in qua summa et a quibus debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, deberi iuxta taxam Episcopi; et amplius in omnibus – *in Privernen. Decimarum die 20 Novembris 1751.*

192. Imo titulus consuetudinis cum altero privilegiorum incompatibilis est, ac propterea inepta est eorum cumulatio, ex eo quod inter immemorabilis requisita illud est praecipuum, ut non detur eius initium, quod ita per privilegium dari dicitur; et consequenter privilegium est immemorabilis destructivum, sive eius probationis impeditivum, ut ratiocinatur Card. De Luca in disc. 1 n. 11 de Decimis *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Nec.*

193. At idem Card. De Luca loc. cit. ita bene distinguit: – Quoniam incompatibilitas adesse dicitur, quando possessor ita imprudenter producat privilegium, ut ad illum titulum suam possessionem restringat, secus autem ubi cumulative et cum debitis cautelis deducatur, quoniam non implicat, ut habens fundatam intentionem in immemorabili, ad illius maiorem confirmationem et observantiam compatibiliter privilegium quoque obtinuerit – *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Perperam.*

194. Hinc danda est manutentio percipiendi Decimas ex grege ovium spectante ad Patres Minores Conventuales favore Episcopi tamquam Parochi universalis totius Diaecesis, in reliquis tamen Sacra Congregatio mandavit, ut Partes utantur iure suo *in Ampurien die 21 Augusti 1717 lib. 67 Decretorum.*

195. Enimvero – Archiepiscopus Turritanus controversiam coram ipso vertentem inter Episcopum Ampuriensem et Patres Minores Conventuales Castri Aragonensis super solutione Decimarum ad S. Sedem remisit; ideoque Episcopus instantiam coram EE. VV. promovet et assistentiam iuris ad sui favorem pro illarum exactione deducit ex Cap. *Cum in tua,* et ex Concilio Lateranensi relato in Cap. *Nuper* de Decimis, cui cum expresse non deroget Sixti IV Constitutio 6 Bullario novo tom. 1 eximens dictos Patres Conventuales a solutione Decimarum, contendit, non suffragari pro praetensa exemptione, eademque ratione non relevare aliud privilegium Ordinibus Mendicantium concessum a S. Pio V in eius Constitutione 41 Bullario novo tom. 2, maxime quia redacta sit Constitutio praefata ad terminos iuris communis et Concilii Tridentini ex Constitutione 9 Gregorii XIII Bullario novo tom. 2, et Sacra haec Congregatio in Civitatis Ducalis die 19 martii 1639 censuit, « bona et praedia Decimarum obnoxia ad Regularium Monasteria transire cum onere suo; ac propterea Regulares teneri illas solvere, quemadmodum tenebantur Laici, priusquam bona ipsa in Monasterii utilitatem transtulerint, dictisque Regularibus non suffragari, sed requiri speciale privilegium posterius Sacro Concilio Tridentino, et cum individua derogatione Cap. *Nuper* de Decimis». Addit Episcopus, in Monasterio, de quo agi-

tur, a quadraginta et ultra annis ex depositione plurium Testium inhabitare tantum quatuor aut quinque Religiosos contra Bullam 31 Gregorii XV Bullario novo tom. 3, Regularem vitam et disciplinam non servantes, cum neque choro intersint, neque Missam Conventualem celebrent, ideoque exemptionibus et privilegiis, si quae Ordini competerent, frui non posse praetendit, accedente quasi possessione ex fide plurium Testium exigendi Decimas ex grege Ovium ad dictum Monasterium spectante. Episcopus, productis dein fidibus Capituli Vicarii Generalis et Consulum Castri Aragonensis, probare contendit, ipsum esse totius Diaecesis Parochum universalem, et Sacerdotes Curae actuali animarum praepositos meros Vicarios ipsius Episcopi –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Decimae debeantur, ita ut sit danda manutentio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative pro manutentione in quasi possessione percipiendi Decimas ex grege Ovium tantum, et in reliquis utantur iure suo – *in Ampurinen. Decimarum die 21 Augusti 1717 lib. 67 Decretorum.*

196. Cum itaque quaestio agitaretur, utrum Decimae praediales et personales solvi deberent tam Episcopo, quam Parocho, an alteri eorum tantum, Sacra Congregatio mandavit, solvendas esse ad formam transactionis iam antea initae *in Larinen. die 19 Decembris 1739.*

197. Siquidem exorta controversia inter Congregationem Canonicorum Lateranensium et Episcopum Larinensem super erectione Parochiae in Ecclesia S. Agathae ad praefatam Congregationem spectante, Abbas Monasterii Tremitarum concordiam cum dicto Episcopo iniit sub reservatione Apostolici Beneplaciti et assensus Procuratoris Generalis praefatae Congregationis. At nolente Congregatione propositae transactioni assentiri, Sacra Congregatio die 23 novembris 1737 mandavit, ut proponeretur concordia, pro qua ageret Emus Card. Lercari Protector Ordinis, suumque aperiret sensum Sacrae Congregationi, et interim provideretur curae animarum, iuxta Capitulum octavum concordiae. Hinc die 1 augusti 1739 Sacra Congregatio, singulis mature perpensis, edixit, ut servaretur concordia anni 1734 iuxta modum; et quoad Decimas videatur particulariter, citatis interesse habentibus. At omnes, qui interesse habere poterant, unanimiter declararunt, nullum ipsos super controversis Decimis ius sibi asserere, sed eas integre ad Episcopalem Mensam pertinere. Propositis itaque dubiis: – II. An Incolae et habitatores S. Agatae seu Civitatis ad Mare S. Leuci et Mamitelli teneantur solvere Decimas praediales et personales tam Episcopo, quam Parocho, vel alteri eorum et cui in casu etc. III. An exactio Decimarum per Episcopum facta sit attentata, et quomodo illa sit purganda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, ad formam transactionis. Ad tertium, Negative; et amplius – *in Larinen. die 19 Decembris 1739.*

198. Haud tamen indulgetur de una ad aliam Paraeciam translatio transactionis, quam quis cum Parocho quoad quantitatem Decimarum iniit, quamque supremus Pontifex confirmavit, si praesertim favore alterius Parochi adsit res iudicata *in Oxomen. Indulti die 30 Ianuarii et die 7 Aprilis 1745.*

199. Siquidem Antonius del Rio anno 1519 e Calaguritana Diaecesi in Civitatem Soriae Diaecesis Oxomensis lares suos transtulit. Cum ditissimus ille esset et plurimo pecore gregibusque abundaret atque ab ea veniret Diaecesi, in qua nulla erat consuetudo praestandi Decimas lanae, ad aliam Urbem et Diaecesim, in qua ut in ceteris Vindelicae Provinciae lanae decimae parochialium Ecclesiarum Rectoribus integre praestari debebant, transegit cum Capitulo Collegiatae et Parochialis Ecclesiae divi Petri Civitatis Soriae, pactoque convento statuta Decimarum lanae praestatio fuit ad rationem quatuor pro mille, caseorum ad rationem quatuor pro centum, utque aliorum capitum integra decimarum praestatio esset. Pacta conventa probavit Arbiter sententia sua, confirmavitque datis Literis Leo X, atque ita Antonius del Rio in Parochia divi Petri aedes laresque suos perpetuo fixit. Servata fuerunt pacta ad annum 1679, quo tempore cum defectis masculis omnibus ab Antonio descendentibus una superstes esset Elisabeth Lopez del Rio, quae nupsit Petro Salzedo Gomorae comiti,

qui-in alia Parochia divi Nicolai eiusdem Civitatis Soriae aedes habebat, controversia orta est inter Parochum et Comitem de integra Decimarum lanae et caseorum praestatione, et victus est tribus iudiciis Gomorae Comes, decernentibus Iudicibus, ut a die 2 augusti 1680, qua nuptiae cum Elisabeth fuerant contractae, Decimae Parocho S. Nicolai integre praestarentur. Lata harum trium sententiarum postrema fuit die 17 iunii 1682, et Iudex in ea ius sibi reservavit cognoscendi de modo forma et quantitate Decimarum, statuto litigantibus 20 dierum tempore, ut rationes quisque suas edere posset. Nihil tamen actum est, ob Parochi obitum: ac ita res diu siluit, et Decima ut antea soluta est. At demum Iacobus Iubera Parochus S. Nicolai curavit, ut alteri Iudici committeretur iurisdictio, qui in locum defuncti de modo forma et quantitate Decimarum praestandarum cognosceret. Comes vero a Summo Pontifice postulavit, ut liti finem imponeret, sententiam illam Arbitri Literasque Leonis X confirmaret, et ad Ecclesiam divi Nicolai porrigeret et ampliaret, alias ipse posset Calaguritanam Diaecesim repetere, atque ita Parochus omnes Decimas amitteret. At obstitit Parochus, ne post tria iudicia, post tot impensas, nullum victoriae fructum caperet, praesertim cum quaesitum esset ius Ecclesiae, quod unicuique tollere vetitum est legibus Romanorum et Pontificii iuris constitutionibus.

200. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus concessioni Indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Oxomen. Indulti die 30 Ianuarii 1745.*

201. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Oxomen. Indulti die 7 Aprilis 1745.*

202. Qua de re nisi luculenter constet de iure decimandi ad formam conventionis inter Communitatem et Parochum loci, Sacra Congregatio mandat, ut coadiuventur probationes *in Assisien. Decimarum die 5 Iulii 1710 lib. 60 Decretorum.*

203. Iamvero – concordavit olim Communitas loci Bastiae huius Diaecesis cum Parocho Ecclesiae S. Angeli eiusdem loci quaedam capitula super solutione Decimarum, approbata ab hac Sacra Congregatione sub die 8 augusti 1682 (1). Cum autem evenerit, ut complura praedia sita intra limites supradictae Parochiae S. Angeli, quae antea allibrata erant in Catastro Communitatis Bastiae, deinde fuerint a dicto loco dismembrata et aggregata Communitati Assisii in eiusque Catastro adnotata, quaeque possidentur a diversis civibus Assisiensibus, signanter a Patribus sacri Conventus S. Francisci nec non a Patribus Tertii Ordinis pariter S. Francisci Civitatis praedictae, quibus detrectantibus solvere praefatas Decimas sub eo fundamento, quod praedia ab iis possessa non amplius ad Catastrum Bastiae, sed ad illud Civitatis Assisii pertineant, recursus habitus fuit ad Sanctissimum D. N., precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, a qua requisitus Episcopus Assisiensis desuper informare latius praemissa comprobavit; censuitque, Decimas esse debitas ex omnibus praediis in utroque territorio spectantibus ad Parochialem Curam Bastiae, quemadmodum uberius in summario exhibendo –. His interim perpensis, proposito dubio: – An Decimae debeantur Parocho a sacro Conventu S. Francisci Assisii et ab aliis Patribus Tertii Ordinis pariter S. Francisci eiusdem Civitatis pro bonis ab eisdem Patribus possessis intra limites Parochiae et in territorio Assisiensi sive alio extra territorium Bastiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et coadiuventur probationes – *in Assisien. Decimarum die 5 Iulii 1710 lib. 60 Decretorum.*

204. Hinc Monasterium Monialium patronum quum nominaverit Vicarium Curatum ea

(1) Quibus inter alia statutum fuit: – Che tutti li forastieri, che averanno comprato dagli uomini della Bastia o da altri beni accatastati al Catasto di detta Comunità, siano obbligati pagare Decima a detto Curato tanto delle terre quanto delli bovi, che avevano come sopra. Item, che in avvenire vendendosi da qualsivoglia persona terre accatastate al Catasto di detta Comunità, s' intendano vendute e alienate col medesimo peso della suddetta Decima, e li venditori siano obbligati notificarlo al Curato e Comunità fra termine di due mesi dopo detta vendita, il che non facendosi, li venditori siano obbligati anco per rata delle terre, che averanno vendute, a detta Decima –.

lege, ut loco Decimarum obtinere deberet annua scuta octoginta, cum reservatione tamen Apostolici Beneplaciti, et Sacra Congregatio subinde resolverit, esse locum commutationi congruae augendo summam praedictam octoginta scutorum ad centum quinquaginta, sed praedictus Vicarius obtinuerit institutionem cum iure percipiendi omnes Decimas et primitias, Sacra Congregatio declaravit, restituendas esse Decimas et primitias a die motae litis, demptis annuis scutis 150 favore Vicarii, non vero a die vacationis Vicariae et possessionis ab eo habitae *in Portugallen. die 3 Martii 1725.*

205. Enimvero Monasterium Monialium de Ave Maria S. Benedicti Civitatis Portus patronum nominavit et praesentavit ad Vicariam parochialis Ecclesiae S. Christophori Sacerdotem Ioannem de Tavora sub ea tamen lege et conditione, quod idem ultra oblationem Altaris domum pomarium et praedia domui annexa obtinere deberet scuta octoginta monetae Romanae in loco decimarum de *Baguin* et primitiarum territorii *Pogonegro*, quae a praedecessoribus Vicariis exigebantur. Reservatum fuit in hac nominatione Apostolicum Beneplacitum, obtentaque a nominato institutione in sequelam Decreti ab Ordinario una cum iure percipiendi omnes Decimas, Sacerdos nominatus in actu capiendae possessionis declaravit, se velle frui fructibus Vicariae Decimis et primitiis iisdem modis et formis, quibus sui Praedecessores obtinuerunt. Ex hoc facto lis inter Monasterium et Sacerdotem exorta est, eademque delata ad Sacram Congregationem, propositoque die 3 iulii 1720 dubio: – An sit locus reductioni seu confirmationi reductionis congruae in casu?, cum nulla capta fuisset resolutio, sed dictum, quod coadiuvarentur probationes, die tandem 18 decembris 1723 responsum fuit, esse locum commutationi congruae augendo summam oblatam a scutis octoginta ad scuta centum quinquaginta, et die 12 februarii 1724 proposito dubio: – An esset standum, vel recedendum a decisis?, rescriptum fuit: – In decisis, et amplius –; cumque inter Causae propositionem habitam anno 1720 et alias 1723 et 1724 Moniales in Sacra Congregatione instetissent pro appositione sequestri super Decimis et primitiis, de quibus erat controversia, ne nominatus hoc interim eas percipere-ret, et litem cum alienis pecuniis prosequeretur, Sacra Congregatio die 2 Augusti 1721 rescripsit, non esse locum sequestro, sed fructuum descriptioni, facta obligatione restituendi in casu succumbentiae. Cumque subinde Moniales instetissent, ut Sacerdos adigeretur ad restitutionem Decimarum et primitiarum a die vacationis Vicariae et possessionis ab eo habitae, demptis tamen annuis scutis 150 eidem Sacerdoti assignatis ab Sacra Congregatione, contenderunt, hanc restitutionem descendere, primo ex contextu litis in Sacra Congregatione resolutae; secundo ex Decreto anni 1721, quo dictum fuerat, Decimas a Sacerdote esse retinendas in forma depositi cum obligatione restituendi in casu succumbentiae; tertio ex dispositione iuris, qua attenta, quando fructus, prout hic, petiti fuerant tamquam sors et capitale, non tamquam meri fructus, et accessiones rei fundi aut iuris alicuius in lite et controversia cadentis, eorum restitutio sibi vindicabat locum usque ab initio; et demum a mala fide, in qua nominatus usque a principio constitutus fuit, cum a ceteris praescindendo nominationem qualificatam Monialium acceptaverit, et deinde se intruserit in possessionem omnium Decimarum et primitiarum, quae a suis Praedecessoribus fuerant obtentae.

206. His mature perpensis, proposito dubio: – An et a qua die Decimae et primitiae locorum de *Baguin* et *Pogonegro* per D. Ioannem Tavora de Noromba Vicarium Ecclesiae Parochialis Sancti Christophori de *Riotinto* sint per istum restituendae ven. Monasterio Sanctimonialium de Ave Maria Civitatis Portus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Decimas et primitias, de quibus in dubio, deberi a die motae litis, demptis scutis 150 favore Vicarii – *in Portugallen. die 3 Martii 1725.*

207. Hinc quum in dismembratione Parochialis Matrici Ecclesiae reservatae fuerint Decimae, quae solvendae sunt ab Hominibus Ecclesiae filialis, et reaedificatio eiusdem spectet primum ad Fabricam dein ad Populum ac demum ad Patronum, praefatae Decimae sub sequestrum positae ad effectum

praedictae reaedificationis restitui debent *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 30 Maii 1761 die 17 Septembris 1768 die 18 Novembris 1769 et die 28 Aprilis 1770.*

208. Siquidem ab Ecclesia Parochiali Oppidi *Rotensfels* dudum unita Capitulo Cathedralis Spirensis, quod in ea Vicarium retinebat, dismembrata fuit anno 1361 Villa de *Seelbach* ad preces Comitis de Eberstein loci Baronis, et reservatis Decimis eiusdem Villae nonnullisque Matricitatis iuribus antiquae Parochiali de Rotensfels, nova Parochia de consensu omnium, quorum intererat, in illa erecta est de iurepatronatus dicti Baronis, qui dotem pro Rectore contulerat. Quum autem subinde fatiscentem dictae Villae Seelbach Parochialem Ecclesiam Episcopus Spirensis interdixisset, demandata illius reaedificatione contra quos de iure, orta controversia de expensis in eam causam erogandis, quas a Capitulo Cathedralis Spirensis loci decimatore subeundas esse Parochiani autumabant, et Parochianos ad illas teneri Capitulum contendebat. Ast Aediles Margravii Badensis, qui modernus erat Villae dominus, decreverunt Decimarum sequestrum. Collectaque inde pecunia, novam Ecclesiam constructionem, sciente et annuente Episcopo, inchoarunt. Re ad Sacram Congregationem delata, Aediles disputarunt, cuiuslibet Ecclesiae reaedificationi occurrendum primo esse ex reditibus ipsius Ecclesiae, et ideo Capitulum Spirense teneri ad reaedificandam Ecclesiam Parochialem Villae Seelbacensis, ratione Decimarum ipsius Villae, quas percipiebat, quin obessent exceptiones per Capitulum propositae, quod nimirum Decimae controversae spectarent ad Ecclesiam Matricem de *Rotensfels,* quod Ecclesia Seelbacensis peculiares haberet reditus pro fabrica, quodque demum in longo quatuor seculorum decursu post sequutam dismembrationem Capitulum subire nunquam consuevisset expensas pro Ecclesiae restauratione. Nam primum obiectum everti putabant ex censura Textus in Cap. *Ad audientiam* de aedif. Eccles. et Sacri Concilii Tridentini in Cap. 4 sess. 21 de reformatione, ubi cavetur, quod novae Parochiali erigendae providendum sit ex reditibus loci, in quo fit erectio. At in sequuta Villae Seelbacensis dismembratione solus loci Baro dotem contulit pro Rectore, et nihil sive ab ipso, sive ex reditibus Ecclesiae Matricis assignatum fuit pro fabrica Ecclesia; ideo reaedificationis onus remanere defenderunt sub dispositione iuris, ut adimpleretur ex Decimis loci, ad Ecclesiam Matricem spectantibus. Alterum obiectum cessare autumarunt, eo quod reditus Fabricae non in erectione Ecclesiae constituti, sed progressu temporis acquisiti, paucissimi erant; et ideo eximere nequibant Matricem Ecclesiam sive loci Decimas illi debitas ab onere novae aedificationis Ecclesiae, ut dixit Rota in Decis. 184 Recent. part. 17 n. 20. Et quoad tertium obiectum contenderunt, probationes a Capitulo allatas respicere solum restaurationes a Populo factas; proindeque inducere nequivisse consuetudinem Capitulum eximentem a reaedificatione Ecclesiae. Capitulum contra institit in praenotatis tribus exceptionibus.

209. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit locus restitutioni Decimarum et a quo sint restituendae in casu etc. –, Sacra Congregatio, quum prius mandaverit, reaedificationem Ecclesiae spectare primo loco ad reditus Fabricae, secundo loco ad Populum, tertio ad Patronum, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative; et esse restituendas a Regimine Badensi – *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 30 Maii 1761.*

210. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 17 Septembris 1768.*

211. Regimen Badense, obtenta venia rursum sua iura deducendi, obnixe contendit, Decimatores teneri ad Ecclesiae reaedificationem, attenta praesertim universali in Margraviatu Badensi consuetudine. Reproposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 18 Novembris 1769.*

212. Facto demum est Badensis Margraviatus Regimini iterata venia iura sua deducendi, hinc denuo contendit, Decimas non esse restituendas, sed ad summum reservanda fore Capitulo iura sua pro consequutione

valoris Decimarum adversus quoscumque obligatos ad Parochialem Seelbacensem reaedificandam. Reproposito vero dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius; et ad Emum Praefectum iuxta mandatum – *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 28 Aprilis 1770.*

213. Patet autem, quod Privilegium exemptionis non conceditur, nisi a Summo Pontifice *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Itaque* (1).

214. Quod si personis, non vero terris privilegium exemptionis tribuitur, istae quidem, ubi propriis manibus vel sumptibus eas excolunt, a Decimarum praestatione eximuntur; sed illarum conductores, et coloni pro rata parte fructuum, quos percipiunt, Decimas persolvere obstringuntur *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *At vero* (2).

215. Nam privilegium personale ipsas personas, quibus fuerat indultum, non egreditur, nec transfertur in emptores *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Iam vero* (3).

216. Hinc Oblati tenentur solvere Decimas; proposito enim dubio: – An Oblati teneantur solvere Decimas Ecclesiae Matrici? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Cassanen. Iurium Parochialium die 9 Iulii 1672.*

217. Similiter Conservatorium Oblatarum, sola Ordinarii auctoritate cum reservatione omnium iurium parochialium erectum, tenetur solvere Decimas Rectori parochialis Ecclesiae, intra cuius limites illud reperitur; his enim in terminis proposito dubio: – VIII. An per dictum Conservatorium debeatur Decima Parocho? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad octavum, Affirmative – *in Salernitana Iurium parochialium die 19 Augusti 1702 lib. 52 Decretorum* (4).

218. Hinc multo minus Personae laicae possunt imponere, vel exigere Decimas Parochiales, vetante Extravaganti *Prohibemus* de Decimis *in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803* §. *Haec.*

219. Idcirco laicus nedum haud ius Decimarum, quatenus spirituale est, sed nec etiam ius percipiendi Decimas, quatenus ius separatum a spirituali est, valet unquam usucapere *in Praenestina Pensionis die 13 Ianuarii 1844* §. *Iuvabit.*

220. At Decimae debentur etiam Communitatibus laicis ex iure Parochorum, quin obstet resiudicata praetensa immemorabilis consuetudo et lapsus annorum ultra quinquaginta post dictam rem iudicatam effluxorum *in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803.*

221. Iamvero diuturnae litis inter cives Fanenses et Comitatus Castra super iniqua onerum repartitione actae finem attulit tum Constitutio Gregorii XIII anni 1577, tum inita inter eosdem anno 1589 transactio; eademque suscitavit gravius iudicium, quod Congregatio Boni Regiminis die 6 Decembris 1794 die 13 iunii 1795 et die 28 aprilis 1796 absolvit, quo die iussa est extensio voti more Rotali, quod confirmatum fuit per Breve s. m. Pii VI. Quo quidem in voto inter onera Communitatibus solvenda mentio fiebat Decimae Parochorum. Nam ex pervetusta concordia (quae tamen adhuc delitescebat) inolevisse asserebatur, ut Comitatus Castra, Serrae Ungarinae scilicet Saltarae Cartoceti Barneci Ripaltae Puteoli ac Montis Iani cum Parochis convenerint, praestandas esse loco Decimarum certas frumenti quotas, quae ab ipsis Communitatibus in possidentes tribuebantur. Hinc Communitates Comitatus post rescissam ex sententia Sacrae Congregationis Boni Regiminis transactionem, cum Decimas imperassent possidentibus quoque Fanensibus, horum alii Decimas pensitarunt, alii acriter obstiterunt contendentes, se omnino immunes ab hoc onere Decimarum declaratos fuisse ex reiudicata A. C. Amadei. Nam anno 1745 urgente Communitate Serrae Ungarinae Cives Fanenses pro Decimarum solutione, isti ab eodem A. C. sententiam obtinuerunt manutentionis – in possessione seu quasi libertatis non solvendi Decimas, reservato iure tam super petitorio,

(1) Card. Petra in Comment. ad Constit. 10 Gregorii XI, n. 14, tom. 4; Barbos. de Offic. et Potest. Paroch. part. 3, Cap. 28, §. 3, n. 12; Rot. in decis 469, n. 16 coram Olivatio.

(2) Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 30, n. 70; Barbos. in cap. 12 de Decimis, n. 11; Schmalzgrueb. lib. 3 Decret. tit. 30, §. 1, n. 21.

(3) Barbos. de Offic. et Potest. Paroch. part. 3, cap. 28, §. 3, n. 40; Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 30, n. 65 et 70.

(4) Species Causae huius prostat in verb. *Benedictio*, §. III, n. 28 ad 32, Tom. III.

quam super observatione et exequutione transactionis 28 martii 1589 –. Postero vero anno 1746 iudicium petitorium coram eodem A. C. absolutum est altera sententia, qua definitum: – nullum ius nullamque actionem competiisse et competere dictae Communitati petendi contra Cives Fani Decimarum solutionem pro bonis, quae ab illis possidentur in territorio Serrae Ungarinae, reservato iure favore Parochi Serrae Ungarinae pro solutione Decimarum, prout et quatenus de iure –. Sententia huiusmodi, nacta vires reiiudicatae, delata est in gradu restitutionis in integrum ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi ad Sacram Congregationem, licet id procul abesset a more institutoque praefatae Sacrae Congregationis. Comitatenses itaque contenderunt, quod abrogari oporteret tamquam iniusta ea resiudicata, unde prorsus debebatur ius illud decimandi, quod Parochi habebant ex iuris dispositione, ut scilicet ipsi Decimas exigere possent super omnibus praediis in districtu Paraeciae sitis, tam ab incolis, quam exteris, quin prodesset Civibus Fanensibus transactio vel longaeva observantia.

222. Nam transactio irrita declarata fuerat ex reiudicata Congregationis Boni Regiminis. Hinc contraria observantia et exemptio caderet oportebat, vel quia resolutus erat titulus transactionis, unde derivabat, vel quia haec exemptio cessat, quando in gravamen et perniciem vergit, vel quia iam Fanenses sicuti alia onera communitativa, a quibus per immemorabile tempus cessabant ante rem iudicatam S. Congregationis Boni Regiminis, persolverunt Communitatibus Castri post rescissam transactionem, ita quoque pensitare debebant Decimas, quae inter communitativa onera ex concordia cum Parochis accensebantur. Ex quibus arguerunt, quod Decimae a Fanensibus solvendae essent iuxta repartimentum, quod a Communitatibus pro Decimis, ut pro aliis oneribus, fieri solebat. Ad tempus quod pertinebat satis erat Communitatibus, si Decimae persolverentur ab anno 1797, quo tempore post rem iudicatam Sacrae Congregationis nonnulli possidentes Fanenses Decimas praestarunt. Fanenses vero exemptionem a solvendis Decimis et rem iudicatam A. C. Amadei defenderunt ex immemorabili, quam deducere contenderunt, ex eo quod Comitatenses nunquam demonstrarent, ante Breve Gregorianum et transactionem anni 1589 Decimas huiusmodi persolvisse, et post transactionem ipsi Comitatenses fatebantur, quod nunquam eas exegerint. Negarunt, quod res iudicata A. C. Amadei niteretur transactioni anni 1589, cum distinctum fuisset petitorium a transactione. Addiderunt praeterea, quod nullam in praesens Comitatenses exercere possent actionem, ut Fanenses adigerent ad solvendas Decimas. Nam post rem iudicatam A. C. Amadei latam anno 1746 effluxerant anni ultra quinquaginta, cum ex quadragenaria una cum titulo saltem colorato ius decimandi praescribatur. Neque haec actio restituta erat ex re iudicata Sacrae Congregationis Boni Regiminis. Nam ex ea tum demum declarabatur, quod a Fanensibus onera solvenda essent Communitatibus Comitatus, quatenus eadem onera legitime indicta essent. Negarunt porro Fanenses, quod Decimarum solutio legitime imposita fuerit, dum Communitates tamquam personae laicae easdem imponere non poterant, vetante Extravaganti *Prohibemus* de Decimis. Neque constabat, quod Parochi ius suum in Communitates transtulerint.

223. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de reiudicata A. C. Amadei, seu potius de causis restitutionis in integrum, ita ut quomodo et a quo tempore et in qua summa debeantur Decimae Communitatibus Comitatus Fanensis ex iure Parochorum a Fanensibus in illarum Territoriis bona possidentibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et deberi Decimas ab anno 1797 iuxta repartimentum – *in Fanen. Decimarum die 30 Aprilis 1803.*

224. Si enim iusta adsit causa, Summus Pontifex concedit etiam laicis ius exigendi Decimas; quandoquidem cum vires aerarii Caroli VI Hispaniarum catholici ac Romanorum Regis in Imperatorem electi neque laicorum ei subditorum facultates anteactis bellis attritae pares esse possent munitioni et instaurationi Civitatum Arcium et Oppidorum et signanter Albae Graecae et Temesvarii nec non Varadini et Budae, Benedictus Pa-

pa XIII per suas Literas Apostolicas expeditas in forma Brevis die 31 ianuarii 1725 eidem concessit subsidium annuum seu contributionem septuaginta quinque millium scutorum monetae Romanae loco et ad instar Decimae super omnibus et singulis fructibus omnium Metropolitanarum Cathedralium Beneficiorum etc., – et super proprietatibus et reditibus Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum et Clericorum Regularium Societatis Iesu aliorumque Congregationum Societatum et Institutorum exemptorum et non exemptorum –, ut pecuniae quaecumque ex subsidii et contributionis huiusmodi exactione quomodolibet proventurae et redigendae memorato Carolo Regi in Imperatorem electo, sive eius Ministris ab ipso specialiter ad id deputandis, ab Archiepiscopo Seleucensi Apostolicae Sedis et suo in Regno Neapolis Nuntio traderentur et consignarentur, convertendae in Causam expressam, pro muniendis videlicet et instruendis Civitatibus Arcibus et Oppidis supra memoratis *in Neapolitana die 8 Iunii 1726* §. *Cum*.

225. Verum ab huius subsidii solutione Pontifex exemit S. R. E. Cardinales ob assiduos labores, quos Ecclesiae universali impendunt, et Milites Hierosolymitanos, qui Turcarum ferociam repellere atque confringere nunquam desistunt. Exemit quoque Curata Beneficia, quae in annuo reditu non excedunt triginta et unum ducata auri de Camera cum quarta parte alterius ducati similis, et alia demum Beneficia ecclesiastica, quorum annui reditus ad summam septem ducatorum similium non ascendunt, dummodo tamen Beneficiorum huiusmodi Titulares una cum illis alia Beneficia ecclesiastica, sive annuas pensiones valorem praedictum coniunctim excedentia non perciperent, tunc quippe illas ad subsidii solutionem teneri et obligatos esse declaravit, et inter clausulas derogatorias de more appositas in fine Brevis legitur etiam derogatio, – Constitutionibus et Ordinationibus Congregationum et Societatum etiam Iesu et privilegiis et indultis et Literis Apostolicis eisdem Congregationibus Societatibus etiam Iesu in limine quoque fundationis concessis confirmatis approbatis et innovatis – *in Neapolitana die 8 Iunii 1726* §. *Ab*.

226. Unde Decimae Papales non debentur pro Beneficiis, quorum reditus non attingunt septem annuos florenos; quia – Seculares Clerici, quorum ecclesiastici reditus et proventus annui summam septem florenorum auri non excedunt, eamdem Decimam non praestabunt –, ut inquit Textus in Extravaganti unica de Decimis *in Tranen. Taxae die 14 Maii 1763* §. *Demum*.

227. Limita, nisi unus plura possideat Beneficia, quorum reditus simul excedant dictam summam; nam in praedicta Extravaganti unica de Decimis decernitur, respectum habendum esse ad Personam possessoris, non ad Beneficia ipsa: – Si vero una Persona plura habeat Beneficia, quorum nullum per se acceptum dictam summam septem florenorum auri annuatim attingat, simul tamen collecta in minimis proventibus summam memoratam excedant, quotquot vel quantumcumque modica fuerit, de omnibus et singulis Decima persolvatur – *in Tranen. Taxae die 14 Maii 1763* §. *Demum*.

228. Similiter Moniales nihil possidentes, vel quantum non sufficit ad earum substentationem, non tenentur ad Decimas Papales quae imponuntur pro utilitate universalis Ecclesiae, iuxta Textum in Extravaganti unica de Decimis *in Tranen. Taxae die 14 Maii 1763* §. *Et revera*.

229. Hinc Decimae Papales, quae quandoque exigentibus christianae Reipublicae necessitatibus imponuntur, non comprehenduntur inter onera perpetua detrahenda a reditibus Beneficiorum taxandorum pro contributione Seminarii *in Senogallien. anno 1605 lib. 10 Decretorum pag. 126*.

230. Decima itaque imposita pro erectione Seminarii potest impendi ab Episcopo pro refectione domus eiusdem *in Faventina lib. 2 Decretorum pag. 44 a tergo*.

231. Negata tamen fuit a Sacra Congregatione facultas Episcopo imponendi Decimas super bonis Regularium pro manutentione Seminarii erigendi *in Cotronen. die 22 Ianuarii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 376*.

232. Nam Monachi olim ex praediis et laboribus suis Decimas solvebant Parocho, in cuius Ecclesia divina audiebant et Sacramenta percipiebant, sicut Laici, qui tunc ad Clericatum promoveri non solebant, ut colligitur ex Can. *Alia* Caus. 6 Can. *Eccle-*

sia 7 Can. *Inter Decimas* et alibi: verum postea Concilium Moguntinum et Papa Paschalis II, uti refert Can. *Questi* Caus. 46 et Can. *Decimas,* eadem Caus. indulsit, ut Clerici et Monachi in communi viventes ex laboribus suis ac nutrimentis, adeoque etiam ex hortis et praediis, quae ipsi proprio labore aut sumptibus pro vitae sustentatione colunt, Decimas solvere non teneantur; sed privilegium hoc iam ample Religiosis concessum ab Adriano IV et successore eius Alexandro III ad solos Cistercienses Templarios et Hospitalarios restrictum fuit, ut patet ex Cap. *Ex parte* 10 de Decimis, ceteris vero Religiosis tantum concessum fuit, ut ex novalibus suis, quae propriis manibus vel sumptibus excolunt et ex nutrimentis animalium suorum seu pascuis et hortis suis Decimas persolvere non teneantur, de aliis vero rebus omnibus illas rependere debeant *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Monachi* (1).

233. Ast in Concilio Lateranensi IV habito sub Innocentio III privilegium Cisterciensibus Templaribus et Hospitalariis concessum restrictum fuit ad praedia, quae Religiosi isti ante Concilium Lateranense possidebant, ut ex illis Decimas dare non tenerentur; quoad praedia vero, quae post dictum Concilium acquisituri essent sive ex emptione, sive pia fidelium donatione, vel quo vis alio titulo, etiamsi illa propriis manibus aut sumptibus excolant, ex iis Decimas solvere debeant iis, quibus dari solitae erant, priusquam ad Religiosos praedia illa pervenissent, ut liquet ex Cap. *Nuper* 34 de Decimis, desumpto ex eodem Concilio Lateranensi: hinc ex iure communi hoc cum Reiffenstuellio lib. 3 Decret. tit. 30 de Decimis §. 4 n. 68 adnotandum est discrimen Cistercienses Templarios Hospitalarios inter et alios Regulares, quod scilicet de terris post Concilium generale acquisitis tantum illi, non ceteri exempti sint a solvendis Decimis etiam non novalibus illorum fundorum, ex quibus Decimae antequam ad eos pervenerunt non solvebantur, item de terris ante dictum Concilium acquisitis Cistercienses aliique privilegiati de illis Decimas dare non teneantur, etsi priusquam ad eos pervenerint Decimae fuerint solutae; alii vero Regulares etiam de terris antea acquisitis, exceptis hortis nutrimentis animalium et novalibus, quae propriis manibus aut sumptibus excolunt, Decimas solvere tenentur, si de illis antea solvebantur *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Monachi.*

234. Ex hisce itaque allatis iuribus certum est, iure communi omnes Regulares exemptos esse a solvendis Decimis tam personalibus, quam ex praedialibus illis, quae dari deberent ex fructibus hortorum suorum nutrimentis animalium et de novalibus, quae fiunt ex terra prorsus inculta, quam propriis manibus seu sumptibus excolunt, secus vero ex fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere translati sunt, uti perpendit Giraldius in exposit. iur. pontif. part. 1 ad Cap. *Ex parte* de Decimis: Cistercienses aliique, qui iisdem fruuntur privilegiis, dicto iure communi ulterius specialiter exempti sunt a solutione Decimarum etiam de terris et praediis non novalibus illis, de quibus antequam ad eos pervenerunt, Decimae non solvebantur; de reliquis autem praediis terris agris et fundis omnibus, etiamsi propriis manibus et sumptibus colant, Decimas dare omnes Regulares, nullo excepto, aeque tenentur ac laici, insuper tenentur ad Decimas de omnibus terris etiam novalibus, quae ab alienis conducunt, pariter debentur Decimae de novalibus propriis Religiosorum, si ea aliis elocant *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Ex.*

235. Dicitur autem ex iure communi, quia ex specialibus privilegiis corpori iuris non insertis Regulares ab Decimarum solutione eximi omnino possunt, ac teste Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3 cap. 18 §. 20 n. 20 fere omnes Regulares hodie exempti sunt a solvendis Decimis praedialibus de praediis et fundis cunctis sive ante, sive post Concilium generale acquisitis, quos propriis manibus vel saltem sumptibus propriis excolunt: notandum tamen cum Reiffenstuellio cit. loc. n. 67 circa praefata Regularia spe-

(1) Pirhing lib. 3 Decret. tit. 30, sect. 3, §. 53 de Decimis; Barbos. de Offic. et Potest. Parochi; Rebuff. de Decimis, quaest. 14, n. 43, aliique.

cialia privilegia, quod quia per Concilium generale Cap. *Nuper* 34 de Decimis derogatum omnium Regularium privilegiis, vi quorum exempti erant a solvendis Decimis de praediis ac terris, quas propriis manibus vel sumptibus colunt, privilegia huiusmodi de novo concessa non valent, nisi dentur cum clausula derogatoria dicti Concilii generalis, quia Pontifex Constitutioni Concilii generalis nunquam censetur derogare, nisi clausulam Concilii expresse derogatoriam adiiciat, ut tenent omnes Canonistae ac saepe decidit Rota apud Barbosam et Fagnanum in lib. 3 Decret. tit. de Decimis. Censetur autem dicto Concilio sufficienter derogatum non tantum si praefato Cap. *Nuper* in specie derogetur, sed etiam si alterius Generalis Concilii cum addito – et aliorum Conciliorum – fit derogatio, vel si in genere dicitur – non obstante aliqua Constitutione etiam in Concilio generali edita –, prout teste Fagnano loc. cit. resolvit Rota et docent plures Canonistae *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Dicitur*.

236. Quandoquidem si hodie a Sede Apostolica Religiosis privilegium concedatur, ut immunes sint a solutione Decimarum praedialium cum expressa derogatione Cap. *Nuper*, per id intelligendum est non tantum de praediis tempore concessi privilegii acquisitis, sed etiam in posterum acquirendis, quia privilegium immunitatis a Decimis praedialibus ante Concilium Lateranense etiam ad praedia acquirenda extendebatur, cui quoad haec tantum bona in Cap. *Nuper* derogatur: ergo cum post Concilium Lateranense aliquibus concedatur privilegium cum expressa derogatione dicti Capitis, vi illius erunt exempti a Decimis solvendis etiam ex bonis acquirendis, Pirhing lib. 3 Decret. tit. 30 de Decimis n. 60; item intelligi debet non tantum de novalibus, sed etiam de aliis, Reiffenstuel loc. cit. n. 27 textu claro Cap. *Ad audientiam* de Decimis, ubi ratio additur illis verbis: – nam si intelligeremus tantummodo de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus – *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Quandoquidem*.

237. Privilegium autem huiusmodi valet tantum pro terris illis, quas Religiosi propriis manibus, vel sumptibus excolunt, quia de praediis, quae aliis locant, vel ad colendum alienis sumptibus tradunt, Decimae a conductoribus vel colonis sunt solvendae, arg. ex Cap. *Ex parte* 10 de Decimis: quod tamen locum habet quando privilegium Regularium est personale, ipsis nempe personis Regularium, et non terris ipsorum datum, ut exemplis declarat Reiffenstuel loc. cit., ut si dicitur: – Regulares hos etc. eximimus a solutione Decimarum de terris et fundis, quos propriis manibus aut sumptibus colunt –; nam quando privilegium est reale ipsis etiam Regularium fundis et terris concessum tali exempli gratia modo: – Eximimus hos Religiosos eorumque praedia terras etc. a Decimis, vel omnia praedia, fundi horum Religiosorum immunes sint a Decimis –, tunc etiam coloni alieni suis sumptibus colentes praedia talia sunt immunes a solvendis Decimis, Gloss. in Clem. de Decimis; quia licet privilegium personale non egrediatur personam, L. *Omnibus* 68 ff. de regulis iuris, tamen privilegium reale transit cum re, sicut cum eadem transit onus, cap. 33 de Decimis, contrariorum enim eadem est ratio, L. 1 ff. de his, qui sunt sui et alieni iuris, L. fin. ff. 3 de legibus *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Privilegium*.

238. Hinc Congregatio Monachorum Cassinentium a Summis Pontificibus ac potissimum ab Eugenio V in Bulla, quae incipit: – *Etsi ex debito* 23 februarii 1434, aucta est: – Ceterum de quibuscumque possessionibus ubilibet constitutis, quae in praesenti sunt et in futurum erunt, Monasteriorum Prioratuum et bonorum praedictorum, quae praefati Praelati Monachi vel Personae colunt seu coli facient, sive de hortis virgultis piscationibus eorumdem, vel de nutrimentis animalium ipsorum, nullatenus ab ipsis, vel ab aliis pro eis primitias Decimas quarteria vel alio quocumque nomine censeantur exigere vel extorquere praesumant, nec illas aliquas solvere teneantur, sive ad id a quoquam directe compelli possint inviti, generalis Concilii et quibusvis aliis Apostolicis vel Provincialibus aut Synodalibus Constitutionibus nequaquam obstantibus; decernentes ex nunc irritos et inanes quoscumque processus et sententias etiam interdicti, quos vel quas contra inhi-

bitiones nostras huiusmodi per quamvis aut quavis auctoritate contigerit quomodolibet promulgari – *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Tota.*

239. Nemo hinc ab onere solvendi Decimas liberatur, nisi iusto aliquo titulo aut ipso iure specialiter sit exemptus *in Pisauren. die 17 Septembris 1825* §. *Decimas* (1).

240. Quosdam enim vel privilegio vel iusto aliquo titulo eximi posse a pendendis Decimis explorati iuris est, Cap. *A nobis* de Decimis *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Parochis.*

241. Idcirco praediorum emptor, quae privilegio reali Decimis non erant obnoxia, ab illarum solutione immunis est renuntiandus *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Parochis* (2).

242. Etenim si privilegium exemptionis ipsis rebus conceditur, nec Domini nec earum Conductores Decimas solvere tenentur, Gloss. in Clem. 1 de Decimis, Abbas in Cap. 10 n. 4 de Decimis, Rota coram Ratto decis. 105 n. 5 *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *At.*

243. Sin autem Personis, non vero terris tribuitur, istae quidem, ubi propriis manibus vel sumptibus excolunt, a Decimarum praestatione eximuntur, Cap. *Ex parte* et Cap. *Licet* de Decimis, Barbosa de offic. et potest. Paroch. part. 3 cap. 28 §. 3 n. 39; sed eorum Conductores et Coloni pro rata parte fructuum, quos hi percipiunt, Decimas solvere obstringuntur, ut post textum in cap. 11 de Decimis tradunt Reiffenstuel lib. 3 Decret. tit. 30 n. 70, Barbosa in Cap. 12 de Decimis n. 11, Schmalzgrueber lib. 3 Decret. tit. 30 §. 1 n. 21 *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *At.*

244. Hinc si privilegium exemptionis a pendendis Decimis sit personale, Personas ipsas, quibus fuit indultum, non egreditur, Regul. 7 iuris in 6, L. 68 ff. de Regulis iuris, nec transfertur ad emptores, Barbosa de offic. et potestat. Parochi par. 4 cap. 28 §. 3 n. 40, Reiffenstuel in lib. 3 Decret. tit. 30 n. 65 et 70 *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Iamvero.*

245. Nam exemptio utpote personalis iam expiravit, cum ad alios titulo exemptionis praedium translatum fuerit, et ad Parochum ius est devolutum exigendi Decimas etiam dominicales, nec denuo concedi potest, nisi a Summo Pontifice *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Itaque* (3).

246. Quapropter privilegium personalis exemptionis non eximit a solutione Decimarum praedialium; sed requiritur quoad hoc speciale privilegium cum derogatione individua Cap. *Nuper* de Decimis *in Civitatis Ducalis die 19 Martii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 164.*

247. Hinc Mendicantes non tenentur solvere Decimas impositas pro administratione Sacramentorum, si tamen ab earum solutione Sedis Apostolicae privilegio sunt exempti *in Nullius die 19 Decembris 1596 lib. 8 Decretorum pag. 197.*

Item *in Pacten. anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 80; in Siciliae die 31 Maii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 438.*

248. Tenentur vero eas solvere Equites *in Turritana anno 1621 lib. 12 Decretorum pag. 66.*

Item *in Nullius die 2 Iulii 1633 lib. 14 Decretorum pag. 751.*

249. At impositae rebus, quae ab initio fuerunt concessae vel traditae cum ea conditione et onere, ut ex eis Decimae solvantur, ad quoscumque dictae res perveniant, etiam Mendicantes, sunt solvendae *in Nullius die 19 Decembris 1596 lib. 8 Decretorum pag. 87.*

Item *in Pacten. anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 80; in Siciliae die 31 Maii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 438.*

250. Idcirco praedia Decimarum solutioni obnoxia transeunt ad Regulares cum suo onere, ita ut isti teneantur illas solvere,

(1) Cap. *Ex transmissa* et Cap. *A nobis* de Decimis; Reiffenstuel lib. 3, tit. 30, n. 40; Moneta de Decimis cap. 5 n. 26.

(2) Arg. Cap. *Quanto* 18 de usuris, ibique Barbosa, n. 5; et Gonzalez in comment. ad Cap. *De terris* de Decimis.

(3) Card. Petra in Comment. ad Constit. 10 Gregorii XI, n. 14, tom. 4; Barbos. de Offic. et potest. Parochi, part. 4, cap. 28 §. 3, n. 12; Rota coram Olivatio decis. 469, n. 16.

prout tenebantur laici parochialis Ecclesiae Rectori *in Urbinaten. anno 1620 lib. 12 Decretorum pag. 57.*

Item *in Forosempronien. Decimarum die 2 Iunii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 106; in Plebana Decimarum die 24 Novembris 1657.*

251. Idque speciatim quoad Patres Barnabitas declaravit Sacra Congregatio *die 23 Martii 1659 lib. 21 Decretorum pag. 132.*

252. Similiter quoad Servitas resolvit eadem Sacra Congregatio *in Thelesina die 13 Martii 1660 lib. 21 Decretorum pag. 65 a tergo.*

Item *in Nucerina Paganorum die 24 Iulii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 466; in Firmana Iurium parochialium die 3 Decembris 1678 lib. 30 Decretorum pag. 234 et 241.*

253. Decimas pariter solvere tenentur Patres Societatis Iesu de praediis ab eis possessis et a laicis ad eos perventis, prout prius a laicis solvebantur, approbata resolutione sacrae Congregationis a SSmo in Concistorio *in Poloniae die 17 Iunii 1647 lib. 17 Decretorum pag. 487 et 488* (1).

254. Nec aliter statutum est quoad Patres Conventuales pro bonis sive legatis sive acquisitis, non obstante allegata exemptione vigore indulti a S. Pio V concessi *in Feretrana Decimarum die 16 Ianuarii 1694 lib. 44 Decretorum.*

255. Num autem Decimae praediales sint solvendae ex bonis primae erectionis Conventuum, an etiam ex portione dominicali, Sacra Congregatio rem decidendam remisit ad Iudices suos *in Firmana Decimarum die 28 Februarii 1693 lib. 43 Decretorum.*

256. Patres autem Ordinis S. Augustini et Collegium Germanicum Ungaricum Urbis tenentur etiam pro praeteritis solvere Decimas Ecclesiae Parochiali et Collegiatae ad rationem consuetudinis loci ex praediis antiquitus a Laicis acquisitis et pro quibus ipsi Laici antea dictas Decimas solvebant, licet praetendant, eas tamquam sacramentales seu mixtas nunquam solvisse, nec non ex pluribus Apostolicis Constitutionibus gaudeant speciali exemptione non solvendi Decimas *in Senogallien. Decimarum die 30 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum.*

257. Siquidem – vigente in territorio Corinalti consuetudine conformi vetustissimae cuidam Constitutioni Marci Vigerii de Ruere olim Episcopi Senogalliensis a Testibus comprobata et inter Partes non controversa, quod pro bonis in quacumque quantitate a particularibus possessis, dummodo excedant in semine cuppas quatuor, praestetur titulo Decimae praedialis Ecclesiae parochiali cuppa una frumenti et cadus similiter unus musti, Archipresbiter et Canonici Collegiatae et Parochialis Ecclesiae dictae Terrae praetendunt, Patres Ordinis S. Augustini eiusdem loci et ven. Collegium Germanicum Urbis teneri ad similis Decimae praestationem pro quibusdam praediis antiquitus a Laicis acquisitis, pro quibus ipsi Laici antea dictam Decimam solvebant, prout deponunt Testes, et probatur ex fide Cancellarii Communitatis, iuxta resolutiones alias editas ab hac Sacra Congregatione in specie contra eosdem Patres S. Augustini et Societatis Iesu, quae referuntur in calce supplicis libelli Sacrae Congregationi porrecti. Easdemque Decimas non in futurum tantum, sed pro tempore etiam praeterito, a die nimirum factae bonorum acquisitionis, dicti Archipresbiter et Canonici oratores petunt. Praedicti vero Patres S. Augustini et Collegium Germanicum pro neutro tempore ad illarum praestationem se se teneri respondent, cum nunquam solverint nec solvere debuerint huiusmodi Decimas tamquam sacramentales seu mixtas, non autem praediales, et ex pluribus Apostolicis Constitutionibus gaudeant speciali exemptione non solvendi Decimas – .

258. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An ven. Collegium Germanicum Ungaricum ac Patres Regulares Ordinis S. Augustini teneantur solvere Decimas Archipresbitero et Capitulo Collegiatae Corinalti, quae a Laicis solvebantur priusquam bona in ipsius Collegii et dictorum Patrum Regularium proprietatem fuissent translata? *Et quatenus affirmative.* II. An teneantur etiam pro praeteritis, et ad quam rationem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad

(1) Quoad privilegia Societatis Iesu exemptiva a solutione Decimarum videri potest Rot. in Recent. decis. 276, n. 3, part. 11, ubi aliae cumulantur.

primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative iuxta consuetudinem loci - *in Senogallien. Decimarum die 30 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum.*

259. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, bona et praedia, de quibus agitur, Decimarum solutioni obnoxia, ad Regularium Monasterium transire cum suo onere; ac proinde Regulares teneri illas solvere parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici priusquam bona ipsa in Monasterii proprietatem transtulerint *in Ariminen. die 22 Augusti 1637.*

260. Nullum hinc dubium, quin Regulares teneantur ad solutionem Decimarum praedialium eodem modo, quo tenebantur laici priusquam bona ad ipsorum Regularium manus devenissent *in Ripana die 16 Martii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 306.*

261. Unde bona et praedia, Decimarum solutioni obnoxia, transeunt etiam ad Monasteria Monialium cum suo onere, itaut teneantur eas solvere Moniales, prout eas antea solvebant laici *in Urbinaten. anno 1617 lib. 11 Decretorum pag. 199.*

262. Hinc etiam Moniales Sanctae Clarae Tertii Ordinis S. Francisci Civitatis Leopolis Decimas solvere tenentur ex praediis, quae priusquam ad ipsas pervenirent speciali iure et ex peculiari obligatione Decimarum oneri affecta existebant, quin Apostolica privilegia ipsis concessa ullatenus suffragentur *in Leopolien. Decimarum die 7 Aprilis et die 24 Novembris 1742.*

263. Iamvero ab Auditore Generali Nuntiaturae Poloniae confirmata fuerunt Decreta Curiae Leopoliensis, quibus pronunciatum fuerat, Moniales S. Clarae Tertii Ordinis S. Francisci Civitatis Leopolis teneri Decimas solvere Praeposito Ecclesiae Parochialis Vitziniani ex praediis, quae eaedem Moniales intra dictae Paraeciae limites possidebant in duplici Villa Podchaischae et Duorzischa. Re ad Sacram Congregationem ex Rescripto Auditoris Sanctissimi delata, dictus Praepositus contendit, sibi deberi Decimas ex praefatis praediis, cum exhiberet quoddam Decretum a Curia Capitaneali Castrensi anno 1681 prolatum, in quo Barbara de Sienno tunc temporis possidens dicta praedia condemnata fuit ad persolvendas Decimas iuxta obligationem expressam, qua Vuasko Lahodovuski ipsius Barbarae auctor ad earum praestationem se suosque Successores devinxerat. Quum itaque haec ipsa praedia ad Moniales postea transiverint, onus quoque Decimarum in eas translatum fuisse autumavit ex Cap. *Nuper* de Decimis, quin obessent privilegia exemptionis Decimarum per sa. me. Clementem VII et Paulum III universo Ordini Monialium Tertiae Regulae S. Francisci concessa pro iis Monasteriis, quorum reditus congruae uniuscuiusque Monialis sustentationi haudquaquam sufficerent. Praeterquam quod enim privilegia huiusmodi, qualiacumque essent, minime protrahenda forent ad exemptionem Decimarum ex memoratis praediis speciali iure atque ex peculiari praedicti Vuascko Lahodovuscki obligatione Decimarum oneri affectis, respondit insuper, aperte colligi ex Literis in forma Brevis per sa. me. Gregorium XIII datis, quarum integra verba describit Roderiq. Quaest. Regular. tom. 3 quaest. 74 art. 16, privilegia ista ab eodemmet Paulo III ad terminos iuris primum revocata, deindeque non pro universo Ordine, sed pro Monialibus tantum in Regnis Castellae et Legionis degentibus, reditumque sexdecim ducatorum auri de Camera pro uniuscuiusque Monialis sustentatione non habentibus, innovata fuisse, et a sa. me. Gregorio XIII in eo solum adaucta, ut congruae sustentationis modus in ampliori reditu viginti quinque ducatorum auri de Camera constitueretur; itidemque putavit, nonnisi ad eas Castellae et Legionis Moniales referenda esse Brevia Summorum Pontificum Urbani VIII et Alexandri VII, utpote quae priorum dumtaxat confirmationem vel explicationem continerent. Monialium vero Defensor quum ex testimonio tam Syndici Apostolici, quam Oeconomi bonorum Monasterii, nec non ex calculo quorumcumque ipsius Monasterii redituum per Ordinarium approbato ostenderet, proventus omnes pro singulis alendis Monialibus non excedere annuam summam scutorum 28. 58, eas propterea ab omni Decimarum solutione immunes esse propugnavit, contendens, enunciata Pauli III aliorumque Summorum Pontificum privilegia universis generatim Monialibus Tertii Ordinis S. Francisci tributa fuisse, ad tradita per Murga de Benef. quaest 2 n. 433, Rederiq. quaest. Re-

gular. tom. 2 quaest. 44 art. 5 tom. 3 quaest. 74 art. 16, Tamburin. de iure Abbat. disp. 15 quaest. 17 n. 29, et Card. Petra in Comment. ad Constit. Apost. tom. 4 pag. 551 n. 1 et 17; idque etiam pluries a Rotae Auditorio definitum fuisse colligitur ex decis. 991 n. 1 coram Seraphino, decis. 704 n. 4 tom. 3 coram Buratto, decis. 98 coram Merlino, in Toletana Decimarum 13 iunii 1727 coram Aldovrando, et in Gennen. Decimarum mense iulii 1734 coram Rezzonico.

264. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Moniales S. Clarae Tertii Ordinis Sancti Francisci Conventus Leopoliensis teneantur solvere Decimas praediales ex bonis *Podchaische* et *Duorzchischa*, seu potius illis competat exemptio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Leopolien. Decimarum die 7 Aprilis 1742.*

265. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Leopolien. Decimarum die 24 Novembris 1742.*

266. Idcirco omnia praedia ad Monasteria Monialium mendicantium obvenientia, non obstante quocumque Decimarum exemptionis privilegio, primaevo Decimarum oneri subiiciuntur *in Leopolien. Decimarum die 7 Aprilis 1742* §. *Praepositus.*

267. Secus autem in Monasteriis, quorum reditus congruae uniuscuiusque Monialis substentationi non sufficiunt *in Leopolien. Decimarum die 7 Aprilis 1742* §. *Neque.*

268. Unde Decimae non solvuntur de pitantiis Monachorum *in Neapolitana die 8 Iunii 1726* §. *Secundo.*

269. Siquidem Textus in cap. unico de Decimis inter Extravagantes communes statuit: – sed non solvetur de pitantiis Monachorum –; et nomine pitantiae comprehenditur res commestibilis, quae inter Religiosos dividitur, iuxta illud Caesarei lib. 8 cap. 19: – In claustro Sacerdos quidam ante paucos annos defunctus est, homo simplex et illiteratus, Daniel nomine, vitae satis durae, orationibus et ieiuniis infatigabiliter operam dabat, omnes pitantias sibi appositas recusabat – *in Neapolitana die 8 Iunii 1726* §. *Quo.*

270. Ceterum Regulares tenentur quidem ad solutionem Decimarum praedialium eodem modo, quo tenebantur laici, priusquam bona ad ipsorum Regularium manus devenissent; sed hoc intelligendum est de bonis acquisitis post primam suorum Conventuum erectionem in loco, ubi sunt; pro iis enim Decimas tam praeteritas, quam futuras Regulares solvere tenentur, quin obesse valeant privilegium Apostolicum et asserta consuetudo immemorabilis *in Firmana Decimarum die 15 Iunii 1697 lib. 47 Decretorum.*

271. Iamvero – orta controversia anno 1630 inter Parochum S. Salvatoris et Fratres Heremitanos S. Augustini Oppidi S. Victoriae super praetensa solutione Decimarum pro bonis laicalibus acquisitis a praedictis Fratribus post primam erectionem Conventus, eaque delata ad Sacram Congregationem, die 14 decembris eiusdem anni responsum fuit: «Fratres Ordinis S. Augustini teneri ad solutionem Decimarum pro praediis acquisitis, quae dum a Laicis possidebatur, solutioni erant obnoxia». Instaurata nuper eadem controversia inter eosdem Fratres S. Augustini et Conventuales S. Francisci cum alio Parocho et Canonicis Collegiatae eiusdem Oppidi eo sub praetextu, quod dicta resolutio anni 1630 suspensa et sine effectu remanserit, ob contrariam consuetudinem non solvendi usque in praesens observatam, datae fuerunt literae ad R. P. Pauluccium iam superintendentem dictae Diaecesis, in quibus retulit: «Duo sunt obiecta Fratrum Heremitarum S. Augustini et Conventualium S. Francisci etc., alterum in facto, nulla nempe ex bonis, quae possident, dici posse acquisita, sed singula primae erectionis; alterum in iure, videlicet utrique Conventui competere immunitatem a Decimis, tum ex Literis s. m. Alexandri IV, tum ex consuetudine non solvendi, quam asserunt immemorabilem, adduntque iisdem rationibus retardatam extitisse executionem enunciati Decreti istius Sacrae Congregationis favore alterius Parochi sub die 14 decembris 1630. Verum quoad primam exceptionem, videtur potius liquidationem, quam principalis dubii decisionem respicere, et nihilominus non omnia bona Fratribus possessa censenda esse primae erectionis, sed partim eius naturae, partim vero acquisita edocent Oratores ex

illorum seiuncta aestimatione in praesenti Catastro Communitatis etc. Quo vero ad alteram aequissimo iudicio EE. VV. relinquo, quaenam sit vis privilegii Apostolici et consuetudinis, quibus Fratres incumbunt ». Quibus itaque perpensis, proposito dubio: – An pro bonis acquisitis a Regularibus post primam eorum Conventuum erectionem debeantur Decimae tam praeteritae, quam futurae, et pro quo tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative quatenus Decimae sint praediales, et quoad qualitatem coadiuventur probationes – *in Firmana Decimarum die 15 Iunii 1697 lib. 47 Decretorum.*

272. Quin imo animadvertendum etiam est, quod privilegia omnia et illud quoque non solvendi Decimas cessare videntur, quoties Ecclesias Parochiales enormiter laedunt *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769* §. *Perperamque* (1).

273. Nam cum mutata sit rerum natura, nec privilegium exemptionis a solutione Decimarum, nec consuetudo ipsa immemorabilis attendenda est *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Quidquid.*

274. Idcirco Parochi abstentio a Decimarum exactione nonnisi facultativa est dicenda, non autem in futurum obligatoria, idest potius ex aequitate, quam ex iuris rigore orta, cum nempe Regulares adeo divitiis non affluerent; maxime vero cum huiusmodi consuetudo, licet immemorabilis, tamen non fuerit praescripta, ut requiritur iuxta Textum in Cap. *Episcopum* de praescript. in 6: at ex Card. De Luca disc. 14 n. 14 de Decimis n. 5: – In facultativis non intrant praescriptio, nisi ex tempore petitionis ac denegationis cum subsequuta acquiescentia, cum in corporalibus haec dicantur stare loco possessionis, sine qua non datur praescriptio; potissime vero, ubi possessor veniat iure suo independenter a Praedecessoribus, quorum negligentia sibi praeiudicare non poterat – *in Assisien, Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Quidquid.*

275. Unde idem Card. De Luca in disc. 1 n. 48 de Decimis animadvertit, antiquiori tempore et cum primitus Ordines Religiosi instituti et Monasteria erecta sunt, haec in parvo erant numero ac inopia laborabant, quamobrem Parochi commiseratione acti tamquam per speciem eleemosynae illa dissimulare in Decimarum exactione visi sunt, eademque ratio Sedem Apostolicam impulit ad eis concedenda aliqua privilegia: cum itaque tractu temporis iidem Regulares ex piis dispositionibus, vel etiam ex contractibus correspectivis valde ditati fuerint, atque praedia quaesierint possessa a secularibus, qui Decimas solvebant, hinc ista aequitas seu commiseratio resolvi dicitur ad iniquitatem, et ad Parochorum supplantationem pro exuberantiae Regularium ditatione, Rota in Recent. decis. 344 part. 11 *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Atqui.*

276. Eo vel magis cum res sit de exemptione, quae non perficitur temporis momento, sed quae habet tractum successivum, atque singulis annis vel temporibus contingat novum ac reiterabile praeiudicium, quo in casu vel ipsi contractus onerosi, si tractu temporis ad iniustitiam seu nimiam inaequalitatem reducantur, vel sunt rescindendi, vel reducendi ad iustitiam et aequalitatem, iuxta theoricam Bartoli in L. *Inter* n. 7 ff. de verb. oblig. cum concordibus apud Natta consil. 548 n. 36: receptum hinc est per Textum in Cap. *Suggestum* de Decimis, amitti et expirari ipso iure privilegium huiusmodi, quando progressu temporis incipit esse nimis nocuum Ecclesiis Parochialibus vel aliis ius decimandi habentibus, Reiffenstuel lib. 3 tit. 30 de Decimis n. 26, Abb. in Cap. *Suggestum* 9 de Decimis n. 3 et 4, Barbosa ibidem n. 2; tum quia emergente tam gravi praeiudicio res ad casum devenit, quem si Pontifex praevideret, tam generale privilegium non dedisset; tum quia quodlibet privilegium cessat, cum nimis enormiter iuribus tertii fit laesivum, uti habet Glossa communiter recepta in Cap. *Decet* 41 de regulis iuris in 6 *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Eo.*

277. Unde generatim horum privilegiorum rationem evanuisse tenet Pignatellius in consult. can. tom. 8 consult. 8 n. 13: – Cum enim causa impulsiva fuerit paupertas Regularium, quae hodie in aliquibus Ordinibus cessat ob ingentia bona, quae in dies acquirunt, cessare

(1) Pignatell. Consult. 8, n. 13, tom. 8; Suarez de Relig. lib. 1, tit. de Divini Cultus necess. cap. 20; Card. Petra ad Constit. 8 Martini V, tom. 4, n. 8.

etiam debent privilegia ipsa ex Can. *Quod pro remedio* 1 quaest. 7, cum verosimilis intentio Summorum Pontificum non fuerit laedere Ecclesias Parochiales, ut nominatim testatum facit Suarez de Relig. lib. 1 tit. de divin cult. necess. cap. 20, qui concludit, hoc casu locum esse moderationi, etiamsi contineat derogationem Cap. *Nuper* de Decimis -; et n. 22: - Non est videndum, an privilegia enormiter vel modice laedant; praeterquamquod Cap. *Suggestum* non metitur laesionem a paupertate Parochialium, sed a multiplicatione Conventuum et Collegiorum, et ex acquisitione possessionum, quibus valde divites effecti sunt quidam Regulares, sicuti ex illius verbis constat - *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Generatim.*

278. Idcirco huiusmodi iuris dispositio potiori ratione vim obtinet, cum Parochus maxima urgeatur inopia, ita ut vel ipsa congrua careat; hoc sane in casu nullum dubium est, Decimas ipsi iure divino deberi, quatenus nempe sunt necessarium stipendium pro honesta ipsius sustentatione, D. Thom. 2.2. quaest. 87 art. 1, Layman lib. 4 tit. 6 cap. 2 n. 1, Pirhing tit. de Decimis in 6, Engel n. 2, et communissima aliorum, quae innititur apertissimis S. Scripturae ac Sacrorum Canonum testimoniis, ut Can. 2 caus. 16 quaest. 2, Can. 1 caus. 16 quaest. 7, Cap. *Parochianos* 14 et Cap. *Tum* 24 de Decimis; et Summus Pontifex nequit dispensare aut privilegium concedere, Reiffenstuel in tit. de Decimis n. 59 cum aliis, quos longa manu refert, sed dicitur remissionem facere iuris divini tamquam administrator totius Patrimonii Christi, quae quidem remissio in hoc rerum statu haud est praesumenda *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Generatim.*

279. Unde si Regulares divitiis abundent et Parochi nec non Clerus Secularis paupertate laborent, Sacra Congregatio mandat reductionem privilegiorum, quoad exemptionem a solutione Decimarum, iuxta modum *in Pampilonen. Decimarum die 5 Iunii die 21 Augusti 1728 et die 14 Martii 1733.*

280. Enimvero Episcopi Pampilonen. et Barbastren. eorumque Capitula nec non Clerus secularis Pampilonensis Summo Pontifici supplicarunt pro reductione privilegiorum ad terminos iuris communis alias concessorum Collegio Societatis Iesu et ceteris Conventibus et Monasteriis Regularium praedictarum Diaecesum super exemptione a solutione Decimarum. Nam contenderunt, Collegia Patrum Societatis Iesu et alios Regularium Conventus divitiis abundare, et e contra Ecclesias Parochiales Parochos et Clerum Secularem paupertate laborare. In quo siquidem rerum themate sibi locum vindicare praetendebant dispositionem Textus in Cap. *Suggestum* de Decimis, et late ad materiam prosequebantur iuxta sensum Sacrae Congregationis, Pignatellius consult. 8 tom. 8. Proposito interim dubio: - An sit locus reductioni privilegiorum ad terminos iuris communis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad Emos Card. Praefectum et Bellugam pro concordia - *in Pampilonen. Decimarum die 5 Iunii 1728.*

281. Partes vero propositis conditionibus haud acquieverunt: hinc reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative iuxta modum; modus autem est, quod Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem Cap. *Nuper* teneantur solvere integras Decimas, exceptis bonis et rebus praescriptis in Cap. *Ex parte* 10 de Decimis, quo vero ad Regulares habentes expressam derogationem dicti Cap. *Nuper* pro omnibus bonis de praesenti possessis teneri ad solutionem unius pro 25, pro bonis vero acquirendis in futurum quocumque titulo teneri ad integram Decimam, salvis tamen compositionibus et transactionibus, et exceptis tamen in omnibus Patribus Dominicanis - *in Pampilonen. Decimarum die 21 Augusti 1728.*

282. Decretum hoc fuit a Summo Pontifice approbatum die 19 ianuarii 1731, praeterquam quoad exceptionem Patrum Dominicanorum, quam suspendi iussit. Deinde vero scilicet die 26 aprilis 1732 declaratum fuit, etiam Dominicanam Familiam eo Decreto comprehendi debere. Expedito ad normam memoratae resolutionis Apostolico Brevi, Iudex, cui commissa fuit executio, decrevit, Monasteria Ordinis Cisterciensis in utraque Diaecesi Pampilonensi et Barbastrensi existentia a Decimis exempta esse debere dumtaxat pro armentis eorum usui destinatis, itemque pro novalibus, quae sive eorum manibus, sive eo-

rum sumptibus colerentur, ac demum pro hortis intra ipsorum Monasteriorum ambitum positis; solvendas vero esse integras Decimas pro aliis quibuscumque bonis vel acquisitis, vel acquirendis. Reclamarunt Patres Cistercienses quasi Decretum Iudicis Executoris minime consonaret Decreto et menti Sacrae Congregationis, petieruntque declarari, exemptionem eis competere indiscriminatim pro omnibus bonis, quae sua manu vel suo sumptu colebantur, eosque solvere debere Decimarum nomine dumtaxat quatuor pro singulis centenis. Id enim probarunt ex Cap. *Ex parte,* Cap. *Licet* 11, et Cap. *Ad audientiam* 12 de Decimis. Contenderunt insuper, expressam sibi suffragari derogationem Cap. *Nuper:* nam Constitutio Martini V, quae est octava in tom. 1 Bullarii Romani, prius commemorat legem in Concilio Lateranensi editam ac relatam in dicto Cap. *Nuper,* deindeque iubet servari quoad Cistercienses exemptionem pro bonis tam ante, quam post eius legis promulgationem acquisitis et acquirendis. Constitutio autem Sixti IV, quae habetur in Bullario Cisterciensi pag. 125, non solum confirmat exemptionem Cisterciensium pro bonis tam ante, quam post dictum Concilium Lateranense acquisitis et acquirendis, sed subiicit etiam haec verba: - dicti Concilii et quibuscumque aliis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis non obstantibus -. Quamobrem privilegia Familiae Cisterciensis munita esse expressa derogatione Cap. *Nuper* pluries dixit Sacra Rota ac praesertim in Uratislavien. Decimarum 2 iunii et 27 novembris 1702 coram Muto, et in Nullius seu Urgellen. Primitiarum 27 aprilis 1708 coram Aldovrando. His itaque perpensis, proposito dubio: - An stantibus resolutionibus Sacrae Congregationis editis, Decretum Iudicis Executoris quoad Monasteria Ordinis Cisterciensis sit servandum, vel potius an et quomodo sit reformandum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative quoad utramque partem iuxta modum, videlicet ad instar aliorum Regularium habentium expressam derogationem Cap. *Nuper* de Decimis - *in Pampilonen. et Barbastren. Decimarum die 14 Martii 1733.*

283. Quin imo Regulares tenentur solvere etiam Primitias Ecclesiis Parochialibus, si adsit lex Synodalis et consuetudo, quin obstet privilegium exemptionis a solutione Decimarum *in Pampilonen. Primitiarum die 5 maii die 18 Augusti et die 22 Septembris 1731.*

284. Siquidem postquam Episcopi Pampilonen. et Barbastren. Clerusque Secularis obtinuerint a Sacra Congregatione reductionem privilegiorum Regularium quoad exemptionem a solutione Decimarum iuxta modum, contenderunt, sibi deberi a Regularibus Primitias, in subsidium Ecclesiarum Parochialium pro sacris supellectilibus et fabrica reparanda assignatas ex Constitutione Synodali edita anno 1590 et ex consuetudine, prout plures Testes deponebant; quibus addi posse, quod in Rotae Auditorio admissa fuerat dicta obligatio solvendi Primitias praesertim in Diaecesi Pampilonensi, ceu videre erat in Pampilonen. Primitiarum coram Burlemont sub die 10 decembris 1670, quae erat decisio 382 Recent. part. 16, in qua Causa scripsit Card. De Luca, ut in discurs. de Decimis. Nec obstare putarunt privilegia Regularibus concessa, quia in illis nulla a Primitiis exemptio elargitur: nec dubitari posse, quin iidem Regulares privilegium non habentes ad dictas Primitias tenerentur, ut habetur apud Emum Petra in Comment. ad Const. 4 Martini V sect. unica n. 22 tom. 4. Proposito itaque dubio: - An Primitia debeantur a Regularibus in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative - *in Pampilonen. et Barbastren. die 5 Maii 1731.*

285. Facta succumbentibus potestate iterum experiendi de suo iure, vel circa titulum exemptionis ab iisdem Primitiis, vel circa consuetudinem, quae earum praestationi repugnabat, reproposito dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis die 5 maii 1731? -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Quoad Collegium Pampilonense, Causa proponatur omnino in ultima Congregatione septembris: in reliquis vero, in decisis et amplius; et Episcopi invigilent quotannis versioni Primitiarum in causa, cui sunt destinatae - *in Pampilonen. et Barbastren. Primitiarum die 18 Augusti 1731.*

286. Suspensa hinc fuit resolutio quoad Collegium Pampilonense Societatis Iesu; nam eiusdem Procurator exposuit, nondum allata

sibi fuisse documenta, quae sperabat suffragatura Collegio ad hoc onus avertendum. Reproposito vero dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis die 5 maii 1731 quoad Collegium Societatis Iesu in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Pampilonen. Primitiarum die 22 Septembris 1731.*

287. Imo Monasteria Ordinis Cisterciensis licet fruantur privilegio ad instar aliorum Regularium habentium expressam derogationem Cap. *Nuper* de Decimis, tenentur solvere Decimas et Primitias ex bonis concessis in emphyteusim locationem et ad coloniam *in Pampilonen. et Barbastren. Decimarum die 5 Iunii 1734.*

288. Siquidem postquam Sacra Congregatio resolvit, Primitias solvi debere a Regularibus, et quoad Decimas Monasteria Ordinis Cisterciensis censenda esse ad instar aliorum Regularium habentium derogationem Cap. *Nuper* de Decimis, subalterna orta est quaestio, an Decimae et Primitiae deberentur integrae, sive ad rationem unius tantum pro viginti quinque ex bonis spectantibus ad Monasteria Patrum Cisterciensium, quae reperirentur in emphyteusim locationem et ad coloniam alteri cuicumque concessa. Ad rectam itaque istius controversiae decisionem examinanda potissime videbantur ea, quae statuit Alexander III in Cap. *Ex parte* 10, quaeque idem Pontifex declaravit in sequenti Cap. *Licet*, nec non cetera, quae idem Alexander III tradit in suis Literis, quae integre referuntur in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum et in appendice ad Concilium Lateranense sub dicto Pontifice part. 3 cap. 6. Unde Glossa in dicto Cap. *Licet* in verb. *traditis* ait: - Ad hoc enim non extenditur privilegium, nec ad illas, quas conducunt ab aliis -. Et consone ad ea, quae memoratis locis statuit Alexander, rescripsit deinde Innocentius III Episcopo Pistoriensi in Cap. *A nobis* de Decimis: - Fraternitati tuae respondemus, quod a dantibus et recipientibus possessiones ad firmam de fructibus, quos percipiunt, Decimae sunt solvendae, nisi ab eis ostendatur, quare ab huiusmodi sint immunes -. Ex his infert Abbas Panormitanus scribens super eodem capite 10: - Quod duo requiruntur ad hoc, ut isti Monachi gaudeant privilegio; primo, quod praedia sint propria, nam secus si conductitia; secundo, ut ipsi colant ipsa praedia propriis sumptibus vel manibus -. Quando autem dicantur colere propriis sumptibus ita exponit: - Quando solvunt certum pretium pro illorum cultura, unde si tradunt illa praedia Colonis partiariis vel censualibus, idest solventibus certum censum, non habet locum privilegium istud; quia Colonus partiarius non dicitur proprie colere agrum sumptibus Domini, quia pars partiarii Coloni submittitur fortunae et Dei misericordiae, unde si nihil colligeretur ex agro, verum est dicere, Dominum nihil solvisse pro cultura, secus si in omnem eventum Colonus debet habere certas mensuras vini vel frumenti. Nam tunc illud non dicitur partiarius, sed sumptibus Domini colere agrum -. Alii tamen Auctores cum ea distinctione procedendum esse arbitrantur, quod aut privilegia terras ipsas eximunt a Decimarum solutione, et tunc quia privilegia sunt realia, eas sequentur, licet aliis traditas ad excolendum; aut privilegia liberant tantum Personas, et isto casu Personae contemplatae erunt quidem immunes, sed Coloni vel Emphyteutae ad Decimas tenebuntur, ceu ad rem Marchesan. de commiss. appellat. in eaus. Decimarum part. 1 §. 1 n. 145 et alii.

289. His mature perpensis, proposito dubio: - An Decimae et Primitiae debeantur ex bonis concessis in emphyteusim locationem et coloniam in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et amplius - *in Pampilonen. et Barbastren. Decimarum die 5 Iunii 1734.*

290. Quum autem Capitulum Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Petri Terrae Montis S. Viti contendisset, Monachos Cistercienses Abbatiae Clarae Vallis in Piceno Decimas solvere debere ex bonis per eosdem in dicto territorio acquisitis, ducto initio ab anno 1696, quo ceperunt iidem Monachi bona ibidem possidere, et deinceps in singulos annos praestandas esse, primo quia huiusmodi Decimae praediales censeri deberent, secundo quia id praescripserunt Constitutiones Synodales anno 1543 editae, tertio quia idem confirmavit Edictum anno 1594 occasione Diaecesanae Synodi promulgatum, quarto demum quia in

promptu asserta aderat consuetudo; sed contra praefati Monachi sustinuissent, unam frumenti cuppam et unum dumtaxat vini cadum ab unaquaque Familia in causam Decimarum praestari eousque consuevisse, sive unum sive duo vel plura praedia conspicui licet valoris ab ea possiderentur, adeoque inter sacramentales seu personales dictas Decimas recensendas esse, imo licet praediales censerentur, Possessores extra illam Paraeciam degentes ad eas praestandas minime teneri, et signanter se immunes esse, ob Apostolica privilegia Martini V et Sixti IV, propositis dubiis: – I. An Monachi Cistercienses Abbatiae Clarae Vallis in Piceno teneantur solvere Decimam pro bonis, quae acquisiverant in territorio Montis S. Viti in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An et a quo tempore? –, Sacra Congregatio respondit: Dilata, et ad mentem – *in Senogallien. Decimarum die 19 Aprilis 1738.*

291. Quod si antiqua adsit transactio, inter Monasterium Ordinis Cisterciensis ac legitimum Decimatorem inita quoad Decimarum perceptionem, servanda est, quin obstent privilegia praefato Ordini Cisterciensi per Summos Pontifices concessa *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769 et die 15 Septembris 1770.*

292. Iamvero Corradus II iam Episcopus Constantiensis simulque Parochus ac Decimator universalis totius Diaecesis liberaliter anno 1225 in Capitulum suae Cathedralis transtulit ius Decimarum praesertim quoad bona et agros positos intra fines Parochiae Seefeldensis; imo Parochiam ipsam plene ac subiective eidem Capitulo univit, et hanc unionem sa. me. Gregorius IX confirmavit. Verum contendente Monasterio Salemitano Ordinis Cisterciensis, Decimas nonnullorum saltem praediorum integre ad ipsum ratione iurispatronatus pertinere, hinc ad amputandas controversias inita anno 1227 solemnis transactio statuit, ut, si quae novae Grangiae in Parochia Seefeldensi erigerentur, vel in Granciis iam existentibus Aratra augerentur, ex nova cultura absque ulla contradictione solverentur Decimae Capitulo Cathedralis. Quum tamen Monasterium Salemitanum nonnulla praetendens nova privilegia Ordini Cisterciensium competentia, pactam Decimarum solutionem denegare cepisset, ad omnes idcirco recidendas contentiones, nova anno 1581 stipulata transactio fuit, qua statutum extitit, ut Decimae tam in novalibus usque tunc factis, quam ex aliis in posterum faciendis intra ditionem Monasterii Salemitani, ipsum inter et Capitulum Constantiense aequa ratione dividerentur. Verumtamen hisce non obstantibus pactis et conventionibus, recenti tempore Abbas Salemitanus duas sibi adscribens Decimarum partes ex suo feudo Nusdorff, intra limites Parochiae Seefeldensis sito, tertiam tantum Capitulo tradi iussit. Idcirco Capitulum, spe amicabilis concordiae in irritum cessa, ad Sacram Congregationem confugit; ac probavit, praedia in *Nusdorff* et in *Burnau* esse revera novalia, quin Monasterium possessionem haberet percipiendi duas ex tribus Decimarum partibus, nec habere poterat, cum ius percipiendi Decimas praescribi non possit, nisi immemorabili vel ex quadragenaria cum titulo. Nihili facienda esse contendit privilegia Ordini Cisterciensi concessa, cum praedicta praedia nec essent propria Monasterii, nec propriis Monachorum manibus colerentur, sed aliis ad colendum traderentur. Nec dubitari affirmavit de Capituli et Monasterii facultate ineundae transactionis, tum quia illa plene desumebatur ex Cap. *Dilecto* Cap. *Suggestum* et Cap. *Nuper* de Decimis, tum etiam quia Episcopi Constantiensis assensus accessit, etsi nulla fuisset opus Superioris licentia aut approbatione in actu gesto pro bono pacis et ad amputandas contentiones. Denique ineptum esse dixit obtrudere defectum vel facultatum vel consensus Ordinarii vel Beneplaciti Apostolici post lapsum duorum fere seculorum, quando minori etiam temporis intervallo omnia legitime intercessisse praesumerentur. Contra Abbas Monasterii Salemitani dixit, quod praedia seu agri recenter exculti non essent proprie novales, vel ad summum pauca tantummodo terrae iugera, ex quibus Capitulum Decimas percipere valebat, novalium nomine appellari posse: Capitulum vero integras ex aliis novalibus exigere Decimas, quas cum Monasterio dividere deberet. Addidit etiam, quod vigore transactionis anni 1227 Monasterium Decimas Capitulo rependere teneretur solum in casu, quo novae

Grangiae erigerentur, vel Aratra in Grangiis iam extantibus augerentur. Neutrum vero contigisse subdidit in Parochia Seefeld. His tamen aliisque Capitulum respondit.

293. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et in qua summa Capitulo Cathedralis Constantiensis debeantur Decimae ex novalibus agrorum in *Nusdorff* et *Burnau* Parochiae Seefeldensis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad formam transactionis anni 1581 – *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769.*

294. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Constantien. Decimarum die 15 Septembris 1770.*

295. Unde Congregatio Monachorum Cassinensium gaudet quidem exemptione a Decimis praestandis, quin ideo locum habeat reductio privilegiorum pro fundis possessis ante erectionem Paraeciae, sed locus est reductioni privilegiorum pro fundis possessis post erectionem Paraeciae, cum Sacra Congregatio confirmaverit erectionem dictae Paraeciae ac statuerit, Decimam ab omnibus, qui sub dicta Paraecia praedia possidebant, solvendam esse, etiamsi illic non reciperent Sacramenta, atque Episcopus retulerit, Parochum maxima urgeri inopia, ita ut vel ipsa congrua careret *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852.*

296. Enimvero Rector pervetustae Paraeciae divi Bernardini Assisiensis Diaecesis iure decimandi ab ipsa fundatione semper est usus. Nam propriam ac discretam Paraeciam habendi illius Oppidi Incolae maxime cupidi cum non aliunde ad eam congrue dotandam bona suppeterent, onus sibi unanimi consensione imposuere, Decimam binarum librarum frumenti pro unaquaque terrae mensura, quae antiquitus vocabatur *modiolo* omnium praediorum intra novae Paraeciae limites extantium, rependendi, quo decenti Parochi substentationi sat cautum esset. Quod Sacrae Congregationis Decreto die 30 maii anno 1620 solemniter recognitum atque firmatum fuit; ac praeterea sancitum, praefatam Decimam ab omnibus, qui sub dicta Paraecia praedia possidebant, solvendam esse, etiamsi illic non reciperent Sacramenta. Reapse cum a Laicis, tum ab omnibus Locis Piis ac Religiosis Ordinibus pro suis decumanis praediis Decima iuxta conventam rationem nunquam persoluta non fuit, si unum excipias Monasterium S. Petri Assisii Cassinensium S. Benedicti, quod licet, uti asserebatur, praedii cuiusdam intra Paraeciae fines dominium haberet, nunquam tamen Decimarum solutioni obnoxium fuisse videbatur. Ast Sacerdos Aloisius Epifani, anteacti temporis consuetudinem nihili faciens, institit pro Decimarum assequutione, quas sibi deberi aiebat pro integro sexennio, quo Parochi munus obivit. Is enim contendit, privilegia Monachis Cassinensibus concessa talia non esse, quae eos eximere valerent a Decimis, de quibus agebatur, rependendis; et dato etiam, quod illa vim hanc exsererent, stantibus peculiaribus in themate circumstantiis ac rationibus, eorum reductioni esse locum. Ambigi sane non poterat, fundum decumanum, super quo cadebat controversia, inter Paraeciae limites situm esse, quin ullam facesseret difficultatem, huius praedii Colonum extra fines Paraeciae morari, ac ideo non a Parocho recipere Sacramenta, cum de Decimis praedialibus res esset, ac peculiariter in casu diserta haberetur Sacrae Congregationis resolutio anni 1620 superius citata. Nec obesse Parochus sustinuit privilegia, quibus Congregatio Monachorum Cassinensium a Summis Pontificibus ac potissimum ab Eugenio IV in Bulla quae incipit: *Etsi ex debito* 23 februarii 1334 aucta fuit: nam in hac Constitutione deerat clausula derogatoria Concilii Generalis in Cap. *Nuper* ex receptissima regula seu natura Conciliorum generalium, ut indigerent mentione ac derogatione speciali, ac non venirent sub derogationibus generalibus, excepto Concilio Tridentino, quod ita disponente eius confirmatoria Constitutione Pii IV hac non indiget speciali mentione, sed venit sub derogatoriis generalibus. Quum itaque in praefata Bulla mentio simpliciter de Decimis fieret, privilegium intelligendum esse videbatur de Decimis extraordinariis et temporalibus debitis de iure humano, puta de datiis taxis etc. aliisque a Pontifice Legato vel Nuntio impositis, non autem de ordinariiis

et spiritualibus, quae nullo hominis ministerio, sed de iure divino debentur, quin obstaret, quod verba exemptionis essent amplissima. Quin imo licet privilegium comprehendere censeretur Decimas quoque ordinarias ac spirituales, non ita tamen praedia ipsa afficiebat, cum privilegium hoc Religiosorum intuitu concessum eorum personas non egrederetur. Neque obesse propugnavit Epifani, quod in Bulla Eugenii IV eximerentur fundi, quos Monachi – colunt aut coli tradunt –: id enim recte interpretari poterat de cultura, quae licet alienis laboribus, sumptibus tamen Monasterii fieret. In casu autem non sumptibus Monasterii, sed Coloni praedium colebatur, quippe Colonus annuam pensionem Monasterio rependebat, et eius expensis colebatur. Insuper licet privilegia Cassinensibus Monachis concessa eos a Decimarum solutione expertes omnino redderent, patebat tamen, mutata rerum conditione, iam illa vim habere profecto nullam, cum in Ecclesiae praeiudicium vergerent. Namque Parochus maxima urgebatur inopia, ita ut vel ipsa congrua careret. Idcirco locus esse videbatur reductioni, quin obesset praetensa consuetudo immemorabilis, cum titulus consuetudinis immemorabilis cum altero privilegiorum incompatibilis esset, ex eo quod inter immemorabilis requisita illud est praecipuum, ut non detur eius initium, quod ita per privilegium dari dicitur. Nec imo attendenda esse videbatur, cum mutata esset rerum conditio; atque ideo Parochi abstensio ab Decimarum exactione nonnisi facultativa esset dicenda, non autem in futurum obligatio, idest potius ex aequitate, quam ex iuris rigore orta, cum nempe Regulares adeo divitiis non affluerent.

297. Contra vero animadvertebatur, in casu Decimam iniunctam fuisse per domos seu familias intra huiusmodi Paraeciae limites viventes atque in ea recipientes Sacramenta, pro quorum commodiori administratione ad novam creationem deventum fuit; idcirco ii, quibus dicta ratio non congruit, huius oneris expertes habendi erant. Ceterum rem omnem absolvebant privilegia, quibus quatuor ab illinc seculis Monachorum Cassinensium Congregatio donata, ac praesertim illud ab Eugenio IV concessum, quod ad exemptionis effectum plenum sortiri vigorem dubitari non poterat, postquam Sacrae Rotae Auditorium in decis. 334 Recent. part. 12 idem late interpretatum in Causa vertente inter Fratres de Beccariis Decimarum exactionem praetendentes et Monasterium Cassinensium S. Benedicti Ferrariae, de eiusdem Monasterii bono iure constare die 8 aprilis 1658 definivit. Hinc et reductio privilegiorum spernenda videbatur. Nam Parochus huiusmodi exceptionem per modum replicationis deductae ex revocatione privilegiorum iam fundamentum suae intentionis cum sua causa vel qualitate concludenter iustificare debuisset. Nec aderat praetensa divitiarum copia et augmentum bonorum, nec Parochi paupertas ostendebatur, nisi per genericam Episcopi relationem, cum alias evidenter constare deberet, privilegium exemptionis enormiter esse laesivum, quod necessario requirebatur, ut fieret locus dispositioni Cap. *Suggestum*. Quin etiam nulla ratione privilegium laesivum dici poterat, nisi probaretur, exinde redituum imminutionem et grave damnum Paraeciae obvenisse. Atqui vel ipse Parochus fatebatur, Paraeciam ab suo initio congruis reditibus destitutam usque fuisse, neque ex controversae Decimae perceptione, ceteroquin nimis exigua, spem melioris conditionis habere. Id etiam accedebat, quod Congregatio Cassinensium annuum unciae auri tributum R. Camerae Apostolicae – in signum perpetuae libertatis ac pro manutentione privilegiorum solvebat, praeter subsidia pecuniaria pro Ecclesiae Romanae necessitatibus variis temporibus ac potissimum sub Alexandro VII collata, ob quae a Summis Pontificibus Tridentino Concilio posterioribus suorum privilegiorum confirmationem pluries obtinuit. Quin imo licet nulla ratio de privilegiis haberetur in promptu, aderat consuetudo immemorabilis, quae totalem exemptionem pro Monasterio revincebat. Nam privilegium compatibile censetur cum huiusmodi consuetudine, quando cumulative et cum debitis cautelis deducatur.

298. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Monasterium S. Petri Assisii gaudeat exemptione a Decimis in casu? *Et quatenus affirmative*. II. An sit locus reductioni privilegiorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum Affirmative. Ad secundum, Negative pro fundis

possessis ante Paraeciae erectionem tantum – *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852.*

299. Unde privilegia eximentia a Decimis, licet ex parte eorum, quibus conceduntur, sint favorabilia, nihilominus sunt strictae interpretationis, ita ut nullo modo extendi debeant ultra casum aut propriam usitatamque verborum significationem, etsi adsit paritas vel maioritas rationis *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Praetereundum* (1).

300. Sunt enim in praeiudicium tertii, et proinde rigorosae interpretationis limitibus concludenda, et cum incommodo alterius concessa non intelliguntur, nisi exprimantur, L. 2 §. si quis 16 ff. ne quis in loc. public. *in Assisien. Decimarum die 31 Ianuarii 1852* §. *Praetereundum.*

301. Unde Regulares vel alii habentes Conservatorem Decimas solvere recusantes, non possunt conveniri coram Conservatore, nisi in privilegio hoc concessum specialiter fuisse reperiatur *in Iacen. mense Novembris 1594 lib. 8 Decretorum pag. 78.*

302. Imo et Commissarii exactionis Decimarum conveniri possunt coram Ordinario in civilibus, non obstant exemptione allegata *in Bellicastren. die 15 Ianuarii 1650 lib. 19 Decretorum pag. 20.*

303. Qua de re Causa Decimarum tam in petitorio, quam in possessorio iudicio non ad Iudices seculares, sed ad ecclesiasticos pertinet, itaut laici Iudices nec causam cognoscendi nec definiendi nec Parochianos ad solutionem compellendi auctoritatem sibi vindicare possint et debeant, secus facientes eorum sententiae acta et processus sunt omnino nulla *in Fossanen. anno 1619 lib. 12 Decretorum pag. 17.*

Item *in Marsorum die 10 Maii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 432.*

304. Haud vero sustinetur Episcopi Decretum, quo mandat, ut Parochus petat praecedenter veniam ab eodem pro exactione Decimarum contra morosos debitores penes Iudicem laicum *in Ilcinen. Permutationis Parochiae et Exactionis Decimarum die 27 Novembris 1858.*

305. Nam Fagnanus in Cap. *Quum* de ordin. cognit. n. 39 tradit: – Si Rector petat, laicum compelli ad solutionem Decimae vel ad illius aestimationem ab eo, qui tenetur solvere Decimam, et si sola compulsio postulatur, quae in facto consistit; his enim casibus bene potest Rector Ecclesiae adire Iudicem laicum – *in Ilcinen. Permutationis Parochiae et Exactionis Decimarum die 27 Novembris 1858* §. *Quoad.*

306. Siquidem Presbiter Aurelius Ceccarelli 1852 Parochiam cum Dignitate Archidiaconatus in Collegiata S. Quirici obtinuit: sed inde Episcopus pluribus de causis permutationem urgebat, ac praesertim ob Decimarum extorsionem, qua invisus Populo videbatur. Nam ipse Episcopus exposuit: – Adiungitur alia causa gravissima, qua remotio Sacerdotis Ceccarelli est necessaria et praesens, nempe quaestio Decimarum orta elapso anno 1855. Ita hoc accidit: Parochus Ceccarelli inhaerens methodo huius ditionis, inaudito Episcopo, compulit per vim nonnullos inter retentores Decimarum personalium, relictis aliis praedialium retentoribus. Hoc valde displicuit, et maioris indignationis in Parochum causa fuit. Igitur qui condictioni suberant, recursum habuerunt ad Episcopum, qui, causa cognita, conquestus cum Parocho, eumque de admisso errore redarguit, licet bona fide quodammodo ipse fecerit, potius advertens ad methodum iuxta leges patrias, quam ad normam sacrorum Canonum: et interim ad emendationem erroris quaesivit ab eo tantum, ut errorem confiteretur, quia ex eodem contentio et rumor factus est Populo; quod non accidisset, si rem prius ad Episcopum detulisset, cuius intererat et rem cognoscere et sententiam proferre. Ter Episcopus patienter et comiter scripsit Archidiacono, ter constantissime renuit confessionem emittere, unde factum est, ut Episcopus condemnaret Parochum ad solvendum expensas pro praecepto in retentores, eique indixit, ne auderet in eos agere iuridice, nisi ex eiusdem Episcopi consensu. Retentores negant solvere Decimas, non quia vere sentiunt, se ab hoc debito exemptos: negant, quia Parochum parvi pendunt; aiunt-

(1) Abb. in Cap. *Licet* de Decimis, n. 2; Innocentius in Cap. *Cum dilecti* de donatione; Suarez de Decimis, cap. 18, n. 6; Pirhing de Decimis. n. 70.

que, uti infertur, non teneri solvere Decimas Parocho, qui non se praestat, ceu bonus Pastor –. At Defensor Ceccarelli observavit, Decretum Episcopi falso laborare suppositum, dum putat, Iudicem laicum in quaestione Decimarum adiri non posse ex praescripto sacrorum Canonum. Discrimen porro esse faciendum inter quaestionem iuris et quaestionem facti. In primo casu potius agatur nimirum, num Decimae debeantur nec ne, seu an intret vel non ius decimandi, hoc est in petitorio iudicio, unum ecclesiasticum Iudicem esse competentem exclusive probavit cum Reiffenstuel in Decret. lib. 3 tit. 30 §. 8 n. 159, Gratiano discept. for. 238, et Nicolio ad Monetam de Decimis Cap. 8 n. 1; secus autem se rem habere in quaestione facti seu in iudicio possessorio, quoties nimirum agitur, prout in casu, de Decimis exigendis, vel de maiori aut minori quantitate solvenda; tunc enim Iudicem etiam laicum habere iudicandi facultatem, si laicus sit reus conveniendus, docent Auctores praefati. Qua cum Sacrorum Canonum dispositione concordare ad unguem ostendit civilem Hetruriae legem, quae reservabat Episcopo iudicium super iure decimandi, an intrat vel non, seu in petitorio; dabat vero Iudici laico potestatem iudicandi in possessorio, seu cum ageretur de compulsoria ad Decimae solutionem, circa quam tantummodo quaestio versabatur, ceu patebat ex Episcopi Decreto, quo ius decimandi spectare ad Parochiam S. Quirici haud controverti posse decernebatur. Episcopus itaque non poterat effectus legum canonicarum et civilium restringere et intercipere, attenta etiam praxi universali, Hetruria non excepta, quod, ut Parochi et Beneficiati iurium suorum vel Beneficii aut Ecclesiae actionem exercerent coram Iudice laico contra laicos et in Hetruria etiam contra ecclesiasticos, praecedere deberet venia aut consensus Episcopi. Nam Ceccarellius non per vim et propria auctoritate, sed debito modo coram Iudice competente et modo per legem statuto morosos debitores ad Decimae solutionem provocavit.

307. His mature perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo petenda sit praecedenter ab Episcopo venia pro exactione Decimarum contra morosos debitores, ita ut sustineatur eiusdem Episcopi Decretum quoad iudicii expensas in casu? –, Sacra Congregatio respondit. – Ad secundum, Negative in omnibus – *in Ilcinen. Permutationis Parochiae et Exactionis Decimarum die 27 Novembris 1858.*

308. Non licet vero Parocho Decimam vi eripere vel renuenti negare Sacramenta absque Episcopi venia: Reiffenstuellius enim in lib. 3 Decretalium tit. 30 §. 2 n. 39 quaerit, num liceat Parocho renuentem solvere Decimas per vim compellere aut vi eripere et extorquere Decimas, idest propria auctoritate, vel propterea negare Sacramenta et alia divina: et hoc casu resolvit, oportere Causam Episcopo deferre *in Ilcinen. Permutationis Parochiae et Exactionis Decimarum die 27 Novembris 1858* §. *Textum.*

309. Unde si reditus Parochiae sint valde exigui, illiusque Coloni Decimas haud solvant, Episcopus in Sacra Visitatione merito mandat solutionem Decimarum, quae debentur Parocho a die intimationis Decreti desuper editi, non vero a die adeptae possessionis praefatae Parochiae *in Perusina Decimarum die 16 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

310. Iamvero – Episcopus Perusinus in Sacra Visitatione, cognita tenuitate redituum Parochialis Ecclesiae S. Petri Romeggii, et animadvertens, nullas per Colonos illius Parochiae solvi Decimas, die 31 maii 1713 sequens edidit Decretum: « Mandavit, ut imposterum licitum esset Parocho dictae Ecclesiae exigere quotannis a Parochianis Decimas praediales seu sacramentales eo modo, quo ab aliis Parochis in hac Diaecesi exiguntur ». Delata autem cognitione appellationis interpositae a nonnullis Possessoribus bonorum in dicta Parochia comprehensorum ad hanc Sacram Congregationem, Episcopus in relatione EE. VV. de more transmissa exponit, exactionem Decimarum per ipsum decretarum attingere tantum summam scutorum undecim cum dimidio alterius scuti, quae unita cum introitu Parochiae, demptis oneribus cameralibus, constituunt summam scutorum viginti annuorum; Constitutiones Synodales in Summariis exhibendae, quibus Decimarum solutio et modus servandus praescribitur, conditae fuerunt a seculo et ultra

a Cardinali Fulvio a Cornea et successive confirmatae in Synodis Comitoli Cardinalis Cosmi de Turre et Monaldi Episcoporum Perusinae Ecclesiae: Franciscus Battazzi modernus Parochus comprobat tenuitatem redituum dictae Parochiae pluribus Testium fidibus, et praetendit Decimas exigere non a die tantum praefati Decreti in Visitatione facti, sed etiam a die adeptae possessionis dictae Parochialis Ecclesiae, non obstante quacumque contraria consuetudine; ideoque ab EE. VV. humillime, Possessorum Procuratore monito, definiri supplicat: - I. An Decretum super exactione Decimarum, factum a reverendissimo Episcopo Perusino in Sacra Visitatione sub die 31 maii 1713 seu etc. substineatur in casu etc. *Et quatenus affirmative*. II. A quo tempore debeantur Decimae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, a die intimationis Decreti Episcopi; et amplius – *in Perusina Decimarum die 16 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

311. Nam Episcopus non potest, etiam tacentibus Parochis, nec debet tuta conscientia tolerare usurpationem Decimarum novalium *in Tridentina die 1 Septembris 1635 lib. 15 Decretorum pag. 248.*

312. Hinc Sacra Congregatio declaravit, – eos, qui Decimas subtrahunt et in rem suam vertunt, aut impediunt, quominus Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvantur, non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos, quemadmodum statuitur eiusdem Concilii Decreto cap. 12 sess. 25 de reformatione, eorumque absolutionem non esse Sedi Apostolicae reservatam; sed plena restitutione sequuta, spectare ad Ordinarium, qui excommunicationis sententiam tulerit; ac proinde Synodalem Constitutionem hac in parte nequaquam esse observandam; Decretum vero Cap. 11 sess. 22 ad hunc casum non pertinere – *in Ariminen. die 8 Iunii 1619 lib. 12 Decretorum pag. 12.*

313. Nec aliter statuit S. Congregatio quoad recusantes Decimas solvere, postquam moniti et compulsi in contumacia persistant *in Nepesina lib. 3 Decretorum pag. 76 a tergo.*

314. Quapropter Constitutio Synodalis, declarans huiusmodi Decimarum subtractores ipso iure excommunicatos eorumque absolutionem Sedi Apostolicae reservatam, nulla et insubsistens fuit declarata *in Fossanen. die 15 Maii 1655 lib. 19 Decretorum pag. 468.*

315. Ceterum potest ab Episcopo poenis a S. C. Tridentino in Cap. 12 sess. 25 de reformatione praescriptis ille coerceri, qui impedit Parochis perceptionem novalium *in Constantien. die 27 Novembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 185.*

316. Impediens itaque exactionem Decimarum Parochis debitarum debet ab Episcopo poenis in Cap. 12 sess. 25 de reformatione praescriptis coerceri, adhibitis prius prudentialibus diligentiis *in Asculana die 3 Iulii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 82.*

317. Unde Commissarii exactionis Decimarum si sunt Canonici, in concernentibus servitium chori et implementum onerum Canonicalium annexorum, Ordinariis subduntur, non suffragante in eis exemptione *in Bellicastren. die 15 Ianuarii 1650 lib. 19 Decretorum pag. 20.*

DECRETA S. CONCILII TRIDENTINI ET DECLARATIONES S. CONGREGATIONIS.

1. Concilium Tridentinum fuit sub Pontifice Pio IV conclusum, et ab eodem fuit confirmatum septimo kalendas februarii 1564, uti habetur in Bulla 73 Bullar. tom. 2; ac id idem Pontifex decrevit, quod Concilium Tridentinum circa reformationem et ius positivum tantummodo incipiebat obligare a kalendis maii eiusdem anni 1564, uti habetur in eius Bulla 80 Bullar. tom. 2 *in Adnotationibus Secretarii in Causa Lucana die 1 Septembris 1725* §. *Ad hoc.*

2. Hinc Sacra Congregatio declaravit, publicationem Concilii Tridentini factam Romae ligare etiam Leodienses *in Leodien. lib. 2 Decretorum pag. 63.*

3. Quum vero Concilium Tridentinum in

Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii haberet haec verba: – Decernit itaque, ut huiusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die prima publicationis in eadem Parochia factae numerandos –, quaeritur, an Decretum hoc ita intelligatur, ut non obliget illos, apud quos ita publicatum non est? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Non obligare – *in Dubia anno 1574.*

4. Unde Concilium Tridentinum in Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii non dicitur publicatum, si tantum dictum fuerit in publico *in Colonien. die 2 Martii 1580 ad dictum Cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

5. Quin imo publicatum in Synodo Regno aut Provincia non aequipollet publicationi requisitae ad obligandum, sed debet publicari in singulis Parochiis *in Dubium ad Cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

6. At publicatum in haec verba: – *ut matrimonium fieret coram Parocho et Testibus* – sufficit quantum ad irritationem Matrimoniorum, non servata expressa forma *in Dubium ad Cap. 1 sess. 25 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

7. Hinc Sacra Congregatio censuit, promulgationem Decreti Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii praesumendam esse in loco, ubi Decretum hoc fuerit aliquo tempore in Parochia tamquam Decretum Concilii observatum *in Colonien. Matrimonii die 26 Septembris 1602.*

8. Non obligat autem in conscientia eum, qui illius habet notitiam, si in sua Parochia non est publicatum *in Dubium ad Cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 74.*

9. Ceterum, non obstantibus inhibitionibus A.C., Episcopus potest procedere ad exequutionem Sacri Concilii Tridentini sess. 25 cap. 13 de Regularibus et Declarationis Sacrae Congregationis Concilii *in Spoletana 23 Iunii 1629.*

10. Congregatio autem, de qua loquitur S. Concilium Tridentinum in cap. 8 sess. 25 de Regularibus, debet congregari per Praelatos tantum eorumque maiorem partem *in Dubium ad dictum Cap. 8 sess. 25 de Regularibus Posit. 137.*

11. Non modo itaque translatio Concilii Tridentini in alias linguas praeter latinam non est permittenda, sed imo et prohibenda *in Galliae die 2 Iulii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 109.*

12. Siquidem proposito dubio iussu Summi Pontificis a Propaganda Fide remisso: – An translationes Sacri Concilii Tridentini in alias linguas sint permissae, an potius comprehendantur in Constitutione Pii IV, prohibente illius interpretationes et glossas? –, Sacra Congregatio respondit: – Translationes eiusdem Sacri Concilii Tridentini de lingua latina in gallicam vel alias linguas esse prohibitas, idque significans Sacrae Congregationi Indicis, ut omnino prohibeat translationes huiusmodi factas, quae absque speciali auctoritate huius Apostolicae Sedis impressae sint – *in Galliae die 2 Iulii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 109.*

13. Compertum etiam esse videtur, Concilium Tridentinum quamcumque contrariam consuetudinem vel privilegium sustulisse per haec verba: – Consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis – *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Perperam.*

14. Nam huiusmodi verbis quaelibet etiam centenaria et immemorabilis consuetudo sublata videtur; tum quia ea sunt universalia indefinita omniaque complectuntur, L. *Iulianus* ff. de legat. 3, Rota decis. 2 n. 5 coram Molines, et in Recent. decis. 379 n. 5 part. 15; tum quia alibi minorum verborum amplitudine immemorabili consuetudini derogatum a Concilio fuisse non ambigitur, ad tradita per Garciam de Benef. part. 3 cap. 2 n. 197 211 et 224, Pitonium in alleg. 5 de controv. patron. n. 5; tum demum quia in Literis confirmatoriis Concilii Tridentini a s. m. Pio IV editis, ultra clausulam – sublata –, adiectum quoque reperitur Decretum irritans, quod cuilibet Concilii Capitulo inesse censetur per Gonzalez ad reg. 8 Cancell. gloss. 15 n. 35, Pitonium loc. cit. n. 19, Rotam coram Emerix iuniore decis. 1279 n. 17: Decreti vero irritantis eam esse vim, ut resistat impediatque, ne centenaria vel immemorabilis consuetudo valeat inchoari, ceu ad rem Pitonius loc. cit. n. 6, et discept. eccles. 150 n. 4 *in Faventina Redditionis*

Rationis die 8 Augusti 1772 §. *Perperam.*

15. Nullum propterea dubium, quin Concilium Tridentinum abroget omnia privilegia et consuetudines per verba;–non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus –; quae clausula enim cum in fine capitis apposita sit, profecto complecti videtur omnia, quae in illo decreta iussaque fuere, maxime cum agatur de consuetudine introducta post Tridentinum, cuius sanctiones confirmavit s. m. Pius IV in Bulla *Benedictus Deus* lata anno 1563, quae Decretum irritans et clausulam – sublata – praefert, ex quibus impeditur, ne legitima consuetudo contra Tridentinas sanctiones adolescere potuerit, auctore Fagnano in Cap. *Quod super* de consanguinit. et affinit. n. 7 et 8 *in Amerina Decreti Visitationis quoad praeceptum paschale die 10 Septembris 1803* §. *Nihilominus.*

16. Idcirco ne ullae adversus Tridentinas sanctiones recipiantur consuetudines, illud iubet, quod licet eae Decreto careant irritanti et clausula – sublata – quibuscumque usibus aditum intercludentibus, ea tam non desiderantur in Bulla Pii IV, quae Tridentinum confirmavit, ut sapienter advertit Benedictus XIV in Inst. 60 n. 7; praesertim quando quemcumque contrarium usum corruptelam Lex Tridentina vocavit, ex quo fit, ut nunquam enasci nedum adolescere consuetudo potuerit *in Illerden. die 7 Maii 1785* §. *Ceterum.*

17. Scitum enim est, irritas ac inanes esse consuetudines, quae leges aliquas in iisdem Tridentinae Synodi Capitibus contentas violent, prout docet Benedictus XIV Inst. eccles. 60 n. 7, ac late disserit Pitonius de controv. patron. alleg. 5, Card. Petra ad Constit. 4 Callisti III sect. 2 n. 14 tom. 5 *in Bovinen. Iurium parochialium die 27 Maii 1820* §. *Animadvertendum.*

Item *in Ariminen. et Caesenaten. Iuris quaestuandi die 25 Februarii 1826* §. *Consuetudo; in Spoletana Seminarii die 11 Iulii 1840* §. *Quin; in Aesina Taxae Seminarii et Cathedratici die 28 Martii 1857* §. *Atque.*

18. Quapropter consuetudo etiam constans, quae Tridentino aperte repugnat, nihili est facienda *in Aquinaten. Redditionis Rationum die 27 Novembris 1852* §. *Legitur.*

19. Ceterum non bene fundari probatio universaliter videtur in illo effato a Pitonio sumpto, post Concilium Tridentinum non posse allegari centenariam, quia Concilium munitur Decreto irritanti ex Constitutione Pii IV; nam hoc effatum non valet, quando resisteret libertas fundationis tituli ante Concilium et libertas tractus successivi, eo quia consentiunt omnes, et ipse Pitonius eadem allegatione 5 de controv. patron. n. 7, – quod quia Concilium non derogavit legibus fundationis, ita censeri etiam non derogasse anteriori centenariae, quae praesumendo meliorem titulum de mundo, praesumit etiam ipsam legem fundationis: hanc autem desumi, inspecto utroque tempore tam ante, quam post Concilium – *in Aesina Taxae Seminarii et Cathedratici die 28 Martii 1857* §. *Quod.*

20. Animadvertendum insuper est, quod si Decreta Sacri Concilii Tridentini publicata non fuerint, nullam inducere videntur obligationem *in Dubia anno 1574.*

21. Nec obstare videtur, si id et consectaria consuetudo provenerit ex malitia et infecta haeresis radice, nec non Pontificum et Conciliorum leges, cum sint a Potestate habita non a Populo, sed immediate a Deo, idcirco non possint per non acceptationem aut per usum contrarium abrogari; nam ad primum dicendum est, quod omnis consuetudo abrogativa Legis ex infecta semper radice provenit, nempe ab actis illicitis inobservantiae Legis; quamobrem rei et obnoxii quidem delicto semper sunt primi, qui per usum Legis contrarium consuetudinem adversus Legem introducunt, non vero alii, qui, consuetudine introducta, operantur, quo sensu in suo commonitorio Vincentius Lirinensis scribebat: – Absolvuntur Discipuli, condemnantur Magistri –. Ad secundum autem Passerini doctrina reponenda est, qui tom. 2 de hominum statibus quaest. 187 art. 1 n. 429 scribit, quod – quamvis absolute loquendo Bullae Pontificum (quod idem est de Conciliorum Decretis) ad hoc, ut obligent, non indigent receptione subditorum, cum proveniant ab Auctoritate suprema a Christo Domino data Papae, nihilominus admitti debet doctrina communis, quod scilicet per contra-

rium usum et scientia Papae per cursum temporis abrogare valeant –, ut dixit Card. in Proemio Clem. n. 7 *in Dissertatione Secretarii in Causa Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum anno 1740 Litt. f.* §. *Scio.*

22. Statim vero ac Summus Pontifex aliquid statuit Concilio Tridentino contrarium eidem derogasse dicitur, etsi expressam eiusdem non faciat mentionem, uti late ostendunt Marescott. var. res. lib. 1 Cap. 19 n. 11, et Gratian. discept. 940 n. 15 et 16 *in Adnotationibus Secretarii in Causa Lucana die 1 Septembris 1725* §. *Ad hoc.*

23. Unde Concilium Tridentinum in eo, quod corrigit ius commune, stricte est interpretandum, ad tradita per Rotam in decis. 642 n. 8 coram Molin. *in Senogallien. die 9 Augusti 1766* §. *Nihil.*

24. Nec dubium vel levissimum, quin ad Sacram Congregationem Concilii privative spectet ius interpretandi Decreta Concilii Tridentini: nam et Gregorius XIII declaravit, numquam suae intentionis fuisse committere Episcoporum et Regularium Congregationi, ut de iis, quae ad interpretationem Concilii pertinerent, aut de ipsis Congregationis Concilii Decretis cognosceret. Illud autem se recte meminisse ait Sanctitas Sua, commisisse Congregationi Concilii ea omnia, quae ad Concilium interpretandum pertinent, *ceu videre est in lib. 10 Decretorum pag. 557* (1).

25. Hinc Sacra Congregatio censuit, ex facultatibus, sibi concessis ex Bulla Pii IV et Sixti V, posse quidem decidere dubium petitum et interpretari Concilium Tridentinum, non obstante pendentia litis in Rota; sed ex circumstantiis facti in hoc casu concurrentibus pro maiori parte satius duxit non uti dicta facultate, eo quod resolutio non pendeat ab interpretatione Concilii Tridentini *in Mediolanen. die 26 Ianuarii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 269* (2).

26. Ceterum quandoque ipsa Sacra Congregatio Concilii solet Causas remittere ad Rotam *in Vulturarien. Iurisdictionis die 28 Februarii 1733* §. *Postmodum* (3).

(1) Quin imo Sixtus V in sua saepe laudata Constitutione *Immensa* statuit: – Dum autem inter Episcopos et Regulares dubitationes inciderint, quae sub Decretorum Concilii Tridentini dispositione aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem Congregationem Concilii remittat –. Hinc Pignatellius, attenta praedicta Sixti V sanctione in consult. 177 n. 31 tom. 9 advertit: – Sic etiam non obstat, si dicatur, hic agi de interpretatione eiusdem Concilii (Tridentini), quod non pertinebat ad Sacram Congregationem super Episcopis et Regularibus. Nam haec Sacra Congregatio non tenetur remittere ad Sacram Congregationem Concilii omnes declarationes, quae cadunt sub Decretis Concilii, sed solum eas, quae incidunt inter Episcopos et Regulares . . . Si enim Sixtus V voluisset, quod omnes dubitationes insurgentes ex Decretis Concilii remitterentur ad Sacram Congregationem Concilii, non se restrinxisset ad eas, quae incidunt inter Episcopos et Regulares, sed generaliter loquutus fuisset, arg. Textus in Cap. *Ad audientiam* de Decimis –. Idcirco si res sit de interpretatione Concilii Tridentini semper, nullo excepto casu, ad Sacram Congregationem Concilii respectivae declarationes sunt remittendae: si vero agatur de iis, quae cadunt sub dispositione Concilii Tridentini, tum eae sunt ad eamdem remittendae, quae incidunt inter Episcopos et Regulares.

(2) Fagnanus in Cap. *Quoniam* de Constit. n. 8 testatur, – id fuisse semper observatum, ut quoties incidit quaestio super intelligentia alicuius Decreti Concilii, si casus sit dubius et alias a Congregatione non decisus, Rota ipsa aut Congregationem consulat aut significet partibus, ut ipsaemet adeant Congregationem, a qua ubi resolutionem obtinuerint, redeunt postea cum ipsa ad Rotam pro Causae expeditione ... Idem Gregorius XIII die 7 iunii 1574, audita Congregatione, iussit significari Card. Acquavivae, ut quando in supplicationibus non exprimitur articulus certus iuris, super quo cognoscendum est, sed in genere et confuse petitur commissio Causae, addatur semper haec clausula « dummodo non agatur de interpretatione Decretorum Concilii ». Et die 14 aprilis 1581 dixit: » non esse tractandum in Rota super resolutionibus Sacrae Congregationis » –. Unde idem Fagnanus testatur in dicto Cap. *Quoniam* de Constit. n. 3, Sacram Congregationem frequenter inhibuisse Auditori Camerae ac Vicesgerenti et illi significasse, ut suas moderarentur inhibitiones seu monitoria, eosque semper prompte paruisse, cum Congregationis iurisdictio in materiis conciliaribus sit privativa quoad omnes –.

(3) Imo ipsa Sacra Congregatio quandoque censuit rescribere, ut reproponeretur Causa cum voto Rotae, licet votum sequuta non fuerit, vel denuo Causam eidem Rotae revidendam remisit, teste etiam Card. Petra in Comment. ad Constit. V Martini V, et Cohellio in not. Cardin. cap. 15 Congr. V, qui ait: – Quandoque etiam huius Congregationis Cardinales, si dubitationes in ipsius Concilii interpretatione, quae arduae reputentur, occurrant, Rotae Romanae decisiones, eodem Pontifice consulto, requirunt et postulant, quod ex decisionibus sub nomine Card. Serafini collectis innotescit –. Nec aliter tradit Ursaya in discept.eccles. 7 tom. 1 part. 1 n. 22, ubi inquit: – Respectu Sacrae Congregationis Concilii practicatum fuit in celebri Mediolanen. Nullitatis professionis, in qua adsunt decisiones 952 983 et 1005 coram Emerix iuniore, ut refertur in dec. 1 – ibi – Reproposita Causa sub die 30 aprilis 1685, singillatim

27. Quin imo unica sententia, quae transitum fecit in iudicatum, ad effectum decisionis S. Congregationis Concilii aequipollet tribus *in Nullius die 11 Februarii 1598 lib. 9 Decretorum pag. 51* (1).

28. Duplex autem Declarationum a Sacra Congregatione institutarum genus distinguendum est: aliae Tridentini mentem generatim, ut dicunt, in abstracto exponunt; aliae quid in hoc et illo peculiari eventu faciendum sit, decernunt *in Disceptatione prima Aegidii Mariae Giulii in Causa Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum anno 1740* §. *IX n. 44.*

29. Quum enim Summi Pontificis auctoritate muniantur, per Constitutionem Sixti V incipien. *Immensa* Sacrae Congregationi commissa, sunt interpretationes authenticae, quae Concilii Decretis inhaerere dicuntur, non secus ac si ab initio iisdem adiunctae fuerint, quemadmodum in simili dixit Imperator in §. fin. Auth. de raptis mulieribus, docetque Fagnanus in Cap. *Quoniam* de Constitutionibus n. 9: posteriores vero, magnae cetero-quin auctoritatis, se habent instar Iudicialis Sententiae, quae ius facit in illa sola quaestione, de qua profertur, vim tamen legis universalis obtinere, cum promulgari praesertim non soleant, negant Petrus Ledesma in Summa tom. 1 de Sacrament. poenit. cap. 13 difficult. 7, Sanchez lib. 8 de matrim. disp. 2 n. 10, Bonacina de LL. disp. 1 quaest. 1 punct. 8 prop. 1 n. 4, Layman lib. 1 tract. 4 cap. 7 n. 26, Bossius in tract. de tripl. Iubil. privil. sect. 3 cas. 2 §. 7 n. 255, aliique plurimi *in Disceptatione prima Aegidii Mariae Giulii in Causa Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum anno 1740 §. IX n. 44.*

30. Hinc porro factum est, ut generales illae declarationes non soleant fieri, nisi consulto Summo Pontifice, rebusque quam accuratissime consideratis, cum de peculiaribus factis saltem tanta circumspectione et cautione decidi non consueverit; quia videlicet, ut ait divus Thomas p. 2 quaest. 95 art. 1 ad 2: - Illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit, sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subitò exortis – *in Disceptatione prima Aegidii Mariae Giulii in Causa Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum anno 1740* §. *IX n. 44* (2).

vocatis omnibus dictae Congregationis Cardinalibus, nulla ob scissuram votorum capi potuerit resolutio: in hoc rerum statu placuit Sanctissimo etc. ob gravitatem simul et exemplaritatem materiae mandare ipsius S. Congregationis Emo Praefecto, ut desuper exquireret votum totius Rotae –. Ac idem testatur Constantinus in Comm. ad statutum Urbis annot. 111 art. 1 sect. 1 n. 26: – ibi – Congregationes, in quibus praesident Cardinales purpura et doctrina simul eminentissimi, solent ex se in Causis arduis et in punctis iuribus difficillimis exquirere votum Rotae, ut saepissime vidi factum praecipue a Sacra Congregatione Concilii –. Quin tamen Sacra Congregatio illud sequi teneatur, ceu ostendit etiam Ursaya in discept. eccles. 7 tom. 1 part. 1 n. 84 – ibi – Hoc unum indubitatum est, quod Sacra Congregatio, quacumque formula ei committantur Causae, nullatenus tenetur sequi votum alterius Tribunalis quantumvis Collegialis –.

(1) Nam in Sacra Congregatione Concilii etiam in prima instantia Causae pertractari possunt. Quod si ipsa Causam in prima instantia pertractare renuit, Signatura solet eam committere Rotae, teste Ursaya in Discept. eccles. 9 tom. 3 part. 2 n. 127, ubi ait: – Licet enim, quando isti (scilicet Ordinarii) ob arduitatem Causae vel articulorum inspectiones, nolunt in his Causis proprium ferre iudicium, soleat Signatura illas committere Sacrae Rotae, ut testatur in Caietana Matrimonii 28 iunii 1683 coram Matthaeio: – ibi – et renuente Ordinario Caietae decidere controversiam propter arduitatem articuli, Causam per Signaturam iustitiae mihi commissa fuit –. Auditor etiam Sanctissimi ex peculiaribus facti circumstantiis solet Causam etiam in prima instantia remittere ad Sacram Congregationem Concilii.

(2) Id vero licet veritati generaliter cohaereat, non tamen bene ac distincte traditur. Siquidem rerum series haec est. Summus Pontifex Pius IV, postquam in Bulla confirmatoria Concilii Tridentini sub gravissimis poenis prohibuisset, ne quis sine auctoritate et licentia ipsius et successorum quamlibet interpretationem aut glossam emitteret, primitus motu proprio incipiens *Alias nonnullas* die 2 augusti 1564 instituit Congregationem octo S. R. E. Cardinalium, qui dicto Concilio interfuerant, ut Decreta Synodi aliasque eiusdem Pontificis Constitutiones per Officiales servanda curarent, ac dubia eidem referrent. Mandavit enim in §. 1, ut praefati Cardinales praedicta Decreta – firmiter observari faciant et cum effectu (nisi tam in executione dictorum Decretorum Concilii, quam dictarum Literarum nostrarum aliqua dubietas aut difficultas emerserit, quo casu ad nos referant) invocato etiam ad hoc si opus fuerit, brachio seculari –. Unde Card. De Luca in lib. 14 part. 5 adnot. ad Concil. Trid. disc. 8 observat, – quod plures in ea Congregatione sedebant Cardinales, qui, vel tamquam Praesidentes vel Legati, vel tamquam

31. At licet res sit de resolutionibus instar iudicialis sententiae editis, non propterea Episcopus aliquid statuere potest contra rem iudicatam ipsius Sacrae Congregationis, cuius maxima est auctoritas, per Textum in Leg. *Nemo* Cod. de sentent., Benedict. XIV Instit. Eccles. 107 §. 1 n. 6, et Rot. coram Molin. decis. 672 n. 1 *in Tyburtina Parochialis die 16 Iunii 1792* §. *Ex tributa*.

32. Quin imo si Pontifex gratiam a Sacra Congregatione concessam per Breve confirmet, regulariter continet clausam praeservativam facultatum ipsius Sacrae Congregationis; quandoquidem Iosepho Philonardi a Sacra Congregatione obtinuit, ut subsidia dotalia a Scipione Philonardi relicta et distribuenda a Confraternitate S. Mariae Iacobi Civitatis Veruli assignarentur filiae suae usque ad summam scutorum 500 pro dote monastica, et gratiam confirmari curavit Brevi Apostolico s. m. Benedicti XIV munito clausula, ut solet, – salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratorum Cardinalium – *in Veru-*

Praelati postmodum ad Purpuram assumpti, in ipso Concilio intervenerant, ideoque tamquam Sessionum ac disputationum conscii melius Patrum sensum callebant –.

Successu temporis cum Sacra Congregatio illa plura in rebus non dubiis, ad Concilii tamen intelligentiam pertinentibus, responsa tulisset, ac ideo dubitatum esset, an ad hoc facultatem haberet, ob prohibitionem a Pio IV factam, S. Pius V primum ei concessit, ut posset decidere casus, quos claros censeret, dubiis ad se reservatis; ac non multo post eidem indulsit facultatem decidendi Causas et controversias interpretationem Concilii concernentes, prout adnotavit in libro Congregationis Cardinalis Carafa, quod etiam refert Fagnanus in Cap. *Quoniam* de constit. n. 7. Unde idem Fagnanus in Cap. *Cum venissent* de iudiciis n. 30 tradit, Congregationem dubitasse, an ipsa incidisset in censuras in Constitutione *Benedictus Deus* latas, – decidendo multos casus propositos ad interpretationem Concilii pertinentes, absque eo quod ullam relationem Sanctissimo fecerit. Et cum Congregatio hac de re consuluisset S. Pium V, Sanctitas Sua dixit, se non credere Congregationem incidisse in huiusmodi censuras, quoniam opinabatur, hanc prohibitionem eos tantum comprehendere, qui proprio ausu interpretari praesumpsissent, ut indicant illa verba: – audeat interpretari –, tamen pro futuro dixit, se tribuere facultatem Congregationi, ut absque alia delegatione posset decidere casus, quos Congregatio tamquam claros putaret decidendos; quos vero tamquam dubios putaret, Sanctitati Suae referret, prout postea fecit, ut disertis verbis est adnotatum in libris publicis Sacrae Congregationis manu Card. Carafa –. Crescente postmodum Causarum et negotiorum mole, constituta fuit Congregatio particularis quatuor Cardinalium ex corpore generalis Congregationis, quam Gregorius XIII die 8 maii 1576 declaravit in praeteritum potuisse et in futurum posse expedire casus alias decisos in Congregatione generali atque etiam eos, quos pro claris haberet ex omnium sententia, ceu advertit etiam dictus Fagnanus in Cap. *Quoniam* de constitutionibus.

Demum Sixtus in V Constitutione *Immensa* die 22 ianuarii 1587 §. Congregatio octava impertitus est facultatem interpretandi, consulto tamen Pontifice, dubia et resolvendi difficultates occurrentes in his, quae de morum reformatione disciplina et ecclesiasticis iudiciis aliisque similibus statuta sunt. Idcirco Congregatio illa, quae in Constitutione Pii IV dicebatur Congregatio *Super executione et observantia Concilii*, exinde in Sixtina Constitutione dicta est Congregatio *pro executione et interpretatione Concilii Tridentini*, quamquam etiam ante dictam Constitutionem Cardinales praefatae Congregationis passim *interpretes* et Congregatio *interpretum* Concilii Tridentini vocabantur. Hinc Sacrae Congregationis Concilii proprium est, privative quoad alia Tribunalia et Congregationes interpretari Decreta Concilii Tridentini. Qua de re Ursaya perperam rem confundit, cum ait, Sacram Congregationem non habere potestatem edendi decisionem contrariam Decretis Concilii Tridentini; alias enim non esset decidere secundum Concilium, sed de Concilio iudicare, quod soli Summo Pontifici est reservatum. At quum Sacra Congregatio facultas interpretandi Decreta Concilii Tridentini, consulto tamen Pontifice, habeat, alienum omnino est id edicere. Et de facto passim Sacra Congregatio, cum res, de qua agitur, id exigat, ad responsa, quae fert, addit verba illa – facto verbo cum Sanctissimo –, vel alia huiusmodi. Unde Sacra Congregatio quandoque rescribere solet etiam: – Ad mentem – iuxta mentem –, ac alia huiusmodi. Qua de re etiam Ursaya in terminis advertit in Discept. 35 tom. 3 part. 1 n. 72: – ibi – Cohaerenter ad illa verba – iuxta mentem – notandum est hic cum Rota in Tyburtina Fideicommissi mense martii 1705 §. Ratio coram Ansaldo, quod Sacrae Congregationes et alia Urbis Tribunalia solent uti dicto rescribendi modo, vel alio simili, puta – ad D. Ponentem –, vel – ad D. Secretarium cum Sanctissimo –, quia Iudices nolunt statim publicare eorum Rescripta ad hoc, ut Partes edoctae a Secretario vel Ponente de dicta mente Iudicantium, illa a seipsis exequutioni demandent, iuxta casum decisionis Rom. Ampl. Eccles. 24 aprilis 1705 §. fin. coram Card. Caprara: vel quando congruum existimat, ut Secretarius Congregationum, vel Ponens in aliis Tribunalibus, Papae repraesentet, quid Tribunal intellexerit ad hoc, ut deinde idem Princeps demandare possit id, quod ei videbitur, eo quia conveniens saepe sit, quod Princeps informatus existat de gravioribus Causis, et iuxta eius placitum, ubi oportet, suum auctoritativum brachium clementer impertiatur, in quibus terminis solet deinde clare explicari eadem mens –.

lana die 14 Maii 1763 §. *A Confraternitate* (1).

33. Idcirco ne haud modicam confusionem in iuris doctrina opiniones Doctorum parerent, sapienter fecisse patet Sacram Congregationem, quae anno 1621 die 24 maii, s. m. Pium IV in Constitutione *Benedictus Deus* secuta, atque approbante s. m. Gregorio XIV, decrevit: – Indici librorum prohibitorum adiiciendas esse omnes et quascumque Collectiones Declarationum Decisionum seu Interpretationum Congregationis Concilii impressas vel imprimendas –, ac nominatim nonnullas tunc temporis editas reiecit, *ceu videre est in lib. 12 Decretorum pag. 70.*

34. Neque minus prudenter decennio post, nempe die 2 augusti 1631, eamdem sanctionem renovavit, atque edito solemni Decreto, omnibus Resolutionibus Sacrae Congregationis, quae authentica praescripta forma datae non essent, fidem omnem ademit, iubente id ac probante Urbano VIII *in Corduben. die 14 Decembris 1765* §. *Sed.*

35. Siquidem – Sacra Congregatio Concilii Tridentini die 2 augusti de speciali S. D. Urbani VIII iussu mandat et praecipit, huiusmodi declarationibus, tam impressis, quam imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in iudicio, vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis, quae in authentica forma, solito sigillo et subscriptione Card. Praefecti et Secretarii eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitae fuerint–, *ceu videre est in lib. 14 Decretorum pag. 473* (2).

36. Qua de re Sacra Congregatio mandavit, quoad visitationem Hospitalium aliorumque Locorum Piorum nec non rationem administrationis exigendam, Episcopum se conformare debere cum responsis et declarationibus Sacrae Congregationis Concilii, cum essent manu Card. Praefecti et Secretarii signatae et sigillo munitae, licet typis non impressae, quae omnino servandae sunt *in Neapolitana die 4 Februarii 1637 lib. 15 Decretorum pag. 485.*

37. Verum Sacra Congregatio Concilii haud consuevit revidere et approbare, nisi Synodos Provinciales ex Constitutione Sixti V *in Strongolen. die 12 Iunii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

38. Siquidem rogata Sacra Congregatio, ut recognosceret acta Diaecesanae Synodi Strongolensis respondit: – Non consuevisse revidere et approbare, nisi Synodos Provinciales ex Constitutione Sixti V, et quod idcirco Episcopus uteretur iure sibi ex sacro Concilio competente – *in Strongolen. die 12 Iunii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

39. Compertum hinc est, Episcopos ad suarum Synodalium Constitutionum observantiam Diaecesanos adigere posse, quin ulla Sacrae Congregationis indigeant recognitione, eoque minus adprobatione; ad differentiam Constitutionum Concilii Provincialis, quas eadem Sacra Congregatio passim non adprobat, sed ex

(1) Unde Card. Petra in Comment. ad Const. X Bonifacii VIII n. 13 docet, quod quando Doctores propugnant pro dubii alicuius resolutione – inhaerendum est sensibus Sacrae Congregationis Eminentissimorum interpretum Sacri Concilii, cuius dumtaxat eiusdem sensus perscrutari et aperire datum est –.

Quin imo Benedictus XIV de resolutionibus Sacrae Congregationis Concilii loquens in Constitutione, cuius initium *Magno cum animi* edita die 2 iunii 1751 §. 2 Bullar. tom. 3, inquit: – ibi – Nos enim tunc etiam cum in minoribus constituti opus aliquod inscriberemus, illud praecipue nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit –.

(2) Quod merito id statutum fuerit, modo nemo est, qui non videat, cum nos pluries animadvertimus, Auctores etiam magni nominis in errores gravissimos passim incidisse. Nam ad germanam Sacrae Congregationis doctrinam tradendam nedum necessaria est mica salis iuridica et universalis sacrorum Canonum agnitio, sed et labor ingens viginti ac triginta annorum, ut singula Decreta Declarationes et Resolutiones propriis oculis e libris originalibus Decretorum excerpere ac in unum per materias digesta magno studio exarare. Hac enim agendi ratione dumtaxat id assequi potuimus. Nam et ipse Ursaya iamdudum sub finem seculi decimi septimi id expresse fatebatur in Discept. eccles. 1 tom. 4 part. 1 §. 8 n. 94 aiens: – Nec mirum videri debet, si non adducantur alii similes casus, ab hac Sacra Congregatione decisi, ea ratione; quia illius antiqui libri, in quibus adnotantur resolutiones, carent indicibus, neque facile est omnia illius volumina *improbo labore* pervolvere –. Unde si modo in portu non essemus, animum haudquaquam amplius id tentare haberemus.

Nec itaque mirum, quod Praefectus Sacrae Congregationis praesens opus hoc nedum haudquaquam prohibuerit, sed imo verbis expressis adprobaverit atque laudaverit, ceu patet ex Rescripto, quod sub initio primi tomi retulimus.

Constitutione Sixti V 117 tantum expendit et recognoscit, quemadmodum perbelle distinguitur a s. m. Benedicto XIV de Synodo Diaecesana lib. 13 cap. 3 §. 3 et 4 *in Maceraten. Solutionis Casuum conscientiae die 23 Novembris 1850* §. *Nullius.*

40. Quod si Sacra Congregatio etiam Synodum Diaecesanam recognosit et adprobat, tunc non amplius possunt in quaestionem adduci, quae Synodali Decreto, eiusdem Sacrae Congregationis auctoritate probata, fuerunt definita *in Fulginaten. Funerum die 28 Augusti 1773* §. *Ulterius* (1).

41. Alias satis est, ut factum fuerit deductum ad notitiam Sacrae Congregationis, quae invigilare debet super executione Concilii Tridentini, et ex officio procedere ad abusuum extirpationem in toto christiano orbe iuxta Constitutionem 74 Sixti V Bullar. tom. 2 *in Adnotationibus Secretarii in Causa Lucana die 1 Septembris 1725* §. *Et haec* (2).

42. Quin imo Sacra Congregatio Concilii solet admittere Episcopum titularem ad Visitanda Sacra Limina Apostolorum, licet ex praescripto Constitutionis S. M. Sixti V non teneatur *in Subianen. die 27 Februarii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 293.*

43. Unde Sacra Congregatio Concilii potest concedere prorogationes Episcopis ad visitanda Sacra Limina Apostolorum, a poenis ab eis incursis absolvere, fructus perceptos condonare, etiam inconsulta Sanctitate Sua, excepto casu magnae contumaciae Praelatorum, nam tunc Secretarius debet prius facere verbum cum Sanctissimo: ita declaravit S. M. Urbanus VIII *die 20 Augusti et die 13 Septembris 1633 lib. 14 Decretorum pag. 769.*

44. Praeterea Sacra Congregatio potest concedere absolutionem ab irregularitate, non autem dispensare ad Beneficia, etiam mediante remissione libellorum supplicum per Secretariam Brevium: ita Sanctissimus declaravit mediante suo Rescripto, ceu videre est in *lib. 18 Decretorum pag. 71* (3).

45. Gregorius autem XV id etiam concessit, scilicet: - Sanctissimus Dominus Noster die 27 aprilis 1621 indulsit Congregationi Concilii, atque illius Personis,ut si quando sive publice, sive privatim agendum foret de materia ad ipsam Congregationem quoquomodo pertinente, unde illius auctoritate directe vel indirecte sequi posset mors alicuius, aut membri mutilatio, personae ipsae ex tractatu seu ministerio huiusmodi nullam irregularitatis notam incurrant -, ceu videre est *in lib. 12 Decretorum pag. 129.*

46. Sacra Congregatio solet etiam committere Secretario eiusdem ad effectum agendi cum Emis Vice-Cancellario et Pro-Datario, ut suspendant expeditiones Bullarum, cum adsit dubium, num aliquis possit consequi vel non petitum et obtentum Beneficium, donec praedictum dubium resolvatur; huiusmodi enim dubium resolvi debet in eadem Sacra Congregatione: ita sane declaravit *in Hispalen. Ordinationis die 7 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

47. Quin imo Sacra Congregatio Concilii valde admirata est, quod Archiepiscopus suspendisset Canonicum, qui Romam venit non petita ab eo licentia; ideoque iussit statim tolli suspensionem, iudicans honori Archiepiscopi satis consultum mandando per eum illam tolli, quam ipsamet Congregatio nullam atque irritam declarare potuisset *in Senen. mense Iunii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 16.*

(1) Barbos. de offic. et potest Episcop. part. 3, alleg. 93, n. 33; Gonzalez ad regul. 8 cancell. gloss. 9, part. 1, n. 18.

(2) Qua de re Benedictus XIV Instit. eccles. 7 n. 2 inquit: - ibi - Eadem Sacra Congregatio non modo Concilii Tridentini sententias interpretari sola potest, verum etiam diligentiam studiumque adhibere maximum debet, ut per universum orbem ecclesiastica disciplina conservetur -. Imo idem Pontifex in lib. 3 de Sacrif. Missae Cap. 22 n. 5 de Theologorum opinionibus disserens, ait: - ibi - His sententiis ad Apostolicam Sedem delatis, quid statuendum esset ipsa iudicavit per Sacram Concilii Congregationem, quae non modo ad explicandam Tridentinam Synodum instituta fuit, sed etiam ut Ecclesiae disciplinam per universum orbem integre sancteque tueretur -.

(3) Hinc Gregorius XIV in Constitutione incipien. *Cum Securitati* die 22 februarii 1591 Bullar. Roman. tom. 5 part. 1 concessit praefatae Sacrae Congregationi facultatem eos in utroque foro absolvendi, qui ad Sacros Ordines promoti fuerint cum dimissoriis eorum, qui legitimam non habebant facultatem, simulque eisdem perceptos ecclesiasticorum Beneficiorum fructus condonandi. Et inter facultates Sacrae Congregationis Concilii recensentur etiam dispensationes ab irregularitate ex homicidio voluntario orta nec non aliae, quae ex ipsis resolutionibus patent.

48. Unde Sacra Congregatio concessit Episcopo, annuente Sanctissimo, facultatem absolvendi Clericos ab excommunicatione incursa ob delationem armorum prohibitorum contra prohibitionem Visitatoris Apostolici sub poena excommunicationis publicatam *in Ostunen. die 3 Februarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 165.*

49. Similiter eodem modo indulsit Episcopo facultatem absolvendi ab excommunicatione Bullae *Coenae Domini* incursa a Rusticis suae Diaecesis ob inventa et ablata bona Naufragantium *in Ostunen. die 3 Februarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 165.*

50. Imo Sacra Congregatio Concilii, approbante Sanctissimo, prohibuit editionem libri inscripti – de Missae Sacrificio, opus theologicum tripartitum a P. Ioanne Baptista Cremonen. Ordinis Heremitorum S. Augustini Congregationis Lombardiae – compositum, nisi praevio consensu Eminentissimorum Patrum eiusdem Sacrae Congregationis ac eorum licentia in scriptis, sub poenis suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passive, nec non perpetuae inhabilitatis ipso facto incurrendis, aliis etiam gravioribus arbitrio Sanctitatis Suae et Sedis Apostolicae, etiamsi extra Urbem sive proprio, sive alieno nomine etiam ementito, in totum vel in parte imprimi facere auderet *in Romana die 10 Decembris 1633 lib. 14 Decretorum pag. 770.*

51. Hinc et Capitula Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum nec non Communitates tenentur observare Decreta Sacrae Congregationis de celebratione Missarum tam pro acceptatione onerum perpetuorum Missarum, quam in investimentis faciendis illarum pecuniarum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium *in Vicen. Visitationis sacrorum Liminum die 15 Aprilis 1690* (1).

52. Qua de re quum praetenderent Regulares in vim privilegiorum suorum posse alienationes et concessiones facere in emphyteusim, Sacra Congregatio nedum id vetuit ab eis fieri posse absque ipsius Sacrae Congregationis licentia, atque nedum huiusmodi Decretum confirmavit Pontifex Maximus Urbanus VIII die 7 septembris 1624, sed et id rursus postea ipsa statuit declaravitque, ceu videre est *in lib. 12 Decretorum pag. 185.*

Item *in Romana Declarationis die 1 Decembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

53. Unde verbis etiam expressis edixit: – Decreta Sanctissimi Domini Nostri de rebus Regularium non alienandis non derogarunt Constitutioni Bonifacianae, nec Paulinae – *in Ferrarien. die 11 Iulii 1625 lib. 12 Decretorum.*

54. Idcirco Sacra Congregatio Concilii declaravit erroneam et scandalosam opinionem Philiberti Morchini et Sequacium asserentium privilegia vel gratiam reductionis Missarum ad certum numerum et quantitatem eleemosynae a summo Pontifice vel ab eadem Sacra Congregatione Summi Pontificis auctoritate aliquibus Ecclesiis vel Monasteriis vel Ordinis alterius praetextu extentionis seu communicationis privilegiorum, quam inter se habent Religiones *in Nullius die 10 Novembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 240.*

55. Unde Sacra Congregatio declaravit, Superiores Regulares quoscumque post supradicta Decreta de celebratione Missarum audentes uti absque speciali Sedis Apostolicae facultate reducere onera Missarum celebrandarum, poenam privationis omnium Officiorum, quae tunc obtinent, incurrere, atque perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda absque alia declaratione, nec non vocis activae et passivae, aliasque etiam graviores arbitrio eiusdem Sacrae Congregationis infligendas *in Caesaraugustana die 2 Iulii 1633 lib. 14 Decretorum pag. 746.*

56. Declaravit autem Sacra Congregatio

(1) Decretum Concilii in sess. 22 cap. unic. de observ. et vitan. in Sacrif. Missae mandat Episcopis, ut cuiusvis generis mercedem conditiones pacta et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque a simoniae labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant. Ad tollendum quemcumque turpem quaestum Sacra Congregatio Declarationes auctoritate Urbani VIII edidit, quae referuntur in Constitutione eiusdem Pontificis, quae incipit: *Cum saepe* lata die 21 iunii 1625 Bullar. Rom. tom. 5 part. 5 pag. 335, et ab Innocentio XII confirmatae et innovatae cum additione aliarum Resolutionum ad hanc materiam spectantium insertarum in Constitutione *Nuper* eiusdem Pontificis Bullar. Roman. tom. 9 pag. 464.

Decreta de celebratione Missarum non obstare, quominus Monasteria de novo possint aedificari, cum conditionibus in eisdem Decretis contentis *in Ragusina die 23 Iunii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 119.*

57. Hinc Sacra Congregatio indulsit quibusdam Regularibus mediante libello a SSmo Pontifice remisso, ut satisfacere possent Missis non celebratis, pro quibus eleemosynas receperant, celebrando Missas, quas potuissent, una cum duodecim Anniversariis pro una vice tantum, et per septem annos dicerent collectas, remanentibus tamen suspensis voce activa et passiva Superioribus, qui Missas acceptarunt et adimplere non fecerunt, arbitrio Sacrae Congregationis *in Hispaniarum die 16 Decembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 532* (1).

58. Concessit etiam Sacra Congregatio quibusdam Monialibus, ut pro omnibus Missis non celebratis satisfacere possent celebrationem trium Anniversariorum pro una vice tantum *in Venetiarum die 6 Maii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 471.*

59. Quin imo Sacra Congregatio iustis de causis indulsit, ut loco tredecim millium Missarum non celebratarum satisfieri possint celebratione Missarum quotidianarum per sex annos et duodecim Anniversariorum pro una vice tantum intra dictos sex annos *in Florentina die 17 Iunii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

60. Unde concessit etiam, ut celebratione triginta Anniversariorum satisfactum esset omnibus Missis et Anniversariis non celebratis in praeteritum : in futurum vero Episcopi arbitrio remisit reductionem, more regionis inspecto *in Arelaten. die 10 Aprilis 1645 lib. 17 Decretorum pag. 468.*

61. Similiter Sacra Congregatio concessit Legatariis incapacibus legati perpetui unius domus, ut, vendita domo legata iusto pretio, illud converterent in usum necessarium Conventus, celebratis tot Missis pro una vice tantum ad rationem unius iulii pro qualibet Missa in suffragium Animae testatoris *in Fanen. die 9 Februarii 1647 lib.18 Decretorum pag.286.*

62. Concessit pariter Conventui facultatem convertendi in necessitatem eiusdem scutata mille relicta cum onere Missae quotidianae, firmo remanente praedicto onere in perpetuum *in Mediolanen. die 23 Iunii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 115.*

63. Indulsit etiam Sacerdoti, ut, attenta aetate et qualitate, supplere valeret oneri, quod habebat, celebratione earum Missarum, quas ipse posset celebrare, dicendo in omnibus collectas *in Nullius die 3 Iulii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 497.*

64. Hinc Sacra Congregatio Concilii concessit, approbante SSmo, reductionem onerum perpetuorum quoad praeteritum, quae Mendicantes acceptarunt, ad rationem scutorum quadraginta pro qualibet Missa quotidiana perpetua, datis tamen prius notis distinctis singulorum onerum cum reditibus suis *in Regularium die 3 die 27 Februarii et die 3 Septembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 34.*

65. Quin imo fuit deputata Congregatio particularis nonnullorum S. R. E. Cardinalium super extinctione debitorum Regularium ab eadem Sacra Congregatione Concilii *die 12 Decembris 1644 lib. 17 Decretorum pag. 390.*

66. Hinc Sacra Congregatio concessit etiam Episcopo facultatem reducendi onera Missarum propter debita hereditatis Testatoris redditae insufficientis ad ea supportanda ita tamen, ut, quantum posset, praeponeret legata et celebrationes Missarum, ne Testatoris anima suffragiis inde fraudaretur *in Cremonen. die 26 Maii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 123* (2).

67. At Sacra Congregatio declaravit, per concessionem reductionum onerum Missarum non intelligi remissas poenas, si quas incurrerunt, qui reductiones petunt et obtinent *in Romana die 23 Februarii 1630 lib. 14 Decretorum pag. 231.*

(1) Siquidem per Decreta generalia Sacrae Congregationis Concilii anno 1625 edita, et ab Urbano VIII roborata et ab Innocentio XII confirmata in Constitutione *Nuper* facultas Missarum reductionis reservata fuit Auctoritati Sedis Apostolicae.

(2) Benedictus XIII in Concilio Romano tit. 15 cap. 8 omnibus Episcopis, qui eidem Concilio interfuerant, indulsit facultatem reducendi Missas, exceptis tamen subsidiis dotalibus vel aliis dispositionibus a Defunctis quomodolibet factis, quae sub nomine Missarum non comprehenduntur, et servatis aliis conditionibus, quae continentur in instructione, quae inseri solet in facultate eisdem Episcopis et Ordinariis attributa.

68. Insuper Sacra Congregatio concessit Sacerdoti obligato ad celebrandum in Altari privilegiato per seipsum, ut absentiae suae tempore a loco per alium posset huic oneri satisfacere *in Anglonen. die 23 Februarii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 197.*

69. Imo Sacra Congregatio indulsit Canonico simul et votandi Signaturae Iustitiae, ut diebus, quibus eidem Signaturae interesse deberet, non teneretur servitio chori, et nihilominus nedum fructus sui Canonicatus, sed et distributiones quotidianas lucrari valeret *in Romana die 1 Aprilis 1656 lib. 19 Decretorum pag. 578.*

70. Similiter ex causis sibi relatis concessit distributiones quotidianas ad tempus Archipresbitero absenti una cum fructibus sui Archipresbiteratus *in Nullius Carpen. die 3 Martii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 39.*

71. Hinc etiam Canonico Vicario Generali indulsit, ut, durante officio, posset distributiones quotidianas lucrari, etiamsi choro non interesset *in Mediolanen. die 17 Septembris 1650 lib. 19 Decretorum pag. 81.*

72. Indulsit pariter Canonico, ut per sex menses diebus ferialibus non teneretur choro inservire, et tamen distributiones quotidianas una cum fructibus lucraretur *in Tiburtina die 15 Novembris 1653 lib. 19 Decretorum pag. 282.*

73. Quin imo licet declarasset, distributiones quotidianas non deberi Archidiacono et Canonico Comensibus ex causis per eos adductis, indulsit tamen, ut Archidiacono per quatuor et Canonico per duos menses concederentur, non obstante oppositione Capituli, rationibus ex utraque parte informante deductis mature perpensis *in Comen. die 3 Septembris 1650 et 4 Februarii 1651 lib. 19 Decretorum pag. 108.*

74. Hinc Sacra Congregatio declaravit, distributiones quotidianas deberi Visitantibus Sacra Limina Apostolorum nomine suorum Episcoporum, secus vero Peregrinantibus, qui tamen in casibus particularibus poterunt ad eamdem recurrere *in Ulixbonen. die 20 Decembris 1631 lib. 14 Decretorum pag. 553.*

75. Imo Sacra Congregatio concessit etiam dispensationem trium dierum ad suscipiendum Sacerdotium Diacono deficientium, facto tamen verbo cum Sanctissimo, qui annuit *in Montis Politiani die 6 et 8 Aprilis 1647 lib. 18 Decretorum pag. 322.*

76. Itaque Sacra Congregatio declaravit, Graecum, latino ritu legitime ordinatum, posse obtinere Beneficia ecclesiastica Latinorum, addidit tamen, non expedire *in Graecorum anno 1613 lib. 11 Decretorum pag. 137.*

77. Hinc Sacra Congregatio valde mirata est, quod Vicarius Generalis etiam delato iuramento Examinatoribus prohibuisset, ne reprobationem significarent, tamquam iuris dispositioni, et iudiciorum consuetudini abhorrens; eumque monuit, ne in futurum, si qui in concursu Parochialium reprobati fuerint, hoc modo eluderet *in Urbinaten. anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 35.*

78. Praeterea Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum disponens, assignandam esse Praebendam primo vacaturam Theologo, non habere locum, si vacatio contingat in mense Sedi Apostolicae reservato *in Pacen. lib. 1 Decretorum pag. 4.*

79. Unde declaravit etiam Sacra Congregatio, Concilium Tridentinum neque comprehendere Beneficia Regularia, nisi sint de iis, quae sunt membra Beneficiorum Regularium, et Presbiteris Secularibus conferuntur *in Dubium ad Cap. 1 sess. 5 de reformatione Posit. 1.*

80. At Concilium Tridentinum in Cap. 1 sess. 5 de reformatione quoad erectionem Praebendae Theologalis habet locum etiam in Collegiatis de iurepatronatus *in Dubium ad dictum Cap. 1 sess. 5 de reformatione Posit. 1.*

81. Hinc non est satisfactum Concilio Tridentino in Cap. 1 sess. 5 de reformatione, si stipendium constitutum pro lectione sacrae Scripturae insufficiens augeatur vel per accessionem alicuius Beneficii simplicis, vel per contributionem, si in illa Ecclesia Praebenda unienda iuxta dictum Concilium esset insufficiens *in Dubium ad dictum Cap. 1 sess. 5 de Reformatione Posit. 1.*

82. Insuper Sacra Congregatio declaravit, Debitores de Episcopi mandato in carceribus laicalibus detentos non posse admitti nec extrahi a Iudicibus vel Ministris laicalibus absque licentia Episcopi *in Siracusana mense Ianuarii 1626 lib. 12 Decretorum pag. 342.*

83. Declaravit etiam Sacra Congregatio, debitores Locorum Piorum viros divites et potentes, debita solvere non curantes, etiamsi possint, continuata contumacia, per viginti et ultra annos, non posse dici usurpatores et iniustos detentores rerum ecclesiasticarum, nec comprehendi in §. 17 Bullae *Coenae,* nec in Decreto Concilii Cap. 11 sess. 22 de reformatione *in Caietana Visitationis Sacrorum Liminum die 15 Novembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 800 a tergo.*

84. Hinc Sacra Congregatio declaravit, debitores livellorum et canonum Mensae Episcopalis, ex eo quod tantum recusant solvere, non comprehendi in Decreto Concilii Tridentini Cap. 11 sess. 22 de reformatione *in Sipuntina die 14 Ianuarii 1634 lib. 14 Decretorum pag. 28.*

85. Imo Sacra Congregatio valde mirata est, quod capti iussu ecclesiasticorum Iudicum detinerentur in carceribus, in quibus laici Iudices suos captos detinent, et propterea mandavit, ut quamprimum tam gravi incommodo remedium adhiberetur *in Venetiarum die 28 Aprilis 1592 lib. 7 Decretorum pag. 40.*

86. Insuper Sacra Congregatio mandavit, compellendos Parochos esse, ut resideant in domibus Ecclesiae, si quas habent; secus in domo propinquiori intra limites Parochiae: praetextu autem inimicitiarum minime excusandos esse, nisi obtinuerint Literas a Sacra Congregatione, quae, ubi petitae fuerint, dabuntur iuxta formam consuetam *in Faventina mense Decembris 1589.*

87. Itaque Sacra Congregatio declaravit, non solum Abbates benedictos et eos, qui speciale privilegium habent, ut possint ea omnia facere, quae possunt Abbates Benedictini, posse Regularibus sibi subditis Tonsuram et minores Ordines conferre et alia pontificalia, quae huiusmodi Abbatibus competere possunt, in eorum Monasteriis exercere; sed etiam omnes illos Abbates, quibus privilegia aliorum Abbatum huiusmodi privilegia habentium communicata sunt, quum tali communicatione et iidem Tonsuram et minores Ordines conferre, aliaque pontificalia exercere valeant *in Hispalen. anno 1591 lib. 7 Decretorum pag. 26.*

88. At Sacra Congregatio Concilii noluit approbare, quod Episcopus Fesulanus haberet auctoritatem exercendi episcopalia in Civitate Florentiae, non obstantibus rationibus ab eo deductis *in Fesulana die 28 Aprilis 1628 lib. 14 Decretorum pag. 70.*

89. Unde casu, quo Episcopus irrationabiliter deneget licentiam absentandi Presbiteris et Clericis servitio alicuius Ecclesiae adscriptis, recurrendum est ad Sacram Congregationem Concilii, cuius erit iuxta casuum contingentiam providere *in Terracinen. die 19 Februarii 1628.*

90. Sacra Congregatio declaravit etiam, privilegia concessa Canonicis ab Episcopis fuisse sublata per sacrum Concilium Tridentinum, quod solum reliquit firmas et intactas concordias confirmatas a Sede Apostolica ex certa scientia *in Arianen. die 28 Aprilis 1635 lib. 15 Decretorum pag. 191.*

91. Praeterea Sacra Congregatio Concilii declaravit, Constitutionem S. M. Gregorii XV de exemptorum privilegiis locum habere in Germania et ubique tam respectu Ordinis S. Francisci, quam aliorum quorumcumque Ordinum *in Ratisbonen. die 17 Maii 1613 lib. 19 Decretorum pag. 247.*

92. Hinc et Fratres et Moniales Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo Civitatis Avenionensis ac Diaecesis comprehendi declaravit in supradicta Constitutione ac in Declarationibus super eadem ab ipsa Sacra Congregatione editis *in Avenionen. die 19 Ianuarii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 306.*

93. Necessaria hinc censetur ac est licentia Sacrae Congregationis Concilii, ut possint Puellae maiores viginti quinque annis in Monasterio educationis causa degere *in Triventina mense Februarii 1588.*

94. Sacra Congregatio autem indulsit Moniali, ut, stante illius gravi aetate electa in Abbatissam, posset renunciare non solum, sed et recusare officium *in Nullius die 9 Novembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 411.*

95. Imo Sacra Congregatio dispensavit Monialem, ut, non obstante defectu quatuordecim mensium, posset cum aliis consecrari, supposita facultate dispensandi ultra annum in eadem Sacra Congregatione super defectu aetatis ad consecrationem Monialium requisitae, alias faciendum verbum cum Sanctissimo per D. Secretarium pro gratia *in S. Ge-*

miniani die 1 Decembris 1635 lib. 15 Decretorum pag. 286.

96. Unde Sacra Congregatio indulsit Religioso professo, ut de consensu suorum Superiorum et Conventus, in quo professionem emiserat, posset facere renunciationem bonorum ad favorem Consanguineorum *in Florentina die 4 Augusti 1635 lib. 15 Decretorum pag. 232.*

97. At praeceptum fuit Episcopo Audomarensi, ut supersederet in exigendo taxam pro Seminario Duacensi a Monasterio S. Bertini, donec Sacram Congregationem Concilii certiorem reddidisset de iuribus, quibus id facere posse intenderet, cum Monasterium immune a dicto onere se putaret, quia post Concilium Tridentinum Seminarium erexerat *in Audomaren. die 30 Martii 1594.*

98. Hinc taxa, quae institui pro Seminarii sufficienti conservatione ab Episcopo una cum Deputatis debet, non publicanda, sed antea ad Sacram Congregationem Concilii mittenda *in Anconitana mense Februarii 1587.*

99. Imo Sacra Congregatio Concilii mandavit scribi Nuncio Apostolico Hispaniarum, ut se abstineret a concessione restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennium Religiosis professis *in Carthaginen. die 22 Septembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 202.*

100. Sacra Congregatio indulsit etiam Clerico, ut officium Procuratoris in Causis civilibus et in Tribunali ecclesiastico exercere posset, pro Ecclesiis tamen, Locis Piis, Pauperibus, et Viduis *in Civitatis Castelli die 5 Iunii 1655 lib. 19 Decretorum pag. 472.*

101. Quin imo a Sacra Congregatione Concilii approbata fuit Congregatio Presbiterorum Missionis *die 4 Februarii 1645.*

102. Insuper Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum pluries, inspectis rerum circumstantiis, mandat, modo hanc modo illam controversiam resolvendam esse arbitrio Sacrae Congregationis Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae (1): quandoquidem ipsa statuit, ut examen quoad Societates hospitalia aliaque pia loca, quae dotes debitas pro collocandis nuptui Puellas non solvunt, nec aliis obligationibus satisfecerunt, arbitrio praefatae Sacrae Congregationis committeretur *in Civitatis Castellanae die 25 Augusti 1628.*

103. Arbitrio pariter praefatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium remisit definitionem dubii:– An Confessarius Regularis Ordinis S. Francisci strictioris observantiae posset cum Socio permanere de die et de nocte in Hospitio contiguo Monialium S. Clarae exempto a iurisdictione Ordinarii ad effectum audiendi Confessiones Monialium, stante quod Monasterium eorumdem Regularium distaret a Civitate, ubi erat Monialium Monasterium; et an Confessarius idem posset etiam noctu retinere claves Ecclesiae dicti Monasterii, ita ut ad libitum etiam per noctem posset in eam ingredi – *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

104. Hinc praefata Sacra Congregatio Concilii etiam disceptationem dubii: – An aliquid exigi possit ab Episcopo in causam et pro labore redditionis rationis seu revisionis eiusdem – quoad reditus bona Ecclesiae S. Nicolai et S. Stephani et Congregationis Presbiterorum, quae Capitulum vocatur, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium remisit *in Piscien. die 21 Iulii 1753.*

105. Rursus propositis dubiis: – III. An competat Episcopo ius exigendi seu percipiendi quartam portionem punctaturarum, quae

(1) Congregationem hanc instituit Sixtus V Constitutione, quae incipit: *Immensa* 22 ianuarii 1588, ut in Bullar. tom. 4 pag. 597, ubi haec quoad Episcopos habentur: – Quare ut Apostolica Sede, a qua tamquam a Matre honorem et iurisdictionem acceperunt, sibi, cum opus fuerit, auxilium praesidiumque paratum esse, intelligant, ut greges suos tanto fructuosius pascant, quinque itidem Cardinales praeponimus Episcoporum et aliorum Praelatorum consultationibus audiendis –. Et quoad Regulares ita decernitur: – Nec sane minus de Regularium Ordinibus solliciti sumus, qui Ecclesiae Dei magnum adiumentum atque ornamentum omni tempore praestiterunt, immo vero summopere cupientes eorum salutaria studia progressusque promovere, qui e fluctibus seculi in portum regularis vitae confugerunt, ob eam causam, ut, remotis impedimentis, et inanibus contentionibus amputatis, sub suavi religionis iugo et suorum institutorum observantia quiete vivant, gratumque Altissimo famulatum exhibeant –. Card. De Luca in Relat. Roman. Cur. tom. 15 part. 2 disc. 16 late agit de potestate praefatae Sacrae Congregationis.

fiunt in anno? *Et quatenus affirmative.* IV. An eadem quarta portio debeatur dicto Episcopo ad proportionem punctaturarum, quae fiunt, vel potius in quantitate certa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium et quartum, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium – *in Ruben. Punctaturarum die 18 Augusti 1708 lib. 58 Decretorum.*

106. Similiter quum Abbas Monasterii in Waldassen Ordinis Cisterciensis sustineret, sibi liberum esse collapsam assertam Prioralem domum a fundamentis extruere pro uberiori animarum beneficio, proposito dubio: – III. An sit locus aedificationi domus Prioralis in Civitate Tursenreut in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium – *in Ratisbonen. Iuris deputandi Vicarium die 28 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum.*

107. Nec aliter edixit Sacra Congregatio, quum Episcopus Maceratensis quaesiisset, quomodo Curae temporali et spirituali Monasteriorum Monialium suae Diaecesis providere possit; mandavit enim, petitionem esse remittendam ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium *in Maceraten. Visitationis Sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664.*

108. Id eo vel magis statuit, cum praefata Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium iam antea rem definiverat: siquidem cum dicta S. Congregatio in Novarien. 20 septembris 1594 et in Volaterrana 22 augusti 1605 decrevisset, pro Monialibus supranumerariis solvendam esse dotem duplicatam, Sacra Congregatio proposito dubio: – XIX. An in praescribendo Monasteriis numero Monialium iuxta facultates cuiuscumque Monasterii sint computandae omnes Moniales existentes in Monasteriis de tempore praefixionis numeri, et donec supersint Moniales, quae impleant praefixum numerum, non possint recipi aliae Moniales cum dote ordinaria, sed cum dote supernumeraria? –, respondit: – Ad decimum nonum, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium – *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

109. Unde circa Monialium numerum earum vitam communem dotiumque tenuitatem tractatio commendatur arbitrio Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium *in Eugubina die 12 Novembris 1633.*

110. Qua de re cum per Bullam Bonifacii VIII super erectione Praepositurae Cathedralis Ecclesiae Anagninae disponeretur, quod Praepositus cumulativam haberet potestatem puniendi Canonicos et Beneficiatos, quodque in Causis gravioribus una cum Episcopo procederet, et Episcopus Benedictum de Rubeis Praepositum dictae Cathedralis in Vicarium Generalem elegisset, et Petrus Paulus Thomassettus recursum interposuerit penes Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, ut Praepositus a munere Vicarii Generalis arceretur, quia praedictis facultatibus in Bulla Bonifacii per Constitutiones Ecclesiae sibi attributis libere uti non valebat, et Sacra Congregatio illa die 3 februarii 1702 rescripsit: – Relatum –, proposito dein dubio: – II. An Praeposito munus Vicarii Generalis exercere liceat in casu etc. –, Sacra Congregatio Concilii responsum dedit: – Ad secundum, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium – *in Anagnina die 17 Aprilis 1706 lib. 56 Decretorum.*

111. Nam ob Decretum Innocentii XII, quod incipit: *Ut occurratur*, editum die 4 iunii 1692, ac exin renovatum et confirmatum a Clemente XIII die 15 aprilis 1768, haud licet adire aliam Congregationem, cum ab una fuerit reiecta petitio, nisi repulsa exprimatur; et quidquid imo fuerit obtentum nullum ac irritum prostat *in Firmana Emphyteusis die 21 Iulii 1792* §. *Validum.*

112. Siquidem Innocentius XII per Decretum, in parvo eius Bullario pag. 222 registratum, expresse interdixit, ne ullus imposterum, postquam preces sive supplices libellos in materia gratiae vel iustitiae alicui ex Sacris Congregationibus Urbis quomodolibet obtulit seu praesentavit, ita ut ipsa Sacra Congregatio mediante praefata praesentatione precum praeventa manus quomodocumque desuper apposuerit, queat – ullo modo idem negotium causam vel petitionem ad alteram ex Sacris Congregationibus etiam mediante Rescripto Sanctitatis Suae (quod in hoc casu importune et subreptitie Sanctitas Sua censeri voluit extortum) sub quovis praetextu causa

vel quaesito colore etiam simplicitatis et ignorantiae deferre, vel alias primam Congregationem sponte a principio aditam declinare – *in Rossanen. Transitus ad ritum latinum die 11 Ianuarii 1738* §. *His.*

113. Quin imo praeter indictam nullitatem Rescriptorum et Decretorum, quae a secunda vel ab altera Congregatione extorqueri contigerit, ad compescendam similium impetratorum calliditatem, praefatus Pontifex sanxit, – quod tam iidem Oratores ac Partes principales, quam illorum illarumque Procuratores Sollicitatores Agentes aut Expeditores quicumque, quive adversus huiusmodi Decretum attentaverint, non solum puniri valeant, etiam poena carceris, vel altera arbitrio alterutrius Congregationis, mediante organo Secretarii pro tempore, facto tamen verbo in ipsa Congregatione; sed ulterius quod Procuratores Sollicitatores Agentes et Expeditores huiusmodi, ubi ipsi sint, qui, ignara Parte seu Principali, attentaverint, omnino teneantur ad refectionem omnium expensarum atque damnorum, quas vel quae Personas principales hac de causa pati contingeret vel contigisset, atque ad id summarie per eumdem Secretarium, facto tamen, ut supra, verbo in ipsa Congregatione, opportunis iuris et facti remediis compelli possint et valeant – *in Rossanen. Transitus ad ritum latinum die 11 Ianuarii 1738* §. *His* (1).

114. Nullum hinc dubium excitari posse videtur, quin, dum Pontifex supplicem libellum sibi oblatum alicui Congregationi committit, manus ad illud negotium apponat *in Camerinen. Capellaniae die 20 Decembris 1834* §. *Nullum.*

115. Nam ubi super aliquo negotio manus imposuit Summus Pontifex, – ut Forenses loquuntur, Inferioribus omnino facultas ea de re quidquam agendi est praepedita, et si quid actum fuerit, nullum irritumque prorsus esse, tradunt communiter post Innocentium et alios Abbas Franchus et Pignatellius in Consult. 67 n. 4 tom. 4 his verbis: – Ex quo Pontifex uti Superior se ingessit, sicque manus imposuit, non licet amplius Inferiori se intrudere: legatur quippe appositione manus Pontificis manus Ordinarii etiam ignorantis, quum ipsa contineat in se inhibitionem, ipsaque habeat vim Decreti irritantis, ita ut mox acta per Iudicem inferiorem sint omnino irrita – *in Firmana die 13 Iunii 1795* §. *Parochi.*

Item *in Camerinen. Capellaniae die 20 Decembris 1834* §. *Contra; in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Reapse; in Spoletana Capellaniae die 22 Decembris 1860* §. *Itaque.*

116. Nemo imo ignorat, quod, dum aliqua ex Sacris Congregationibus preces suscipit alicuius, Pontifex ipse recepisse dicendus sit, atque adeo ad illud negotium manus apposuit *in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Reapse.*

117. Simul ac igitur Orator supplicem dederat libellum Sacrae Congregationi, atque haec eum susceperat remittens ad eumdem Antistitem pro informatione et voto, potestas omnis in inferiori Iudice, idest in Archiepiscopali Curia, desierat super negocio ipso pronunciandi, quodque pronunciatum fuerit nullitatis vitio laborat *in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Reapse.*

Item *in Spoletana Capellaniae die 22 Decembris 1860* §. *Itaque.*

118. Idcirco quum Philippus Adami Patronus cuiusdam Beneficii simplicis in Ecclesia parochiali S. Georgii Portus Firmi die 19 februarii 1791 obtinuerit a Sacra Congre-

(1) Id reapse fuit exinde renovatum et confirmatum a Clemente XIII die 15 aprilis 1768 hisce verbis: – Cum Summus Dominus Noster Clemens PP. XIII a Moderatoribus rerum et negotiorum, quae ad rationem Sacrarum Urbis Congregationum pertinent, certior factus fuerit de inobservantia saluberrimi Decreti, quod iussu s. m. Innocentii XII latum fuit et publice editum die 4 iunii 1692 ab Ansaldis ipsius Pontificis Auditore; eumque ab iis acceperit mala turbasque, quae eveniunt, ut postquam preces sive de re, quae gratia sit, sive iustitiae alicui ex iisdem Sacris Congregationibus oblatae fuerant, et vel reiectae fuerint, vel suspicio sit et timor, ne reiiciantur, missa ea Congregatione, alia de eadem re negotioque aliisque precibus adeatur Sacra Congregatio, a qua fortasse minus instructa evenire potest, ut concedatur, quod a prima vel denegatum fuerat, vel denegatum fuisset; idcirco indignum plane esse, neque ferendum prudentissime existimans, ut praeventae Congregationis eludatur iudicium, et secum animo reputans haec evenire potuisse, quod temporis lapsu obliterata fuerit providentissimi eiusdem Decreti memoria, nobis mandavit, ut idem Decretum publici iuris iterum fieret iisdem suis verbis Pontificiaque Auctoritate confirmatum renovetur. Nos igitur Sanctissimi Domini Nostri imperio obsequentes idem Decretum ipsis suis verbis renovamus –.

gatione Concilii facultatem concedendi eius bona in emphyteusim ad tertiam generationem, quin expressisset, quod repulsam passus fuerat a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, proposito dein dubio: – An Rescriptum editum die 19 februarii 1791 sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius; et Rector Beneficii utatur iure suo in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium praeventa – *in Firmana Emphyteusis die 21 Iulii 1792.*

119. At quum facultates alienationum hypothecarum locationum aliorumque contentorum in Decreto de rebus Regularium non alienandis privative spectarent ad Sacram Congregationem Concilii, haec iniunxit Card. Ginnetto Praefecto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, ne in praefata Congregatione in futurum expedirentur huiusmodi facultates *in Regularium die 19 Novembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 416.*

120. Quum autem dubitatum fuisset, an Legatus a latere in mensibus Ordinariorum in omnibus Beneficiis possit concurrere cum Ordinario, praesupposito, facultates Legati praedicti esse restrictas ad fines Concilii; et etiam posito, quod collatio aliquorum Beneficiorum vigore Statutorum ac privilegiorum a Sede Apostolica obtentorum spectaret pleno iure ad Capitulum, dubitatum est, utrum vigore alternativae Legatus solus posset conferre in mensibus suis, Sacra Congregatio respondit, non esse Congregationis *in Avenionen. die 25 Octobris 1586.*

121. Quod si Causae definitio super re principali pendeat penes Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, Sacra Congregatio mandat, ut expectetur exitus Causae in praefata Sacra Congregatione; quandoquidem quum Moniales Monasterii S. Audochii Ordinis S. Benedicti postulaverint a Summo Pontifice, ut ad restituendam regularem observantiam in coadiutricem Mariae de la Beaume Abbatissae praedicti Monasterii in aetate octoginta annorum constitutae deputaretur Monialis Dionysia de Pernes quinquagesimum aetatis annum agens cum futura successione, etiam invita dicta moderna Abbatissa Mariae de la Beaume, eidem tamen reservata annua pensione librarum 600, proposito dubio: – An sit locus Coadiutoriae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Expectetur exitus Causae in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium – *in Eduen. Coadiutoriae die 21 Augusti 1706 lib. 56 Decretorum.*

122. Nec aliter edixit Sacra Congregatio in controversia inter Capitulum et Presbiteros Ecclesiae Matricis et Parochialis S. Mariae Collis Terrae Peschii Constantii et Universitatem dicti loci mota; proposito enim dubio: – XIV. An possint Presbiteri exigere pro iure sepulturae emolumentum taxatum in conventione anni 1566, quando cadavera Parochianorum tumulantur in sepulturis propriis et familiaribus aut in aliena Ecclesia? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum quartum, Affirmative ad primam et secundam partem; et quoad tertiam partem, expectetur exitus litis in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium – *in Nullius seu Montis Casini die 26 Ianuarii 1726.*

123. Quum vero Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium aliquod emanaverit Decretum, Sacra Congregatio Concilii illud servari iussit; siquidem volens Episcopus Castellanetensis consulere servitio chori Ecclesiae suae Cathedralis in Sacra Visitatione anni 1705 Decretum edidit sub poena unius ducati pauperibus applicandi, ut omnes Canonici servire tenerentur omnibus diebus Dominicis et Festis de praecepto totoque Adventus Quadragesimae et Octavae Corporis Christi tempore, aliisque vero diebus saltem pars eorum dimidia; sed Canonici ab hoc Decreto reclamarunt, ex eo quod sibi contraria faveret consuetudo, hinc Sacra Congregatio Concilii primum die 10 iulii 1706 die 26 martii et die 7 maii 1707 mandavit, ut – servetur Decretum Episcopi –, exin proposito dubio: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 10 iulii 1706 26 martii et 7 maii 1707 in casu etc. –, responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, servari Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 16 Decembris 1597; et quoad poenam, servari solitum Ecclesiae – *in Castellaneten. Servitii Chori die 16 Martii 1709 lib. 59 Decretorum.*

124. Similiter quum Sacra Congregatio

Episcoporum et Regularium die 8 aprilis 1672 Episcopo Andriensi vigore immemorabilis observantiae ac laudi seu concordiae inter Capitulum Ecclesiarum Cathedralis et Collegiatae S. Nicolai initae attribuerit ius percipiendi quartam funebrem ab Ecclesiis tumulantibus, proposito dubio: – XI. An Capitulo Cathedralis debeatur quarta funeralis pro omnibus tumulationibus faciendis a dicta Ecclesia S. Nicolai in casu etc. –, Sacra Congregatio Concilii respondit: – Ad undecimum, quoad decedentes in districtu Cathedralis, Affirmative; quoad reliquos, Negative; et quoad Episcopum, servetur Decretum Congregationis Episcoporum et Regularium 8 aprilis 1672, et amplius – *in Andrien. die 19 Septembris 1767.*

125. Hinc quum Episcopus Urbinatensis proposuerit, ut declararetur, an Canonici ii, in quibus ordo contigerit, si absint, non solum punctentur, sed mulctentur, pro aliis diebus, in quibus, nisi accedant, sola punctatione notantur, Sacra Congregatio Concilii iniunxit Secretario, ut oretenus insinuaret Episcopo, ut declarationem alias editam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium exquireret *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

126. Proposito pariter dubio: – An Canonicus Regularis ex eorum Congregatione possit absque indulto admitti ad regendam Ecclesiam Parochialem de eorum iurepatronatus, et an obstet Decretum emanatum die 18 martii 1671 a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, quod de Canonicis Regularibus Lateranensibus loquitur? –, Sacra Congregatio Concilii respondit: – Canonicos Regulares nuncupatos Scopettinos non posse admitti ad exercendam curam animarum in dicta Parochiali absque dispensatione Apostolica, et quoad ipsos etiam servandum esse Decretum praefatum – *in Florentina die 18 Iulii 1676.*

127. Demum, ceteris hic missis, proposito dubio: – An Parochis secularibus debeatur praecedentia in choro regulari in Missis et Officiis mortuorum vel occasione aliarum functionum in Ecclesiis dictorum Regularium? –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad mortuaria dentur Decreta Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium nec non a Sacra Congregatione Rituum edita tenoris sequentis (1) – *in Insularum Canariae Iurisdictionis die 13 Novembris 1694 lib. 44 Decretorum.*

128. Unde Sacra Congregatio Concilii etiam Decreta edita a Sacra Congregatione Rituum (2) servari iubet; quandoquidem pro

(1) Scilicet – Catanzano al Vescovo. Se nella Città di Taverna Diocesi di V. S. non c'è consuetudine chiara e da tutti egualmente ricevuta, che andando i Preti alla Chiesa de' Regolari in occasione di accompagnare i Defonti tengano i Preti il primo luogo, cantino il primo verso, e abbino simili prerogative, faccia V. S. in ciò si osservi lo stile di Roma, quale è, che quando li Preti vanno alle Chiese de' Regolari in simile occasione lasciano ai Regolari il carico di cantare l'offizio funebre, e li cedono anche il primo luogo, sebbene volendo i Preti possono dimorare nelle loro chiese, ed assistere all'esequie del Defonto. Pertanto s'informi V. S. della consuetudine, udite le parti, e poi riferisca o eseguisca con prontezza la mente di questi Illmi Signori, e Nostro Signore la feliciti. Roma 8 maggio 1595 –.

Praeterea Sulmonen. Fratres Conventuales S. Francisci loci Populei Sulmonensis Diaecesis conquesti sunt de Archipresbitero loci prohibente, ipsos vocatos ad funus associare cadaver cum eorum propria Cruce psalmosque decantare solitos canere. Item quod dictus Archipresbiter velit officium facere super cadaveribus, quae sepeliuntur in Ecclesia, propria ipsorum Regularium, supplicantes provideri. Et Sacra Congregatio quoad associationem cadaverum, quando vocantur ad funus cum decantatione psalmorum respondit, non posse Regulares impediri, dummodo incedant sine Cruce, quia in funeribus unica tantum Crux est deferenda, et illa debet esse illius Ecclesiae, ad quam funus defertur. Quo vero ad officium, fieri debere per Regulares, in quorum Ecclesiis cadavera tumulari debent, et ita servari mandavit die 18 augusti 1629 lib. 44 Decretorum fol. 565. Ceterum praecedentia semper debetur Clero seculari super Regulares etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis ex Can. *alio* 6 caus. 16 quaest. 1 cum similibus, et ex Sacra Congregatione Rituum in Firmana Terrae Sanctae Victoriae 31 martii 1618. Hoc tamen procedit, quando uterque intervenit tamquam personae de ordine et hierarchia ecclesiastica in genere inter se coaequales, secus autem ubi Parochus et Clerus Regularis intervenit tamquam repraesentans Ecclesiam superiorem, nempe Cathedralem autem Matricem; hoc enim in casu decrevit Sacra Congregatio Rituum die 27 februarii 1623 dub. 2, Parochum nempe Regularem Ecclesiae Matricis praecedere debere Seculari in functionibus ecclesiasticis –.

Hanc rem diserte expendit Pitonius in discept. eccles. 57 a n. 14.

(2) Siquidem Sixtus V in Constitutione *Immensa* die 22 ianuarii 1587, Bullar. Rom. tom. 4, part. 4 pag. 392

Vicarii praecedentia quoad Capitulum et primo honore ei exhibendo in thurificationibus ac palmarum distributionibus mandavit, danda esse Decreta Sacrae Congregationis Rituum (1) *in Nicien. Visitationis Sacrorum Liminum die 7 Augusti 1677.*

129. Hinc exortis nonnullis controversiis inter Protopapam, nempe primum presbiterum Oppidi S. Christinae, et Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Oppidensis, inter cetera proposito dubio: – IV. An eidem competat facultas disponendi et ordinandi divina Officia in Ecclesia Matrice aliisque filialibus S. Christinae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 martii 1722 respondit: – Ad quartum, Affirmative iuxta tamen tabulam horariam et alias ordinationes ab Episcopo factas vel faciendas: et quoad usum mozzettae coadiuventur probationes, praefixo termino sex mensium, et interim non molestetur in dicto usu –. Narravit exin Zerbius Protopapa, se preces obtulisse Summo Pontifici Benedicto XIII, quibus postulabat, ne molestiae ab Episcopo inferrentur ob usum Mozzettae, et – Sanctissimum annuisse iuxta petita –, addita tamen clausula, – dummodo narrata in dictis precibus veritati nitantur –; propositaque inde Causa in Congregatione habita die 17 novembris anni 1625 respondisse Sacram Congregationem:–Non verificari exposita Summo Pontifici, et sic non competere usum Mozzettae, licere tamen Alexandro deferre

occasione institutionis huius Sacrae Congregationis haec habet: – Iamvero cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione et disciplina utitur, in Sacramentorum administratione divinis Officiis omnique Dei et Sanctorum veneratione magnam christiani Populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum maiestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationes sustollant, et devotionis eam igne inflammment, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere. Quinque itidem Cardinales deligimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis divinis Officiis, Sacramentorum administratione ceterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, caeremoniae si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus et caeremoniis, in primis pontificale rituale caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent, officia divina de Sanctis patronis examinent, et nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex Patrum traditione fiant, et ut Reges Principes eorumque Oratores aliaeque personae etiam ecclesiasticae ad Urbem Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicae dignitate ac benignitate honorifice more maiorum excipiantur, cogitationem suscipiant seduloque provideant. Controversias de praecedentia in processionibus, ut alibi. ceterasque in huiusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant –.

Congregatio haec constat Cardinalibus Praelatis et Doctoribus: et distinguitur in generalem et ordinariam. Generali intervenit etiam Summus Pontifex una cum Cardinalibus omnibusque ipsius Congregationis Consultoribus, atque in ea res est de Servorum Dei virtutibus martyrio aut miraculis recognoscendis atque approbandis. Ordinariam vero constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis Secretario cum Protonotario Apostolico et Promotore Fidei; atque in hac, praeter cetera, agitur etiam de revisione operum conscriptorum a Servis Dei, quorum beatificatio promovetur. Benedictus XIV cuncta mirifice tradit in Opere, cuius titulus: *De Canonizatione Sanctorum.*

(1) Scilicet Sacra Congregatio Rituum in Pennen. 12 aprilis 1603, et in Lauretana 6 septembris eiusdem anni iam resolverat, Vicarium Generalem praecedere debere omnes Dignitates et Canonicos, dummodo non sint ornati sacris paramentis et dummodo Vicarius non sit ex numero Dignitatum et Canonicorum eiusdem Ecclesiae, et velit tamquam Dignitas vel Canonicus in choro assistere distributiones quotidianas lucrandi gratia; quia tunc sedere debet in stallo seu loco suae Dignitatis vel Canonicatus. In Lauretana et Nolana 13 martii 1602 et 7 augusti 1628 decreverat, praecedentiam semper dandam esse super Dignitates et Canonicos Vicario Generali tam praesente, quam absente Episcopo. In Savonen. 26 decembris 1628 deciderat, Vicarium Generalem in publicis processionibus, absente vel praesente Episcopo, debere ultimo loco incedere inter Canonicos seu Dignitates, dummodo non adsit consuetudo in contrarium.

Exin etiam praefata Sacra Congregatio Rituum edixit, Vicario Generali deberi primum locum ac praecedentiam super primam et alias omnes Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis tam in choro, quam in processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis. In Pernambuc 4 aprilis 1745 mandavit, cum nullus pro Vicario Generali Episcopi determinatus sit locus, sed illum diversum obtineat, iuxta diversam consuetudinem Ecclesiarum, idcirco scribendum Episcopo, ut de suae respondeat Ecclesiae praxi. Nam et in Caeremoniali Episcoporum lib. 1 cap. 18 n. 13 et Cap. 31 n. 15 habetur haec exceptio generalis: – Vicario Generali dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum –.

habitum Notarii non participantis in diebus et functionibus, iuxta Decreta Sacrae Congregationis Rituum, et amplius –; sed in Thesauro Resolutionum Sacrae Congregationis haud Causa haec Oppiden. descripta legebatur. Quidquid tamen id esset, Protopapa asseruit, factam sibi fuisse potestatem iura sua iterum proponendi; ideoque proposito dubio: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 17 novembris 1725 quoad usum Mozzettae? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, in decisis et amplius – *in Oppiden. die 23 Septembris 1747.*

130. Nec aliter mandavit Sacra Congregatio, cum quaestio ageretur circa functiones parochiales et non parochiales; proposito enim dubio: – VIII. An et quomodo distinguendae sint functiones parochiales a non parochialibus in casu etc. –, respondit: – Ad septimum, Affirmative iuxta Decreta Generalia Sacrae Congregationis Rituum anni 1703 – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

131. Proposito hinc dubio:–III. An ad solum Praepositum Ecclesiae S. Petri Vasti privative spectet exercere in Ecclesia S. Mariae de Pinna omnia iura parochialia et functiones parochiales peragere Missas solemnes aliaque divina officia celebrare in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative quoad iura mere parochialia tantum, iuxta Decretum Sacrae Congregationis Rituum – *in Theatina die 15 Novembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

132. Similiter proposito dubio: – I. An Confraternitas Sanctissimi Sacramenti Terrae Bondeni habere debeat dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis, ita ut Parochus praeter ius parochiale habeat ius praeeminentiae et superioritatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, competere Parocho ius praeeminentiae in functionibus ecclesiasticis Confraternitatis ad formam resolutionis Sacrae Congregationis Rituum anni 1703 ad primum et secundum dubium (1); in aliis autem actibus eiusdem Confraternitatis posse Parochum habere praeeminentiam et superioritatem, quatenus eidem praesit ex delegatione Archiepiscopi – *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782.*

133. Proposito pariter dubio: – III. An onus inserviendi per dictos Capellanos diebus festivis et in omnibus Missis privatis pro Diacono et Subdiacono substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative; et serventur Decreta Sacrae Congregationis Rituum – *in Sorana Capellaniarum die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

134. Unde proposito dubio: – V. An Vesperae et Hora Tertia cantari debeant etiam in diebus ferialibus et non festivis de praecepto in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, servari Decreta Sacrae Congregationis Rituum – *in Suessana Tabellae Horariae et Servitii chori die 18 Augusti 1708 lib. 58 Decretorum.*

135. Demum, ceteris hic missis, proposito dubio: – An et quomodo solemnitas in honorem divi Peregrini quotannis habenda die 1 maii in eadem Ecclesia celebrari quoad ecclesiasticas functiones debeat in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative servata forma Decretorum Sacrae Congregationis Rituum et Constitutionum Synodalium; et amplius – *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

136. Si vero Sacra Congregatio Rituum contigentibus huiusmodi controversiis Decreta haud emiserit, vel si emiserit eadem per gratiam a Sacra Congregatione Concilii abrogata extiterunt, praefata Sacra Congregatio Concilii, revocata praedicta gratia ex falsis causis obtenta, partes ad laudatam Sacram Congregationem remittit *in Ianuen. Indulti die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

(1) Siquidem Sacra Congregatio Rituum die 10 decembris 1703 Urbis et Orbis, approbante Clemente XI die 12 ianuarii 1704 Constitutione *Ad debitum*, propositis dubiis: – I. An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? II. An dictae Confraternitates erectae in Capellis vel Oratoriis tum publicis, tum privatis, annexis parochialibus Ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones? –, respondit: – Ad utrumque, Affirmative salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis concordiis inter partes initis et a Sancta Sede approbatis, indultis Constitutionibus Synodalibus immemorabilibus vel saltem centenariis –.

137. Siquidem – Ecclesiam parochialem S. Iacobi de Curte seu de Castello sitam, ut asseritur, in loco nuncupato S. Margaritae, cl. me. Cardinalis Ioannes Baptista Spinula tunc Archiepiscopus Archipresbiterali Ecclesiae S. Margaritae eiusdem loci de anno 1666 in Visitatione subiecit, et licet sub die 6 maii 1674 illam in Praeposituram erigendo ab huiusmodi subiectione exemerit, sub die tamen eiusdem mensis maii processionem in solemnitate Sacratissimi Corporis Christi a dicta Ecclesia Archipresbiterali S. Margaritae ducendam esse speciali Decreto sanxit. Sed Rector ac Parochiani primodictae Ecclesiae S. Iacobi super iure peragendi praefatam processionem Sanctissimi Corporis Christi Sacram Congregationem Rituum consuluerunt, quae sub die 4 maii 1686 praemissum Archiepiscopi Decretum servandum esse, ac ius processionis Sanctissimi Corporis Christi dictae Archipresbiterali S. Margaritae privative competere respondit, commissa successive Archiepiscopo executione eiusdem Decreti, atque attentatorum interim commissorum purgatione. Adversus quas resolutiones iidem Rector et Parochiani S. Iacobi cum superiori anno audiri obtinuissent, quia deinde in Causae propositione Regionem de Curte, ubi praedicta eorum Ecclesia existit, a dicto loco S. Margaritae diversam esse supposuerunt, idcirco eadem Sacra Congregatio Rituum, dilata resolutione, Plantae Iudicialis elevationem alicui Iudici ecclesiastico, Partibus non suspecto, committendam esse scripsit. Omissa tamen Plantae confectione, Sanctissimum adeuntes Parochiani praefati rogarunt, ut Ecclesiam ipsam S. Iacobi veluti non in loco S. Margaritae, sed in diversa Regione de Curte sitam, cum iure potissimum faciendi dictam processionem Sanctissimi Corporis Christi in Archipresbiteralem erigere dignaretur, precibusque huiusmodi ad hanc Sacram Congregationem remissis, illa, ut tempore Sedis vacantis, solet, Vicario Capitulari pro informatione statim rescripsit, qui Parochianis dictae Ecclesiae S. Iacobi satis indulgens, vera esse per eos narrata, et dictos Parochianos S. Margaritae ad deducendum intra viginti dies iura sua in hac Sacra Congregatione monuisse supposuit. Ideoque Sacra Congregatio, attenta eiusdem Vicarii relatione, sub die 27 iunii superioris anni erectioni petitae indulgendum censuit. Archipresbiter autem et Parochiani dictae Ecclesiae S. Margaritae sese monitos non fuisse, et relationem praedictam Vicarii Capitularis valde suspectam esse ostendentes audiri obtinuerunt –.

138. Partibus itaque monitis et informantibus, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 27 iunii 1705? –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, ad Sacram Congregationem Rituum – *in Ianuen. Indulti die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum* (1).

139. Nedum enim Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad Sacram Congregationem Rituum controversias ob ius praeventionis remittit, sed et cum ipsae ad eam spectare videantur; propositis quippe dubiis: – I. An pertineat ad Capitulum Basilicae S. Antonini Placentiae canere Missam benedicere Populum cum Sanctissimo Sacramento facere officium mortuorum et alias functiones cum stola pluviali et aspersione aquae lustralis in celebratione officii mortuarii vel trigesimi in Ecclesia S. Mariae de Curtina, vel potius ad Capellanum piorum Operariorum Doctrinae christianae in casu etc. II. An Congregationi erectae in dicta Ecclesia S. Mariae in Curtina liceat celebrare vel celebrare facere per eius Capellanum omnes functiones non parochiales independenter a Parocho Ecclesiae Collegiatae in casu etc. –,

(1) Zambonius in verb. *Congregatio* §. V, n. 11 hanc resolutionem referens in nota 689 huiusmodi rationem tradit: – Ad quam Congregationem examen spectat de iuribus alterius Ecclesiae, quae novae Ecclesiae Archipresbiteralis erectioni adversatur –. At quis non videt, Zambonium haud potuisse errorem magis manifestum absurdumque effutire? Nam ad Sacram Congregationem Concilii praecipue spectat dismembratio ac erectio Ecclesiarum parochialium. Sane ob id Sacra Congregatio Concilii ad Sacram Congregationem Rituum, revocata merito dismembratione cum iure agendi processionem Sanctissimi Corporis Christi, Causam remisit, quia Sacra Congregatio Rituum quoad ius hoc iam manum apposuerat.

Hoc rursus animadvertere censuimus, ut, amice Lector, recorderis, quod pluries diximus, nempe impossibile esse cunctos notare errores, in quos passim etiam Doctores emunctae naris inciderunt, cum plenam non agnoverint sapientiam ac mirificam Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum disciplinam.

Sacra Congregatio respondit: – Ad Sacram Congregationem Rituum – *in Placentina Functionum ecclesiasticarum die 14 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

140. Quum itaque Regulares Monasterii divi Hieronymi Congregationis Olivetanae eiusque Abbates plura sibi iura arrogaverint, quae Parochus putabat sua iura laedere, proposito dubio: – IV. An Regulares dicti Monasterii possint Puerperis benedicere, et eiusdem Monasterii Abbates extra Monasterium Pontificalia exercere, in processionibus dictae Confraternitatis extra Monasterium mitram et baculum pastoralem deferre, campanas sacram supellectilem altaria etiam pro usu aliarum Ecclesiarum etiam secularium benedicere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, recurrant ad Sacram Congregationem Rituum – *in Ianuen. Iurium parochialium die 13 Iulii 1748.*

141. Proposito propterea dubio: – IX. An liceat Abbati Monasterii Stampensis Ordinis Cisterciensis non solum sacram supellectilem benedicere, in qua sacra unctio non adhibetur, sed etiam Altaria consecrare et alia vasa sacra, in quibus adhibetur sacrum chrisma, idque non tantum ad usum Ecclesiae proprii Monasterii, sed etiam ad usum aliarum Ecclesiarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, ad Sacram Congregationem Rituum; et amplius – *in Brixien. die 12 Decembris 1733.*

142. Qua de re cum Andreas aliique de Familia Trincana praetenderet cum aliis iuribus iuspatronatus Ecclesiae seu publici Oratorii sub nuncupatione trium Magorum siti intra fines Vicariae seu Parochiae loci Rezzonici regi consuetae per Patres Ordinis Praedicatorum, propositis dubiis: – III. An Curatus et Parochus ven. Conventus seu Ecclesiae Parochialis S. Mariae Rezzonici ibi valeat benedicere et distribuere candelas cineres et palmas? IV. An ibi possit facere benedictiones Mulierum post partum fontis baptismalis ignis seminis ovorum et similia? V. An etiam omnes functiones Hebdomadae Sanctae? VI. An dicto Parocho competat celebratio Missae solemnis feria quinta in Coena Domini et aliarum per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, in dicta Ecclesia? VII. An itidem expositio quadraginta horarum ac reliquiarum et sacrarum Imaginum et benedictio, quae cum eis fit super Populo? VIII. An etiam omnes et singulas processiones per annum? –, Sacra Congregatio respondit: – A tertio usque ad octavum inclusive, ad Sacram Congregationem Rituum – *in Comen. Iurium parochialium die 21 Augusti 1706 lib. 56 Decretorum.*

143. Proposito itaque dubio: – An liceat Parocho et Canonicis occasione funerum ingredi Ecclesiam Patrum Societatis Iesu cum stola et Cruce in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Sacram Congregationem Rituum – *in Tusculana Funerum die 16 Iunii 1703 lib. 53 Decretorum.*

144. Hinc et propositis dubiis:– XVIII. An laudibus et vesperis, quae solemniter celebrantur per Canonicos vel Dignitates Metropolitanae Ecclesiae Capuanae assistere debeant cum pluvialibus Hebdomadarii Presbiteri, vel potius novi Mansionarii Diaconi? *Et quatenus affirmative quoad Hebdomadarios Presbiteros.* XIX. An eadem assistentia praestanda sit Canonicis et Dignitatibus celebrantibus extra Cathedralem solemniter Missam Vesperas et Laudes, mercede soluta? XX. An, celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in Throno cum pluvialibus duo ex octo Mansionariis Diaconis? XXI. An Hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum stallum inter Hebdomadarios et legile nudum, dissentiente Capitulo? XXII. An Hebdomadarius faciens officium Presbiteri assistentis sit thurificandus ante Canonicos? – XXIII. An, celebrante Archiepiscopo, teneantur Canonici deferre Crucem et in die Epiphaniae annunciare Populo festa mobilia, vel potius utrumque teneantur facere Hebdomadarii arbitrio Archiepiscopi? XXIV. An, celebrante Canonico, teneatur alter ex Canonicis psalmos intonare tam in choro, quam in processionibus, vel potius teneantur intonare Hebdomarii? XXV. An in functionibus, in quibus Canonici non utuntur Mitra, teneantur ipsi Canonici canere in choro ex proprio stallo una cum Hebdomadariis in cantu Gregoriano, vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos Hebdomadarios et Mansionarios? XXVII. An translato ad diem non impeditam festo, in quo

celebrare Canonicus tenebatur, teneatur adhuc Canonicus celebrare in die translationis, vel potius onus celebrandi in Hebdomadarios possit refundi, mercede soluta? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum octavum cum reliquis usque ad vigesimum quintum inclusive et ad vigesimum septimum, ad Sacram Congregationem Rituum – *in Capuana die 17 Decembris 1735.*

145. Repropositis dein dubiis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius - *in Capuana die 28 Aprilis 1736* (1).

146. Unde proposito dubio: – III. An vigore indulti concessi ab Episcopo uti possint asserti Hebdomadarii Ecclesiae Cathedralis Castrimaris Almutia et insignibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, ad Sacram Congregationem Rituum – *in Castrimaris die 7 Iulii 1736.*

147. Proposito itaque dubio: – I. An Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Antonini tempore divinorum officiorum in choro teneantur ab eorum stallis descendere et una cum aliis Beneficiatis dictae Ecclesiae canere ad lectorile magnum situm in medio chori quicquid ibi cantandum occurrit etiam accedente ad dictum lectorile? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, ad Sacram Congregationem Rituum – *in Placentina Officii chori et Missae conventualis die 29 Martii 1710 lib. 60 Decretorum.*

148. Similiter proposito dubio: – An Canonici Cathedralis Pisaurensis, stante contraria consuetudine non interessendi nec in adventu nec in Quadragesima Missae de Sancto occurrenti, eo quod quotidie assistant Missae votivae cum litaniis de B. M. Virgine, teneantur non solum interesse dictae Missae votivae et de Feria, sed etiam Sancti occurrentis, vel potius sit toleranda contraria consuetudo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad Sacram Congregationem Rituum - *in Pisauren. Visitationis Sacrorum Liminum die 27 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

149. Proposito pariter dubio: II. – An Magister Caeremoniarum Capituli teneatur assistere Episcopo extra Cathedralem Ecclesiam seu Diaecesim? –, Sacra Congregatio respondit: – ad secundum, ad Sacram Congregationem Rituum – *in Murana Assistentiae die 28 Ianuarii 1673.*

150. Quum itaque Episcopus Bobiensis declarationem petierit praesertim quoad celebrationem Missarum Pontificalium et erectionem baldachini in Ecclesiis Regularium,

(1) Re itaque delata ad Sacram Congregationem Rituum, propositis dubiis: – I. An Laudibus et Vesperis, quae solemniter celebrantur per Canonicos vel Dignitates, assistere possint cum pluvialibus Hebdomadarii Presbiteri, vel potius novi Mansionarii Diaconi? *Et quatenus affirmative quoad Hebdomadarios Presbiteros.* II. An praedicta assistentia praestanda sit Canonicis et Dignitatibus celebrantibus extra Cathedralem solemniter Missam Vesperas et Laudes, mercede soluta? III. An, celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in throno cum pluvialibus duo ex duodecim Hebdomadariis Presbiteris cum duobus Mansionariis Diaconis, vel potius quatuor ex octo Mansionariis Diaconis? IV. An Hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum stallum inter Hebdomadarios et legile nudum, dissentiente Capitulo? V. An Hebdomadarius faciens officium Presbiteri assistentis sit thurificandus ante Canonicos? VI. An, celebrante Archiepiscopo, teneantur Canonici deferre Crucem, et in die Epiphaniae annuntiare Populo festa mobilia, vel potius utrumque teneantur Hebdomadarii arbitrio Archiepiscopi? VII. An celebrante Canonico teneantur alter ex Canonicis psalmos intonare tam in choro, quam in processionibus, vel prius intonare teneantur Hebdomadarii? VIII. An in functionibus, in quibus Canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi Canonici canere in choro ex proprio stallo una cum Hebdomadariis in cantu Gregoriano, vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos Hebdomadarios et Mansionarios? IX. An translato ad diem non impeditam festo, in quo celebrare Canonicus teneatur, adhuc Canonicus celebrare debeat in die translationis, vel potius onus celebrandi in Hebdomadarios possit refundi, soluta mercede? –, Eadem Sacra Congregatio Rituum, visis iuribus hinc inde deductis, et tam voce, quam in scriptis Partibus informantibus auditis, rescribendum censuit: – Ad primum, servetur Decretum Archiepiscopi. Ad secundum, Affirmative Canonicis capitulariter accedentibus. Ad tertium, Hebdomadarios non teneri. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Affirmative ad primam partem deposita mitra –. Sed Canonici Metropolitanae instantibus, fuit concessa nova audientia; hinc respondit: – Quoad secundam, servetur solitum; nempe quod Canonici teneantur annuntiare festa mobilia. Ad septimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad octavum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad nonum, Canonicos non teneri, nisi dies translationum habeantur pro festivis in Metropolitana –. Et ita decrevit, et servari mandavit die 3 augusti 1737–.

Sacra Congregatio petitionem huiusmodi remisit ad Sacram Congregationem Rituum *in Bobien. die 16 Martii 1630.* (1)

151. Idcirco etiam controversiam quoad Magistratum Civitatis, qui Episcopo accedenti ad ecclesiastica munia obeunda comitari recusabant, Sacra Congregatio remisit ad Sacram Congregationem Rituum *in Liparen. die 10 Maii 1631* (2).

152. Hinc Sacra Congregatio, licet ipsa passim resolvat huiusmodi controversias, quae etiam praecedentiam respiciunt, pluries tamen attentis rerum circumstantiis ad Sacram Congregationem Rituum earumdem decisionem remittit *in Aquilana die 5 Februarii 1604.*

153. Quod si de quaestionibus res sit, quae ad immunitatem ecclesiasticam referuntur, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum eas ad Sacram Congregationem super controversiis iurisdictionalibus remittit (3); quandoquidem quum Balivus sine Episcopi confirmatione iurisdictionem exerceret, praefata Sacra Congregatio rem detulit ad Sacram Congregationem super controversiis iurisdictionalibus seu immunitatis *in Liparen. die 10 Maii 1631.*

154. Hinc ad tuendam immunitatem ecclesiasticam petiit et obtinuit quidem Episcopus Maceratensis declarari, non posse directe neque indirecte Ecclesiasticos impedire, quominus venderent et extraherent, non autem ex Statu Ecclesiae neque mari, frumenta aliosque suos proventus, neque posse Exactores Camerales exequutiones reales et personales facere in Ecclesiasticos

(1) Id tamen iam fuerat decisum in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium die 10 iunii 1603 de speciali et expresso mandato Clementis VIII hisce verbis: – Decet Episcopis pro eo, quo in Ecclesia Dei excellunt dignitatis gradu in quocumque suarum Diaecesum loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere aut in Pontificalibus adesse et assistere contingit, eam, quae par est, reverentiam et honorem, decoro cultu et ornatu exhibere. Quare non sine animi dolore auditum est, nonnullos Regulares, vano quarumdam immunitatum et privilegiorum praetextu, Episcopis in eorum Ecclesiis in Pontificalibus interessentibus non modo renuisse in eis supra locum Episcopalis Solii baldachinum erigere, verum id etiam iussu ipsorummet Episcoporum curantes prohibere et arcere ausos fuisse; atque ideo Sacra Congregatio S. R. E. Card. negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, facto verbo cum Sanctissimo Domino Nostro Papa Clemente VIII ac de Sanctitatis suae speciali et expresso mandato, hoc praesenti Decreto perpetuis futuris temporibus valituro, declarat statuit decernit et mandat, ut de cetero Episcopi, ubi tam ex consuetudine et privilegio, quam ex Sacrorum Canonum Constitutionibus et Pontificalis Romani praescripto, aut alio iure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum mitra vel etiam sola cappa indut; in quibusvis Regularium, tam Mendicantium, quam Monachorum etiam Cassinensium Clericorum Presbiterorum et cuiusvis alterius Ordinis et Religionis Militiae Societatis aut Congregationis Ecclesiis interesse possunt, ipsi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi et debeant in loco ad solium Episcopi constituendum opportuno et congruo baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus aut nolentibus, liceat eisdem Episcopis illud asportari, et in quacumque eorumdem Regularium aut alia quantumvis exempta Ecclesia, ut supra Episcopale solium seu Pontificale Faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere et stare quemadmodum in propriis et Cathedralibus eorum Ecclesiis stare et sedere solent, eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales huiusmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui vero Regularium huic declarationi statuto decreto et mandato inobedientes et contumaces fuerint, sciant, se ab eisdem Episcopis ad id per censuras et poenas ecclesiasticas huius Decreti virtute cogi et compelli posse, aliisque poenis tam spiritualibus, quam temporalibus arbitrio Summi Pontificis Romani subiacere et obnoxios fore, non obstantibus quibuscumque etc. Romae 10 iunii 1603 –.

(2) Nam praefata Sacra Congregatio Rituum iam in Narnien. 16 iunii 1605 et in Civitatis Castelli 29 novembris 1618 decreverat, Magistratum Civitatis cogi posse solitum obsequium Episcopo accedenti ad Ecclesiam praestare, et iuxta solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem in diebus solemnibus et tempore Adventus et Quadragesimae.

(3) Sacra Congregatio haec super immunitate ecclesiastica et controversiis iurisdictionalibus praeposita instituta fuit ab Urbano VIII. Card. De Luca in disc. 17 et disc. 3 n. 1 miscell. eccles. tradit, munus huius Congregationis proprium et praecipuum esse protegere et defendere iurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam tam personalem, quam localem et realem, ne illa usurpetur a Magistratibus secularibus, neve a vectigalium aliorumque onerum localium Exactoribus gravetur.

Summi Pontifices plurimas ad tuendam conservandamque immunitatem ecclesiasticam et in controversiis iurisdictionalibus Constitutiones ediderunt, quas summarie Guerra in Epitome Bullar. Rom. tom. 3 pag. 69 et seqq. recenset. Card. De Luca in disc. 19 n. 14 et 15, Shimier in ius can. univ. lib. 1 tract. 5 cap. 2 sect. 4, et Plettenberg in Not. Congreg. cap. 20 n. 2 plura super huiusmodi Congregatione referunt; atque Andreas Ricci edidit synopsim complectentem Decreta et Resolutiones Sacrae Congregationis Immunitatis super controversiis iurisdictionalibus.

absque Episcopi facultate et licentia; sed petitionem, ut a temporali Superiorum sub-Gubernatorum Satellitum Capitaneo daretur una vice pro cunctis licentia, ut requisitus de brachio seculari suum praeberet officium absque alia licentiae petitione, et sine causae cognitione ab Ordinario facienda, Sacra Congregatio Concilii ad Sacram Congregationem super controversiis iurisdictionalibus remisit *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664.*

155. Similiter Sacra Congregatio Concilii censuit, recurrendum esse ad Sacram Congregationem Immunitatis pro licentia ad effectum habendi depositiones degentium in Xenedochiis, quae a Seculari Iudice requiruntur *in Nicien. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Augusti 1677.*

156. Quum autem de controversiis agitur, quarum resolutio, attentis rerum circumstantiis, ad Sacram Congregationem de propaganda fide (1) praecipue spectat, ad eamdem illas Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum remittit; siquidem eversis rabie haereticorum Episcopatus Misnensis reditibus, speciali pacto inter augustissimos Germaniae Imperatores et serenissimos Electores Saxoniae cum consensu Sedis Romanae conventum fuit, ut illius Episcopatus administratio atque ecclesiastica iurisdictio in Catholicos, qui in utraque Lusatia supererant, tribueretur Capitulo Civitatis Budissimae, data eidem facultate Capitularem eligendi, qui Vice-Episcopi iurisdictionem exerceret, atque ita eo usque observatum erat. Cum autem intra fines Diaecesis huius Episcopatus duo essent Cisterciensis Ordinis Monasteria, virorum alterum, quod nuncupabatur Neo-Cellense, alterum sacrarum Virginum, quod dicebatur S. Mariae Stellensis, Abbas Monasterii Neo-Cellensis Episcopalia iura et simul Parochialia sibi vindicavit, et in detrimentum Ecclesiae Misnensis eiusque Administratoris a Capitulo Budissinae Civitatis electi eo usque exercebat. Abbatissa vero sive Praefecta Monasterio Stellensi exemplum sequuta, exemptionem atque immunitatem obtendens ab Episcopi iurisdictione, Sacerdotem Regularem eiusdem Ordinis Cisterciensis praefecit Capellae, quae erat in Pago Rosenthall, ut in ea, quae Patronalis dicebatur, Sacramenta omnia ministraret. Querelas equidem contra Abbatem atque Abbatissimam proposuerunt apud Nuncios Apostolicos, qui Viennae erant. Administratores Episcopatus Misnensis et praesertim anno 1728, quo monitus fuit Abbas Neo-Cellensis, et in ius vocatus, tanta Iudicis humanitate, ut data fuerit ab eo ad Abbatem epistola anno 1729, qua hortabatur, ut si quae haberet iura ad possessionem actuum, quos gerebat, tuendam, ederet; et Causae cognitorem eligeret, qui staret in Iudicio apud Nuncium. Omnia vero in irritum cesserunt, et satius putavit idem Iudex Administratorem monere, ut Sacram Congregationem de Propaganda Fide adiret, quod factum fuit ab eodem. Placuit tamen Eminentissimis Patribus, qui in illa erant Congregatione, rem ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum deferre.

157. Propositis vero dubiis: - I. An Patres Cistercienses Monasterii Neo-Cellensis possint audire confessiones Secularium aliaque Sacramenta intra vel extra eorum Ecclesiam eis administrare absque approbatione et respective licentia Administratoris Episcopatus Misnensis in casu etc. II. An liceat eisdem Patribus assistere Matrimoniis catholicorum absque licentia dicti Administratoris, vel saltem Parochorum Matrimonia ineuntium in casu etc. III. An licitum sit eisdem Patribus seu P. Abbati Neo-Cellensi dispensare super impedimentis Matrimonii in casu etc. IV. An cognitio Causarum, quae sunt de foro ecclesiastico in Territorio Neo-Cellensi spectet ad dictum Administratorem eiusque Consistorium, seu Tribunal Budissinense privative quoad Abbatem in casu etc. V. An cura et regimen Monasterii Monialium S. Mariae Stellensis privative spectet ad dictum Administratorem, seu potius ad dictos Patres Cistercienses in casu etc. *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* VI. An et a quo deputandi et respective approbandi sint Confessarii earum-

(1) Congregationem hanc instituit S. Pius V, in qua de convertendis gentilibus ageretur, quaeque postea de propaganda fide dicta est; et maximo totius Christianae Reipublicae bono sub Gregorio XV Urbano VIII aliisque Pontificibus amplificata et aucta.

dem Monialium in casu etc. VII. An Sacerdotes sive Seculares, sive Regulares, possint audire confessiones Secularium, aliaque Sacramenta eis administrare in Ecclesia dicti Monasterii Stellensis sine approbatione et respective licentia Administratoris in casu etc. VIII. An translatio alicuius festi Fori in aliam diem ex causa rationabili dispensatio in aesu carnium, aut alicuius devotionis indictio, nec non promulgatio Iubilaei, et Indulgentiarum fieri debeant tam in Ecclesia Monasterii Neo-Cellensis, quam in altera Monasterii Stellensis de sola licentia et mandato Administratoris in casu etc. IX. An Patres Cistercienses et respective Moniales Stellenses teneantur recipere Edicta sive mandata et respective Bullas Indulgentiarum e manibus dicti Administratoris, eaque publicare in eorum Ecclesiis, et quibus poenis sint plectendi in casu retinentiae et inobedientiae in casu etc. X. An curae et regimini Capellae S. Mariae in Rosenthall praefigendus et praeponendus sit Presbiter seu Capellanus secularis, vel potius Religiosus Ordinis Cisterciensis in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* XI. An Capellanus ille Curatus debeat esse perpetuus et installatus, vel potius amovibilis ad nutum Abbatissae in casu etc. XII. Et quatenus praeponi possit seu praeponeretur Capellanus Religiosus dicti Ordinis Cisterciensis, an hic approbandus sit a dicto Administratore pro exercitio dictae curae et administratione Sacramentorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide - *in Misnen. Iurisdictionis die 16 Ianuarii 1745.*

158. Si vero res sit de controversiis in rebus fidei vel iis, quae ad fidem referuntur, has Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad Sacram Congregationem Inquisitionis universalis seu S. Officii (1) remittit; siquidem - in Visitatione sacrorum Liminum, quam per Nuncium de anno 1706 peregit Archiepiscopus Cranganorensis ex Indiis Orientalibus, bina postulata huic Sacrae Congregationi resolvenda transmisit. Primum est, quod nonnulli sunt, qui ordinantur in Presbiteros et postea in Episcopos ab Episcopis schismaticis simul et haereticis Nestorianis, quales sunt omnes schismatici illius Provinciae Serrae Malabarum; quocirca quaesivit, an tales Presbiteri habendi sint pro veris Presbiteris et tales Episcopi pro veris Episcopis, cum ceteroquin praxis illius Archiepiscopatus obtineat, ut non censeantur pro talibus, adeoque si accidat, ut aliquis ex Sacerdotibus schismaticis revertatur ad gremium Catholicae Ecclesiae soleat de novo ordinari: ducta fortasse huiusmodi praxi, ex eo quod tres illi Episcopi, qui tempore Lusitanorum venerunt ad regendam illam Ecclesiam revera Episcopi non erant, unus quippe eorum, qui captus ob haeresim a Lusitanis ductusque Romam iussu s. m. Sixti V. examinatus, inventus est nec Episcopus, nec Sacerdos. Alter vero similiter deprehensus ob haeresim, ac iussu s. m. Pii IV examinatus, inventus est, fuisse invalide ordinatum, sicque ordinatus fuit de novo a prima Tonsura usque ad Sacerdotium. Tertius tandem, qui ex eadem causa captus, sed morte interceptus, antequam Pontifici sisteretur, dubium reliquit, an fuisset vere Episcopus, aut Sacerdos; proindeque idem Archiepiscopus stat pro Ordinum reiteratione. Alterum est, quod in Christianitate Serrae plerique reperiuntur Sacerdotes foedissima libidine aliisque flagitiis usque ad vulnera et caedes ita coinquinati, ut atrociorum criminum rei se faciant et scandalo sint tum Christianis, tum Gentilibus, qui tamen uti personae nobilissimae, iuxta morem illius Regionis, nequeunt coerceri poenis corporalibus carcerum vel compedum, cuiusmodi practicatur cum aliis vilis conditionis, nec quidem poenis spiritualibus censurarum, quas sane, utpote qui Dei timorem amiserunt, non reformidant. Unum itaque superesset remedium depositionis verbalis et realis, sed neque illud est ad praxim reducibile, cum desint in illa Provincia Epi-

(1) Primus fuit Paulus III, qui Constitutione *Licet ab initio* 21 iulii 1542 Bullar. Rom. tom. 4 part. 1 pag. 211 Congregationem hanc sex Cardinalibus constantem instituit, cui Pius IV Motu Proprio *Cum nos* duos addidit Cardinales ac declaravit, quod maior pars eorum decerneret, valide statutum censeretur; idque confirmavit S. Pius V, ut Bullar. Rom. part. 2 pag. 327. Tandem Sixtus V in Constitutione *Immensa* 22 ianuarii 1588 Bullar. Rom. tom. 4 part. 4 pag. 393 nedum eamdem confirmavit, sed et amplissime auxit.

scopi Abbates desitque Capitulum ac Personae in ecclesiastica dignitate constitutae, ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini cap. 4 sess. 13 de reformatione. Ultra quod iidem perversi Sacerdotes, etiamsi citentur, non sint comparituri, neque subsit modus eos per vim pertrahendi ad Tribunal Archiepiscopi, qui idcirco humillime exorat, ut ibi aliquis modus practicabilis in ea Regione praescribatur deveniendi ad validam degradationem. Propositis huiusmodi precibus sub die 13 augusti proxime praeteriti, demandatum fuit, ut Causa poneretur in folio –.

159. Proposito hinc dubio: – An et quomodo in praemissis sit consulendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Sacram Congregationem S. Officii – *in Cranganoren. Visitationis Sacrorum Liminum die 9 Iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

160. Idcirco cum ad Praebendam graduatam Theologicam nuncupatam in Ecclesia Cathedrali Gandavensi nominatus electus Lambertus Baerts, quem Episcopus supponebat non sanae doctrinae, proposito dubio: – An nominatio ad Praebendam Theologicam in Cathedrali Gandavensi facta per Archipresbiterum Ioannem de Ooms sub die 5 aprilis 1704 in personam Lamberti Baerts sit irrita et nulla ob incapacitatem personae nominatae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Sacram Congregationem S. Officii – *in Gandaven. Praebendae Theologicae die 5 Septembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

161. Qua de re cum Episcopus Vasionensis sciscitatus fuerit de Matrimoniis inter Catholicos et Hereticos contrahendis, Sacra Congregatio rem ad Sacram Congregationem S. Officii remisit *in Vasionen. Visitationis Sacrorum Liminum die 25 Augusti 1637.*

162. Unde post plures controversias inter Episcopum Burgi S. Sepulchri et Abbatem Monasterii S. Mariae de Balneo Ordinis Camaldulensis exortas ac extinctas, alia exarsit occasione Visitationis ab Episcopo peractae, qua prohibuit praefato Abbati, ne attestationes traderet super statu libero nubere volentium; sed proposito dubio: – I. An licitum sit Abbati S. Mariae in Balneo eiusque Vicario dare attestationes super statu libero nubentium, praevio examine Testium in eius cancellaria? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, ad Sacram Congregationem S. Officii – *in Burgi S. Sepulchri Iurisdictionis die 20 Septembris 1698 lib. 48 Decretorum.*

163. Similiter cum Episcopus Comensis quaerelas detulisset super praetenso usu excessivo facultatum, quas exercebat in sua Diaecesi Commissarius Nuntiaturae Lucernae, proposito inter alia dubio: – VI. An reverendissimus Nuncius Apostolicus apud Helvetios possit concedere licentiam retinendi et legendi libros Haereticorum, seu alios quomodolibet prohibitos? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Sextum, ad Sacram Congregationem S. Officii – *in Comen. Iurisdictionis 26 Februarii 1707 lib. 57 Decretorum.*

164. Demum ad Sacram Congregationem S. Officii Sacra Congregatio remisit preces Episcopi Canariae, qui petiit facultatem pro tribus Provincialibus Ordinum Regularium S. Dominici S. Francisci et S. Augustini nec non eiusdem Vicario Generali Sacramentum confirmationis administrandi *in Canarien. die 30 Maii 1676.*

165. Quum autem agitur de quaestione, quae in facto versatur, ac ea propter necessaria quomodocumque censetur instructio rei processualis, ut rei veritas detegatur, Sacra Congregatio illam remittere solet ad Iudices suos *in Ianuen. Legitimitatis die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum.*

166. Iamvero – Robertus Spinula amore captus Mariae Theresiae filiae Horatii Gavi viri divitis bonaeque conditionis et famae, ob eiusdem conditionis disparitatem, clam cum ea Matrimonium contraxit, et ad evadendam indignationem Camillae Cataneae matris ac Ioannis Baptistae Lercarii Ducis Ianuae eius consanguinei, neve destitueretur spe illis succedendi, post aliquot annos clericalem habitum assumpsit dictamque Mariam Theresiam Monasterium Mantuae ingredi curavit, ut post obitum dictorum Matris et Consanguinei eam reassumeret ac Matrimonium palam faceret. Duo ex hoc coniugio orti sunt filii, nempe Ioannes Camillus iam defunctus, et Alexander ad praesens Religiosus Carmelita sub nomine Patris Magistri Roberti, qui vigore depositionis nonnullorum Testium ac declarationis ab eius Patre in codicillis emissae super sua et fratris defuncti legitimitate

ac naturalitate immissionem obtinuit super quibusdam domibus fideicommissariis dicti quondam Ioannis Baptistae Lercarii, ut constat ex sententia Rotae Civilis Ianuensis per manus EE. VV. circumferenda. Ne autem unquam de sui legitimitate dubitari contingat, supplex Orator petiit a Sanctissimo Domino Nostro declarari, se esse legitimum et naturalem, precibusque ad Sacram Congregationem remissis, datae fuerunt Literae ad Archiepiscopum pro informatione, qui, auditis interesse habentibus, una cum suo favorabili voto, retulit, exposita omnia verificari. Unde monitis et non opponentibus iisdem interesse habentibus, dignentur EE. VV. sapientissime de more decernere: – An constet de legitimitate in casu etc. – Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad Iudices suos – *in Ianuen. Legitimitatis die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum* (1).

167. Si itaque ipse Auditor Sanctissimi Causam remittat ad Sacram Congregationem, quin ratio huiusmodi remissionis subesse videatur, antequam Causam resolvat, eam rescire merito censet *in Neapolitana praetensae Simoniae die 13 Augusti 1718.*

168. Siquidem quum instrumentum stipulatum inter Damianum Mastrota Sacerdotem et Michaelem Serranum et Lucretiam eius Uxorem subsellia Iudicum Romanae Curiae defatigaverit, et R. P. Balestra Iudex confidentiarum censuerit, in dicto instrumento veram adfuisse simoniam, idque fuerit confirmatum in Congregatione Criminali Emi Urbis Vicarii, subinde tamen retractatum extiterit in Congregatione Criminali A. C., sed Congregatio Criminalis Gubernii A. C. sententiam infirmaverit, et postremo huius eiusdem Causae examen ad Sacram Congregationem Concilii in quinta instantia remissum fuerit ab Auditore Sanctissimi, propositis dubiis: – An constet de simonia in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et in quas poenas incurrerit Mastrota in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata et ad mentem (2) – *in Neapolitana praetensae Simoniae die 13 Augusti 1718.*

169. Imo etiam ex peculiaribus facti circumstantiis Sacra Congregatio remittere solet Causam ad Iudices suos, non obstante, quod ad ipsam pertineat illius cognitio, neque etiam attenta remissione ad eamdem facta per Summum Pontificem *in Ianuen. Nullitatis Matrimonii die 14 Novembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

170. Siquidem – post lapsum decem et septem annorum a die contracti Matrimonii inter nobiles Leonardum Cataneum et Hieronymam Serram, sequuta tandem concordi separatione thori, Hieronyma iudicium nullitatis instituit in Curia Archiepiscopali ex capite notoriae et perpetuae impotentiae Viri, datoque eidem Hieronymae iuramento, septima manu coniunctorum comprobata su-

(1) Compertum enim est, Innocentium XII in Decreto incipien. *Ut debitus*, relato a Guerra in Epit. Bullar. Roman. tom. 1 pag. 398, declaravisse, quod causae contentiosae seu negotia, quae formam et ordinem iudiciarium requirunt, regulariter in Congregatione Concilii aliisque Cardinalium Congregationibus cognosci nequeunt; nec non Causas contentiosas eas esse decrevisse, in quibus necessarius est processus iudicialis, aut fieri debent probationes, parte citata, sive mediante iurium et instrumentorum productione ac reproductione, sive mediante examine Testium in Curia, sive mediante expeditione literarum remissorialium vel compulsorialium facienda, aut si interponendum sit aliquod Decretum iudiciale, sublata idcirco iisdem Congregationibus earumque Praefectis ac Secretariis omnibusque aliis facultate causas praedictas reassumendi adversus Iudices ordinarios vel quovis modo iudicialiter procedendi. Quod si secus fuerit factum, omnia acta resolutiones ac Decreta ipso iure nulla perinde ac si non emanassent extitura declarantur. Si vero Partes expresse et in scriptis consentiant, in eodem Decreto statuitur, in iisdem Congregationibus Causas posse agitari ita tamen, ut etiam in foro hoc casu acta et processus probatorii coram Ordinariis Iudicibus fiant, a quibus deinde ad easdem Congregationes remittantur, sola Congregatione Boni Regiminis pro exactione onerum Communitatum excepta. Indecorum enim est, dignitatem Cardinalium inter forenses strepitus versari.

Qua de re Benedictus XIII huiusmodi prohibitionem abstinendi ab examine Causarum, quae iudicialem ordinem postulant, renovavit per organum Secretariae Status sub die 17 aprilis 1728 hoc Decreto: – Sanctissimus Dominus Noster per organum Secretariae Status iussit, per Sacram Congregationem non amplius recipi nec agnosci Causas contentiosas tam civiles, quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes, secundum Bullas 53 Sixti V et Innocentii XII, quas omnino servari mandavit –.

(2) Mens autem fuit, ut Secretarius alloqueretur cum Auditore Sanctissimi ad effectum dignoscendi, ex quo motivo praesens Causa videri debeat in Sacra Congregatione, *ut in lib. 68 Decretorum pag. 200.*

per eadem impotentia, deventum fuit ad deputationem quatuor Peritorum pro habenda recognitione Viri, qui in ipso actu recognitionis ingenue fassus fuit, se spatio tanti temporis numquam ad Matrimonii consummationem devenire potuisse. Post haec Hieronyma instetit pluries coram Vicario pro termini praefixione ad hoc, ut Leonardus vir opportunis medelis et curationibus allegatum ab ipso impedimentum et a Peritis recognitum removeret, sed Vicario desuper non interloquente instetit declarari, impedimentum sine evidenti periculo vitae eiusdem Leonardi removeri non posse. Verum reiteratis pluribus instantiis et Vicario pariter non interloquente, Hieronyma adhaerendo appellationi interpositae per Leonardum virum recursum habuit ad Sanctissimum, pro opportuno iuris remedio, precibusque ad hanc Sacram Congregationem remissis, auditus fuit Archiepiscopus asserens, Causam adhuc pendere indecisam in eius Tribunali, a quo ante definitivam avocari non debere, ita praesertim instante eodem Leonardo. Sed praetendente e converso Hieronyma, tum ob appellationes a Viro interpositas, quibus ipsa adhaesit, tum ob dilatam Causae Matrimonialis expeditionem ultra spatium unius anni cum dimidio, tum ob denegatam in pluribus instantiis iustitiae subministrationem, tum denique in vim Rescripti Sanctissimi Domini Nostri Causam uti ad S. Sedem legitime devolutam cognoscendam esse in hac Sacra Congregatione. Hinc suspensa meritorum discussione, proponitur hodie praeliminaris articulus, utraque Parte monita et informante, examinandus –.

171. Proposito itaque dubio: – An Causa sit remittenda ad Curiam Archiepiscopalem, vel potius cognoscenda in Sacra Congregatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Remittendam esse Causam ad Curiam Archiepiscopalem, praefixo termino trium mensium ad eam expediendam – *in Ianuen. Nullitatis Matrimonii die 14 Novembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

172. Quin imo licet ipse Summus Pontifex Causam ad Sacram Congregationem Concilii, quae tamen ad eamdem ex particularibus facti circumstantiis haud spectat, remittat ad exemplaritatem articuli, Sacra Congregatio non obstante huiusmodi speciali remissione eam ad Iudices suos reiicit *in Dubia Pensionum et Congruae die 17 Novembris 1696 lib. 46 Decretorum pag. 389.*

173. Enimvero – introducta fuit novissime in aliquibus Urbis Tribunalibus praxis liberandi Titulares ab obligatione personali solvendi pensiones per liberam dimissionem fructuum favore Pensionariorum, reservato tamen ipsis Titularibus iure consequendi super eisdem fructibus congruam conciliarem vel alimentariam praelative quoad ipsas pensiones; idque non obstante vel propria obligatione Titularium de solvendo pensiones, etiam iuramento et obligatione Camerali vallata, vel diuturna quasi possessione illas solvendi et exigendi respective. Sub praetextu autem, quod huiusmodi praxis praeseferat inevitabile excidium omnium pensionum, quodque illa adversetur omnibus iuris regulis exceptionem congruae, ad iudicium ordinarium et petitorium reiicientibus, ex eo quia interim in iudicio executivo et possessorio Ecclesia praesumenda sit capax utriusque oneris, pensionis scilicet et congruae Pensionarii, recursum habuerunt ad Sanctissimum Dominum Nostrum pro valida et opportuna provisione. Cumque aequum visum fuerit Sanctitati Suae super articulo plurimum gravi et exemplari consilium huius Sacrae Congregationis exquirere; hinc concordata fuerunt inter Partes infrascripta dubia, super quibus summae erit EE. VV. iustitiae et prudentiae, Partibus hinc inde monitis et informantibus, decernere: – I. An sit locus dimissioni fructuum per Titulares ad commodum Pensionariorum in casibus, de quibus agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An prius sit solvenda pensio vel congrua et in qua quantitate et moneta ista sit taxanda? III. An et quae obventiones et emolumenta in eamdem congruam sint imputanda? –, Sacra Congregatio respondit: – Omnia ad Iudices suos – *in Dubia Pensionum et Congruae die 17 Novembris 1696 lib. 46 Decretorum pag. 389.*

174. Alias quippe Sacra Congregatio denegavit commissionem Episcopo cognitionis Causae nullitatis Ordinis Subdiaconatus ex asserto vi et metu Patris suscepti, non constito de allegatis vi et metu ex sola informatione Episcopi *in Treien. Nullitatis Ordinis Subdiaco-*

natus die 14 Novembris 1693 lib. 43 Decretorum.

175. Literae autem seu expeditiones emanantes a Sacra Congregatione Concilii, quibus eadem Sacra Congregatio solita est suas resolutiones significare atque transmittere extra Curiam Romanam, non indigent Brevi Apostolico vel Bulla Pontificia ad hoc, ut exequutioni mandentur. Ita SSmus declaravit et mandavit dari literas Nuncio Apostolico Hispaniarum, ut hoc Regi testaretur ac iis, quibus opus esset *in Oxomen. die 14 Februarii 1577 ad Cap. 1 sess. 5 de Reformatione Posit. 1 pag 134* (1).

176. Hinc praedictae expeditiones Sacrae Congregationis Concilii pro exequutione Emo Urbis Vicario dirigendae de mandato Sanctissimi sunt concipiendae cum verbo – remisit – loco verbi – commisit – *in Urbis die 18 Martii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 44.*

177. Expeditiones itaque a Curia Romana emanantes et Officiali Archiepiscopi Tolosani directae ex illarum partium instituto ita sunt intelligendae, ut, quae iurisdictionis voluntariae sunt, censeantur commissae Vicario contentiosae Officiali *in Tolosana anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 70.*

178. Commissiones autem relaxatae in genere absque expressione certi articuli iuris, super quo cognoscendum est, nunquam comprehendunt interpretationem Decretorum Sacri Concilii Tridentini, et per hoc in eis addenda est clausula – dummodo non agatur de interpretatione Concilii –: ita respondit Sanctissimus, audita sententia Sacrae Congregationis *in Dubium die 7 Iunii 1674 ad cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

179. Unde commissio dispensationis obtentae super irregularitate potest exequutioni demandari ab Ordinario, cui est directa a Sede Apostolica etiam dispensato absente a sua Diaecesi *in Handegaven. Dispensationis die 27 Februarii 1666 lib 25 Decretorum pag. 55.*

180. At Episcopi haudquaquam exequi possunt commissiones, gratiam vel iustitiam concernentes, Vicariis Generalibus demandatas *in Dubium die 17 iunii 1617 Posit. 89 pag. 1064 ad cap. 10 sess. 24 de reformatione.*

181. Hinc multo minus commissiones directas Canonicis habentibus Coadiutorem exequi possunt Coudiutores, absente Coadiuto *in Aretina die 16 Septembris 1649 lib. 18 Decretorum pag. 676.*

182. Commissiones itaque, quae Ordinariis locorum aliisque etiam S. R. E. Cardinalibus diriguntur pro exequutione gratiarum, quae in et a S. Congregatione conceduntur Regulari-

(1) Unde in puncto haec etiam Fagnanus tradit in Cap. *Quoniam* de Constit. n. 41: – Ut autem Declarationes debitae executioni demandentur, Sacra Congregatio non solum praecipere consuevit, sed etiam in contumaces et refractarios animadvertere poenis et censuris ecclesiasticis. Et a Secretario Brevium passim expediuntur Literae Apostolicae, et ab Auditore Camerae monitoria pro observatione Declarationum a Congregatione editarum. Quas itidem Episcopi et Sedis Apostolicae Nuntii, quin et S. R. E. Cardinales, et de latere Legati suscipiunt et exequuntur. Imo cum olim Alphonsus provisus de Canonicatu in Ecclesia Oxomensi, qui ab Episcopo erat electus pro Theologo, obtinuisset declarari a Sacra Congregatione, quod Decretum cap. 1 sess. 5 non comprehendat Praebendas Sedi Apostolicae reservatas, opponebatur apud Auditores Regii Consilii, quod de tali declaratione, aut per Breve sub annulo Piscatoris, aut per Bullas plumbeas constare deberet, ideoque Alphonsus adiit Sacram Congregationem pro remedio. Congregatio parva censuit, referendum Sanctissimo, si velit, Nuncium curare, ut Literae Card. S. Sixti mittantur executioni, prout in aliis, an velit concedere Breve, ut Literis illis fides praestetur, die 14 Februarii 1577 Sanctitas Sua dixit, quod scribantur Literae ad Nuncium, ut testetur Regi et cui opus erit, quod Decreta Sacrae Congregationis Concilii solita sunt significari solis Literis; et ita hactenus exequntae sunt semper, nec opus esse Breve. Congregatio parva censuit post vero, Literis addenda esse haec verba, scilicet Card. S. Sixti –.

Ceterum cum agitur de resolutionibus, quas Sacra Congregatio *iuris ordine servato*, auditis hinc inde formiter Partibus quamlibet agentibus controversiam, Card. De Luca in part. 2 Relat. Rom. Cur. n. 19 probe monet, Sacram Congregationem suis resolutionibus exequutionem haud praestare, sed ad Iudices Ordinarios ac Tribunalia contentiosa ecclesiastica et competentia id spectare. Unde in praesens etiam praxis est, quod Iudex ecclesiasticus A. C. ad instantiam Partis victricis, citata Parte victa, Decretum exequutionis emittit, damnata simul praefata Parte victa ad expensas praefati Decreti exequutionis. Nam in *Regolamento da osservarsi nelle cause, che si propongono innanzi alla Sagra Congregazione del Concilio, iuris ordine servato*, edito anno 1847 haec in §. 25 statuuntur: – ibi – Passata la risoluzione in cosa giudicata, se ne conseguerà l' autentico esemplare al Vincitore, il quale lo presenterà al Giudice esecutore delle Lettere Apostoliche e de' Decreti delle Sagre Congregazioni per averne l' opportuno Decreto esecutoriale –. Passim vero ipsa Pars victa resolutionem *iuris ordine servato* latam statim amplectitur, quin sit necessarium praefatum Decretum executoriale Iudicis ecclesiastici A. C.

bus circa alienationes et alia similia indulta, gratis et absque ullo Partium dispendio sunt exequendae, exacta tantum mercede a Notario suae inscriptioni proportionata: ita ex mente Sanctissimi decrevit S. Congregatio *die 15 Decembris 1657 lib. 21 Decretorum pag. 165 a tergo.*

183 Decreta autem Sacrae Congregationis, quae falsis innituntur documentis, omnino reportanda et revocanda sunt, tamquam obreptitia, et subreptitia *in Baren. Resignationis et Reintegrationis die 29 Maii 1852* §. *Pari ratione.*

184. Siquidem Sacra Congregatio die 20 augusti 1757 - benigne commisit Episcopo, ut, veris existentibus narratis, supradictas tres Oratoris filias ad assequutionem enunciatorum subsidiorum dotalium pro suo arbitrio et conscientia gratis habilitet, sine tamen praeiudicio Puellarum contemplatarum, iuxta dispositionem Testatoris –. Vigore praefati Rescripti Episcopus Fanensis die 30 Decembris 1758 dictas Puellas habilitavit ad assequutionem subsidiorum dotalium. At illico interesse habentes reclamarunt, atque contenderunt, gratiam ipsam irritandam esse, utpote subreptitie extortam et notabiliter laesivam suorum iurium; nec non omnia gesta per Episcopum et in exequutionem illius Decretorum, quia Rescriptum Sacrae Congregationis expressam habebat clausulam, – veris existentibus narratis –; ideoque se abstinere debuisset Episcopus ob cumulum obiectarum exceptionum contra narrativam supplicationis. Rursus vigore dictae clausulae, ipsum reddentis Exequutorem mixtum, omitti nequivisse sustinuerunt citationem legitimi contradictoris, qui non deerat. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Decretum Reverendissimi Episcopi Fanensis super consignatione scutorum 600 monetae Romanae substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative circumscripto etiam Decreto Episcopi diei 30 decembris 1758 super assignatione – *in Fanen. Subsidiorum dotalium die 14 Februarii 1761.*

185. Nam si narrata haud vera existant, nec locus est exequutioni Rescriptorum, quae Summus Pontifex ediderit; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus executioni Rescriptorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative - *in Romana Subsidiorum dotalium die 17 iunii 1797.*

186. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Romana Subsidiorum dotalium die 19 Augusti 1797.*

187. Unde si Decretum Sacrae Congregationis conditionalibus verbis fuerit conceptum, scilicet, – veris existentibus narratis –, censetur, ob probationum defectum Exequutoris Decretum haud prodiisse, cum in actis Curiae Episcopalis non reperiatur, prout reperiri debuisset, ad tradita per Rotam in decisis. 81 n. 1 coram Durano, et in decis. 584 n. 6 coram Buratto *in Sabinen. Participationis die 13 Iulii 1771* §. *Perperamque.*

DICTIO SEU CLAUSULA

1. Verborum significationem non ex post facto eruendam esse, sed ex circumstantiis epocae, qua prolata sunt, docet Textus in L. Si ita legatum, Bald. cons. 407 n. 14 lib. 1, Soccin. cons. 6 n. 2 lib. 1, Surd. cons. 454 n. 13 *in Ariminen. Capellaniae die 22 Ianuarii 1842* §. *In id.*

2. Unde quamvis ex generali regula a verborum significatione non sit recedendum, nihilominus huiusmodi regulam limitandam esse, quoties appareat, Testatorem ex mente aliud sensisse, ita docente Iureconsulto in L. *Non aliter* ff. de legat. 3, cui consonant L. 3 Cod. de liber. praeteritis, L. *Quoniam indignus* Cod. de testamentis, L. *Scire oportet* §. Aliud ff. de excusat. Tutorum: – Ubicumque ex verbis simpliciter intellectis resultaret iniquitas, tunc a verbis receditur et mens servatur – *in Ariminen. Legati Pii die 27 Februarii 1857* §. *Nec.*

3. Idcirco neminem latet, in supremis Defunctorum voluntatibus interpretandis, non testamenti literae stricte ac materialiter inhaerendum, sed disponentium mentem ac spi-

ritum sedulo introspiciendum fore, ad monita per Textum in L. 21 Cod. de legat. et fideicomm., Card. De Luca de legat. disc. 51 n. 8, Rota in Recent. part. 1 decis. 14 n. 1, part. 4 tom. 3 decis. 632 n. 8, et in Treien. Immissionis 21 ianuarii 1856 §. 5 coram De Witten *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Quoad.*

4. Itaque appellatione – Artificis – venire eum, quem vulgus ita nominat ex L. *Sciendum* §. Illud ff. de aedit. edict. eruit Barbosa ad appell. 25 tract. var. n. 1, quem cum multis sequitur Surdus decis. 313 n. 4, ubi addit, in similibus non iuris sensum, sed loquendi usum vel vulgi opinionem esse attendendam *in Faventina Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1851* §. *Et.*

5. Unde iuxta sententiam Rotae in decis. 208 Recent. n. 3 part. 13 Civis ille solum quidem est, qui numquam aliquod opus servile fecit, et cum splendore vixit, nec ad hunc effectum necesse est, quod officia Civitatis exercuerit; sed pariter inspiciendum est, quinam communi consuetudine loci ac usu loquendi intelligantur nomine Civium; proposito enim dubio: – VI. An et quinam sub nomine Artificum et Civium comprehendantur in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, dilata; et scribatur Episcopo, qui audito Municipio Faventino, referat, quinam communi consuetudine loci et usu loquendi intelligantur nomine – Artificum – et – Civium – *in Faventina Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1851.*

6. Verba autem – sposerò voi o nessuna – genuinam promissionem sive obligationem sponsalium haud constituunt, ex Smalzgrueber ius eccles. univ. tom. 4 part. 1 tit. 1 §. 54, et ex Sacrae Congregationis oraculo apud Coscium de sponsalibus vot. 7 n. 70 *in Ugentina Sponsalium die 18 Martii 1854* §. *Defensor.*

7. Hinc ea verba – ti sposerò – non reapse sponsalia, sed promissionem Sponsalium inducunt, quae per se mutuam obligationem non parit, ad tradita per Rotam in Hispalen. Matrimonii 21 Februarii 1718 §. Nihilominus coram Foscaro, ac praesertim in decis. 682 n. 4 coram Lancetta *in Ugentina Sponsalium die 18 Martii 1854* §. *Spernendam.*

8. Scitum tamen est, verbum – solutionis – non intelligi de nuda obligatione nullum sortita effectum, sed de praecisa, seu de satisfactione eius, quod debetur, Rota in Marianen. Pensionis coram Molines per Textum in L. 176 de verb. signif. *in Aquipendien. Pensionis et Subsidii die 13 Septembris 1841* §. *Quin.*

9. E contra verbum – hortari – non quidem obligationem, sed merum consilium complecti docet Can. *Hortamur* dist. 81, Pitonius de controv. patron. allegat 30 n. 8, Fagnanus in Cap. 1 n. 2 de Cleric. aegrot. *in Firmana Capellaniae die 15 Martii 1845* §. *Accedit.*

10. Idcirco et dictio – rationem habere – obligationem excludit, ad tradita per Rotam coram Molines decis. 1175 n. 3, et decis. 1213 a n. 2 ad 12 coram eodem *in Firmana Capellaniae die 15 Martii 1845* §. *Accedit.*

11. Locutio autem discretiva in eodem Brevi eodemque paragrapho, diversam denotat voluntatem disponentis in uno ac in altero casu *in Spoletana Beneficii die 27 Iulii 1859* §. *Ad Pontificis.*

12. Ceterum dictio – conforme – relationem importat exigitque; ut subsequens praecedenti actui similis plane sit, ceu probe in horum verborum interpretatione perpendit Rota in Anagnina Capellaniarum 3 iunii 1817 coram Ruspoli, in decis. 186 n. 7 part. 19 tom. 1, et in Caesenaten. Fideicommissi M. Horatii Ghini super cautela Angeli 27 Iunii 1774 §. 3 coram Herzan *in Anagnina Capellaniae die 27 Iunii 1857* §. *Promotor.*

13. Itaque clausula seu dictio – come sopra – adhibita quoad reliquos descendentes ex aliqua familia, eumdem repetit succedendi modum et ordinem, ceu videre est apud Rotam in decis. 269 n. 8 part. 5 Recent., decis. 175 n. 10 part. 6, et decis. 177 n. 14 et 15 part. 9 *in Ariminen. Capellaniae die 26 Februarii 1774* §. *Contendit.*

14. Qua de re verba – con lo stesso ordine – important omnium praecedentium repetitionem, ut in specie huius clausulae notant Altogrand. Con. 60 n. 103 et 108 lib. 2, Ciriac. controv. 69 n. 39 *in Praenestina Capellaniae die 1 Decembris 1855* §. *Contra.*

15. Dictio autem – qualche sacerdote – haud inducit qualitatem sacerdotalem, utpote quia idem vocabulum convenire potest etiam Cle-

rico, non solum dum res est de Capellania laicali, sed etiam de Beneficio ecclesiastico, uti perpendit Rota coram Merlino decis. 825 n. 12 coram Tanara decis. 197 n. 9 *in Firmana Capellaniarum die 20 Augusti 1774* §. *Contra.*

16. Itaque expressiones – al servizio della Chiesa, al servizio della S. Sede, alla maggior gloria di Dio – nunquam deesse solent in verae ac propriae Praelaturae erectione *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Qua.*

17. Nomine hinc – Sacerdotis – non semper intelligi de eo, qui sit habilis ad celebrationem Missae, sed eius appellatione comprehendi etiam Clericum inferioris ordinis, docet S. Rota coram Priolo decis. 41 n. 13, et Pitonius de controv. patron. alleg. 17 n. 3 *in Caesenaten. Nominationis et Sanationis die 11 Augusti 1855* §. *Alterum.*

18. Nam verbum – Sacerdote – stare potest demostrative, ad designandam scilicet solum qualitatem muneris exercendi seu oneris Missarum, uti ex Fargna de iurepatronatus part. 2 can. 27 cas. 14 n. 7 et 8, nec non expressis responsis datis a Sacra Congregatione in Tyburtina Capellaniae die 9 decembris 1690, in Iustinopolitana 23 novembris 1693, in Pistorien. Canonicatus 1 aprilis 1713 *in Ariminen. Capellaniae die 7 Iunii 1856* §. *Et quamvis.*

19. Imo – Presbiteri – seu – Sacerdotis – nomen generale est, quod in sua adamussim generalitate tum Seculares, tum Regulares aeque complectitur, cum praesertim hac voce usus fuerit Summus Pontifex non iam disponendo, sed narrando *in Faventina Admissionis ad Collegium et Exequutionis Literarum Apostolicarum die 26 Iunii 1858* §. *Et primo.*

20. At ex repetita impositione oneris Sacrum celebrandi atque ex usurpatione vocabuli – Sacerdote – in eodem testamento Beneficii Sacerdotalis natura arguitur cum Rocca in disp. 120 n. 1 et 2, et Rota in decis. 550 Recent. n. 1 part. 18 *in Viterbien. Nominationis et institutionis die 12 Martii 1853* §. *Clarius.*

21. Hinc multo magis verbum – Prete – significat Presbiterum actu celebrantem iuxta ea, quae in terminis tradit Rocca disp. iur. cap. 120 n. 4, Pitonius de contr. patron. alleg. 28 n. 7, Rota coram Seraphino decis. 871 n. 1 *in Caesenaten. Nominationis et Sanationis die 11 Augusti 1855* §. *Altera.*

22. Contrarium vero dicendum est, si verbum – Prete – non stat taxative, sed demonstrative ad designandum onus Missarum, quae debent per Sacerdotem celebrari, ceu docet Rota decis. 184 n. 11 Recent. part. 12, coram Buratto decis. 92 n. 3, coram Merlino decis. 825 n. 12; eo vel magis si facultas data sit Capellanis vel per se vel per alios adimplendi Missarum onera, ceu firmat Pitonius de controv. patron. alleg. 17 n. 2 *in Caesenaten. Nominationis et Sanationis die 11 Augusti 1855* §. *Alterum.*

23. Dictio autem – peraltro – verbo Sacerdote – immediate praeposita, quae latinae dictioni – tamen – respondet, vim habet dispositionem arctandi genus seu coetum vocatum: ea enim est ex se limitativa et restrictiva, ac modum et conditionem importat, iuxta tradita per Mart. var. resol. lib. 1 resol. 51 n. 4, Antonin. var. resol. lib. 1 resol. 27, et fusius Barbos. de dict. in dict. *tamen* 401 per totum *in Montis Alti Electionis seu Nominationis die 5 Septembris 1846* §. *Hactenus.*

24. Hinc et verbum – cioè – praecedentem expressionem coercere res est explorata, Card. De Luca de fideicommissis disc. 41 n. 5, Torre de Primog. Ital. part. 1 cap. 37 n. 161 *in Pisauren. Substitutionis die 18 Decembris 1841* §. *Hisce.*

25. Unde dictio – però – veram conditionem importat, ut monet Rota in Romana Nullitatis contractus 10 decembris 1756 coram Paracciano *in Forolivien. Iuris nominandi die 3 Aprilis 1841* §. *Atqui.*

Item *in Montis Alti Electionis seu Nominationis die 5 Septembris 1846* §. *Posita.*

26. Contra dictio – plane – duce Forcellinio in suo lexicon, significat – apertamente, chiaramente, totalmente, affatto – *in Forolivien. Concursus die 5 Septembris 1846* §. *Concursus.*

27. Unde dictio – onninamente – aequipollet clausulae in omni casu, et in perpetuum, ad tradita per Fargna de Iurepa-

tron. part. 6 Can. 23 Cas. 1 n. 8, et Paris. de Resignat. lib. 11 quaest. 11 n. 52, ac privativam importat concessionem ad expressa, ut videre est apud Fattinell. respons. 110 n. 49 post tract. de translat. pension. *in Montis Alti Electionis seu nominationis 5 Septembris 1846* §. *Posita.*

28. Hinc dictio – ancora – coniunctionem casus praecedentis importat, arg. L. *Si quis ita stipulatus* ff. de verb. oblig., L. *Si heredi plures* ff. de condit. Instit., Menoch. cons. 3 n. 9 *in Romana Praelaturae die 25 Ianuarii 1845* §. *Instat.*

29. Neminem itaque latet, dictionem – ettiam – sensum praeseferre omnino a prioribus verbis distinctum, eiusque esse indolis, ut extendat et explicet, quod prius dictum fuerat, Dec. in consil. 142 n. 7 vers. 2, Rot. in decis. 342 n. 2 coram Mantica *in Faventina Functionum die 17 Iulii 1773* §. *Perperam.*

Item *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1843* §. *Contra.*

30. Siquidem dictio – etiam – est ampliativa extensiva et quandoque facultativa, stat augmentative, et implicat casus praecedentes et minus dubitabiles ad tradita per Rotam in Recen. decis. 30 n. 22 part. 5 tom. 1, decis. 81 n. 4 part. 10, decis. 367 n. 2 part. 1, decis. 164 n. 1 part. 15, decis. 437 part. 2, et decis. 47 n. 8 part. 8 *in Placentina Celebrationis Missae die 8 Iunii 1771* §. *Inquit* §. *Unica.*

Item *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Aprilis 1848* §. *Exceptionem.*

31. Qua de re particula – con – simultaneitatem unius rei cum altera, cui adnexa fuerit, et contemporaneam earum originem indicat *in Viterbien. Nominationis et Institutionis die 12 Martii 1853* §. *Qui.*

32. Quod si dictio – cum – usurpetur loco dictionis – et – copulativa est, ac coniunctionem inducit ex Lege *Titiae textores* §. Nihil differt ff. de legat. 1, L. *Si ita fuerit* ff. de manumiss. testam., L. *Si quis legaverit* ff. de verb. signif., quibus adhaeret Barbosa in dict. 75 n. 6 et 7 *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 7 Aprilis 1781* §. *Alterum.*

33. Itaque etiam dictio – ac – ampliativa et extensiva includit diversa ab expressis *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1843* §. *Contra.*

34. Hinc particula – et – communionem et promiscuitatem importat, Rota in Recent. decis. 188 n. 6 part. 6 *in Spoletana Reductionis die 8 Iunii 1771* §. *Nec.*

35. At dictio – altrimenti – designat aliquid a praecedenti dispositione diversum, ceu ad rem Rebuffius ad Leg. 46 versic. Aliter ff. de verbor. signif. *in Leodien. die 21 Novembris 1772* §. *Neque.*

36. Qua de re verbum – nessuno – sic stricte quandoque sumendum est, ut omnia pene excludat, ceu monet Barbosa in dict. 229 n. 1 *in Assisien. Nominationis Exequutoris testamentarii die 24 Aprilis 1852* §. *Perperam.*

37. Hinc et dictio – dummodo – italice – purchè – restringit et modificat praecedentia, et coarctat dispositionem secundum qualitates oppositas, ceu totidem verbis tradit Barbosa in dict. 95 n. 9, ubi pariter monet, – semper requiri, quod adimpleantur ea, quibus ista dictio adiungitur, alias si non interveniant, actus corruit, nec consequitur effectum – *in Assisien. Nominationis Exequutoris testamentarii die 24 Aprilis 1852* §. *Sed.*

38. Hinc clausula Rescripto adiecta – dummodo non adsint Puellae specialem vocationem habentes – iura tantum Puellarum praeservat, quae certam vocationem habent, vel ex certo genere Puellarum, quae vocatae sunt, proveniunt, non vero aliarum, quarum ius adhuc incertum et eventuale est, dependens ab electione Exequutorum, vel tantum de incerto genere descendunt, Piton. discept. eccles. 69 n. 23 *in Fanen. Subsidii dotalis die 15 Februarii 1772* §. *Perperam.*

39. Nec dubium, quin verbum – fino – limitationem secumferat, ad tradita per Barbosam dict. 93 n. 3, Rot. in decis. 5 n. 7 coram Gamberini *in Balneoregien. Beneplaciti Apostolici die 27 Maii 1826* §. *Quin.*

40. Contra dictio – quicumque – omnia includit et nihil excludit, ut in terminis ait Barbosa in dictione – quicumque – *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Aprilis 1848* §. *Exceptionem.*

41. Unde dictio – quilibet – omnes casus et personas comprehendit, ut in puncto Barbosa

tract. var. dict. 320 per totum, Rot. in decis. 1001 n. 5 coram Coccino *in Aesina Capellaniae die 20 Iunii 1767* §. *Perperam.*

42. Qua de re clausula - quomodolibet - est universalissima, et comprehendit etiam impropria, ut docet Rota in Recent. decis. 7 n. 4 part. 4 tom. 2, et decis. 14 n. 15 part. 8 *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Aprilis 1848* §. *Exceptionem.*

43. Hinc et dictio – semper – comprehendit omne tempus omnemque casum et personas, ceu tradunt Surdus in consil. 179 n. 14, Rota in Ariminen. Primogeniturae de Gridulphis 16 februarii 1756 §. 10 coram Caprara, decis. 711 n. 3 tom. 3 coram Lancetta, et in Recent. decis. 476 n. 10 part. 19 *in Aesina Capellaniae die 20 Iunii 1767* §. *Perperam.*

Item *in Tolentina Canonicatus die 16 Decembris 1769* §. *Minus.*

44. Quin imo dictio – semper – nedum omne tempus omnesque casus comprehendit, sed et aequalem in omnibus inducit dispositionem, ad tradita per Rotam in Recent. decis. 24 n. 14 part. 1, decis. 705 n. 6 part. 2, decis. 179 n. 7 part. 4, decis 199 n. 5 part. 8 *in Forosempronien. Capellaniae die 24 Augusti 1850* § *Quin.*

45. Similiter vox - ogni – est dictio universalis, et nihil excludit, L. *Iulianus* in princip. ff. de Legat. 3, Tiraquell. in Leg. *Si unquam* verb. totam Cod. de revoc. donat., Gonzal. ad Regul. 8 Cancell. Gloss. 6 n. 21 *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Parochis.*

46. Generalis tamen dictio – ogni – ad ea dumtaxat est cohibenda, quae comprehendi possunt, L. *Obligatio generalis* ff. de pignor., Barbos. tract. var. dict. 241 n. 18, non autem ad illa, quae praeiudicium inferunt iuri alterius quaesito, cui nunquam derogatur, L. *Si quis a Principe* ff. ne quis in L. pub. *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Itaque.*

47. Unde clausula – ogni anno – apposita legato celebrationis octo Missarum et distributionis certae quantitatis panis et vini, importat perpetuitatem legati, itaut heredes primi legatarii teneantur huic oneri satisfacere, etiamsi in dispensatione legati non sit expresse nominatus, nisi dictus primus legatarius *in Lucana legatorum die 8 Augusti 1682 lib. 32 Decretorum.*

48. Clausula autem – iuxta morem regionis – apponi solita in Rescriptis directis Episcopis a Sacra Congregatione pro moderatione onerum perpetuorum Missarum, debet intelligi de eleemosyna manuali solita attribui Sacerdotibus celebrantibus eius regionis, ubi facienda est moderatio *in Moderationis oneris Missarum die 30 Maii 1665 lib. 24 Decretorum pag. 508.*

49. Hinc clausula apposita in legato facto et insumendo in supellectilibus sacris – et aliis rebus ad Missae Sacrificium necessariis – comprehendit etiam ceras candelas et alia utensilia; secus vero peristromata pro maioris altaris decentia *in Uratislavien. Legati die 19 Augusti 1691 lib. 41 Decretorum.*

50. Itaque verba – alia onera –, post mentionem onerum spiritualium adhibita, non respiciunt onera temporalia, sed intelligi debent de oneribus mere spiritualibus iuxta ea, quae tradit Rota in decis. 950 coram Lancetta n. 8, decis. 327 Recent. part. 1 n. 7, decis. 272 n. 9 et 10 coram Buratto *in Spoletana Celebrationis Missae et reparationis Ecclesiae Parochialis die 29 Iulii 1854* §. *Alterum.*

51. Itaque clausula posita in Literis Apostolicis resignationis Beneficii – cum suspensione omnium et quarumcumque unionum – comprehendit etiam unionem factam Seminario, licet de ea specialis mentio non fuerit facta *in Mantuana anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 65.*

Item *in dubium anno 1625 lib. 12 Decretorum pag. 303.*

52. Unde clausula in Literis resignationis posita – dummodo resignans aliunde vivere possit – satisfit, constito quod resignans vere habeat reditus ad sui sustentationem sufficientes, licet non ecclesiasticos *in Mediolanen. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 168.*

53. Similiter clausula apponi solita in Literis Apostolicis dispensationis super defectu natalium concessis – dummodo paternae incontinentiae imitator non sit - non aliter intelligitur, quam si Episcopus inquirendo nihil bonis moribus indignum reperierit adversus eum, cui concessa est dispensatio, scilicet

quod integro decennio dispensando probe vixit, quamvis prius incontinentiae nota suspensus esset *in Sarzanen. die 19 Decembris 1595 lib. 8 Decretorum pag. 195.*

Item *in Avenionen. die 20 Decembris 1653 lib. 19 Decretorum pag. 297.*

54. Hinc clausula apponi solita in dispensationibus Apostolicis ob angustiam loci concessis - dummodo non excedant tercentum focularia – debet intelligi indistincte de focularibus sive paris sive disparis ac etiam infimae conditionis *in Tergestina Dispensationis die 16 Iunii 1668 lib. 26 Decretorum pag. 8.*

55. Itaque clausula apponi solita in Indulgentiis – volumus autem, quod si Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam perpetuam vel ad tempus nondum elapsum concesserimus praesentes nullae sint – ita est intelligenda, ut omnes indulgentiae praecedenter habitae sive perpetuae sive temporales ab eodem Pontifice, licet pro diversa die, cessent obtenta posteriora *in Tornacen. die 24 Ianuarii 1632 lib. 14 Decretorum pag. 566.*

56. At dictio – vel – aequalitatem denotat in alternatis, ceu tradit Rota in Recent. decis. 135 n. 20 part. 9, decis. 153 n. 25 part. 11, et decis. 180 n. 2 part. 15 *in Comen. Beneficii die 13 Iulii 1771* §. *Post.*

57. Imo efficit etiam praedicta dictio – vel –, ut electione cuiuslibet ex alternatis impleta dicatur Fundatoris dispositio, ut ad rem Cap. *In alternativis* de Regulis Iuris in 6, Piton. de controv. patron. allegat. 75 n. 25, Rot. in Romana Beneficii S. Catharinae 12 Martii 1759 §. fin. coram Olivatio *in Comen. Beneficii die 12 Iulii 1771* §. *Post hanc.*

58. Unde tunc solum dictio - vel - praelationem imponere potest, quando agatur de personis, inter quas militat ratio ordinatae charitatis, ut in puncto Bartolus in Leg. *Cum Pater* §. A te peto ff. de Legatis, Peregrinus de Fideicomm. artic. 18 n. 42, Rot. in decis. 66 n. 25 coram Molines *in Comen. Beneficii die 13 Iulii 1771* §. *Post hanc.*

59. Non desunt tamen, qui tuentur, quod dictio – vel – vocationem dumtaxat disiunctivam importat, exigitque, ut scripturae ordo servetur, L. 4 Cod. de verbor. signif., Natta consil. 470 n. 8, Card. De Luc. de Fideicomm. disc. 44 n. 3, et de Iurepatronatus disc. 88 n. 2 *in Comen. Beneficii die 13 Iulii 1771* §. *Qui vero.*

60. Hinc dictio – seu – non est alternativa praeventionis, sed ordinis, Cap. *Cum ad Monasterium* de stat. Monach., Gloss. in Cap. *In alternativis* de Regul Iur. in 6, Piton. tom. 3 discept. Eccles. 60 n. 2 et seqq. *in Imolen. Iuris Convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Provocat.*

61. Dictio autem – o – disiunctive accipienda est, quoties apposita est inter eas Personas, quas inter cadit ordinata charitas et affectio, prout sunt consanguinei et affines *in Romana Subsidiorum Dotalium die 22 Februarii 1845* §. *Neque.*

Item *in Romana Subsidiorum dotalium die 26 Februarii 1853* §. *In.*

62. Ceterum regula haec habet locum atque intelligi debet in sensu verae et propriae alternativae, quando nimirum Personae, inter quas ponitur disiunctiva vocula – o – sunt alternative vocatae ad liberalitatem Donatoris vel Testatoris, ut vocatio illarum, quae post particulam scriptae leguntur, facta deprehendatur in casu, quo illae, quae ante scriptae sunt, vel nolint, vel nequeant liberalitate uti, cuius quidem alternativae exemplum contineri videtur in L. *Cum Pater* §. A te de legat. 3: non item in casu alternativae impropriae, quando nimirum disiunctiva adhibetur non ad supplendum defectum Personarum, quae scriptae reperiuntur ante disiunctivam particulam – o –, sed ad augendam quodammodo atque ampliandam dispositionem; hoc autem in casu disiunctiva – o – particula posita videtur in coniunctivae locum, atque illius vires nancisci debere videtur per expressum Textum in L. *Cum quis* §. fin. ff. de Legat. 3, et in L. 4 Cod. de verb. signif. *in Romana Subsidiorum dotalium die 26 Februarii 1853* §. *Quin.*

63. Dictio autem – subito – nullum de sui natura admittit vel modicum temporis intervallum, Surd. decis. 57 n. 9, Rot. in decis. 160, n. 1 coram Remboldo *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Hinc.*

64. At dictio – nullum – seu – nullitas – saepe significat non quod invalidum, sed quod revera non est, Barbosa dict. 229 n. 9, perinde ac si nullo modo fuisset factum,

Menoch. cons. 230 n. 13 *in Treviren. Dubium Matrimonii die 29 Ianuarii 1853* §. *Iamvero.*

65. Itaque verbum – proportionabiliter – circa distributionum divisionem usurpatum de geometrica distributione intelligendum esse tradit Gallemart in Concil. Trid. Sess. 21 Cap. 3 n. 8 de reformatione, Barbosa ibid. n. 18, Monet. de distribut. part. 2, quaest. 4, n. 5, et Pignatell. Consult. 134 n. 25 tom. 1 *in Imolen. Distributionum die 13 Martii 1773* §. *Contra.*

66. Dictio autem seu vox – alii de familia – sonat diversitatem personarum, ita ut nequeat referri ad eos, de quibus antea fuerat sermo, sed novum importat Personarum genus, ad tramites Barbosae de dict. in utroque iure usufrequenti dict. 26 – alius – n. 14 et 17 *in Melevitana Canonicatus die 14 Februarii 1846* §. *Verum.*

67. Unde dictio – illis – refertur solum ad nominatos in primo superiori versiculo, ut post Gloss. in Cap. *Ut circa* §. 1 vers. coram de electione in 6 monet Barbosa tract. var. dict. 147 n. 1, Alex. Consil. 204 lib. 2 *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Novembris 1830* §. *Hisce.*

68. At dictio – altre – identitatem inducit naturae eamdemque repetit qualitatem per Textum in L. *Quidam relegatus* ff. de reb. dubiis, Cap. *Sedes* de Rescriptis, Barbos. dict. *alius* n. 1, Rot. in Recent. decis. 271 n. 15 part. 13 *in Ariminen. Legatorum die 27 Novembris 1790* §. *Favere.*

69. Itaque dictio – alius – omnimodam similitudinem in substantia denotat, ad tradita per Felinum in Cap. *Sedes* n. 6 de Rescriptis, Surdum cons. 21 n. 13 et 14 lib. 1, Rotam in Recent. decis. 662 n. 8 part. 1, et decis. 568 n. 6 part. 4, ubi quod eo magis id locum sibi vindicat, quando dictio praefata est apposita in eadem oratione, iuxta doctrinam Bartoli in L. *Seiae* §. Caio n. 3 et 5 ff. de fundo instructo *in Verulana Iurispatronatus die 17 Decembris 1852* §. *Id magis.*

70. Nam dictio – altri – eius naturae est, ut dum Personae diversitatem indigitat, easdem tamen secumferat qualitates in simili dictione antecedenter expressas, Tusch. litt. D. conclus. 245 n. 5, Barbos. dictio *alius* 26 n. 3, Rot. in decis. 845 n. 12 coram Coccino, et decis. 126 n. 9 part. 18 tom. 1 Recent. *in Maceraten. Dispensationis die 30 Augusti 1845* §. *Secundo.*

71. Ceterum relatio, quam verbum – altri – secumfert, verificatur etiam quoad diversam speciem, quae tamen remaneat sub eodem genere *in Maceraten. Dispensationis die 30 Augusti 1845* §. *Perperam.*

72. Qua de re dictio – come gli altri – omnimodam similitudinem, easdemque qualitates importat, ad tradita per Piton. de controv. patron. allegat. 27 n. 7 et 8, Cyriac. Controv. 69 n. 38, Rot. in decis. 906 n. 6 coram Cerro, et in decis. 673 n. 5 part. 19 Recent. *in Firmana Mansionariae die 15 Septembris 1770* §. *Advertit.*

73. Hinc dictio – come pure tutti gli altri pesi – non est patiens alicuius distinctionis, vel restrictionis *in Spoletana Celebrationis Missae et Reparationis Ecclesiae Parochialis die 8 Augusti 1846* §. *Sed non.*

74. Verbum enim – tutti – est universale, et nihil excludit, ad L. 1 ff. de legibus, Rot. decis. 157 n. 19 et 20, decis. 179 part. 6 Recent. *in Spoletana Celebrationis Missae et Reparationis Ecclesiae Parochialis die 8 Augusti 1846* §. *Sed non.*

75. Hinc dictio – dichiarando – non inducit novam dispositionem, sed tantum continet explicationem eorum, quae antea dicta sunt *in Romana Subsidiorum Dotalium die 22 Februarii 1845* §. *Id vero.*

76. At dictio – nunc pro tunc omnino incursurum – censuram latae sententiae ac ipso facto incurrendam innuit, ad tradita per Antoine de censuris cap. 1 quaest. 2, Reiffenstuel lib. 1 Decret. tit. de constit. n. 218 *in Firmana Fructuum et distributionum die 24 Novembris 1827* §. *Verum.*

Item *in Nucerina Residentiae et Suspensionis die 15 Martii 1828* §. *Verum.*

77. Hinc et dictio – eo ipso – importat poenam latae sententiae et conditionem resolutivam gratiae, ut in terminis Suarez de legib. lib. 5 cap. 7, Lotter. de Re Benef. lib. 2 quaest. 41 n. 12, Reiffenst. lib. 1 Decret. tit. 2 n. 35, Rot. in Veronen. Pensionis 10 Iulii 1592 coram Millino *in Savonen. Caducitatis die 26 Ianuarii 1850* §. *Hisce.*

Item *in Sarnen. Caducitatis die 16 Iunii 1853* §. *Prosequitur.*

78. Unde dictiones – eo ipso, ipso iure, ipso facto, illico –, ac ceterae huiusmodi appositae ab Apostolica Dataria in Literis collationis, privationem secumferunt absque hominis ministerio, seu absque ulla Iudicis sententia vel declaratione, ceu tradunt Moneta de distrib. quotidian. part. 3 quaest. 7 n. 35, Barbosa in dict. 106, Leurenius in for. benef. tom. 2 part. 3 quaest. 171, Gonzalez Gloss. 56 n. 30 ad regulam de mensibus, Pitonius tom. 4 discept. 134 n. 14, Card. Petra in comment. ad Constit. Innocentii IV n. 7 tom. 3, Murga de Benef. quaest. 9 n. 115, ita ut Beneficium, uti vacans, valeat statim conferri, possessore nec vocato, nec citato, ad tradita per Passerinum lib. 7 cap. 28 de Praeb. et Dignit. n. 12, Barbosam de offic. et potest. Episcopi part. 3 alleg. 57 n. 255, Murga de Benef. quaest. 9 n. 97, aliique: ob id scilicet – quia non dependet a sententia Iudicis illa poena, quae per ipsum Ius infligitur et irrogatur –, ut edisserit S. Rota in Virdunen. Abbatiae coram Falconerio de Benef. eccles. decis. 20 *in Romana Canonicatus die 9 Septembris 1786* §. *Cum.*

Item *in Savonen. Caducitatis die 16 Iulii 1853* §. *Hisce.*

79. Plures tamen Doctores affirmant, poenam caducitatis – ipso iure, eo ipso, ipso facto – indictam non induci ante monitiones et declaratoriam facti, iuxta Clementinam *Ut ii* de aetate et qualitate ordinandorum confirmatam a Sacro Concilio Tridentino sess. 22 cap. 4 de reformatione: aequum porro non est, quemquam indicta causa Beneficio privare, licet imposita sit caducitatis poena cum clausula – ipso iure, ipso facto –, vel ampliori etiam altera – sine ulla monitione et declaratione Iudicis –; et ratio est, quia in notorio etiam facto aliqua potest esse excusatio, quae ad odiosam excludendam caducitatis poenam admittitur *in Savonen. Caducitatis die 16 Iulii 1853* §. *Prosequitur.*

80. In hoc autem Doctorum conflictu ea est utriusque sententiae conciliatio, ut praemittenda non sit sententia declaratoria collationi Beneficii, sed privationi possessionis *in Romana Canonicatus die 9 Septembris 1786* §. *Si quae.*

Item *in Savonen. Caducitatis die 16 Iunii 1853* §. *In.*

81. Qua de re absolutus cum clausula – ex hactenus deductis – tantam infamiae notam habet, ut nedum ipse minime debeat ad Parochialis assecutionem praeeligi, imo vero ab illa sit omnino arcendus, donec, qualibet abluta criminis macula, melioris vitae specimen non praebuerit, ad Textus expressos in Cap. *Inter delictos* 11 de excess. Praelatorum, et in Cap. fin. de purgat. canonica docent Reiffenstuel in ius can. lib. 5 tit. 37 n. 60, Schmalzgrueber eod. loc. n. 141, et alii adducti per Ventrigl. in prax. pract. 2 annot. 5 §. 2 n. 65 *in Caputaquen. Concursus die 10 Iunii 1741* §. *Iudicium.*

82. Hinc et clausula – in casu non esse ulterius molestandum – non excludit delictum, ut de simili clausula – ex hactenus deductis – tradunt Pignatellius consult. 93 n. 3 tom. 6, Ferrar. verb. *Irregularitas* n. 49, Monacellius tit. 13 for. 3 n. 37 tom. 2 *in Lunen. Sarzanen, Dispensationis ab irregularitate die 23 Ianuarii 1790* §. *Rixae.*

83. Imo infamia facti non deletur per absolutoriam cum clausula – novis supervenientibus indiciis –, quae accusatum ab inquisitione non eximit eiusque innocentiam excludit, ut censuit Sacra Congregatio in Vigilien. 23 septembris 1613 lib. 28 Decretorum pag. 170 *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Licet.*

84. Clausula vero – de se repraesentando novis supervenientibus indiciis – non impedire videtur, quin sententia absolutoria suum complementum fuerit assequuta, cum per eam priora indicia omnino extincta remanserint, et praevia fideiussio plenariae absolutionis vim habuerit, ad tradita per Leonard. Ricc. lib. 1 cap. 7 n. 6, Farinacc. quaest. 4 n. 25 verb. amplia primo *in Salernitana Irregularitatis die 20 Aprilis 1771* §. *Hinc.*

85. Dictio autem – linea masculina – votum Testatoris inducit pro agnatione, ut ait Torre de Primog. Ital. cap. 38 §. 3 n. 408, sive alia – i figli dei figli maschi solamente – quae vox est restrictiva sermonis, imo pro-

hibitiva, et ita exclusiva earum rerum, quae non sunt expressae, ut habeat vim privandi, ad Dec. con. 479 n. 2 lib. 2, Paris cons. 7 n. 12 lib. 12 *in Pisauren. Substitutionis die 18 Decembris 1841* §. *Iamvero.*

86. At vero sub vocatione – filiorum et descendentium masculorum – veniunt etiam ex feminis progeniti, et quidem indistincte, sive vocati sunt filii masculi, sive descendentes masculi, ad tradita per De Luca de linea legal. lib. 2 art. 76 n. 2 *in Parmen. Institutionis et applicationis Fructuum die 27 Novembris 1852* §. *Plura.*

87. Nam et generali – lineae ac descendentium – appellatione omnes in iure indistincte veniunt descendentes sive ex masculis, sive ex feminis, iuxta Rotae doctrinam in Decis. 443 Recent. n. 1 part. 2, decis. 164 n. 1 part. 18, et in decis. 226 n. 3 part. 2 *in Baren. Canonicatus die 7 Iulii 1855* §. *Sed.*

88. Vox itaque – generazione – latissimam significationem habet, omnesque designat descendentes masculos et feminas ac etiam descendentes a feminis, ut docent Peregrinus de fideicomm. art. 22 n. 28, et Barbosa de appell. verb. iur. signif. appellat. 108 n. 1 *in Verulana Praelaturae die 29 Aprilis 1854* §. *Nequidquam.*

89. Unde in favorabilibus nomine – liberorum – etiam nepotes venire iuxta Glossam in Can. 1 verb. in filios dist. 56 trita iuris regula docet *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Perpendant.*

90. Ceterum sub nomine filiorum veniunt quidem etiam nepotes; sed huiusmodi axioma fallit, cum de filiis facta est mentio, qualitate aliqua adiecta, quae nepoti non convenit *in Verulana Praelaturae die 29 Aprilis 1854* §. *Frustra.*

91. Quod itaque sub – filiorum – nomine veniunt nedum nepotes, sed omnes etiam descendentes, cum praesertim de institutione perpetua res sit ac apposita adsit clausula – in infinitum –, in dubium revocari non posse ex Lege 220 ff. de verb. signif. monent Peregrinus de fideicom. art. 22 n. 51, Rota decis. 206 n. 16 coram Merlino, decis. 229 n. 9 coram Celso, decis. 345 Recent. n. 11 part. 16, ut adeo in reliquis omnibus descendentiae gradibus idem successionis ordo servandus sit *in Praenestina Capellaniae die 1 Decembris 1855* §. *Contra.*

92. Imo nomine – primogeniti – civiliter accepto venit non modo qui prior natus est, sed etiam qui per illius obitum vel incapacitatem ex Lege succedit iuxta ea, quae tradit Sabell. summ. divers. tract. §. Primogenitura 64 n. 1, nec secus Rota decis. 346 part. 12 n. 1, Mantic. de coniect. ult. volunt. lib. 8 tit. 10 n. 6 *in Mileten. Iurispatronatus die 28 Aprilis 1855* §. *Qui.*

93. Sub appellatione autem – cadetto – in fideicommissis veniunt fratres vel filii illius, qui fideicommissum possidet; ita enim vocem hanc explicat Lexicon della Crusca ad vocem *cadetto,* item Enciclopedia delle scienze arti e mestieri, Glossar. ad Scriptores mediae et infimae latinitatis auctore Dusseque tom. 2 ad verb. *Cadetto,* Dominic. in lib. de praerog. allod. cap. 21 §. 4 *in Verulana Praelaturae die 29 Aprilis 1854* §. *Contra.*

94. Itaque verbum – discendenti – prolatum in casu hereditarii patronatus intelligendum venit cum adiecta heredum qualitate, iuxta Gratianum discept. 577 n. 45: – Quia respondetur, non constare in facto, quod tale iuspatronatus sit gentilitium, cum imo potius in dubio sit praesumendum hereditarium; unde iuspatronatus, fundatum – pro filiis et descendentibus –, intelligitur pro filiis heredibus – *in Verulana Abbatiae die 16 Iulii 1853* §. *Constito.*

95. Hinc sub nomine – heredum successorum et posterorum – heredes sanguinis, seu potius omnes descendentes sive agnatos, sive cognatos veniunt, ad tradita per Pitonium de controv. patron. alleg. 69 n. 11, alleg. 100 n. 64, ac pressius alleg. 75 n. 8 et 9 *in Sarnen. Iurispatronatus die 20 Maii 1854* §. *Novae.*

96. Siquidem ex communi Doctorum sententia dictio – heredum et successorum – importat iuspatronatus mixtum; ad cuius proinde successionem duplex requiritur, sanguinis et heredis qualitas, ad tradita per Pitonium de controv. patron. allegat. 10 n. 17, et allegat. 69 n. 10, Card. De Luca de iurepatronatus disc. 24 n. 6 *in Neapolitana Iurispatronatus die 26 Ianuarii 1850* §. *Verumtamen.*

97. At iuspatronatus revera hereditarium evincitur apertissime ex dictionibus illis – heredibus et successoribus quibuscumque –, iuxta doctrinam Fargnae de iurepatronatus part. 2 can. 1 et 2 cas. 6 n. 13, Lotterii de re Benef. lib. 2 quaest. 11 n. 12, Gratiani discept. for. cap. 577 n. 44, Tonduti quaest. Benef. part. 3 cap. 157 n. 16, cap. 118 n. 13 part. 1, Rotae decis. 122 n. 7 coram Durano, Romana seu Parmen. Iurispatronatus 13 decembris 1700 §. Docuit coram Molines, decis. 46 n. 41 in annot. Recent. part. 9 tom. 1 *in Sarnen. Iurispatronatus et Institutionis die 28 Augusti 1852* §. *Primum.*

98. Hinc dictiones – heredes et successores in infinitum – hereditarii iurispatronatus naturam praeseferunt *in Sarnen. Iurispatronatus et Institutionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Defensor.*

99. Imo nomine – agnatorum – cognatos – etiam lato modo comprehendi dixit Rota coram Royas decis. 149 n. 12 *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Requidemvera.*

100. Hinc nomen – domus – magis stricte significat agnationem, quam nomen – familiae –, ut tradit Pitonius de controv. patron. alleg. 90 n. 22, quem sequuntur Torre de primog. ital. part. 1 cap. 25 n. 110, Rota in decis. 126 Recent. part. 11 n. 5, in Romana Capellaniae 25 novembris 1705 §. Qui tamen coram Ansaldo *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Quod si.*

101. Siquidem nescit nemo, verbum – familia – latius accipi, quam verbum – casa – *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 22 Februarii 1851* §. *Quam.*

102. Etenim communi iure nomine – domus – magis proprie veniunt agnati post Legem 195 de verb. signif., et L. 5 de relig. dom. ff. docuit Imperator Iustinianus Instit. tit. de legit. agnat. tutel. §. 1, quem sequuntur Ferrarius Biblioth. can. verb. *familia* n. 1, Rota in decis. 518 n. 11, et decis. 588 n. 3 part. 19 Recent. tom. 1 *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Verumtamen.*

103. Idcirco in iurepatronatus agnatitio nequaquam comprehendi filios feminarum, nec etiam per posterius, dixit Rota in decis 141 n. 8 et 9 coram Sanctissimo *in Urbinaten. Canonicatus die 26 Martii 1763* §. *Ad.*

104. Appellatione vero – familiae – venire omnes tam agnatos, quam cognatos tenuerunt post Textum in L. fin. Cod. de verb. signif. Card. Anton. De Luca de linea legali art. 22 n. 7, Gratianus discept. 218 n. 17 §. Quamvis, Torre de primog. ital. tom. 2 cap. 38 n. 254, Bonfin. de Fidecomm. lib. 1 disp. 24 n. 6, Valent. de ult. volunt. vot. 25 n. 17 *in Praenestina Capellaniae die 23 Februarii 1790* §. *Atque.*

Item *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Requidemvera.*

105. Nam dictiones seu clausulae – omnes de domo et familia Titii – de iurepatronatus laicorum familiae Sempronii – et similia semper *demonstrative*, non vero *taxative* accipiendae *in Fabrianen. Iurispatronatus die 24 Ianuarii 1846* §. *Contendit.*

106. Siquidem verbo – familiae – in iure nusquam venire cognomen, sed propinquorum descendentiam, singuli expostulant Interpretes atque Doctores, omnia recipiunt fora; ita post Textum in L. *Familiae* de verb. signif. Barbosa de appellat. verb. iuris signif. appellat. 17 verb. *Familia* n. 27, Alex. cons. 213 n. 1 lib. 1, Paris cons. 11 n. 5 et 10 vol. 2, Menoch. cons. 233 n. 16, et cons. 106 n. 218, Rota in Recent. decis. 697 n. 6 part. 1 *in Melevitana Canonicatus die 14 Februarii 1846* §. *Atqui.*

107. Neminem hinc latet, nomen – familiae –, iniuncta praesertim perpetuitate, ad quoslibet agnatos, sive cognatos ac per medium feminae descendentes, qui ex familia originem ducunt, protendi, veluti monet S. Rota in Sutrina Canonicatus 5 martii 1838 §. 3 cum aliis ibi plena manu citatis Auctoritatibus coram Emo Marini, et in Confirmatoria 23 iunii eiusdem anni §. 2 coram eodem *in Romana seu Ianuen. Legati Subsidiorum die 17 Decembris 1852* §. *Atque.*

108. Qua de re nomen – familia –, ubi simpliciter usurpatum fuerit, absque adiectione – sui ipsius – omnes descendentes pariter complectitur, iuxta celebrem Soccini theoricam, de qua Fierli theor. celebr. in theor. Soccini part. 2 theoric. ult., Peregrin. de Fideicomm. art. 22 n. 26 *in Verulana*

Praelaturae die 29 Aprilis 1854 §. *Nequidquam.*

109. Hinc Rota in decis. 1438 n. 5 et 6 coram Seraphino ac praesertim in Reatina Capellaniae 19 ianuarii 1756 coram Bussio, ubi n. 3 ita ad rem edisserit: – Laurentius, quamvis per medium feminarum descendens, est in illa inclusus et contemplatus, cum in hac indifferenti materia sive attenta canonica aequitate, sive novissimo Authenticarum iure perspecto, appellatione – familiae – tam agnati, quam cognati indiscriminatim comprehendantur –; ac n. 4 animadvertit, quod si aliquando sub – familiae – appellatione soli agnati venire debeant, id tum demum accidit, cum expressa fit contemplatio agnationis *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Aprilis 1853* §. *Cum.*

110. Quin imo nuncupatione – familiae – comprehendi etiam descendentes naturales in iurepatronatus comperti iuris est nedum ex generali regula, qua statuitur, iurapatronatus quoad successionem Fideicommissis prorsus aequari, imo quoad illa mitius seu largius procedi, iuxta Card. De Luca de iurepatronatus disc. 50 n. 5, disc. 92 n. 8, et de fideicommissis disc. 50 n. 18; sed etiam ex Sacrorum Canonum praescripto, utpote qui dum incapaces iurium patronalium minime declarant illegitimos, ad assequenda ceteroquin patronalia iura id unum requirunt, ut quis Christianus existat, et ex generica vocatione non sit peculiariter a Fundatore exclusus, arg. ex Can. *Piae mentis* 26 XVI quaest. 7, Can. *Frigentius* 27 XVI quaest. 7, Can. *Quicumque* 30 dist. 50, Can. *Filiis* 31 XV quaest. 7, Ferrar in Bilioth. can. verb. Filii n. 3, Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 10 n. 126, Piton. in addit. ad discept. 7 n. 8, et Rot. in Tudertina Immissionis 23 iunii 1806 *in Tudertina Iurispatronatus die 20 Decembris 1851* §. *Nuncupatione.*

111. Limita, id locum habet, si verbum – familiae – adhibitum fuerit sensu naturali, non vero civili: nam in hanc convenire videntur sententiam plures iique gravissimi Doctores, qui, licet generatim sentiant a iurepatronatus gentilitio et familiari non esse repellendos illegitimos, id tamen admittunt in casu, quo vocati fuerint illi de sanguine per verba naturalia; limitant autem regulam, quando Fundator usus est verbis civilibus, hac enim in hypothesi, eos semper esse excludendos, etsi legitimati forent per Rescriptum Principis: ita sentiunt Lotterius de re Benef. lib. 2 quaest. 11 n. 139, Fargna de iurepatronatus part. 2 can. 1 et 2 cas. 9 n. 5, Leurenius de for. Benef. part. 2 sect. 1 cap. 1 quaest. 61 *in Tudertina Iurispatronatus die 20 Decembris 1851* §. *Sane.*

112. Dicuntur autem, iuxta citatos Auctores, adhibita verba naturalia, idest significantia tantum effectum naturae, si Fundator vocaverit suos Consanguineos, vel eos de parentela, aut descendentia, quae utique complecti valent etiam illegitimos, utpote qui et ipsi consanguinei, veluti ab eodem sanguine et semine proveniunt, iuxta doctrinam Bartoli in Lege *Tutelas* n. 4 de capit. dimin. et clarius in Lege *Pronunciatio* 195 §. Familia n. 1 ff. de verb. signif. Vocantur ad iuspatronatus ii de sanguine per verba civilia, cum nimirum Fundator usurpaverit nomina – domus – aut – gentis – seu – familiae, quae minime comprehendunt illegitimos et naturales aut spurios; quia isti non dicuntur nec de domo, nec de familia. Quamvis iuxta Bartolum loc. cit. etiam in hoc casu expendendus esset sensus talium verborum secundum communem usum loci, adeo ut ipsa vox – familiae, possit quandoque inflecti, et significet etiam naturalem coniunctionem *in Tudertina Iurispatronatus die 20 Decembris 1851* §. *Dicuntur.*

113. At generica et impersonali nuncupatione – alii de familia de Borgiis –, nulla facta mentione de stipite, non cognati veniunt, sed sola strictim agnatio vocantis, ut ad rem Ancharanus cons. 27 n. 16, Rota in Bononien. Iurispatronatus 15 maii 1741 §. coram Canilliac, decis. 6 n. 6 tom. 1 coram Olivatio *in Melevitana Canonicatus die 14 Februarii 1846* §. *Ad cognationem.*

Item *in Melevitana Canonicatus die 30 Augusti 1851* §. *Sed.*

114. Siquidem nomen – familia – iuxta sententiam Card. De Luca de iurepatronatus disc. 26 n. 6 – stante communi usu Italiae, quando praesertim non concurrunt alia verba latiora, etiam in hac materia iurispatronatus vel honorifici in sensu restrictionis ad agnationem accipi solet – *in Nullius seu Subla-*

cen. Canonicatus die 23 Februarii 1850 §. *Quod si.*

Item *in Centumcellarum Iurispatronatus et commutationis voluntatis die 17 Decembris 1852* §. *Unde.*

115. Unde si vocabulum – familia – non fuerit a Testatore simpliciter prolatum, sed adiectum familiae cognomentum, tum tamquam in claris cessat omnis difficultas super comprehensione agnatorum exclusive ad cognatos; affabre namque Card. De Luc. in disc. 26 de iurepatronatus n. 7 et 8 hac super re ita loquitur: – Omnes autem, nemine discrepante, concordare videntur, quod ubi accedit dicta specificatio (quod superius dixerat cognomen de Balestris) tunc vocabulum – familiae – nonnisi agnatis conveniat, et in specie quod ubi adest adiectum nominis, non veniant, nisi qui vere sunt de familia, ponderabam decisum in Papien. etc. – *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Ad rem.*

116. Et quamvis non ita continuo et apud omnes haec doctrina fuerit recepta, quippe suos etiam adsertores habuit opinio pro comprehensione etiam cognatorum, hodie tamen receptissima regula in foro, maxime in S. Rotae Auditorio habetur, qua tuto statui valet, quando huiusmodi vocationibus excludantur feminae, quando non; nimirum inspiciendum venit, utrum – familiae – nomen personaliter, vel impersonaliter adiectum sit, et utramque hypothesim exprimit exemplo Ferrarius in sua Biblioth. can. edit. Roman. 1785 verb. *Familia* n. 5 hac ratione: – Primo casu, ut si dictum esset, familiam Titii instituo; ideo ex persona Titii personaliter adiectum cognomen censetur, ideoque in dispositione non modo comprehensi agnati, quam cognati, cum aeque agnati ac cognati merito dici possint ex familia Titii. Secus autem (secundo casu) si, nulla designata persona, nominata sit familia Montalcina. Hoc quippe casu, quum nonnisi agnati familiae nominatae cognomen ferant, ideo exclusis cognatis, agnati tantum vocati censeri debent –. Hanc theoricam refert idem Auctor iugiter tenuisse Rotam in bene multis decisionibus, quas inter memorat decis. 99 n. 8 coram Tanario, decis. 12 n. 6 coram Rezzonico, in Pisauren. Immissionis 15 maii 1750 §. 4 coram Cortada, in Nepesina fideicommissi 15 iunii 1753 coram Matthaeio, in Placentina Canonicatus 27 aprilis 1759 §. 7, et 27 iunii 1760 §. 5 coram Paracciano, et pluribus aliis collectis in Aesina Canonicatus 9 iunii 1780 §. 1, et in Faventina Legati 26 iunii 1780 §. 4 coram Soderino *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Et.*

117. Illud etiam in iure receptum habetur, ut etiam verbum – domus –, quod quandoque accipi solet pro sola comprehensione agnatorum, si illud fuerit simpliciter et absque adiunctis prolatum, porrigatur etiam ad inclusionem cognatorum, et complectatur feminas ex fundatoris sanguine, quippe quae et ipsae dicantur de – domo –, Fargna de iurepatronatus part. 2 can. 1 cas. 18 n. 20, Maranta resp. 20 n. 9 et 29, Rota in Lunen. Sarzanen. Iurispatronatus 1 februarii 1715 coram Scotto *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Requidemvera.*

118. Quin imo cum vocatio non sit directa ad Personas, quae debeant habere cognomen, sed ad Sacerdotes vel Clericos – domus – alicuius, et cum verbum – domus – sit quid complexivum, omnium quomodocumque ab illa derivantium, et sic non minus agnatorum, quam cognatorum, qui omnes promanant a domo alicuius, hinc expressio cognominis proprii non videtur coarctare vocationem ad solos agnatos, sed cognatos etiam capax est comprehendere, cum dicatur stare *demonstrative* ad denotandam originem et principium, a quo provenire debent vocati, ut in terminis animadvertit Pitonius de controv. patron. alleg. 75 n. 18, Rota in Auximana Iurispatronatus 17 iunii 1701 §. Verum coram Ansaldo, et 9 martii 1703 §. Quo vero coram Muto *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Quin.*

119. In quam sententiam facilius deveniendum non solum, si res sit de materia iurispatronatus, ubi tamquam in indifferenti et ordinata ad providendum Clericos de sanguine non intrat proprie agnationis ratio, Garc. de Benef. part. 7 cap. 15 n. 21, Amostaz de causis Piis lib. 3 cap. 7 n. 42, et ideo verba Testatoris non sunt accipienda in stricto et rigoroso significatu, sed in materiali et magis la-

to, quem omnes descendentes indistincte tam agnatos, quam cognatos complectatur, Card. De Luca de praeeminentiis disc. 13 n. 7, Rota decis. 101 n. 13 Recent. part. 6, et in Auximana Iurispatronatus 9 martii 1703 §. Non obstante coram Muto; sed potius si agatur de anteferendo extraneo cognato, quo in casu omnis benigna capienda est interpretatio pro istius inclusione, quum semper veniant cognati saltem per posterius ex praesumpta mente Testatoris, ne alias illi de sanguine excludantur, Card. De Luca de iurepatronatus disc. 25. n. 2, Rota in decis. 170 et 308 utrobique n. 14 Recent. part. 14, et in Gerunden. Beneficii apud Bertacchinum vot. 89 n. 14, et in Interamnen. Iurispatronatus 22 martii 1706 §. Rursus, et in confirmatoria 10 decembris eiusdem anni coram Scotto *in Camerinen. Canonicatus die 25 Septembris 1847* §. *Quod si.*

Item *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *In.*

120. Itaque quum nullum Fundator directe saltem protulerit verbum, ex quo deprehendi valeat, illum haud voluisse in vocatione cognatos comprehendi nec etiam per posterius eosque extraneis posthaberi, sequitur semper pro inclusione esse iudicandum ex praesumpta illius mente; secus enim admittendum foret absurdum seu exorbitantia in illius voluntate, quae, ceu affabre docet Pitonius in allegat. 75 controv. patron. n. 6, – ut dici possit volita, necesse est, ut cognati fuerint expresse exclusi, et quidem per viam regulae, omni casu et omni tempore ..., ideoque licet exprimat illos de domo de casato et de agnatione, expressio tamen ista stat *demonstrative* ad sanguinem praedilectum, idest agnatos, incipiendo ab illis, et volendo eos praeferri omnibus aliis; non autem stat *taxative,* ita ut illis extinctis voluerit posse praesentare extraneos ad exclusionem cognatorum, quum praesumpta mens assistat ad favorem continuationis sanguinis, qui idem est naturaliter in agnato ac cognato, neque ratio agnationis militet in iurepatronatus passivo, et etiamsi militaret, operaretur, donec extant agnati, non autem per posterius in eorum defectum, quod esset odium suorum consanguineorum neutiquam praesumendum *-in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Itaque; die 23 Aprilis 1853* §. *Cum.*

121. Id eo vel magis dicendum est, dum non agitur de Fundatore, qui habet familiam effectivam, sed de Viro ecclesiastico, qui non praesumitur sollicitus de conservanda agnatione, ut inquit Rota coram Durano decis. 115 n. 1, et in Gerunden. Beneficii 5 maii 1692 §. Quae coram Benincasa; et cuius dilectio, experientia teste, erga consanguineos tam masculos, quam feminas, aequalis esse solet, quique proinde vocando – domum – tam agnatos, quam cognatos intellexisse censendum est, quia sola dilectio haec generica, sine ullo connotato seu restrictivo – sui – ipsius – propria – et similium, non est per se apta importare exclusionem vocationis cognatorum saltem in subsidium, Card. De Luca de fideicommissis disc. 48 n. 5, et disc. 168 n. 5, Rota in Recent. decis. 521 n. 20 part. 19 tom. 2: imo plerumque apta est comprehendere etiam transversales tum de proxima, quam remota – domo – seu tam effectiva, quam contentiva, quae derivationem habeat ad eodem ascendenti communi stipite, ceu tradit Pitonius in alleg. 100 de controv. patron. n. 546, et cum Card. De Luca de fideicommissis disc. 52 n. 17, et disc. 249 n. 12, Tondutus quaest. Benef. part. 3 cap. 157 n. 24, Gratianus discept. 645 n. 3, Mansius consult. 457 n. 28, Rota decis. 65 n. 12 coram Cerro *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Februarii 1850* §. *Crescit.*

122. Hinc dictio – domus – *taxative* accipitur pro sola comprehensione agnatorum, quando vocatio directa est ad ipsam domum impersonaliter, *demonstrative* vero accipitur ad designandam originem, quando vocantur personae illius – domus –, itaut comprehendat etiam cognatos tamquam a designata – domo – descendentes saltem in subsidium et in defectum agnatorum, ad excludendum extraneos substitutos, quoties ipsi cognati exclusi non sint per modum Regulae, ut firmant Card. De Luca de iurepatronatus disc. 25 n. 2, Pitonius de controv. patron. allegat. 75 n. 3 et 4, et allegat. 100 n. 649, Rota coram Tanara decis. 99 n. 8 et 9, coram Sanctissimo decis. 12 n. 6 ad 8, in Auximana Iurispatronatus 22 martii §. Et, et 10 decembris 1706 §. Neque coram Scotto, et in Fir-

mana Capellaniae 7 iunii 1751 §. 4 coram Matthaeio *in Urbinaten. Canonicatus die 26 Martii 1763 §. Suam.*

Item *in Nullius Sublacen. Canonicatus die 22 Februarii 1851 §. Sacerdos.*

123. Hanc regulam utpote a saniorum Doctorum parte receptam, et a Sacro Auditorio admissam, fidem perhibet Pitonius de controv. patron. allegat. 75, nec non ab Sacra Congregatione, uti patet ex Urbinaten. Canonicatus 26 martii 1763 *in Nullius Sublacen. Canonicatus die 22 Februarii 1851 §. Sacerdos.*

124. Hinc regula haec et consona est spiritui aliarum, quae pro similibus casibus receptae sunt, ceu est casus vocationis descendentium masculorum, sub qua ex theorica Fulgosi hodiedum ubique probata comprehenduntur masculi etiam ex femina saltem in subsidium *in Nullius Sublacen. Canonicatus die 22 Februarii 1851 §. Sacerdos.*

125. Idcirco cuiusmodi doctrina, si recepta est in materia fideicommissaria, ubi praecipuus scopus est familiae splendorem conservandi, potiori iure retinenda in iurepatronatus, quod veluti materia indifferens habetur, et in quo principaliter ad divini cultus augmentum Beneficia instituta sunt, secundario autem ad familiarum honorem fovendum *in Nullius Sublacen. Canonicatus die 22 Februarii 1851 §. Sacerdos.*

126. Compertum hinc etiam est, sub voce – Civitatis – comprehendi etiam Suburbia; celebre namque habetur effatum in Cap. *Si Civitas* de sententia excommunicationis in 6, ubi interdictum generale Civitatis ad Suburbia extendi declaratur: quae si in odiosis valent, eo magis in favorabilibus obtinebunt, siquidem in hisce iuris regula 41 in 6 viget, scilicet quod accessorium sequitur suum principale; et consonat Textus clarus in L. 147 de verb. signif. –: Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romae nati intelliguntur –; hinc Doctores fere universi inferunt, appellatione – Civitatis – totum territorium, eo vel magis Suburbia legaliter intendi, Capon. dis. 215, Ferrar. verb. *Civitas* n. 87, Barbos. tract. de appellat. 49, idipsum Rota in Recent. tom. 2 decis. 469 part. 12 n. 8: – unde recte dicitur in sententia Rotali Ecclesiam S. Mariae de Manzano esse Ecclesiam eiusdem Oppidi, cum Suburbia sint pars Civitatis seu Castri, cui adhaerent – *in Ravennaten. Admissionis in conventum die 3 Iulii 1852 §. Verum.*

127. At dictionem – di – seu – del – indicare nativitatem et originem dixit Rota coram Molines decis. 982 n. 9, et in Tarraconen. Beneficii 16 aprilis 1742 §. 11 coram Cannilliac *in Romana seu Tudertina die 28 Ianuarii 1769 §. Marchio.*

Item *in Firmana die 8 Augusti 1789 §. Ex hoc.*

128. Unde indoles dictionis – di – aut – della –, adiectae loco seu Civitati, importat immediatam naturalitatem et originis causam ab eodem loco vel Civitate, ex doctrina Bartoli in L. *Provinciales* ff. de verb. signif., Ricc. cons. 150 n. 6, Felin. in Cap. *Significante* n. 8 de Rescriptis, Mantica de coniect. lib. 11 tit. 12 n. 17, Rot. coram Merlino decis. 63 n. 17, coram Zarattа decis. 22 n. 24, et coram Rezzonico decis. 320 n. 8 *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841 §. Subinde.*

Item *in Viterbien. Pii Legati die 8 Augusti 1846 §. Ita vero.*

129. Pacificum tamen non est, quod particula – di – immediatum locum designat: contrarium enim docet ipse Bartolus in L. 1 §. Quum Urbis n. 11 ff. de offic. Praef. Urb. eademque statuit Rota coram Molin. decis. 1276 n. 11 *in Firmana die 8 Augusti 1789 §. Ex hoc.*

130. Hinc verum quidem est, particulam – di – aut – della – naturalitatis et originis locum indigitare; at disquiri adhuc potest, an natus et de origine Oppidi dici queat, qui in eius Suburbiis et territorio natus est *in Ariminen. Capellaniae die 8 Augusti 1841 §. Utrum.*

131. Siquidem Ulpianus in L. 2 de verb. signif. dixit: – Urbis appellatio muris, Romae autem continentibus aedificiis finitur, quod latius patet –; et Herennius in L. 147 eod. tit. – Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romae nati intelliguntur – *in Eugubina die 27 Aprilis 1765 §. Ulpianus.*

132. Sed aliud sunt continentia et aedificia Civitati contigua, quae Suburbia dicuntur, aliud Pagi Villae Vici pagani. Ulpianus idem in L. 30 ad municip. et de incolis ait: – Qui ex

vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui Reipublicae Vicus ille respondet –, ubi Glossa: – natus in Terra Butrii dicitur civis huius Terrae, cum illa Butrii sub hac Civitate sit, ut Virgilius Mantuanus, licet ex Vico eius scilicet Plectoso fuerit ortus–. Cuiaccius in L. 8 respons. Papin. ad L. 77 de leg. 2 §. ultimo ait: – Vici constant ex Villis diversorum hominum, quod plerumque sint Castello Domini insignes, etiam Castella vocantur; Pagorum appellatio latius patet, ut cum Caesar Helvetiam ait fuisse divisam in quatuor Pagos –. Vicus Paganus propria significatione est, qui a Civitate non modico spatio remotus, pluribus rusticanis domibus coniunctis constat *in Eugubina die 27 Aprilis 1765* §. *Sed.*

Item *in Faventina Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1851* §. *Vix.*

133. Unde ex generali iuris sanctione natum haberi in Oppido seu Civitate, qui natus est in territorio Oppidi seu Civitatis eiusque Pagis et Vicis, tradit Gratianus de Marc. 96, Capon. discept. 215, Rota coram Zaratta decis. 22 n. 2 apud Monacell. form. legal. tom. 2 in append. decis. 49 n. 1, et clarius in Recent. decis. 188 n. 2 et 3, decis. 327 n. 12 part. 17., et decis. 557 n. 11 part. 18 *in Eugubina die 27 Aprilis 1765* §. *Inquit.*

Item *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Utrum*; *in Faventina Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1851* §. *Consonat.*

134. Pressius vero quando nomen Civitatis et loci fuit expressum in genitivo territorium omne complecti auctor est Bartolus in celebri distinctione in L. 1 §. Quum Urbis n. 11 de officio Praefecti Urbis, quam exornat Rota in decis. 489 Recent. n. 6 et 7 part. 9 tom. 2, et coram Molines decis. 1276 n. 11 et 12 *in Eugubina die 27 Aprilis 1765* §. *Multo.*

Item *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Utrum; in Faventina Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1851* §. *Consonant.*

135. Territorii autem nomen explicat scite Pomponius in L. 239 ff. de verb. signif.: – Territorium est universitas agrorum intra fines cuiusque Civitatis, quod ab ea dictum quidam aiunt, quod Magistratus eius loci intra eos fines terrendi, idest submovendi ius habent – *in Eugubina die 27 Aprilis 1765* §. *Ut autem.*

Item *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Utrum.*

136. Hinc Villas tunc venire appellatione Castri, quando Castrum habet in Villa iurisdictionem, explicat Ancharanus cons. 142 n. 2 verb. ex hoc infertur, Tuschius sub litt. C. conclus. 116 n. 12 et 13 *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Utrum.*

137. Ceterum Sacra Congregatio in citata Eugubina quum ageretur, an rite nominatus fuisset ad Capellaniam concessam – ai nativi di Gubbio – Benedictus Brunetti e Villa Petroiae, quae octavum lapidem a Civitate Eugubina numerabat, et in qua is natus erat, propositis dubiis: – I. An Clericus Benedictus Brunetti potuerit legitime nominari et institui ad Capellaniam, de qua agitur? *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro gratia sanationis in casu etc. –, die 18 maii 1765 respondit: – Consulendum Sanctissimo pro sanatione ad cauthelam –; dubitabatur enim quid voluerit Testator suis verbis *nativi di Gubbio,* et an Villa Petroiae esset vere in territorio Eugubino, seu potius Oppidum esset Eugubinae Diaecesis, quod suis legibus suo Censu et suo Magistratu viveret *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti* §. *Utrum.*

138. Quum vero Testator aliter expresse mandaverit, eadem Sacra Congregatio contrarium edixit; quandoquidem cum in Spoletana Subsidii dotalis disputatum fuerit, an admittendae essent Puellae non ortae in Terra Usignii, ut Testator voluerat, sed in contermino Castro Podii, proposito dubio: – An Puellae Lucia et Maria Gugè admittendae sint ad subsidium dotale relictum a cl. me. Cardinali Fausto Poli in casu etc. –, licet Parochus, ad quem spectabat Puellarum electio, earum nomina in urna posuisset, die 25 aprilis 1761 respondit: – Negative – *in Viterbien. Subsidii dotalis die 21 Iunii 1766* §. *In decisione.*

139. Unde indubium quidem est, quod origo facit cives, domicilium incolas, L. 7 Cod. de incolis lib. 10: – Cives, quidem origo, manumissio allectio vel adoptio; incolas vero (sicut et divus Hadrianus suo Edicto mani-

festissime declaravit) domicilium facit –; et longum domicilium ad munera civilia reserat aditum lib. 6 eodem titulo : – Privilegio speciali Civitatis non interveniente, tamen originis ratione ac domicilii voluntate ad munera civilia quemque vocari, certissimum est –. Verum quum agitur de testamentis ex verosimili Testatoris voluntate sumenda est interpretatio *in Viterbien. Subsidii dotalis die 21 Iunii 1766* §. *Cives* §. *Certum* §. *Verum*.

Item *in Imolen. Subsidii dotalis die 20 Iunii 1767* §. *Plane*.

140. Itaque certum etiam est, duo domicilia haberi posse, ac filium Civitatem paternae originis, non domicilium sequi in L. 6 ad municip. de incolis: – Filius Civitatem, ex qua Pater eius naturalem originem ducit, non domicilium sequitur; Iurisprudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxerit, ut non ideo minus apud alteros se collocasse videatur – *in Viterbien. Subsidii dotalis die 21 Iunii 1766* §. *Certum*.

141. Unde si legatum alicui sit alligatum qualitati, hac sive ex privilegio, sive alio modo acquisita, legatum debetur; proindeque legatum Civibus relictum eis quoque debetur, qui Civitatem acquisiverunt, Capon. discept. 115 n. 25 tom. 2, Rota coram Molines decis. 982 n. 6: fallit tamen, ubi ad qualitatem, quae naturalis est, respexit; nam haec aliter, quam naturaliter parta, non prodest, et exemplum esse potest qualitas originis, quae nunquam venit nec ex domicilio, nec ex allectione vel privilegio, Castren. cons. 21 n. 5 part. 1, Gail. lib. 2 observ. 35 n. 6 *in Imolen. Subsidii dotalis die 20 Iunii 1767* §. *Hinc*.

Item *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Civium*.

142. Iamvero ordinario iure in favorabilibus Civium nomine comprehendi nedum in Civitate natos, sed eamdem Civitatem incolentes, adeo ut ad lucra et Beneficia, pro Civibus relicta, et isti admittantur, tradunt Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 25 n. 78, Pignatellius tom. 7 cons. 1 n. 1 2 3 per Textum in L. *Adoptivum* §. Patronum, ubi ius n. 2 cum duabus L. seq. ff. de in ius vocandi, Rota in Recent. decis. 127 part. 9 n. 9: ast cum in testamentis singula pendeant praesertim ex voluntate disponentis, eam serio similibus in dispositionibus investigandam esse ex universis rerum adiunctis monet Ferrarius in Biblioth. can. verb. *Civitas* n. 104 *in Tiburtina Nominationis die 27 Iunii 1829* §. *Quemadmodum*.

Item *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *In eo*.

143. Hinc Civium appellatione praesumi, quod vere et naturales Cives Fundator solum comprehendere voluerit, quando ipse quoque erat Civis naturalis et verus, traditur in Mantissa ad ornat. Card. De Luca lib. 3 dec. 80 vol. 4 n. 19 *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Civium*.

144. Quapropter de particula – di – seu – della – haud semel disputatum est apud Doctores et Tribunalia, an ea alicui loco apposita originem tantum importet, vel domicilium etiam includat: et quamvis admissum fuerit, aliquando eam significare posse causam remotam secundum subiectam materiam, quando ita constaret de mente disponentis, ut in L. *Si finita* §. Deinde ff. de damn. infect., generatim tamen causam immediatam significare traditum est apud Sabellium Summ. divers. §. Dictiones n. 26, Barbosam in dict. 76 *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Civium*.

145. Unde ex particula – di – seu – della – originem, non domicilium demonstrari tradit Bartolus in L. *Provinciales* 190 ff. de verb. signif. hisce verbis: – Quum dico Perusinum, intelligo origine, vel qui ibi habeat domicilium. Sed quid, si non dico Perusinum, sed dico, quod talis de Perusio, quid significat? An qui habeat ibi domicilium, vel habeat originem? Et credo, quod significet', secundum communem usum loquendi originem, et non domicilium – *in Imolen. Subsidii dotalis die 20 Iunii 1767* §. *Carolus*.

Item *in Romana seu Tudertina die 28 Ianuarii 1769* §. *Fundator; in Tiburtina Nominationis die 27 Iunii 1829* §. *Porro; in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Civium*.

146. Idque praefatus Bartolus repetit in L. *Si possessor* §. Ait ff. de petit. hereditatis, eamque doctrinam sequitur Rota coram Caprara decis. 650 n. 6, et in decis. 982 n. 7 coram Molines, atque Doctores passim *in*

Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841 §. *Civium.*

147. Huic sententiae Sacram adhaesisse Congregationem ambigi nequit; nam ad participationem subsidiorum dotalium et emolumentorum, quae relicta erant pro Civibus alicuius Civitatis et Oppidi, eos admittendos iugiter respondit, qui originem habuissent ex Parentibus etiam advenis in eadem Civitate vel Oppido non casu fortuito, sed animo domicilium ibidem contrahendi degentibus: prostant exempla in Andrien. Aggregationis 7 septembris 1737, in Iuvenacen. Admissionis ad consortium eiusdem diei et anni, in Arianen. Participationis 12 septembris 1739, in Fanen. Legati 14 decembris 1771, et in Forosempronien. Subsidiorum dotalium 8 augusti 1789 rogati Emi Patres, – an et quibus Puellis deberetur subsidium dotale relictum pro Puellis dictae Terrae? –, responsum dederunt: – Deberi Puellis originariis Montis Veteris et Territorii praelative ad filias adlectorum – *in Tiburtina Nominationis die 27 Iunii 1829* §. *Porro.*

148. Compertum hinc est, ad Beneficia et alia id genus emolumenta pro Civibus constituta eos admittendos esse, qui sint originarii loci tam ex Patre indigena, quam ex Patre advena, legitimum domicilium habente, ortos, nisi aliter cautum sit *in Caputaquen. Participationis die 20 Novembris 1741* §. *Duo.*

Item *in Romana seu Tudertina die 28 Ianuarii 1769* §. *Nam; in Tiburtina Nominationis die 27 Iunii 1829.*

149. Enimvero bona ex suppressione quorumdam Vicovariensium Conventuum proficiscentia Seminario Tiburis ea lege volvente seculo decimo septimo attribuit Cardinalis Episcopus Sancta – Crucius Apostolica suffultus Auctoritate, ut in eodem Seminario tot alerentur Iuvenes Terrae Vicovarii, quot ferrent annui reditus. De numero adolescentium sumptibus Seminarii nutriendorum acriter coram Sacra Congregatione die 25 februarii 1741 pugnatum est inter Pii Loci Deputatos et Vicovariensem Communitatem, cui ex Innocentii X praescripto ius nominandi Alumnos reservatum fuerat: omnem tamen hac super re controversiam diremit transactio anni 1644, qua conventum est, ut tres in aevum a Communitate eligerentur Alumni. Nova subinde, eaque inter ipsos Vicovarienses, exarsit quaestio, quae Alumnorum spectabat qualitates. Accidit enim persaepe, ut Advenae Vicovarium se conferrent contenderentque, filios ibi susceptos inter Vicovarienses Alumnos adscribi, ut in Tiburtino Seminario gratuito informarentur ac nutrirentur. Gravate id pertulerunt Vicovarienses, suorumque Concivium filios maluerunt ceteris praeferri. Preces porrexerunt Sacrae Congregationi, quibus quosdam veluti gradus in explendis Adolescentium nominationibus servandos Apostolicae Sedis robore firmari postularunt: scilicet cupiebant, ut illi, qui Vicovarii ortum duxissent, simulque haberent Patrem tum nativitate, tum domicilio Vicovariensem, reliquis omnino Adolescentibus anteferrentur; his deficientibus vel minime aptis existentibus, succederent qui Vicovarii in lucem essent editi, dum eorum Pater inter Vicovarienses Cives domicilio recensebatur; his quoque non extantibus, ii ad nominationem admitterentur, qui Vicovarii et ex Matre origine Vicovariensi essent prognati; tandem nominarentur, qui domicilio vel adlectione in Civium numerum fuissent cooptati. In facto tamen erat, quod post annum 1786, ubi sese obtulit occasio nominandi Alumnos, filii Advenarum, quamvis Vicovarii et ex Matre Vicovariensi geniti, facile reiecti sunt, et subinde semel iterum repulsam retulit Franciscus Frezzini Vicovarii ortus, cuius Pater Dominicus suam dudum in eodem Oppido sedem collocaverat. Quapropter ne futuris temporibus similia perpetrarentur, suo et Vicovariensium Incolarum nomine Sacram adiit Congregationem praefatus Dominicus, ut huiusmodi abusui remedium adhiberetur.

150. Episcopus retulit: – Non per Decretum ecclesiasticum, sed abusiva prorsus auctoritate potiusquam statutaria Iuvenes ex Patre Advena reiiciuntur, et Iuvenes ex Patre Vicovariensi in aliena Terra permanenter degentes admittuntur. Nec Francisci Orsini Vincentii Chiappini aliaque exempla vim pro consuetudine possunt habere. Parentes enim illorum utpote chirurgiam et medicinam exercentes nunquam aut raro domicilii rationem acquisiverunt. Quae cum ita sint, Oratorum observationes et preces videntur non excludendae –. Si enim huiusmodi Iuvenum Parentes

opus esset, ut vectigalia solverent ceteraque subirent onera, quae aliis Vicovariensibus erant communia, iustitiae quoque consonum videbatur, ut privilegiis et iuribus, quibus filii Vicovariensium potiebantur, et eorum liberi fruerentur. Insuper ubi gradus a Communitate propositi sanctione legis firmarentur, libertas eligentium quibusdam vinculis constringerentur, et aliquando contigisset, ut Adolescentuli bonae spei posthaberentur iis, qui ingenio vita et natalibus forent a nominatione repellendi, aliter tamen rem definiendam existimabat Vexillarius Vicovarii. Initio enim animadvertit, neminem Vicovariensium certum sibi asserere posse ius, quoniam ex eligentium arbitrio pendebat, ut alter prae altero eligeretur. Dein valde aequitati consentaneum existimavit, ut illi potius praeferrentur Adolescentes, quorum Parentes et forte etiam maiores Vicovarii ortum duxerunt, quam filii eorum, qui paucis ab annis illuc contenderunt, ut aliquo fungerentur officio, propitiumque ibi aerem experti, Uxorem duxerunt, praedia sibi compararunt, et domicilium collocarunt. Praeterea non agebatur de lege, quae eorumdem Parentum filios a nominatione omnino repelleret, sed tantummodo de praelatione iis tribuenda, qui antiquiori gaudebant civitate; nec de lege tunc primitus instituenda, siquidem post annum 1786 usu receptum erat, ut indigenarum Vicovariensium filii praeponerentur.

151. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et quinam Adolescentes sint eligendi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, et eligendos Iuvenes originarios Terrae Vicovarii tam ex Patre indigena, quam advena, legitimum domicilium habente, ortos - *in Tiburtina Nominationis die 27 Iunii 1829.*

152. Verum haec ipsa distinctio non semper ubique locum habet: quaestio enim omnis a verosimili Testatoris voluntate, a subiecta materia, et a circumstantiis repetenda est, ex doctrina eiusdem Bartoli in L. *Si possessor* §. Ait ff. de petit. hereditatis *in Romana seu Tudertina die 28 Ianuarii 1769* §. *Fundator.*

Item *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Civium.*

153. Nam dum de testamentis agitur, videndum, quis Testator, quibus verbis loquutus fuerit, quomodo ea verba de iure interpretanda sint, quomodo communiter accipiantur, quid erui possit ex peculiaribus circumstantiis de voluntate ipsa et mente Testatoris, qui rerum suarum arbiter et moderator erat, suae pecuniae legem dixit, ac peculiarem aliquem modum loquendi, et suam mentem et voluntatem explendi fortasse habuit, ut non raro accidit; quae locupletissima origo est tot controversiarum, quae forum obsident *in Viterbien. Subsidii dotalis die 21 Iunii 1766* §. *Verum.*

154. Idcirco Sacra Congregatio tum Puellas origine cives, sed ex Patre advena ortas, repellendas censuit, cum Testator aperte iussisset, ne eadem tribuerentur, nisi Puellis, quae haberent Parentes eiusdem loci indigenas *in Tiburtina Nominationis die 27 Iunii 1829* §. *Porro.*

155. Siquidem Sacra Congregatio in Viterbien. Subsidii dotalis, qua Testator vocaverat Puellas - di Padre e Madre Viterbesi -, quum ad subsidium admissa fuisset Caecilia Geltrudes Martinozzia Viterbii nata ex Patre, qui per quinquaginta annos Viterbii domicilium habuerat, sed in Urbeveteri ortum duxerat, reiecta distinctione Doctorum aliquorum, qui maiorem tribuunt amplitudinem verbo - Viterbese -, ac - di Viterbo -, proposito dubio: - An substineatur extractio Puellae Caeciliae Martinozzi ad subsidium dotale relictum a Marco Antonio Morelli, seu potius veniendum sit ad novam extractionem Puellarum cum requisitis testamenti dicti Morelli? -, ex verosimili Testatoris voluntate die 19 iulii 1766 respondit: - Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam -. Consonare videtur et resolutio in Spoletana Subsidii dotalis diei 25 aprilis 1761, nec non alia in Imolen. Subsidii dotalis 20 iunii 1767, nisi quod in hac postrema nec domicilium plene demonstrabatur *in Imolen. Subsidii dotalis die 20 Iunii 1767* §. *Sacra.*

Item *in Romana seu Tudertina die 28 Ianuarii 1769* §. *Fundator; in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Utrum* (1).

(1) Species et resolutio praefatae Causae Ariminen. die 28 Augusti 1841 die 6 maii et die 12 augusti 1843 prostant in Verb. *Capellanus*, §. VI, n. 64 ad finem, Tom. VI.

156. Ceterum quando nemine Civium comprehenduntur tam veri, quam ficti, ex praesumpto tamen disponentis placito semper veros praeferendos esse fictis, adnotatur in Mantissa ad ornatum Card. De Luca lib. 3 vol. 4 dec. 80 n. 22, et apud Barbosam in in tract. de dict. dictio 76 *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841* §. *Ceterum.*

Item *in Faventina Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1851* §. *Statutum.*

157. Unde Alienigena, ex privilegio creatus Civis, idoneus evadit ad consequenda privilegia et Beneficia veris Civibus concessa, ita tamen ut originarii, si adsint, iugiter praeferantur, Ferrar. in Biblioth. can. verb. *Civitas.* n. 80, Rota in Recent. decis. 180 n. 1 part. 9 *in Tiburtina Beneficii die 27 Ianuarii 1827* §. *Hisce.*

158. Amplia, etiamsi privilegium Civitatis suprema Principis auctoritate fuerit roboratum; nunquam enim praesumitur, voluisse Principem iuri tertii quaesito derogare, nisi id patulis verbis expresserit, Reg. 8 Cancell., Card. De Luca de praeeminentiis disc. 36 n. 1, Rota in Ripana Capellaniae 5 iulii 1822 §. 6 coram Marco *in Tiburtina Beneficii die 27 Ianuarii 1827* §. *Hisce.*

159. Ubi itaque assumptio in Civem facta est Supremi Principis auctoritate non simpliciter, sed cum expressa clausula, quod assumptus pro originario sit habendus, iisdem potitur iuribus et privilegiis, quibus fruuntur Cives, ad tradita per Pignatellium consult. 1 tom. 7, Card. De Luca de praeeminentiis disc. 37 n. 3 *in Tiburtina Beneficii 27 Ianuarii 1827* §. *Nec.*

160. Clausula autem – sicut accepimus – potius facti dubietatem in ipso concedente demonstrat, ceu docet De Rosa de exequut. Litt. Apost. part. 1 cap. 7 n. 181 *in Tranen. Honorificentiarum die 31 Martii 1855* §. *Patrocinator.*

161. Similiter clausula – ut asserunt – vel alia – prout in Testamento dicitur plenius contineri – innuit, Summo Pontifici exhibitum non fuisse Testamentum, nec illi innotuisse singulas dispositionis circumstantias, ad tradita per Rotam in Bononien. Successionis 6 maii 1754 §. 7 coram Canilliac *in Bononien. Aperitionis oris die 23 Aprilis 1763* §. *Arbitrantur.*

162. Contra ex clausula – omnibus mature perpensis – praesumitur, omnia fuisse nota Pontifici *in Fulginaten. Substitutionis et fructuum die 29 Ianuarii 1859* §. *Si demum.*

163. Nulla vero censetur renunciatio Beneficii, si Episcopus eam cum clausula – si et in quantum – admisit, ex eo quod eadem nullam aliam secumfert adprobationem, quam quae de iure admittenda, per Ridolfinum in prax. part. 1 cap. 2 n. 166, praecipue quum ex metu renunciatum Beneficium sit de iurepatronatus, tum enim renunciatio non tenet, nisi accedente consensu Patronorum, ad tradita per Leurenium quaest. 387 n. 3, adeoque Beneficiatus reintegrandus est ad omnia iura et honores a die recursus *in Balneoregien. Renunciationis die 17 Septembris et die 17 Decembris 1814.*

164. Siquidem Sacerdos Canonicus Vittori Decanus Cathedralis Balneoregiensis iubilatus, cum metu correptus esset, se compelli posse a laica potestate ad illicitum reprobatumque iuramentum fidelitatis, e re sua censuit die 10 iulii 1810 in actis Cancellariae Episcopalis emittere renunciationem praesentibus Testibus, hisce conceptam verbis: – facto renunciat ac renunciavit suum Canonicatum de iurepatronatus laicorum, prout in hac Cancellaria constat libere et absque ulla pensione, et pro congrua canonica retinuit et retinet Beneficium S. Leonardi situm in Terra Graffiniani huius Diaecesis, nec non Capellaniam ad nutum amovibilem de iurepatronatus suaemet personae, et Beneficium annui fructus scutorum 25 liberorum, et Capellania vero excedit summam scutorum 10, petens recipi et admitti, et decretum etc. –. Quam renunciationem Episcopus Balneoregiensis admisit cum clausula – si et in quantum –. Nec eum fefellit opinio: vix enim aliquae elapsae horae sunt ab emissa renunciatione, denunciatum ei fuit, ut iuramentum emitteret sub poena deportationis. Sed attenta renunciatione anterius emissa, facile ei fuit, se a coactione iuramenti praestandi liberare, et a comminata poena se subtrahere. Preces subinde obtulit Summo Pontifici ad hoc, ut nullam ac irritam eam renunciationem declararet, tamquam factam vi et metu, et redintegratus foret ad iura et possessionem

sui Canonicatus. Capitulum rite congregatum censuit, nullum esse parandum obstaculum ad reintegrationem Canonicatus massae S. Nicolai ac iurispatronatus Familiae Oratoris, quin tamen ipsum amitteret iura ob renunciationem acquisita, iura nempe stalli praecedentiae ac similium. Canonici vero ex Massa S. Nicolai in ipsis comitiis capitularibus protestationem interposuerunt, ne in rehabilitatione Oratoris illa etiam iura, quibus ob antianitatem ante renunciationem fruebatur, et in specie privilegium iubilationis ac praesertim ius retinendi antiquam portionem, cum iam ea fuerit optata, rursus nancisceretur: eum enim tamquam novum Canonicum habendum esse contenderunt. At Vicarius Apostolicus favit Oratori, qui demonstravit, renunciationem ab eo emissam triplici ex capite nullitatis vitio esse infectam, scilicet ex vi et metu, unde processit, ex defectu acceptationis Ordinarii, et ex defectu consensus Patronorum. Animadvertebatur tamen ex officio, duce Pirhing in ius can. lib. 1 tit. 40 §. 2 n. 10, renunciationem metu factam per actionem – quod metus causa – et restitutionem in integrum rescindi debere; nam qui ex metu agit, absolute et simpliciter loquendo consentit et voluntarie agit, et minus malum eligit, quamvis nollet agere, si metus abesset. Idcirco si haec regula tenebat, profecto nonnisi officio Iudicis et ope restitutionis in integrum irritanda erat renunciatio, proptereaque ea, quae interea evenerant et iura, ex renunciatione ceteris Capitularibus acquisita, firma servanda erant. In contrarium tamen urgebat regula, quod restitutio in integrum reponit omnia ia eo statu, ex quo deductus est ille, qui per renunciationem nullam suo se privavit iure, ut docet Rota decis. 95 n. 20 Recent. part. 10, et decis. 365 n. 11 part. 19. Proposito interim dubio: – An constet de nullitate renunciationis a Sacerdote Hieronymo Vittori emissa, ita ut sit irritanda et quomodo et ad quae iura sit redintegrandus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Iterum proponatur – *in Balneoregien. Renunciationis die 17 Septembris 1814.*

165. Canonicus Vittori plura rursus exposuit, ut dilueret difficultatem inter informandum EE. PP. auditam, scilicet clausulam – si et in quantum –, qua Episcopus renunciatione munivit, secumferre veram renunciationis acceptationem, ut ipse ab ea reclamare non posset. Ad haec respondit, primo quod clausula illa nil aliud importat, quam si actus de iure admittendus sit, censeatur admissus. Secus vero si de iure non tenet, ut tradunt Hondedeus cons. 21 n. 6, Barbosa tract. var. consult. 149 n. 2, Rota in Recent. decis. 356 n. 18 part. 6, et decis. 54 n. 6 part. 18. Secundo quod Episcopus non poterat renunciationem acceptare, cum iusta non subfuerit causa ad renunciandum, et in iure non adprobata, ad normam Textus in Cap. *Nisi cum pridem* 10 de renunciatione, et Constitutionis S. Pii V, cuius initium: *Quanta Ecclesiae* §. 3. Ex his conclusit, quod renunciatio acceptata nunquam ab Episcopo fuerit, ita ut sibi liceret adversus illam obloqui. Quare redire videbatur controversia, utrum de iure teneret emissa renunciatio. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et Canonicum Vittori reintegrandum esse ad omnia iura et honores a die recursus – *in Balneoregien. Renunciationis die 17 Decembris 1814.*

166. Clausula autem apposita in supplicatione operatur suum effectum, etiamsi in Literis non legatur, quia ad supplicationem recurritur tanquam ad matricem, ut totidem verbis docet Barbosa de claus. usu frequent. claus. 1 n. 10 *in Reatina Iuris deputandi Examinatores die 14 Decembris 1839* §. *Certum.*

167. Alias ne dubium quidem, quod clausulae in medio positae ad antecedentia, non ad subsequentia sint referendae, ad tradita per Barbosam claus. 69 n. 1, Card. Petra ad Constit. Innocentii IV sect. 1 n. 40, Rot. in Recent. decis. 257 n. 7 part. 1 *in Lucana Praeeminentiarum die 29 Ianuarii 1825* §. *Neque.*

168. Idque praesertim dicendum est, cum antecedentia sint generalia et amplissima, subsequentia specialia, ut monet Barbosa in dict. 110 n. 36 *in Lucana Praeeminentiarum die 29 Ianuarii 1825* §. *Neque.*

169. At generalis clausula, qua utitur Pontifex ad derogandum Regulis Cancellariae, haud portendi debet etiam ad Regulam nonam, ut Vicarii Curati Canonicatum optent,

licet mensibus reservatis vacaverit *in Taurinen. Praebendae Theologalis die 27 Aprilis 1833* §. *Neque.*

170. Clausulas enim id genus recipere interpretationem a principali dispositione advertit Rota in Tirasonen. 19 ianuarii 1583 coram Rebustonio *in Taurinen. Praebendae Theologalis die 27 Aprilis 1833* §. *Neque.*

171. Siquidem clausulae generales et amplissimae nullam limitationem admittunt, sed generaliter sunt accipiendae ad L. 1, ibique Gloss. in verb. Omnibus ff. de alien. Iudic. mutan. caus. fact., Rot. decis. 64 n. 5, et decis. 101 n. 2 coram Gamberini *in Lucana Praeeminentiarum die 29 Ianuarii 1825* §. *Eoque.*

172. Idcirco ea est vis clausulae – in omnibus et per omnia –, ut, qui ea utitur in aliquo actu confirmando, omnia et singula in eodem actu contenta confirmet absque ulla vel minima imminutione, Rota in Recent. part. 12 decis. 34 n. 39, Marta de clausul. claus. 62 n. 3 *in Sarnen. Iurispatronatus die 28 Augusti 1852* §. *Perdite.*

173. Hinc dictio – omnes – universalis est, neminem excludit, ac idem operatur ac si de singulis facta esset mentio specialis, ceu in terminis Rota decis. 315 n. 11 coram Ludovisi, decis. 417 Recent. part. 4 n. 1, ac tradit Barbosa in dict. *Omnis* n. 1, Card. Tusc. concl. tract. litt. D. concl. 397 *in Verulana Praelaturae die 29 Aprilis 1854* §. *Nequidquam.*

174. Unde clausula – ex quacumque causa – universalis dicitur et quemcumque modum comprehendit, ea etiam, quae non venirent, etsi ratio universitatis reddi nequeat, ad tradita per Rotam in Recent. decis. 51 n. 5 part. 8, decis. 57 n. 10 part. 4 tom. 2, et decis. 335 n. 16 part. 5 tom. 1 *in Lucionen. Suspensionis et appellationis die 8 Aprilis 1848* §. *Exemptionem.*

175. Idcirco clausula – ex quacumque causa –, utpote universalis et quemcumque casum includens, comprehendit nedum occulta, sed publica etiam crimina *in Taurinen. Suspensionis die 7 Iulii 1855* §. *Quoad.*

176. Similiter dictiones – cuncta quaeque – tamquam universalissima nullam patiuntur restrictionem et nihil excludunt, habentque vim specialis et individuae expressionis, ceu de aequipollentibus verbis – omnia et singula – tradunt Surdus consil. 412 n. 27 lib. 3, et consil. 537 n. 5 lib. 3, Rota in decis. 811 n. 8 coram Amat, coram Dunozzetto decis. 145 n. 11, decis. 157 n. 7 part. 8 Recent. *in Spoletana Beneficii die 27 Iulii 1850* §. *Nulla.*

177. Quapropter dictio illa – tutti i forastieri di qualunque condizione - ita est universalis, ut neminem quacumque licet dignitate fulgentem et quantumvis etiam privilegiatum aut alioquin exemptum excludat, ad Textum in L. 1 ff. de novat., L. *Distinguemus* §. Si plures ff. de arbitr., Rota in Recent. decis. 142 n. 35 part. 10, decis. 606 part. 19 n. 13, et praesertim decis. 47 part. 9 n. 23: – Adverte in privilegiis generaliter concessis verba universalia non admittere interpretationem restrictivam – *in Portuen. S. Ruffinae et Centumcellarum Sepulturae et emolumentorum die 23 Iulii 1832* §. *Quod.*

178. Itaque verbum – ripristinare – adamussim exprimit in priorem et primitivum statum restituere vel reducere, teste Vicat vocab. utriusq. iur. verb. restituere in integrum vel in pristinum *in Fanen. Pii Relicti die 26 Novembris 1853* §. *Haec.*

179. Dictio vero – tantum – limitationem secumfert *in Romana Odei die 29 Ianuarii 1853* §. *Hisce.*

180. Hinc dictio - tantum – taxativa est, quae includit expressam et reliqua excludit, omnemque impedit extensionem ad non expressa, ceu in terminis tradit Barbosa de diction. dict. 102 n. 2 et 3 *in Forolivien. Iuris nominandi die 3 Aprilis 1841* §. *Atqui.*

Item *in Ravennaten. Admissionis in Conventum die 3 Iulii 1852* §. *Quotquot.*

181. Imo censetur exceptiva, limitat atque restringit sicut dictio – tantummodo –, ut in puncto Paris. lib. 2 cons. 7 n. 13, Menoch. consult. 362 n. 36 *in Ravennaten. Admissionis in Conventum die 3 Iulii 1852* §. *Quotquot.*

182. Idcirco dictiones – solum - tantum - rem cohibent nominatim ad casus expressos, Rota in Romana Exequutionis 5 maii 1809 §. 6 coram Cesarei *in Forolivien. Iuris nominandi die 3 Aprilis 1841* §. *Atqui.*

183. Dictio autem - saltem – indicat dum-

taxat limites, infra quos quid non liceat praestare, minime vero excludit, ut praeter eos quid praestetur et fiat, S. Rota decis. 1 et 9 Recent. part. 14 n. 1, Ursaya discept. eccles. part. 1 discept. 9 n. 148 *in Tranen. Honorificentiarum die 31 Martii 1855* §. *Ad.*

184. Unde dictio – saltem – subsidii casum tantummodo indigitat, uti perpendunt Castren. cons. 79, et Barbosa in dict. 355 n. 1 *in Comen. Beneficii die 13 Iulii 1771* §. *Qui.*

185. Quando autem nulla adiecta reperitur clausula irritans in casu, quo aliter exequeretur modus in illa expressus, minime pro forma inductus censetur, L. 1 de lib. et posth., Dian. part. 10 tract. 12, Gratian. discept. for. 607 n. 3 *in Leodien. die 21 Novembris 1772* §. *Neque.*

186. At dictio – ne possint – vim fortasse habet Decreti irritantis, et nullitatem ordinationis inducit, ut de altera dictione – nullatenus – est Textus in Authen. *Si quae Mulier,* ibique Glossa verb. Nullatenus Cod. ad Senatus consult. Velleian., Clement. ult. de sequestr. possess., et ibi Glossa verb. Nullatenus *in Congregationis Cisterciensium die 28 Novembris 1789* §. *Dubitari.*

187. Hinc clausula – sublata et Decretum irritans – apposita in Literis Apostolicis, quamlibet abrogat legem factam vel faciendam per Ordinarios locorum *in Reatina die 5 Aprilis 1788* §. *Quid.*

188. Imo clausula – sublata et Decretum irritans – tollit omnem contrariam observantiam, ceu tradit Ursaya discept. eccles. 19 tom. 6 part. 2 n. 105 *in Fulginaten. Funerum die 18 Augusti 1773* §. *Quo vero.*

189. Quapropter Constitutio Pontificia munita clausula – sublata et Decreto irritanti – nullam reddit contrariam consuetudinem, etiamsi centenaria foret, ad tradita per Rotam in decis. 572 n. 11 coram Cerro, decis. 9 n. 38 coram Paenia, et in Gerunden. Canonicatus 3 Martii 1727 §. 30 coram Calcagnino *in Reatina Mediae Annatae die 12 Maii 1770* §. *Ad primum.*

Item *in Nucerina Iuris Visitandi die 11 Ianuarii 1783* §. *Nec obesse.*

190. Unde Constitutioni munitae clausula – sublata et Decreto irritanti – haud obstat contraria consuetudo, etiamsi centenaria *in Reatina Mediae Annatae die 12 Maii 1770* §. *Ad primum.*

Item *in Montis Alti Visitationis SS. LL. die 24 Novembris 1838* §. *Probet.*

191. Quum itaque Apostolicae Literae munitae sint clausula – sublata et irritanti Decreto –, impermissum est Inferiori sine labe attentati, quae in ipsis Literis statuta sunt, corrigere, eoque minus infirmare, nisi prius oris aperitio fuerit impetrata, iuxta communem Doctorum sententiam, ceu apud Fagnanum in Cap. *Super literis* de Rescript. n. 37, Constantin. vot. decis. 447 tom. 7 n. 37, et vot. 352 n. 6 et alibi, De Ros. de exequut. Litt. Apost. part. 1 cap. 4 *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Neutiquam.*

Item *in Faventina Decreti Sacrae Visitationis die 14 Maii 1859* §. *Post haec.*

192. Idcirco sententia Curiae Episcopalis nulla censetur, attentis – Decreto irritanti ac clausula sublata – in Apostolicis Literis adiectis, quorum ea est vis, ut cuilibet Iudici adempta maneat facultas contra easdem Literas obloquendi, nisi prius venia a Pontifice fuerit facta, ad tradita per Constantinum in vot. decis. 309 n. 5, De Rosam de exequut. Litt. Apost. part. 1 Cap. 4 *in Viterbien. Iurium ac Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Neutiquam.*

193. Ea autem est indoles clausulae – ceterisque in contrarium facientibus, quamvis specifica mentione dignis non obstantibus –, ut sit derogatoria quorumcumque facientium in contrarium, posita in fine ad omnia praecedentia referatur, et operetur, quod de subreptione non possit opponi, ex Rota in Recent. decis. 506 n. 5, decis 464 n. 8, et decis. 5 n. 2 part. 3 *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 29 Ianuarii 1859* §. *Nec officere.*

194. Qua de re cuicumque oppositioni seu contradictioni derogatum manet per clausulam, quae adiecta legitur in calce Decreti – contrariis quibuscumquee minime obstantibus – *in Camerinen. Translationis Missarum die 5 Aprilis 1851* §. *Praeterea.*

195. Unde clausula – non obstante – est derogatoria rei, ad quam refertur, et adeo potens est, ut, dum Princeps ea utitur, videatur disponere super iure, uti monet Alex.

cons. 7 n. 2 lib. 4, Bald. in Leg. *Omnes* n. 2 Cod. de praescript. 30 annorum, Felin. in Cap. *Nonnulli* n. 6 de Rescriptis, Paris. cons. 1 n. 92 et seqq. lib. 2, Rot. in Recent. decis. 355 n. 2 part. 4 tom. 1, decis. 4 n. 9 part. 6, annot. ad decis. 90 n. 103 part. 9 tom. 1 *in Perusina Subsidiorum Dotalium die 15 Septembris 1838* §. *Quin.*

Item *in Venetiarum et Ceneten. Literarum Apostolicarum seu Iurispatronatus die 19 Decembris 1840* §. *Demum.*

196. Quin imo clausula – non obstantibus –, aliaeque similes aptae sunt ad removendum subreptionis vitium a Beneficiis de iurepatronatus ecclesiastico, secus vero si Beneficium sit de iurepatronatus laicali, ceu tradunt Covarruvias pract. quaest. lib. 1 cap. 36 n. 9, Rota in Recent. decis. 114 n. 22 part. 9 tom. 1 *in Praenestina Concordiae die 20 Augusti 1774* §. *Vitium.*

197. Idcirco clausula – quibuscumque non obstantibus – tollit ea omnia, quae dispositioni, in qua est apposita, obstare possint, ad tradita per Barbosam claus. 82 n. 4 *in Reatina Iuris Deputandi Examinatores die 16 Decembris 1839* §. *Certum.*

198. Verba igitur – consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis – apposita in Decretis Concilii Tridentini tollere videntur quamlibet etiam contrariam et immemorabilem consuetudinem, tum quia ea sunt universalia indefinita omniaque complectuntur, L. *Iulianus* 66 ff. de legat. 3, Rot. decis. 2 n. 5 coram Molines, et in Recent. decis. 379 n. 5 part. 15, tum etiam quia alibi minori verborum amplitudine immemorabili consuetudini derogatum a Concilio fuisse non ambigitur, Garc. de Benef. part. 3 cap. 2 n. 197 211 et 224, Piton. de controv. patron. alleg. 5 n. 5, tum demum quia in Literis confirmatoriis Concilii a s. m. Pio IV editis, ultra clausulam sublatam, adiectum quoque reperitur Decretum irritans, quod cuilibet Concilii Capitulo inesse censetur, Gonzalez ad Reg. 8 cancell. gloss. 15 n. 35, Piton. loc. cit. n. 19, Rot. coram Emerix iuniore decis. 1279 n. 17 *in Faventina Reddition is rationis die 8 Augusti 1772* §. *Perperam.*

199. Unde clausula derogatoria a Concilio Tridentino adiecta – privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus –, cum favorem publicum animaeque utilitatem respiciat, iis etiam aptari posse videtur, qui speciali privilegio ac praerogativa donati sunt, ut tradit Fagnanus in Cap. fin. de poenit. et remiss. n. 56, apud quem plura hac in re notata digna occurrunt a n. 6 ad 19 *in Hildesimen. die 16 Septembris 1769* §. *Inquirendum.*

200. Itaque clausula adiecta Decretis generalibus anni 1703 Sacrae Congregationis Rituum – salvis consuetudinibus immemorabilibus aut saltem centenariis – intelligenda esse tantummodo videtur de functionibus, quae aliqua lege Parochis vetitae sint. Rota in Gerunden. Servitutum die 23 februarii 1731 §. Nihilominus coram Cincio *in Faventina Functionum die 17 Iulii 1773* §. *Atque.*

201. Clausula autem – utatur iure suo – non importat specialem delegationem *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768* §. *Nihil.*

202. Clausula itaque – inductum defendas – in Literis Apostolicis adiecta nil aliud praesefert, quam ut Exequutor Beneficiatum in possessione tueatur per aliquod breve tempus, aut ad summum per annum, ut monet Rosa de exequut. Litt. Apost. part. 1 cap. 9 n. 16 et 23, in possessione tueri *in Leodien. Beneficiorum die 23 Aprilis 1768* §. *Nec.*

203. Constitutio vero continens clausulam – salva Sedis Apostolicae auctoritate et diaecesani Episcopi canonica institutione et reverentia – praeservat iura Episcopi etiam quoad Archidiaconorum confirmationem, ad tradita per Rot. in decis. 349 n. 41 et 42 part. 12 Recent. *in Monasterien. Confirmationis die 16 Septembris 1769* §. *Immerito.*

204. Itaque clausula – quorum tenore – habet vim specificae derogationis, iuxta notum consilium 2 Butrii saepe a Rota canonizatum *in Calaritana Pensionis die 12 Martii 1729* §. *Conveniunt.*

205. Unde clausula – cuius tenorem – supplet tantum defectum exhibitionis Testamenti, quoad ea solum, quae fuerunt narrata, non autem inducit scientiam eorum, quae reticita fuerunt, ut monet Moneta de commut. ultim. volunt. cap. 7 n. 209 *in Bononien. Aperitionis oris die 23 Aprilis 1763* §. *Nec putant.*

206. Clausula autem adiecta in Literis Apostolicis – sine alicuius praeiudicio – comprehendit quodcumque extrinsecum praeiudicium, non tamen illud, quod in concedenda gratia Pontifex voluit inferre, seu quod ex natura rei resultat, uti perpendunt Corradus in prax. Benef. cap. 4 lib. 2 n. 75, Card. De Luca de praeeminentiis disc. 9 n. 4 *in Pisauren. die 11 Ianuarii 1772* §. *Neque.*

Nam clausula – sine praeiudicio – praeservat iura illaesa, uti advertit Gratianus in discept. for. cap. 867 n. 11, et Panimoll. decis. 94 n. 5 *in Senen. Vocis in Capitulo die 27 Februarii 1768* §. *Idque.*

207. Idcirco clausula – si alterius praeiudicio – ita est interpretanda, ut gratiae alicui indultae neminem laedant, ut monent Barbosa claus. 157 n. 1, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. §. 4 prooem. n. 2, Card. Petra ad Constit. Innocentii IV sect. 1 n. 31 *in Lucana Praeeminentiarum die 29 Ianuarii 1825* §. *Inde.*

208. Unde clausula – sine praeiudicio venientium ab intestato vel fideicommisso aut alia de iure valida dispositione – adeo est praeservativa iurium, ut gratia elargita conditionalis habeatur, quatenus nimirum tertio damnum non inferat, ceu tradunt Pitonius in discept. eccles. 100 n. 120, et Rota coram Merlino decis. 316 n. 25 *in Tudertina Iurispatronatus die 20 Decembris 1851* §. *Itaque.*

209. Qua de re iusta intercedente causa, Sacra Congregatio concessit quidem facultatem benedicendi Oratorium, quod fratres de Fabris extruxerant intra fines Parochiae S. Petri, licet Episcopus repugnaret, salvis tamen iuribus Parochialibus; his quippe in terminis proposito dubio: – An sit concedenda facultas benedicendi Oratorium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, salvis iuribus Parochialibus, et apposito lapide; et amplius – *in Forosempronien. Benedictionis publici Oratorii die 24 Septembris 1763.*

210. Proposito hinc dubio: – VII. An concedendum sit Hospitali et Congregationi Presbiterorum S. Petri Villae Matriti indultum exponendi in illius Ecclesia publicae venerationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, celebrandi divina officia in Hebdomada maiori, benedicendi candelas cineres et ramos olivarum, ac celebrandi quamcumque festivitatem Missas cantatas praedicationes anniversaria et officia mortuorum, et peragendi quasvis ecclesiasticas functiones fieri consuetas ab aliis Hospitalibus exemptis, fruendique omnibus privilegiis et praerogativis ad instar aliorum Hospitalium Auctoritate Apostolica exemptorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, quoad expositionem Sanctissimi Sacramenti et praedicationem, arbitrio Ordinarii, in reliquis idem Ordinarius provideat pro sui prudentia, salvis iuribus Parochialibus – *in Toletana Iurium parochialium sive Hospitalis et privilegiorum die 20 Novembris 1745.*

211. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Toletana Iurium parochialium sive Hospitalis et privilegiorum die 28 Maii 1746.*

212. Unde Sacra Congregatio annuit quidem, ut Borromaeus Accursius in parte propriae domus positae in Oppido Montis Milonis Ecclesiam aedificare eidemque dotem assignare posset, clausula tamen apposita – salvis iuribus parochialibus, pro arbitrio et conscientia Episcopi – *in Maceraten. die 10 Maii 1687.*

213. Idcirco quando non est locus dismembrationi Paraeciae, nec constitutioni Vicarii Curati, Sacra Congregatio adamussim Populi necessitati providere satagit, sed salvis simul quibuscumque iuribus Parochialibus; proposito quippe dubio: – II. An Parochus pro tempore dictae Terrae Alpisplanae cogi debeat retinere Vicarium Curatum in Ecclesia Sancti Iosephi dictae Villae superioris, seu potius quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; nempe pro facultate concedenda Capellanum Vici superioris retinendi expensis illius Populi, audiendi etiam in huiusmodi Oratorio publico Sacramentales confessiones, S. Eucharistiam et Oleum Sanctum in eodem retinendi nec non administrandi, Missamque etiam diebus solemnioribus celebrandi, salvis quibuscumque iuribus Parochialibus – *in Derthonen. Dismembrationis die 11 Ianuarii 1766.*

214. Hinc iustis de causis Sacra Congregatio indulsit Capellano Curato Ecclesiae loci Delii, qui distabat a Parochiali Ecclesia S. Laurentii duobus fere millibus passuum, facultatem sepeliendi cadavera administrandi Sacramenta Baptismi Poenitentiae et extremae Unctionis, salvis tamen iuribus Parochialibus, non vero facultatem administrandi Sacramenta Matrimonii et Eucharistiae tempore paschali; proposito enim dubio: – I. An et quomodo Ecclesiae S. Bernardi loci Delii concedenda sit facultas sepeliendi cadavera et administrandi Sacramenta Baptismi Matrimonii Poenitentiae Eucharistiae etiam tempore paschali et extremae Unctionis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative quoad Matrimonia et implementum praecepti paschalis; in reliquis, Affirmative, salvis iuribus Parochialibus - *in Albinganen. Curae animarum et functionum die 9 Septembris 1752.*

215. Idcirco ad Rectorem et Capellanos Ecclesiae S. Margaritae spectat quidem ius celebrandi solemniter in praefata Ecclesia appellata de suffragio et Capitulo Cathedralis subiecta Missam die festo eiusdem Sanctae nec non funebres functiones peragendi, quoties ibidem cadavera tumulantur, salvis tamen iuribus Parochialibus; proposito enim dubio: – An constet de aliquo iure Capituli Cathedralis pro peragendis functionibus ecclesiasticis occasione tumulationis cadaverum et die festo S. Margaritae in Ecclesia, de qua agitur, vel potius ius faciendi dictas functiones spectet privative ad Rectores et Capellanos eiusdem Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, salvis iuribus Parochialibus – *in Ortonen. die 19 Ianuarii 1735.*

216. Unde Sacra Congregatio indulsit fundatrici Margaritae Leite de Figueredo sepulchrum in Capella suis expensis constructa et dotata nec non Beatae Ioannae principissae Portugalliae dicata pro se suisque successoribus, apposita tamen clausula – salvis iuribus Parochialibus –; proposito enim dubio: – VI. An sit concedendum Fundatrici habere et retinere sepulchrum in dicta Capella patronali pro se et suis successoribus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, Affirmative, salvis iuribus Parochialibus – *in Portugallen. die 11 Ianuarii 1727.*

217. Quum itaque constructa fuerit ex Piorum eleemosynis Ecclesia S. Mariae Liberatricis in Terra Scanni ac ibidem erecta Confraternitas Laicorum, proposito dubio: – II. An liceat in eadem Ecclesia habere sepulchra et respective possint cadavera tumulari absque licentia Parochi et in praeiudicium iurium Parochialium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, licere habere sepulchra accedente licentia Episcopi, et posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura, absque licentia Parochi, sed salvis iuribus parochialibus – *in Valven. seu Sulmonen. die 10 Maii 1727.*

218. Qua de re proposito dubio: – V. An cadavera Defunctorum tumulari possint in dicta Ecclesia seu Oratorio Societatis suffragii, invitis Parochis, quatenus aliquis elegerit in eodem Oratorio tumulari in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Affirmative, salvis iuribus Parochialibus – *in Firmana Iurium parochialium die 2 Iulii 1736.*

219. Similiter proposito dubio: – IV. An sustineatur Edictum anni 1736 Emi Archiepiscopi super tumulatione cadaverum decedentium absque electione sepulturae tam in tribus Granciis, quam in Ecclesia Matrice, seu potius an cadavera Defunctorum et Puerorum decedentium sine electione sepulturae sint sepelienda in Ecclesia Parochiali et Matrice in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, praeterquam quoad decedentes intra fines designatos Ecclesiae Beatae Mariae Gratiarum, et salvis omnibus iuribus Parochialibus – *in Neapolitana Decretorum die 29 Februarii 1744.*

220. Quum igitur Caesar Maria Baretta e fundatione extruxisset Oratorium publicum in quodam suo praedio, quod ab Ecclesia parochiali iter unius milliarii cum dimidio aberat, in Villa Franca sito, ac inde petiisset facultatem in eo Missam celebrandi, Sacra Congregatio eam indulsit, apposita clausula – sine praeiudicio iurium Parochialium – *in*

Forolivien. Erectionis Ecclesiae die 16 Ianuarii 1694 (1).

221. Hinc Sacra Congregatio concessit quidem Patribus Societatis Iesu induendi constitutos in articulo mortis eorum habitu religioso ad effectum illos tumulandi in ipsorum Ecclesia, addita tamen clausula – sine praeiudicio iurium parochialium –; his enim in terminis proposito dubio: – II. An supradicti Patres Societatis possint induere constitutos in mortis articulo eorum habitu Religioso ad effectum illos tumulandi in ipsorum Ecclesia et percipiendi emolumenta funeralia privative quoad dictos Parochos Villae de Bilbao? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative; sed sine praeiudicio iurium Parochialium – *in Calaguritana Funerum die 18 Iunii 1701 lib. 51 Decretorum.*

222. Reproposito dein dubio sub formula:– An sit standum, vel recedendum a decisis in casu ect. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Calaguritana Funerum die 27 Maii 1702 lib. 52 Decretorum.*

223. Quum itaque ipse Fundator efflagitaverit translationem Beneficii ad Oratorium in agro situm intra fines Parochiae Oppidi Martignae, in qua Ecclesia illud erigi post ipsius obitum dictus Fundator mandaverat, proposito dubio: – An sit locus translationi Beneficii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative sine praeiudicio iurium Parochialium; et amplius – *in Cremonen. Translationis die 3 Iulii 1762.*

224. Unde quum privata Oratoria uti publica haberentur ac utilitas et necessitas urgeret, Sacra Congregatio, consentientibus etiam Parochis, concessit indultum celebrandi in iis Sacra ministrandi Sacramenta et habendi conciones, salvis tamen iuribus Parochialibus *in Moguntina Indulti die 12 Iulii 1755.*

225. Enimvero duas tenebat arces Franciscus Lotharius Liber Baro de Mairofen Aulebacensem iure feudi, Clingenbergensem iure custodiae. In utraque Sacellum erat et sexaginta fere ab annis in utraque Sacra fieri ceperunt auctoritate ordinaria. Cum utrumque Incolis commodum et facilior ac tutior, quam ad Parochiales Ecclesias esset accessus hyemali praesertim tempore, quo nives imbresque in ea regione frequentes vias reddebant difficiles et pene invias, tam Incolae Aulebacenses, quos milliare germanicum a Parochiali Ecclesia separabat, quam Incolae Clingenbergenses, qui arduum montem, in quo sita erat Parochialis Ecclesia, superare deberent, non solum diebus Dominicis, sed aliis etiam anni solemnioribus festis Oratoria haec celebrare ceperunt, et Sacra in iis audire. Ipsi Parochi, qui commoditati Parochianorum suorum et praesertim Puerorum Senum ac Feminarum, quae vel utero gererent, vel filios lacte nutrirent, prospicere voluerunt, consensum suum facile praestiterunt, ut, praevio aeris tinnuli sive campanae sonitu, vel a Capellanis eiusdem Baronis, vel ab aliis Sacerdotibus et Regularibus ab eo evocatis diebus omnibus festis Sacra fierent, conciones haberentur, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, et quidem in Capella Aulebacensi omnibus indistincte sive domesticis, sive exteris, in Clingenbergensi vero solis domesticis ministrarentur, ita ut licet eadem Oratoria publica revera non essent, omnes tamen Sacrum in iis audientes festis diebus satis praecepto fecisse censuerint, neque hac de causa scrupulum unquam sibi ipsis iniecerint. Ut igitur animarum saluti et Incolarum commoditati consuleret, idem Baro postulavit a Summo Pontifice indultum, quo eadem Oratoria publica fierent, ita ut, qui Sacrum in iis audirent festis diebus ecclesiasticum praeceptum implerent, sive exteri, sive domestici, et valerent Parochi conciones habere et Sacramenta ministrare. His

(1) Barbosa in part. 1 cap. 11 n. 1 de hac clausula ita loquitur: – In celebrandis Missis Parochi ea omnia observare et evitare debent, quae a Sacro Concilio Tridentino in Decreto ea de re edito sess. 22 Ordinariis Locorum praescripta sunt, nec aliis debet Episcopus permittere, ut celebretur in Oratoriis intra Parochiam existentibus, nisi cum clausula – Salvo iure et sine praeiudicio Ecclesiae parochialis –, ut per Piasec. in prax. Episcop. part. 3 cap. 3 n. 21, et ex sequenti declaratione Sacrae Congregationis Concilii manifestum est: « Licentiam celebrandi Missam in Oratorio vel Ecclesia de novo fabricata dari non debet, nisi cum salvo iure et sine praeiudicio Ecclesiae Parochialis ». Quod quidem praeiudicium quando intelligendum sit, eadem Sacra Congregatio declaravit his verbis: « Hoc tamen praeiudicium intelligitur in his, quae spectant ad sacram administrationem, et ad alia, quae sunt ipsi Parochiae de iure debita, in aliis vero non ».

itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro concessione indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative arbitrio Archiepiscopi iuxta formam suppositionis, salvis iuribus Parochialibus – *in Moguntina Indulti die 12 Iulii 1755.*

226. Hinc dum quaereretur, an deberet Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum extra Oppidum Castellani in Ecclesia S. Mariae *del forno* asservari cum deputatione Capellani, Sacra Congregatio rem quidem arbitrio Ordinarii remisit, sed simul clausulam – salvo iure Parochialis Ecclesiae – apposuit *in Caietana die 24 Maii 1659* (1).

227. Proposito hinc dubio: – An liceat Parocho S. Nicolai Villae Belfortis prohibere celebrationem Missarum diebus festis in Ecclesia S. Mariae eiusdem Villae? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, salvis iuribus Parochialibus – *in Fulginaten. Oratorii die 7 Iulii 1696 lib. 46 Decretorum.*

228. Imo quando etiam indulget restaurationem Ecclesiae et constructionem mansionum pro Confraternitatis eiusdemque Capellani decenti commodo, Sacra Congregatio utitur clausula – salvis iuribus Parochialibus –; quandoquidem proposito dubio: – II. An liceat Confraternitati Montis Ioveni libere prosequi restaurationem Ecclesiae B. Mariae de Quercu et iuxta illam construere mansiones pro eius et Capellani decenti commodo necessarias etiam ex caementis aliarum mansionum ruinosarum, ita ut sit locus in hac parte moderationi Edicti seu Praecepti a Rmo Ordinario editi sub die 16 Ianuarii 1758 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ex fructibus superextantibus et non necessariis pro implemento Operum Piorum ac praevia approbatione donationis Ecclesiae, et salvis iuribus Parochialibus – *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

229. Quandoque tamen Sacra Congregatio iustis de causis indulget etiam facultatem exercendi iura parochialia, de licentia tamen Parochi, imo etiam dempta clausula de licentia Parochi; propositis enim dubiis: – II. An concedendum sit Hospitali et Congregationi Presbiterorum S. Petri Villae Matriti indultum administrandi Sacramenta Poenitentiae Sanctissimae Eucharistiae etiam per Viaticum, retinendi Oleum Sanctum illudque administrandi Sacerdotibus infirmis in eodem Hospitali independenter a quovis Parocho etiam S. Sebastiani? III. An sub eodem indulto comprehendendi sint Ministri seu servientes et Familiae dicti Hospitalis degentes tamen intra septa eiusdem Hospitalis et Ecclesiae cum eadem independentia Parochi sive Parochorum? IV. An concedendum sit indultum administrandi Sacramentum Eucharistiae pro satisfactione praecepti paschalis tam Sacerdotibus, quam Ministris aliisque supradictis Personis intra septa Ecclesiae et Hospitalis degentibus sive infirmis, sive non in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum et tertium, Affirmative quoad Sacerdotes infirmos de licentia Parochi S. Sebastiani. Ad quartum Negative; et quoad Sacerdotes infirmos de licentia Parochi – *in Toletana Iurium parochialium sive Hospitalis et privilegiorum die 20 Novembris 1746.*

230. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum tertium et quartum, in decisis, dempta clausula de licentia Parochi – *in Toletana Iurium Parochialium sive Hospitalis et privilegiorum die 28 Maii 1746.*

231. Demum repropositis dubiis sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad secundum tertium et quartum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis in omnibus, et amplius – *in Toletana Iurium Parochialium sive Hospitalis et privilegiorum die 27 Augusti 1746.*

232. Unde si Sacra Congregatio nec tacite, nec expresse approbationem indulgere vo-

(1) Monacell. in Form. leg. adnot. ad form. 1 tit. 13 n. 81 part. 2 probat, per clausulam – salvo iure Ecclesiae Parochialis – noluisse Sacram Congregationem inferre praeiudicium Parochis; sed omnia eius iura expresse praeservari per dictam clausulam in gratia seu privilegio contentam, per quam omnia firma et praeservata remanent non tantum ea, quae mere iura parochialia sunt, sed cetera, quae ad officium Parochi pertinere et spectare iam supra plene probatum fuit, prout in terminis alterius Brevis Clementis Papae VIII, eamdem praeservationem et clausulam habentis, firmavit Rota coram Coccino decis. 1469 n. 3 6 et 7, et coram Buratto decis. 193, n. 1.

luerit, addit clausulam – citra approbationem –; proposito enim dubio – I. An omnia iura Parochialia in Ecclesia et in Oblatis aliisque Mulieribus degentibus in Conservatorio Sanctissimae Conceptionis Capitis Pentae sint exercenda per proprium Parochum S. Mariae, intra cuius limites degunt, sive per illarum Capellanum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative citra approbationem Conservatorii – *in Salernitana Iurium Parochialium die 19 Augusti 1702 lib. 52 Decretorum.*

233. Idcirco cum Parochus S. Ianuarii ad Ulmum instaret, ne in Ecclesia Conservatorii SS. Philippi et Iacobi in regione Nidi Consulum artis sericae asservarentur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum et Oleum sacrum infirmorum, et Sacra Congregatio declaraverit die 2 Iulii 1707, non posse sine licentia Sacrae Congregationis, reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 2 iulii 1707? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, in decisis citra approbationem Conservatorii; et supplicet Sanctissimo – *in Neapotana Conservatorii die 28 Iulii 1708 lib. 58 Decretorum.*

234. Clausula autem – vocatis, qui fuerint vocandi – facit Exequutorem mixtum, et requirit ordinem iudiciarium *in Faventina Reductionis Missarum seu Reintegrationis die 27 Augusti 1763* §. *Quoad.*

Item in Ferentina Servitii Chori die 27 Novembris 1779 §. *Maxime.*

235. Idcirco Exequutor mixtus vigore Literarum Apostolicarum tenetur verificare omnia, quae sunt verificanda – vocatis, qui fuerint vocandi – *in Faventina Servitii Chori die 27 Novembris 1779* §. *Maxime.*

236. Aliter enim nulla est sententia, Partibus nec vocatis nec auditis, lata per Textum in Cap. *Licet Episcopus,* ibique Glossa vers. te non vocato de Praebendis in 6, Rota in Recent. decis. 314 n. 8 part. 10, et decis. 138 n. 3 part. 16 *in Ferentina Servitii Chori die 27 Novembris 1779* §. *Maxime.*

237. Idcirco Iudex Auctoritate Apostolica suffultus sententiam revocare potest, ex traditis per Bellon. de mandat. iurisdict. cap. 9 quaest. 10 n. 38, Rosam de exequutione Litt. Apost. in addit. ad cap. 10 n. 4, Rotam coram Arguello decis. 34 n. 24, coram Cerro decis. 884 n. 3, et in Recent. decis. 82 n. 13 part. 19 *in Ferentina Servitii Chori die 2 Novembris 1779* §. *Maxime.*

238. Explorati tamen iuris est, huiusmodi clausulam – vocatis vocandis – tunc tantum iudicialem causae cognitionem secumferre, Exequutoremque ex mero mixtum efficere, quando scilicet adsit legitimus contradictor, qui possessioni Beneficii insistat: ita docet De Rosa in suo opere de exequut. Litt. Apost. in addit. ad cap. 4, cui adstipulatur Leunerius in quaest. 349 de for. eccles. lib. 1 tit. 3 de Rescriptis *in Faventina Admissionis ad Collegium et exequutionis Literarum Apostolicarum die 19 Decembris 1857* §. *Nec die 26 Iunii 1858* §. *Quod.*

239. Similiter clausula – constito et verificato – facit Exequutorem mixtum, qui procedere debet cum causae cognitione et citatione, ut docet De Rosa de exequut. Litt. Apost. part. 1 cap. 3 n. 144 *in Senen. Institutionis die 27 Ianuarii 1855* §. *Nec.*

240. Qua de re clausula – veris existentibus narratis – constituit non merum, sed mixtem Exequutorem *in Urbinaten. Suppressionis Confraternitatis die 1 Septembris 1759* §. *De his.*

Item *in Ariminen. Subsidii dotalis die 22 Septembris 1759* §. *Preces.*

241. Idcirco clausula – veris existentibus narratis – cum faciat Exequutorem mixtum, is gratiam exequi non posse videtur absque citatione interesse habentium *in Urbinaten. Suppressionis Confraternitatis die 1 Septembris 1759* §. *De his.*

Item *in Ariminen. Subsidii dotalis die 22 Septembris 1759* §. *Preces; in Bononien. Legati die 8 Martii 1760* §. *Addunt.*

242. Gratia enim cum fuerit delegata Ordinario in forma commissoria sub clausula – veris existentibus narratis – nequit is eam exequi sine citatione interesse habentium, vel saltem suspensa remanet per appellationem seu recursum habitum ad Summum Pontificem, ut definivit Sacra Congregatio in Ariminen. Subsidii dotalis die 22 septembris et die 15 decembris 1759 *in Bononien. Reductionis Legati die 8 Martii 1760* §. *Addunt.*

243. Quapropter omnia gesta per Episcopum sunt infirmanda, cum sine citatione in-

teresse habentium in exequutionem mandaverit Rescriptum Sacrae Congregationis, si expressam habebat clausulam – veris existentibus narratis –; is enim se abstinere debebat ab exequutione ob cumulum obiectarum exceptionum contra narrativam supplicationis *in Fanen. Subsidiorum dotalium die 14 Februarii 1761* §. *Sed potiori.*

244. Hinc et clausula – arbitrio tuo – aequipollet alteri – si tibi videbitur – ad Legem *Fideicommissum* §. quamquam ff. de leg. 3, Lap. alleg. 60 n. 4 cum ibi Adden., Menoch. de arbitr. lib. 1 quaest. 70 n. 26, Rota in Recent. decis. 426 part. 5 tom. 2 *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 22 Augusti 1840* §. *Porro.*

Item *in Spoletana Exequutionis Rescripti et Participationis fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* §. *Quod.*

245. Idcirco gratiae effectum ab exequutione pendere debere suadet apposita clausula – arbitrio tuo – *in Spoletana Exequutionis Rescripti et Participationis fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* §. *Quod.*

246. Unde Rescriptum pro aetatis venia ab aliquo reportatum gratiam continet non factam, sed faciendam, quum eius preces ablegatae sint ad Episcopum – pro suo arbitrio et conscientia –, quae clausula importat arbitrium boni Viri, neque Exequutorem (in cuius conscientia Pontifex conquiescit) coarctat, ad late tradita per Pontium de matrim. lib. 8 cap. 17 §. ult. n. 42, Mascardium de probat. concl. 44 n. 1 et 2, Garciam de Benef. part. 6 cap. 2 n. 25, Rigantium ad Reg. 52 Cancell. n. 78, Menochium de arbitr. iud. lib. 4 quaest. 70, n. 2, ubi huiusmodi Executoris iudicio plenam fidem esse habendam, neque exinde dari appellationem aut recursum fuse ostenditur: quibus firmiter discusso articulo concinit Sacra Congregatio in Caietana Spolii 1723 in voto Card. Pereyra fere per totum *in Placentina Institutionis die 5 Aprilis 1851* §. *Deducit.*

247. Quin imo clausula – pro arbitrio et conscientia – tanti non est, ut regula iudiciorum posthaberi possit, uti est constans opinio Doctorum, quam probavit Rota coram Merlino decis. 702 n. 47 *in Faventina Reductionis Missarum seu Reintegrationis die 27 Augusti 1763* §. *Quoad.*

248. Qua de re clausula – pro arbitrio suo – mixtum constituit Exequutorem ac prudenti eiusdem arbitrio ipsius gratiae concessionem committit *in Romana seu Auximana Subsidiorum dotalium die 6 Decembris 1845* §. *Et quod* (1).

249. Unde clausula illa – constito sibi – et altera – pro sui arbitrio et conscientia – Exequutorem constituunt mixtum, qui executionem, re cognita, denegare potest Rescripto, Amyden. de styl. Datar. lib. 1 cap. 26 de brev. capien. possess. n. 20, Rosa de execut. Litt. Apost. part. cap. 5 n. 144, Rigant. ad Reg. 6 Cancell. n. 18 *in Sarsinaten. die 21 Aprilis 1792* §. *Pontificium.*

250. Advertendum tamen est, vim clausulae – veris existentibus narratis –, et – pro suo arbitrio –, quae magis ex usu in omnibus indiscriminatim Rescriptis adiici solent, Exequutori, independenter a gratiae qualitate, tantam semper tribuere auctoritatem, ut iurisdictionem etiam contentiosam conferat, atque gratiam in se perfectam ac puram reddat conditionalem, absonum videtur, ceu praecise de huiusmodi clausula – veris existentibus narratis – statuit Caponius discept. 116 n. 25, Card. De Luca de Benef. disc. 35 n. 13, Rota coram Ansaldo decis. 151 n. 31 et 32 *in Romana seu Auximana Subsidiorum dotalium die 6 Decembris 1845* §. *Qua.*

251. Idcirco ex clausula illa – arbitrio et conscientia – Episcopo fas non est abstinere ab Indulti executione, ubi id minus ex-

(1) Barbos. in Tract. var. claus. 11 et 2 docet, clausulam – arbitrio suo – importare arbitrium boni viri, quod est intelligendum, quod faceret ita, ac vellet fieri in rebus suis; item clausulam – conscientiae tuae –, qua aliquando solet Summus Pontifex Episcopis aliisque rescribere, operari, ut arbitrio boni viri negotium remissum censeatur, et per hanc clausulam videtur remissus rigor iuris civilis. Et Rota clausulam – arbitrio tuo – clausulae – conscientiae tuae – aequipollere firmat in decis. 426 Recent. n. 9 part. 5 tom. 2, nec non ambo efficere, ut, nulla praevia citatione nec iudicii ordine, sed tantum extraiudicialibus eruditus informationibus agi possit, sed necessitatem procedendi iudicialiter, et consequenter admittendi appellationes ad iudicia minime auferre, decis. cit. n. 10, et decis. 156 n. 10 part. 18 Recent. tom. 1. Et Mattheuccius de offic. cur. eccles. cap. 10 §. 2. n. 50 de hac clausula tradit, ut non impediat subdelegationem; quia haec potius importat monitionem, quam electionem personalem.

pedire censeat: huic enim refragatur auctoritas Sacrae Congregationis in Romana seu Auximana 6 Decembris 1845, ubi late traditur quaenam clausulae illius sit vis, quaenamque iura per eam Ordinariis tribuantur; nimirum ubi res sit de negotio plene discusso et Rescripti exequutio dictis cum clausulis committatur, haudquaquam liberum ipsis esse exequi vel non, sed omnino parere teneri praescriptionibus in eodem titulo comprehensis, ea qua simplicem merumque Exequutorem decet docilitate, nec obicem quaerere in verbis illis – arbitrio et conscientia –, quae potius conventionalis formulae ob reverentiam in Exequutorem, quam substantialis ac intrinsecae conditionis vim praeseferunt *in Placentina Institutionis die 24 Augusti 1850* §. *Iniuria.*

252. Siquidem ex mente et praxi Sacrae Congregationis ea est utriusque clausulae vis, nempe – veris existentibus narratis – et – pro suo arbitrio –, ut constituat Exequutorem mixtum si verbum – remittitur – adhibitum fuerit; si vero alterum – committitur –, distinguendum est: aut hoc verbum simpliciter appositum fuerit, et tunc Exequutor est absolute merus, aut ob alias insertas clausulas aliquid adhuc esset ab Exequutore inquirendum, ut evenit, exempli gratia, quoad Rescripta alienationum rerum Ecclesiae, in quibus iuxta dispositionem Pauli V utilitas de tempore stipulationis contractus ab Exequutore verificari debet, vel quoad indulta Iubilationum, in quibus Exequutori laudabile chorale servitium constare debet, tunc Exequutor est merus in praescribendis reliquis Rescripti conditionibus, mixtus autem in verificandis, quae inquirenda sunt ita tamen, ut, si eorum veritas constiterit, integri Rescripti exequutionem denegare nequeat. Ceterum vero clausulae – veris existentibus narratis – arbitrio et conscientia – sunt conventionales formulae ob reverentiam in Exequutorem, non substantiales ac intrinsecae conditiones: ponuntur enim vel ne inscio Ordinario gratia sortiatur effectum, vel ne modo parum decenti exequutio ipsi iniungatur; et quidem diversimode adhibetur pro Personarum diversitate, adeo ut clausula – arbitrio et conscientia –, si Episcopis vel aliis Ordinariis, alia vero – arbitrio et prudentia –, si Emis Cardinalibus Rescripti exequutio directa sit *in Romana seu Auximana Subsidiorum dotalium die 6 Decembris 1845* §. *Qua.*

253. Iusta hinc concurrente causa, Sacra Congregatio concessit indultum retinendi Augustissimum Eucharistiae Sacramentum arbitrio Episcopi pro tempore, et salvis iuribus Parochialibus nec non concordia rite inita *in Barchinonen. die 7 Februarii 1756.*

254. Siquidem iam novum cum nova Ecclesia Hospitale extructum fuerat Barchinonae, in quo triduo hospitabantur Peregrini sive ab Hispaniis in Italiam venientes, sive ab Italia in Hispanias. Cum vero novum hoc Hospitale eique adiuncta Ecclesia, e qua non opportunae quandoque trasferri poterat ad Peregrinos infirmos Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, cum eadem Hospitalis Ecclesia satis ornata esset, cum reditibus instructa, cum suum haberet Sacerdotem et Sodales plures ex cultioribus Urbis illius Civibus, qui Hospitali et Ecclesiae serviebant, neque vicini deessent propinquarum domorum habitatores, qui eam concelebrabant, fere necessarium putarunt Decuriones Civitatis, qui idem Hospitale administrabant, ut in eius Ecclesia perpetuo servaretur Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, praesertim cum iam veniam obtinuissent ab Episcopo illud certis diebus publicae adorationi exponendi, quibus Sodales ex eorum instituto opera quaedam pietatis exercebant. Parochus curam habitualem habens consensum praestabat. Sed Vicarius perpetuus et Sacerdotes adscripti Ecclesiae Parochiali obstiterunt. Vicarius Capitularis vero id concessit, sine praeiudicio iurium parochialium. Novus Episcopus favit pariter iustis de causis postulationi Magistratus. Proposito hinc dubio: – An sit locus concessioni Indulti pro continua retentione venerabilis Sacramenti Eucharistiae in Ecclesia Hospitalis seu S. Marthae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Arbitrio Episcopi pro tempore, salvis iuribus Parochialibus et concordia anni 1734; et amplius – *in Barchinonen. die 7 Februarii 1756.*

255. Proposito hinc dubio: – An in casu, de quo agitur, debeat Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum extra Oppidum Castellani in Ecclesia S. Mariae, ut vocant, *del*

forno asservari, cum deputatione Capellani?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad Ordinarium pro suo arbitrio et conscientia – *in Caietana die 24 Maii 1659.*

256. Unde clausula – incaricandone le loro coscienze – importat boni Viri arbitrium, iuxta Textum in Cap. *Non solum* de regulis iuris in 6, Marchesan. de commission. part. 1 cap. 6 n. 85, et Barbos. claus. 24 n. 1 *in Montis Alti Electionis seu Nominationis die 5 Septembris 1846* §. *E contra.*

257. Ea autem est Doctorum sententia, ut, quando res boni Viri committitur arbitrio, ipsius arbitrii declarationi, nisi sacris Canonibus repugnet vel iuri civili, sit acquiescendum, ut tenent Marchesan. loc. cit. cap. 50 n. 79, Barbosa claus. 24, et Menoch. de arbitr. lib. 1 quaest. 8 n. 44 *in Voto Eñi Pereyra in Causa Caietana Spolii die 18 Decembris 1723* §. *Primo quia.*

Item *in Montis Alti Electionis seu Nominationis die 5 Septembris 1846* §. *E contra.*

258. Unde clausula – super praemissis omnibus conscientiam tuam oneramus – arbitrium boni Viri importat, iuxta Textum in Cap. *Non solum* – ibi – ut conscientiae privati – de regulis iuris in 6, Marchesan. de commission. part. 1 cap. 6 n. 85, Peregrin. cons. 7 n. 9 vol. 1, Barbos. claus. 24 n. 1 *in Voto Eñi Pereyra in Causa Caietana Spolii die 6 Decembris 1723* §. *Primo quia.*

259. Qua de re clausula – *conscientiam tuam oneramus* – importat potius monitionem, quam conditionem, ut docet Gratianus decis. mant. 154 n. 9, Navarr. Consil. 6 de Offic. Delegat., Flor. de Men. variar. quaest. n. 67, Garc. de Benef. part. 6 Cap. 2 n. 109. Salorzan. de Iur. Indiar. tom. 2 lib. 2 Cap. 7 n. 11 *in Voto Eñi Pereyra in Causa Caietana Spolii die 18 Decembris 1723* §. *Primo quia.*

Item *in Montis Alti Electionis seu Nominationis die 5 Septembris 1846* §. *E contra.*

260. Nam apposita huiusmodi clausula – conscientiam tuam oneramus – in Rescripto Papae remittit apices et rigorem iuris, ut tenent Rota coram Seraphino in decis. 447 n. 1, Escobar. de utroque for. in init. n. 73, Barbos. clausul. 24 n. 3 *in Voto Eñi Pereyra in Causa Caietana Spolii die 18 Decembris 1723* §. *Primo quia.*

261. Quando itaque alicui committitur negocium aliquod cum praedicta clausula – *conscientiam tuam oneramus* – ab eius arbitrio iudicatu et sententia non datur appellatio, ut tenet Scacc. de appell. quaest. 17 limit. 15 n. 3, Barbos. clausul. 24 n. 7, Felin. in cap. *Super his* n. 11 limit. 4 de accusat., Reginal. de appell. §. 2 Cap. 2 n. 57, Gregor. Tolosan. de appell. lib. 3 cap. 5 a n. 1 *in Voto Eñi Pereyra in Causa Caietana Spolii die 18 Decembris 1723* §. *Secundo.*

262. Idcirco Rescriptum cum clausula – dummodo Orator aliunde dignus sit, super quo respectivi Ordinarii exequutoris et institutoris conscientia onerata remaneat –, si novem post annos nunquam executioni fuerit commissum, nil ponit in esse, nullumque ius conferre potuit ex doctrina, quam tradunt Maschatt. Instit. can. de Rescriptis n. 11, Lotterius de re Benef. lib. 2 quaest. 50 n. 87, Rigantius Reg. 57 n. 62, Rota coram Coccino decis. 1576 n. 4, coram Cerro decis. 227 n. 21 et 22, coram Falconerio de Rescriptis decis. 9 n. 6 et 7, coram Pamphilio decis. 488 n. 2 et 9, et alibi ; praesertim quum agatur de Rescripto conditionali, in quo arbitrio et conscientiae Exequutoris commissum fuerat, ut prius inquireret, num Orator dignus esset, quare quousque iudicium huiusmodi non fuerit prolatum gratia nondum consistere valet *in Placentina Institutionis die 5 Aprilis 1851* §. *Addit.*

263. Hinc tradit Rota in decis. 185 Recent. part. 19 tom. 1 dictionem – circiter – aliquam incertitudinem denotare Iudicis arbitrio determinandam, iuxta qualitatem praesumptionum, et verisimilitudinum in subiecta materia concurrentium, et nonnulli usque ad quartam expressum numerum in vim istius dictionis auxerunt Corn. Consult. 129 n. 44 lib. 3, alii usque ad sextam Connan. Comm. Iur. lib. 7. cap. 9 n. 11 apud Menoch. de Arbitr. Iud. cas. 15 n. 5, alii demum frequentius tamen usque ad decimam, Bero cons. 83 n. 4 lib. 1, Barbos. in dictione 154 n. 21 part. 9: animadvertit tamen Vivianus in prax. Iurispatronat. part. 2 lib. 13 cap. 8 n. 204 clausulam huiusmodi in concessione terrae, eiusque mensurae idem importare, quod prope, vel adeo modicum,

quod nihil reputatur, Alex. cons. 120 n. 8, Signorell. cons. 332, et si opponatur circa locum importat decem pedes, et aliquando designat termini inclusionem, aliquando vero exclusionem Grat. de dict. 92, Barbos. dict. 132. Quapropter dicendum esse videtur ex communi Doctorum sententia, per eam dictionem excludi quantitatem certam et determinatam, id tamen in modicum ipsam operari, Paris. cons. 104 n. 13, Surd. cons. 376 n. 15 *in Ripana Dismembrationis die 1 Februarii 1834* § *Quapropter*.

264. Quod si Summus Pontifex ius aliquod indulserit, illud competit ac exerceri debet iuxta formam ab eodem praescriptam; his enim in terminis proposito dubio: – An Canonico et Coadiutori Archipresbiteri debeantur duplicatae voces et distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad utrumque ad formam Literarum Apostolicarum – *in Arboren. die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum*.

265. Clausulae autem in collatione Beneficii adhibitae – vacante per obitum –, aut – vacante per dimissionem – perpetuis solummodo Beneficiis conveniunt, ut tradit Rota in Recent. decis. 646 n. 2 part. 1 *in Terracinen. Parochialis die 2 Iunii 1860* §. *Requevera*.

266. Itaque clausula – sive praemisso, sive alio quovis modo vacante –, haud sustinet collationem Ecclesiae Parochialis, neque eam reddit a falsa causa immunem, ad tradita per Rotam in decis. 561 n. 84 coram Bichio *in Visen. Parochialis die 9 Augusti 1732* §. *Ceterum*.

267. Quod si in Literis Apostolicis expresse adiecta fuerit clausula illa – tam in partibus, quam in Curia –, non altera: – dummodo tempore datae praesentium non fuerit alteri ius quaesitum etc. inter quem ex una et quosdam assertos Clericos seu Presbiteros forsan in Concursu approbatos, forsan lis pendet, – eadem de per se apta esse videtur ad impediendam Literarum Apostolicarum exequutionem, quousque lis non sit absoluta, ad tradita per Lotterium de re Benef. lib. 2 quaest. 51 n. 2, Rigantium ad Reg. Cancell. tom. 3 pag. 83 n. 148, Rotam decis. 74 Recent. part. 16 n. 2 *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Ad secundum*.

268. Hinc Sacra Congregatio declaravit, non potuisse Episcopum in erectione Capellaniae, quam Testator Carolus Reliquii amovibilem fundavit, apponere clausulam – ex rationabili causa –, qua coercuit facultatem amovendi Capellanum *in Pennen. Capellae die 26 Novembris 1672*.

269. Imo Patronus potest quidem apponere in limine fundationis conditiones iuri etiam contrarias, sed eius facultas restricta expresse perhibetur, si erectio Beneficii seu Canonicatus adprobetur, addita clausula – cum conditionibus sacris Canonibus et Concilio Tridentino non contrariis –; hinc proposito dubio: – I. An liceat Oratori in Fundatione Canonicatus, de quo agitur, reservare iuspatronatus pro se heredibus suis ac etiam extraneis per eum nominandis, cum conditionibus sacris Canonibus et Concilio Tridentino non contrariis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Amerina Erectionis Canonicatus die 6 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum* (1).

270. Hinc Sacra Congregatio huiusmodi clausulam apponit etiam cum in actu erectionis Collegiatae indulget facultatem condendi Statuta: proposito enim dubio: – An et quomodo Oratorum precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro erectione Collegiatae iuxta numerum petitum Canonicorum et Dignitatum et cum concessione usus Rocchetti et Mozzettae expedien. per Datariam, et in reliquis iuxta

(1) Fagnanus in cap. *Canonum statuta* n. 25 lib. 1 de hac clausula ita loquitur: – Unde etiam in confirmationibus privilegiorum et statutorum, quae hodie a Sede Apostolica conceduntur in forma communi, consuevit opponi hanc clausulam « dummodo tamen Sacris Canonibus Tridentini Concilii Decretis et Constitutionibus Apostolicis non sint contraria » Canonibus, idest redactis in corpus iuris; Constitutionbus Apostolicis, idest extravagantibus in corpore iuris non insertis: non enim sunt audiendi, qui dixerunt illa verba « Sacris canonibus» esse intelligenda de Canonibus Concilii Tridentini, ut probavi in Cap. *Totum* de privilegiis –. Aliter tamen sentit Reiffenstuel in ius can. univ. tom. 4 lib. 5 tit. 33 de privileg. n. 113, qui tradit, illam clausulam intelligendam esse tantum de Sacris Canonibus Concilii Tridentini.

votum Emi Barberini; et quoad facultatem condendi Statuta addatur clausula, quatenus iuri canonico et Sacro Concilio Tridentino non adversentur, et ad mentem – *in Syracusana Erectionis Collegiatae die 24 Februarii 1720.*

271. Quum autem lis penes Rotam ageretur inter Abbatem Monasterii S. Spiritus de Sulmona Ordinis Caelestinorum et Episcopum Sulmonensem et Valvensem quoad spiritualem iurisdictionem, propositis dubiis: – I. An et ad quem spectet facultas etiam per modum provisionis approbandi tam Sacerdotes Seculares, quam Regulares ad audiendas confessiones sacramentales laicorum et ecclesiasticorum secularium in Oppido Pratularum, donec et quousque sit terminata lis in Rota in casu etc. II. An et ad quem spectet facultas, ut supra, impertiendi Concionatoribus licentiam praedicandi in Ecclesia praedicti Oppidi, donec et quousque fuerit terminata lis, ut supra? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Abbas exerceat nomine Sacrae Congregationis per modum provisionis et sine praeiudicio iurium Partium – *in Sulmonen. seu Valven. Iurisdictionis die 11 Martii 1713 lib. 63 Decretorum* (1).

272. Hinc huiusmodi clausulam apponere solet Sacra Congregatio, dum subito controversias non resolvit, sed interim aliquid statuere censet; propositis enim dubiis: – I. An Confratres Confraternitatis Orationis et Mortis Casalis Maioris celebrantes Festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis in eorum Oratorio teneantur invitare Praepositum S. Leonardi ad illud celebrandum? *Et quatenus affirmative.* II. An dictus Praepositus teneatur per se ipsum in dicto Festo Missam solemnem celebrare, et quatenus impeditus teneatur deputare Capellanum dicti Oratorii, vel potius valeat deputare alium Sacerdotem sibi benevisum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et interim per modum provisionis et sine praeiudicio iurium Partium, Confratres invitent Praepositum ad celebrationem Festi, eoque renuente vel impedito, eligant Sacerdotem sibi benevisum – *in Cremonen. die 31 Iulii 1717 lib. 67 Decretorum.*

273. Similiter propositis dubiis: – I. An Abbas S. Victoriani teneatur subministrare ceram et sacras vestes aliaque necessaria pro sacro cultu et manutentione Ecclesiarum *de Barbaruens Seira Avi et de la Carlania,* seu potius Parochiani seu habitatores dictorum locorum in casu etc. II. An et quomodo sit providendum super securitate dictae subministrationis et manutentionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Nuncio Apostolico pro informatione et voto, qui interim mandet per modum provisionis et sine praeiudicio iurium Partium subministrari per Abbatem necessaria pro celebratione Missarum et administratione Sacramentorum, et ad D. Secretarium pro compulsoria et remissoria – *in Barbastren. die 9 Iulii 1757.*

274. Qua de re propositis dubiis: – I. An licitum sit Archiepiscopo Matheranensi et Acheruntino convocare Synodum Diaecesanam in Civitate Matherae pro utraque Diaecesi, seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina? *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An idem Archiepiscopus compellere possit ecclesiasticos dictae Civitatis et Diaecesis Acheruntinae ad interveniendum praedictae Synodo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo iam indictae in Civitate Matheranensi sine praeiudicio ambarum Partium – *in Matheranen. et Acheruntina Synodi die 24 Martii 1736.*

275. Quum autem ad aliquid implendum necessaria minime sint remedia extraordinaria, Sacra Congregatio utitur clausula – iuris remediis tantum –; quandoquidem proposito dubio: – IX. An iidem Sodales teneantur hospitalitatem Peregrinorum cum omnibus adnexis et necessariis in viridem observantiam revocare, ceteraque contenta in instrumento diei 29 Aprilis 1621 adimplere, sub poena caducitatis ipso facto incurrendae in casu inobservantiae pactorum in casu etc. –,

(1) Marta de Claus. claus. 138 n. 1, Barbosa Tract. var. claus. 157 n. 7, Rota in Recent. decis. 87 n. 2 part. 12, decis. 287 n. 8 part 14, et decis. 171 n. 9 part. 19 tom. 1, ostendunt, clausulam - per modum provisionis - vim habere, ut actus gestus, usquequo duraverit lis, non praeiudicet, et alterius vigore ius utriusque Partis praeservet.

Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad nonum, Affirmative ad formam conventionis, et Sodales cogendos esse iuris remediis tantum – *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760.*

276. Contra quando ob circumstantias, quae concurrunt, haud decet gratiam concedere, Sacra Congregatio utitur clausula – non expedire–; siquidem quum medicus Ioseph Benvenuti annorum septuaginta, praevia Apostolica dispensatione ab irregularitate, petierit facultatem ascendendi ad sacros Ordines, nec non exercendi in posterum artem medicam, emisso per eius Uxorem annorum sexaginta quatuor perpetuo voto castitatis, propositis dubiis: – I. An et quomodo, praevia Apostolica dispensatione ab irregularitate, sit permittendus Iosepho Benvenuti ascensus ad sacros Ordines in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro indulto exercendi in posterum medicam artem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, non expedire. Ad secundum, provisum in primo – *in Lucana die 18 Iulii 1795.*

277. Rescriptum autem editum a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium in exemplum duci non posse videtur, cum sit munitum clausula – in casu, de quo agitur –, ut explicat Pitonius in discept. Eccles. 102 n. 7 (1) *in Romana Iuris nominandi et acceptandi Puellas die 8 Augusti 1761* §. *Nec.*

278. Hinc Sacra Congregatio declaravit quidem, haud licere Capellano et Rectori Oratorii Beatae Mariae Virginis *della Bevilacqua* explere benedictiones candelarum cinerum palmarum et ovorum nec non Mulieres ad purificationem post partum recipere, sed addidit – in casu, de quo agitur –; proposito enim dubio: – V. An Capellano et Rectori dicti Oratorii liceat benedictiones candelarum cinerum palmarum et ovorum explere nec non Mulieres ad purificationem post partum recipere? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative in casu, de quo agitur – *in Nullius seu Nonantulana Iurium parochialium die 27 Iunii 1744.*

279. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad quintum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Quoad quintum, in decisis; et amplius – *in Nullius seu Nonantulana Iurium parochialium die 8 Maii 1745.*

280. Imo Sacra Congregatio specialissimam indulget gratiam, cum addit clausulam – dummodo non transeat in exemplum – *in Romana Subsidiorum dotalium die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum.*

281. Siquidem – ex subsidiis dotalibus scutorum biscentum quotannis distribuendis ab Archiconfraternitate Sanctissimae Annuntiatae in vim Legati cl. me. Cardinalis Iustiniani Puellis Monasterium ingredi volentibus, obtinuit alias Francisca de Pattis, uti pii Testatoris consanguinea, a s. m. Innocentio XI sibi assignari sex ex eis constituentia summam scutorum 1200. Cum autem ad aetatem annorum sexdecim perventa, nec monasticae vitae deservire vocata, supplicaverit Sanctissimo Domino Nostro pro gratia, ut, praevia derogatione voluntati Testatoris, iisdem sex subsidiis iam obtentis uti valeret pro nuptiis temporalibus, innixa exemplis similis gratiae per eumdem Summum Pontificem elargitae cum voto huius Sacrae Congregationis tum Catharinae de Pattis eius materterae, tum Isoldae de Pattis eius sorori, remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem pro voto, auditus fuit Emus Coleredus Protector, qui proprium sensum per sequentia verba adaperuit: – Illud praecipue me angeret, si admissa etiam prosequutione primae gratiae ac commutato insuper Matrimonio spirituali

(1) Siquidem Pitonius etiam in discept. 109 n. 8 part. 4 tradit, hanc clausulam – in casu, de quo agitur – non alligari pro aliis causis et locis, in quibus ipsae circumstantiae non concurrunt; et in puncto advertit Monacellius in form. leg. part. 2 in epist. ad lectorem: – ibi – Quoties enim Sacra Congregatio iudicat, suum Decretum adaptari non posse nec debere, nisi casui proposito, solet rescribere: Negative, seu Affirmative in casu, de quo agitur –. Haec, inquam, sunt illa Decreta, quae alligari non possunt ad decisionem Causarum, nisi concurrant ipsae circumstantiae, quae referebantur in casu particulari proposito; nam decisio casus tunc pendet a qualitate circumstantiarum, in quibus emanavit, Card. De Luca in adnot. ad Concil. Trid. disc. 1 n. 11, Pignatell. consult. 1 n. 18 tom. 1, et ego scripsi in discept. eccles. 50 n. 19, et dixit Rota in Romana Pensionis 15 martii 1694 §. Non potest coram Card. Priolo –.

in carnale, adhuc haereret aqua, et ulteriori spei verificaretur, eo quod tali viro tenuis haec itidem dos appareret, et sic daretur processus ad alias consimiles gratias in grave praeiudicium dispositionis Testatoris et sacri Sanctimonialium status, pro quo conservando EE. VV. evigilabit pietas. Unde proposita Causa sub die 30 maii 1699 sub dubio: – An petitae commutationi sit annuendum? –, negativa prodiit resolutio; cui modo non acquiescens Oratrix praefata, tum quia ad insequendam vitam Religiosam nec a Deo vocatur, nec in ea persistere valeret absque evidenti propriae salutis discrimine, ob varias indispositiones ex obstructionibus ortas, ac dolore capitis fere perpetuo eas comitante, ut habetur ex fide publica Medici-phisici, tum quia fuerunt iam subscripta capitula matrimonialia et conclusum Matrimonium cum Laurentio Stati sub spe consequendi praefata subsidia dotalia, obtento Apostolico Beneplacito, ita ut cesset motivum, quod dos Viro tenuis appareat, et detur deinde processus ac alias consimiles gratias, tum etiam quia attenta eius paupertate, vel alias in seculo mendicare cogeretur, vel cum dedecore consanguinitatis Cardinalis Testatoris alicui vili Personae nubere, super his omnibus novas preces porrexit Sanctissimo Domino Nostro, quibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, iterum EE. VV. exorat respondere: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, pro gratia absque spe ulterioris augmenti, et dummodo non transeat in exemplum – *in Romana Subsidiorum dotalium die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum.*

§. I.

DIGNITATES IN GENERE QUOAD ERECTIONEM ET PROVISIONEM

1. Constat ex Tridentino Concilio Sess. 21 Cap. 12 de reformatione, in Ecclesiis praesertim Cathedralibus institui Dignitates ad augendam conservandamque ecclesiasticam disciplinam *in Comaclen. die 18 Septembis 1824* §. *Erectioni.*

Item *in Imolen. Dignitatum die 20 Novembris 1830* §. *Illis; in Regien. Praeeminentiarum et Unionis die 22 Septembris 1855* §. *Ad quintum.*

2. Hinc licet inter Dignitates potissimum recensentur Archidiaconus et Archipresbiter, iure tamen non praefinitur Dignitatum numerus ac ratio *in Imolen. Dignitatum die 20 Novembris 1830* §. *Illis.*

Item *in Regien. Praeeminentiarum et Unionis die 22 Septembris 1855* §. *Ad quintum.*

3. Siquidem nullibi cautum reperitur, ne aliae quoque Praebendae ad Dignitatem evehantur, id quod a peculiari locorum consuetudine ac statutis omnino dependet *in Regien. Praeeminentiarum et Unionis die 22 Septembris 1855* §. *Ad quintum.*

4. At Dignitates novae solum a Summo Pontifice erigi possunt *in Spoletana Erectionis Dignitatum die 28 Ianuarii 1736* §. *Episcopum* (1).

5. Idcirco Dignitates in Ecclesiis nequeunt ab Episcopo de novo erigi et institui, absque Sedis Apostolicae auctoritate *in Larinen. Decretorum Synodalium die 26 Ianuarii 1732* §. *Circa septimum.*

6. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, non posse Episcopum auctoritate ordinaria erigere Canonicatum in Dignitatem, etiam mediante augmentum dotis *in Nullius seu S. Angeli in Vado die 14 Decembris 1647 lib. 18 Decretorum.*

Item *die 11 Ianuarii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 438.*

7. Unde Episcopus potest quidem instituere simplex Officium, non vero Dignitatem Canoratus, illudque conferre tenetur praevio

(1) Can. *Omnes* dist. 22; tuentur Felin. in Cap. *Cum accessissent* an. 14, de Constit.; Lotter. de re Benef. lib. 1, quaest. 5, n. 15 et 16; Corrad. in Prax. Benef. lib. 2, cap. 75, n. 2; Amyden de Styl. Datar. lib. 1, cap. 15, §. 7, n. 101, vers. Verum haec interpretatio; Card. Petra tom. 1 ad Constit. 2 Eugenii III, sect. unic. n. 35; et alii adducti per Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 4, n. 1 et seqq.

concursu super peritia Cantus Gregoriani, licet erectio Dignitatis Cantoratus decreta fuerit in Synodo Diaecesana habita anno 1728; his enim in terminis propositis dubiis: – VII. An iuxta Decretum eiusdem Synodi Episcopus habeat facultatem erigendi de novo in Capitulis Dignitatem Cantoratus? *Et quatenus affirmative.* VIII. An provisio dictae Dignitatis in casu obitus spectare debeat ad Episcopum eiusque Successores? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Affirmative quoad institutionem simplicis Officii. Ad octavum, deputationem faciendam esse praevio concursu super peritia Cantus Gregoriani – *in Larinen. Decretorum Synodalium die 30 Augusti 1732.*

8. Quin imo Episcopus non potest erigere Beneficia cum titulo Prioratus vel alterius Dignitatis, ita ut obtinentes talia Beneficia valeant antiquiores Sacerdotes praecedere *in Fossanen. die 31 Augusti 1658 lib. 21 Decretorum pag. 360.*

9. Si vero agatur de redintegranda Dignitate, quae aliquando fuerit in Ecclesia, sed deinde desierit, potest Episcopus illam instaurare cum assensu Capituli *in Larinen. Decretorum Synodalium die 26 Ianuarii 1732* §. *Circa Septimum.*

Item *in Spoletana Erectionis Dignitatum die 28 Ianuarii 1736* §. *Episcopum* (1).

10. Amplia, Dignitates novae possunt etiam ab Episcopo institui, dummodo sint ex iis, quae in similibus Ecclesiis erigi consueverunt et sacris Canonibus, ut aiunt, cognitae existunt, ad differentiam earum, quae prorsus novae et inusitatae essent *in Spoletana Erectionis Dignitatum die 28 Ianuarii 1736* §. *Episcopum* (2).

11. Hinc Episcopus cum assensu Capituli erigere potest huiusmodi novam Dignitatem in Ecclesia Cathedrali, eique sic erectae pro dote aliqua Beneficia simplicia in suis mensibus vacantia cum consensu pariter Capituli unire, dummodo iam in Ecclesia certus numerus Sedis Apostolicae auctoritate sive Episcopi vel Capituli iuramento praefinitus non fuerit *in Calaritana mense Decembris 1593 lib. 7 Decretorum pag. 140.*

12. Necessarius hinc semper censetur Capituli consensus, cum erectio Dignitatis fieri nequeat sine consensu Capituli *in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *Ad septimum* §. *De erigendis* (3).

13. Alias enim sine hoc consensu irrita esset erectio *in Clodien. die 5 Iulii 1608.*

Item *in Aquinaten. die 28 Februarii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 371; in Sabinen. Erectionis Archidiaconatus die 14 Aprilis 1696 lib. 46 Decretorum pag. 162; in Maceraten. die 30 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum pag. 348; in Firmana Erectionis Canonicatuum die 13 Septembris 1734; in Tolentina Archipresbyterarus die 11 Ianuarii 1766* §. *De erigendis.*

14. Quin imo Sacra Congregatio quandoque mandavit, circa electionem et provisionem Dignitatum Ecclesiae Cathedralis nihil esse decernendum, inaudito Capitulo *in Avenionen. die 23 Octobris 1635.*

15. Id vero procedit, si Capitulum iuste dissentiat; secus enim fieri potest huiusmodi erectio etiam sine consensu Capituli, si is petitus fuit et irrationabiliter denegatus; immo et cum dissensu eiusdem Capituli *in Sabinen. Erectionis Archidiaconatus die 26 Novembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

Item *die 2 Iunii 1696 lib. 46 Decretorum.*

16. Idcirco licet Capitulum Collegiatae Ecclesiae divi Pauli Apostoli Vallectae acri-

(1) Abb. in Cap. *Cum accessissent* 4 de Constit.; Fagnan. in Cap. *Dilecto*, n. 27 de Praebendis; Corrad. in Prax. Benef. lib. 2, cap. 2, n. 28 et seqq.; Lotter. de Re Benef. lib. 1, quaest. 5, n. 14 et seqq.; Card. Petra in comment. ad Constit. 2 Eugenii III, sect. unic. n. 35, tom. 1.

(2) Zabarell. in Cap. *Cum accessissent*, n. 5 de Constit. Fagnan. in Cap. *Perniciosam*, n. 70 de Offic. Ordinarii; et in Cap. *Dilecto*, n. 26 de Praebendis; Barbos. de Offic. et Potest. Episcop. Allegat. 68, n. 12; et de Iur. Eccles. lib. 1, cap. 21, n. 5; Gambor. de Potest. Legat. lib. 5, tit. de potestat. erigendi nova Beneficia, n. 12 et 13; Ricc. in Prax. part. 4, resolut. 361, n. 2; Monet. de Commutat. ult. volunt. Cap. 11, n. 3-8; Selva de Benef. part. 1, q. 4, n. 18, et part. 4, q. 7, n. 120, cas, 116; Zerol. in Prax. Episcop. in verb. Benef. part. 1, pag. 24; Monacell. in Formular. Legal. For. Eccles. part. 4, in supplem. ad tom. 2, n. 314.

(3) Lambertin. de Iurepatronat. lib. 2 quaest. 1, artic. 7, n. 2; Tamburin. de Iur. Abbat. tom. 2, disput. 5, quaest. 10, n. 7; et Rot. in decis. 39, n. 8 de iurepatronatus coram Falconerio; Felin. in Cap. *Cum accessissent* n. 15 de Constit., in Cap. *Dilecto*, n. 18 de Praebendis.

ter, sed iniuste obsisteret, Sacra Congregatio declaravit, posse Fundatorem variare titulum Canonicatus in Dignitatem Cantoratus cum onere praestandi tantum annua scuta decem Sacrario, ea etiam conditione adiecta, ut praefata Dignitas Cantoratus praeferri deberet aliis Dignitatibus postea fundatis in eadem Ecclesia *in Melevitana Erectionis Canonicatus sive Cantoratus die 11 Augusti 1753* (1).

17. Qua de re fieri potest in Cathedrali erectio Archidiaconatus praescripti a Testatore facienda cum suis bonis; immo est facienda ab Ordinario, secus vero a Dataria Apostolica *in Sabinen. Erectionis Archidiaconatus die 26 Novembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

18. Hinc potest fieri expensis hereditatis quoad expeditionem Bullarum *in Sabinen. Erectionis Archidiaconatus die 26 Novembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

19. At non est locus erectioni Dignitatis Archidiaconatus in Ecclesia Collegiata ex bonis Paraeciae sitae in aliena Diaecesi, licet Patroni id postulent sub praetextu divini cultus, et peramplus sit praefatae Paraeciae census *in Aretina Erectionis Archidiaconatus die 25 Iunii 1803.*

20. Siquidem Plebania S. Felicis in Pincis sita in ditione Senensi subiiciebatur Diaecesi Aretinae. Exiguum habebat gregem, sed peramplum possidebat censum, ex quo in proximo quinquennio rediisse constabat scuta octingentum. Vacavit Plebania huiusmodi, cuius iuspatronatus pertinebat ad gentem nobilitate praeclaram Cerretani Bandinelli Paparoni, ex qua iam extabant equites Lelius Bandinellius et Alexander. Isti deprecati sunt a Sacra Congregatione, ut ex reditibus huius Plebaniae erigeretur Dignitas Archidiaconalis in Ecclesia Collegiata S. Mariae de Provensano, quae Senarum erat portentis et cultu Populorum celebratissima. Ita autem hanc erectionem fieri postularunt, ut Archidiaconus ex familia Bandinelli nominandus omnes perciperet reditus Plebaniae, et Parocho quotannis solveret certam pensionem, quae partim in pecunia numerata, partim in generibus attingeret annuam quantitatem scutorum 330, unde Parochus congruam haberet et praestaret expensas manutentionis Ecclesiae aedium parochialium supellectilium cerae et sacrarum functionum. Causa autem, quam iidem afferebant pro divisione Beneficii parochialis, in eo ponebatur, quod erecta Dignitate Archidiaconali in Collegiata S. Mariae de Provensano augeretur divinus cultus, qui cum respiceret necessitatem et utilitatem Ecclesiae, idoneam praebebat causam, cur divisio praedicti Beneficii parochialis concederetur. Contra Episcopus contendit, quod divisio Parochialis Beneficii et bonorum dismembratio permittenda non esset, nisi concurreret evidens praecisa et absoluta necessitas, ita ut dismembratio et divisio fieret, ex eo quod aliter Ecclesiae necessitati occurri non posset: quae omnia in casu procul abesse videbantur. Nam si in praefata Collegiata haec Dignitas deficeret, non idcirco divinus cultus imminuebatur, et eousque illa fuit celebratissima, licet hac Dignitate careret. Haec igitur erectio tenderet in solum privatum commodum Familiae Bandinelli, quae sibi reservato iurepatronatus haberet pingue Beneficium, quo illis de familia consuleret. Detrimentum vero maximum caperet tum ipsa regio, in qua sita erat Plebania, tum Diaecesis Aretina, ex qua dismembrandum esset Beneficium, ut aliud in aliena Diaecesi constitueretur. – Nam Parochus tam pingui Beneficio praeditus facilius poterit totius Plebanatus animabus prodesse, quod sane et in votis fuisse pii Fundatoris negandum non est, quippe qui sane noverat, quam exiguus esset grex Ecclesiae S. Felicis addictus. Neque parvi faciendum est commodum, quod Ordinario Aretino offertur ex pingui hoc Beneficio, ubi residere potest, qui Vicarii Foranei munere fungatur, cui quidem oneri Plebanus S. Felicis hactenus satisfecit, tum ob loci positionem, quae facile finitimis Paraeciis aditum praebet, tum ob copiam redituum, qua necessariis annuis expensis supplere potuit –. Insuper petitio Oratorum, ut novus Archidiaconus omnia bona possideret, absurda videbatur, cum Plebania non divideretur, sed fere supprimeretur, et Parochus ad conditionem Pensionarii reduceretur.

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonicatus* §. III, n. 102 ad 105, Tom. IV.

21. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus erectioni Archidiaconatus ex reditibus Plebaniae S. Felicis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Aretina Erectionis Archidiaconatus die 25 Iunii 1803.*

22. Quum autem institutiones Dignitatum cum Capitularibus Constitutionibus in Ecclesia Cathedrali illegitime per laicam potestatem et Episcopum susdeque perversae fuerint, locus est earumdem redintegrationi ad formam erectionis *in Casalen. die 29 Novembris 1817.*

23. Enimvero Sixtus IV Casalense Capitulum sub simplicis Collegiatae titulo ad honorem Cathedralis Ecclesiae evexit, sex constitutis Dignitatibus distinctis nominibus Praepositi Archidiaconi Archipresbiteri Cantoris Decani ac Primicerii. Tres ex iis Dignitatibus, Praepositus Archidiaconus et Primicerius, peculiari Praebenda fruebantur: harumque collatio, ad Praeposituram quod attinebat, Celsissimo Sardiniae Regi, quoad alias duas Apostolicae Sedi, reservata erat; reliquae tres optioni suberant inter Canonicos seniores. At die 7 martii et die 8 maii 1806 Decreta prodierunt Napoleonis tunc Imperatoris, quibus Episcopus Villaret cuncta subvertit. Novae enim Constitutiones Capituli Dignitates ad tres dumtaxat reduxerunt sub nomine Archidiaconi Cantoris et Thesaurarii: Officiales nuncuparunt Canonicos Theologum Poenitentiarum et Archipresbiterum, cui postremo animarum curam libere et absolute crediderunt. Unde Episcopus Villaret Vice-Parochum (quod munus ab altero ex Canonicis Aloisio Novarese tunc exercebatur) in absolutum et perpetuum Parochum convertit, talique pacto idem Novarese ultimus Officialis evasit, sub nomine Aschipresbiteri. Deinde Canonicum Poenitentiarium Carolum Luparia, qui iam a decennio munus illud per concursum adeptum Bullisque Apostolicis confirmatum gerebat, per modum facti destituit, et in eius locum Vincentium de Conti subrogavit. Tandem cum mense octobris anni 1809 Canonicus Mandilia obiisset, qui ex novis Statutis Dignitatem Archipresbiteri cum alia Thesaurarii commutaverat, neque optandam hanc, neque conferendam praedictus Episcopus censuit, sed cum ex Mandilii obitu seniori Canonici superfuissent, cunctandum existimavit, donec et Canonicum simul et Dignitatem nominare posset. Factum hoc tandem mense maio 1812 per obitum Canonici Roselli. Tunc quippe Vicario suo Generali Francisco Mariae Salina Canonicatum simul et Thesaurarii Dignitatem Episcopus ille contulit, ipsique praeterea facultatem fecit percipiendi fructus atque distributiones, etiamsi choralibus ceterisque functionibus abfuisset. Possessionem Salina per Delegatum apprehendit, nedum hebdomada, quae dicebatur *probatoria,* aliaque ad turnum neglecta, sed consuetudine etiam iureiurando et professione fidei penitus praetermissa. Publicis vero vix rebus pacatis, supplices Casalenses Canonici coram Pontifice Pio VII subito steterunt, Capituli mala exponentes, et praesidium ac opem postulantes.

24. Propositis itaque dubiis: – I. An servanda sit collatio Canonicatus facta ab Episcopo Casalensi Vicario Francisco Maria Salina in casu etc. II. An servanda sit erectio novae Dignitatis Thesaurarii in Capitulo Cathedralis et successiva collatio facta eidem Vicario Salina in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et in quo stallo in choro sedere debeat et quo loco in processionibus incedere in casu etc. V. An et quomodo Canonicus Luparia reintegrandus sit ad Praebendam Poenitentiarii in casu etc. VI. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione et absolutione quoad fructus a Capitulo perceptos indistincte ex Praebendis in Massam communem coacervatis, quoad diminutionem choralis servitii aliarumque functionum, et quoad reductionem Missarum Anniversariorum aliorumque onerum ex legatis in casu etc. XI. An ad vacantem Primicerii Dignitatem pro hac vice servandum sit Capitulo ius optionis in casu etc. XII. An et a quo sit conferenda Praebenda Primicerii in casu etc. XIII. An Canonicus Novarese retinere possit titulum Archipresbiteri in casu etc. *Et quatenus negative.* XIV. An ad eum optare possint Canonici in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative praevia sanatione, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative qua Canonicus ad formam veterum Constitutionum Capitularium.

Ad quintum, esse redintegrandum ad Dignitatem et functiones. Ad sextum, Affirmative in omnibus, celebratis intra tres menses tribus Anniversariis cum cantu et interventu totius Capituli, et Missis bis centum lectis ratatim per singulos Canonicos pro omnibus omissionibus collective. Ad undecimum, Negative. Ad decimum secundum, Affirmative per Sedem Apostolicam. Ad decimum tertium, Negative. Ad decimum quartum, Affirmative ad formam veterum Constitutionum - *in Casalen. die 29 Novembris 1817.*

25. Quin imo licet, attentis temporum circumstantiis, Capitulum Cathedralis Ecclesiae iam bonis expoliatum fuerit legitime redintegratum, sed non iuxta antiquam formam quoad Dignitates, Sacra Congregatio mandavit, ut illud ad antiquam formam restitueretur *in Imolen. Dignitatum die 26 Martii 1831.*

26. Siquidem Capitulum Imolensis Cathedralis Ecclesiae ante publicarum privatarumque rerum perturbationem octo constabat Dignitatibus et duodecim Canonicis, quorum unus Praebendam Theologalem obtinebat, alter Poenitentiarii fungebatur munere, alius tandem Parochi officia obire tenebatur. Illae super Canonicos omnes praeeminentia ordine suo gaudebant, hi vero praecedentia inter se ex possessionis antiquitate fruebantur. Anno autem 1806 Pro-Vicarius Apostolicus necessariis a. s. m. Pio VII instructus facultatibus memoratum Capitulum, quod bonis omnibus fuerat expoliatum, redintegravit, illudque ea forma, temporis ita suggerentibus circumstantiis, digessit, ut praeter octo veteres Dignitates iuripatronatus obnoxias novem tantum instaurarentur Canonicales Praebendae, et qui Parochi Theologi ac Poenitentiarii munere defungerentur, Dignitatis praerogativa gauderent, itemque super reliquos dumtaxat sex Canonicos praeeminentia potirentur. Quo factum est, ut Imolense Capitulum undecim coalesceret Dignitatibus et sex Canonicis. Rem huiusmodi quum aegre ferrent Capitulares, in comitiis 17 aprilis 1830 maioribus suffragiis decreverunt, supplicem Sacrae Congregationi offerre libellum, ut Capitulum in antiquam formam restitueretur, servato tamen praecedentiae ac dignitatis honore modernis Parocho Poenitentiario et Canonico Theologo, huiusque cum futura successione Canonico Coadiutori, donec ipsi vitam vixerint. Episcopus, Canonico Parocho et Theologo dissentientibus, censuit magis opportunum et conveniens, quod Capitulum ad antiquam formam restitueretur. Nam - contra ius canonicum Praebendae Parochialis Theologalis et Poenitentiariae ad Dignitatem honorem evectae fuerunt, id exigentibus illis temporibus nunquam satis deflendis. Alteram rationem mihi suppeditat qualitas peculiaris, imo vere unica et singularis huius Capituli: cum enim in eo octo iam Dignitates ex iurepatronatus existant, si tres aliae, de quibus nunc quaeritur, addantur, Capitulum ex undecim Dignitatibus et sex tantum Canonicatibus constaret; quod absurdum, imo fere monstruosum esse videtur -. Unde nec Canonicus Parochus ex Literis in forma Brevis sub die 16 decembris 1818 editis inter Dignitates cum titulo Archipresbiteri adnumerari poterat. His itaque perpensis, proposito dubio: - An sit annuendum precibus Capituli in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative ad formam resolutionis capitularis, facto verbo cum Sanctissimo, et ad Datariam Apostolicam pro expeditione Brevis - *in Imolen. Dignitatum die 26 Martii 1831.*

27. Haud autem est redintegranda erectio Dignitatis Thesaurariatus, si dos adeo tenuis ac difficilis exactionis exhibeatur, ut erectio potius in dedecus, quam in augmentum cedat divini cultus *in Puteolana Erectionis Thesaurariatus die 18 Decembris 1745.*

28. Enimvero ad redintegrandam erectionem Thesaurariatus et Archiacolytatus legitime factam anno 1477 a Pirro Azzia ea tempestate Episcopo Puleolano, quae Dignitates, ignorabatur, qua ratione absoletae fuerint, Antonius Horatius Frautus et Bernardinus Constantius dotem obtulerunt ducatorum duodecim monetae Regni Neapolis pro qualibet earum, reservato sibi ipsis iure nominandi prima vice tantum, adiectoque onere futuris earumdem Dignitatum possessoribus praestandi tum nominatoribus, tum eorumdem heredibus facem ceream dimidiae librae. At Capitulum obstitit: censuit enim, tenuem nimis esse dotis quantitatem, quae summam efficiebat annuorum ducatorum undeviginti,

qui impares omnino erant oneribus a Thesaurario ferendis, cum in Civitate Puteolis Neapoli proxima melioribus vestibus incedere deberent Canonici, qui insigniis cappae magnae et rocchetti utebantur. Accedebat, Frauti patrimonium aere alieno pressum esse, ut difficile futurum esset, summam ducatorum quindecim educi ex eo libere posse: ne igitur Dignitatis erectio potius in dedecus, quam in augmentum cederet divini cultus, optimum esse eam non probare, etsi in eadem Ecclesia aliae essent Dignitates, quae congrua dote carebant, cum in praesens ageretur non de erecta, sed de erigenda Dignitate; ideoque non exemplis, sed recta iuris censura res iudicari debebat. Aliam addidit Capitulum rationem, scilicet Canonicos aliosque Ecclesiae Ministros plurimos esse, qui choro intererant, sacrisque solemniis praesto erant in Cathedrali, et vigesimum octavum numerum implebant, ut aliorum opera non esset necessaria. Plures etiam ex hac erectione quaestiones, quae chori servitium et praecedentiam respiciebant, exoriebantur.

29. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus erectioni Dignitatis Thesaurariatus? *Et quatenus Affirmative.* II. An teneatur praestare servitium quotidianum, vel potius in diebus solemnioribus et Dominicis ac Festis de praecepto? III. An idem Thesaurarius indutus habitu chorali debeat sedere in choro ante omnes Canonicos, vel potius post omnes de Capitulo in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum et tertium, provisum in primo – *in Puteolana Erectionis Thesaurariatus die 18 Decembris 1745.*

30. Episcopus itaque non potest unire Dignitati Parochialem inconsulto summo Pontifice, etiamsi Dignitas habeat tenues reditus, nec admittatur ad lucrandas distributiones quotidianas, et Parochialis sit in Civitate, ubi est Dignitas *in Mutinen. lib. 1 Decretorum pag. 14 a tergo.*

31. Nam est de iure incompatibile obtinere Dignitatem cum Parochiali *in Dubium ad cap. 17 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

32. Hinc obtinens Dignitatem Thesaurarii in Cathedrali non potest obtinere simul aliud Beneficium, residentiam requirens, absque dispensatione Apostolica *in Taurinen. die 2 Maii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 472.*

33. Nominatio vero Regia ad Episcopatum in personam obtinentis Dignitatem in alia Cathedrali non inducit, ex Decretis Concilii in cap. 4 sess. 7 et cap. 17 sess. 24 de reformatione, imcompatibilitatem; et ideo nominatus etiam post nominationem potest resignare dictam Dignitatem, reservata super ea pensione, accedente Apostolico Beneplacito *in Elven. die 14 Novembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 540.*

34. Imo Thesauraria Ecclesiae Ferrariensis est quidem residentialis ad formam iuris, servata tamen consuetudine quoad chori servitium, quin possit participare de distributionibus quotidianis, utique vero de distributionibus inter praesentes iuxta consuetudinem, et ideo taxanda est congrua summa pro singulis fallentiis favore fabricae Ecclesiae applicandis; sed incompatibilis haudquaquam censetur ac est cum Beneficiis, quae chori servitium et onera eiusdem non impediunt, adeoque etiam Parochus a legitimo Patrono nominatus, qui curam animarum gerit in Ecclesia, quae ab urbe Ferrariae distat quinque circiter milliarios lapides obtinere valet, cum nec opus sit dispensatione Apostolica; propositis enim dubiis: – I. An Thesauraria sit residentialis in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo eadem Thesauraria sit incompatibilis cum aliis Beneficiis sub eodem tecto in casu? III. An et quomodo sit incompatibilis cum aliis Beneficiis residentialibus in eadem Civitate Ferrariae in casu? IV. An Thesaurarius frui debeat distributionibus quotidianis in casu? V. An lucrari possit distributiones inter praesentes in casu? VI. An et ad quem spectet praesentatio Vicarii Parochialis unitae in casu? VII. An iuspatronatus Thesaurariae transierit in Mariam Baruffi Benasciutti in casu? VIII. An sit danda institutio Presbitero Maccapani, et sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione illius favore in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad tramites iuris, servata tamen consuetudine quoad chori servitium. Ad secundum, providebitur in singulis casibus. Ad tertium, Affirmative quoad ea Beneficia, quae continuam exigunt resi-

dentiam, Negative quoad cetera, quae chori servitium et onera Thesaurariae non impediunt. Ad quartum, Negative; et Emus Archiepiscopus taxet congruam summam pro singulis fallentiis, favore fabricae Ecclesiae applicandis. Ad quintum, Affirmative ad formam consuetudinis. Ad sextum, ad Thesaurarium pro tempore. Ad septimum, Affirmative ex hactenus deductis. Ad octavum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* (1).

35. Amplia, obtineri potest Dignitas cum Canonicatu, attenta fructuum tenuitate et consuetudine legitime introducta *in Novarien. die 16 Februarii 1588 ad Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

36. Hinc et Dignitas Capellaniae maioris Cathedralis non est incompatibilis cum Canonicatu accessorie unita Lectorali, sive Poenitentiario in eadem Cathedrali *in Oscen. Indulti die 12 Martii 1695 lib. 45 Decretorum.*

37. Quin tamen Episcopus huiusmodi onus cum unione Beneficiorum imponere valeat: siquidem Sacra Congregatio declaravit, Episcopum non potuisse unire Beneficia Dignitati Decanatus cum impositione oneris legendi Sacram Scripturam vel concionandi *in Liparen. die 10 Maii 1631.*

38. Alias vero si reditus sint tenues ac Dignitates sint ventosae nullum habentes onus cumulari possunt cum Officiis Theologi et Poenitentiarii, cum praesertim adsit privilegium ante Concilium Tridentinum concessum exinde consuetudine roboratum *in Hatrien. Compatibilitatis die 17 Decembris 1853* (2).

39. Idcirco quum Dignitas Primiceriatus Cathedralis Ecclesiae Pinnensis esset ventosa, cui nullum inerat Officium, atque ab illa nonnisi munusculum scutatorum octo in singulos annos aliaque parvi momenti lucra derivabant, nec non ex consuetudine inhaereret sedi Canonici Decani et cum Decanatu confundi videretur, Sacra Congregatio declaravit,locum esse non posse optioni, sed eamdem facta vacatione spectare ad Dominicum Tartagliozzi Canonicum Decanum; his enim in terminis proposito dubio: - An et cuius favore sit locus optioni Dignitati Primiceriatus in casu?-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Primiceriatum spectare ad Canonicum Tartagliozzi - *in Pinnen. Optionis die 26 Februarii 1860.*

40. At nulla ac irrita est provisio de Dignitate, cui est annexus Presbiteratus, in eum, qui nec est Sacerdos, nec intra annum Sacerdotium suscipere potest *in Mileten. mense Novembris 1584 lib. 4 Decretorum pag. 3.*

41. Quum itaque nec tempore vacationis Dignitatis Prioratus nec saltem intra quadrimestre nemo ex vocatis habilis et idoneus reperiatur iuxta erectionis tabulas, nominatus ab uno ex Patronis, qui habilis et idoneus extat, institui debet in huiusmodi Dignitate in Ecclesia Collegiata erecta, quin dispensatio concedi valeat in praeiudicium iuris ab eo quaesiti et in Ecclesiae damnum *in Imolen. Prioratus die 26 Martii 1831.*

42. Enimvero Emus Card. Bertalozzi erigi curavit in Collegiata Ecclesia SS. Petronii et Prosperi Civitatis Luci secundam Dignitatem, Prioratus nomine insignitam, hisce sub conditionibus, in Apostolicis Literis erectionis diei 23 maii 1828 Leonis XII insertis, scilicet - post eiusdem Cardinalis mortem ad heredes, quos ipse instituet suo testamento, spectabit ius nominationis ad Prioratum. Deficientibus autem illorum heredum agnatis et cognatis, conferre Dignitatem hanc liberum et integrum erit Ordinario loci, a quo tamen eaedem omnino, quae impositae sunt heredibus, conditiones erunt servandae. Nimirum heredes praedicti nominare ad Prioratum illos tantum poterunt, qui in Civitate Luci nati sunt et inibi domicilium habent; suos vero agnatos et cognatos iidem heredes praeferre ceteris agnatis et cognatis Familiae Bertalozzi, hos autem praeferre extraneis tenebuntur. Ceterum non extranei solummodo, sed etiam agnati et cognati sive heredum, sive Familiae Bertalozzi, tum quando fuerint ab heredibus nominati, tum quando ab Ordinario electi, semper ab eodem Ordinario per examen probandi erunt eo prorsus modo, quo examinari solent ii, qui destinantur ad audiendas con-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in verb. *Beneficia*, §. XIV, n. 95 ad 101, Tom. III.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, §. IV n. 95 ad 102, Tom. IV; ibique plura habentur, quae huiusmodi punctum iuris respiciunt.

fessiones, ita ut nemo unquam, nisi qui ad Confessarii munus fuerit idoneus repertus, possit ad Prioratum institui –. E vivis interim erepto Emo Bertazzoli vitaque deinde functo Ioanne Baptista Calzolari, qui fuerat ab eodem Cardinali ad Prioratus Dignitatem evectus, heredes pii Institutoris, Collegium nempe Canonicorum Lucense et Petrus Bertalozzius, ad Imolensem Episcopalem Curiam recensitae Dignitatis nominationem tulere. Canonici sub die 21 iunii 1830 Sacerdotem Iosephum Malerbi Lucensem et ad excipiendas Christifidelium confessiones pluribus ab annis approbatum communi suffragio nominarunt; Petrus vero Bertalozzi primo in Sacerdotem Bernardinum Canonicum coadiutorem Girri, factique deinde poenitens in Innocentium Nuvoli ex Familia Bertalozzi descendentem suam contulit nominationem. Quum vero eiusdem Innocentii Pater animadverteret, filium suum, utpote clericali militiae nondum adscriptum ac in aetate viginti annorum constitutum, voti compotem ullo pacto fieri non posse, Episcopale tribunal adiit petiitque, ut ad Prioratus Dignitatem institueretur Innocentius, sin minus eius frater natu maior Clericus Balthaxar, qui licet clericales vestes non gereret, et in Urbe Procuratoris munus exerceret, vigesimum tamen septimum aetatis annum iam excesserat, in utroque iure erat laurea donatus, et ad studium Theologiae moralis et dogmaticae per annos quatuor in patrio Emaldiano lycaeo laudabiliter incubuit. Interim Innocentius Nuvoli supplicem Sacrae Congregationis obtulit libellum, quo dispensationem efflagitabat, ut ipse Prioratus Dignitatem nancisceretur, spondens, se intra quinquennii spatium sacros Ordines susceptorum, et ad fidelium excipiendas confessiones se idoneum redditurum. Quum enim ipse rei familiaris angustia premeretur, sanguine iungeretur cum fundatore, et studiis sedulo navaret, dispensatio concedi posse videbatur. Frater Balthaxar autem nullam edixit nominationem, cum is ex fundatione vocatus nominari deberet, quin obesset, quod sacris Ordinibus haud esset insignitus: nam de iure anni spatium tribuitur ad suscipiendum sacrum Ordinem Beneficiis adnexum. At contra Malerbius sustinuit, validam esse ipsius nominationem, cum nec tempore vacationis, nec saltem intra quadrimestre neuter ex Fratribus Nuvoli habilis esset ac idoneus, iuxta fundationis tabulas. Contendit praeterea, gratias et privilegia alterius ius laedere non debere; ac dispensationem in Lucensis quoque Ecclesiae damnum cedere: vix enim quatuor aut quinque praesto erant Canonici, qui chori onus valerent ferre, quum ceteri vel senectute, vel adversa valetudine, vel muneribus praepediti, divinis concinendis laudibus adstare prohiberentur.

43. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An Sacerdoti Iosepho Malerbi sit danda institutio in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et cuius ex Fratribus Nuvoli sit precibus annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Imolen. Prioratus die 26 Martii 1831.*

44. Unde si Dignitati incumbit cura animarum vel parochiali Ecclesiae adnexa sit, necessario habere debet aetatem viginti quinque annorum inchoatorum *in Pacen. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 20.*

45. Idcirco Sacra Congregatio censuit, secundum ea, quae proponuntur, ad Dignitatem Cantoriae, de qua agitur, aetatem viginti quinque annorum requiri *in Cotronen. die 4 Decembris 1627.*

46. Qui vult vero assequi Dignitatem nullam habentem annexam principaliter curam animarum, sed tantum per unionem Parochialis ipsi Dignitati accessorie unitae, necessitatem non habet, ut attingat annum vigesimum quintum *in Caurien. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 30.*

47. Amplia, aetas viginti duorum annorum sufficit ad obtinendam Dignitatem habentem vel duas parochiales unitas in perpetuum, cuius vel quarum curam suevit exerceri per Vicarios temporales ad nutum amovibiles *in Nullius anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 139.*

48. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, – ad obtinendam in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata Dignitatem non curatam requiri annorum 22 completam aetatem – *in Abulen. die 23 Iunii 1583 Posit. 100 pag. 9 et 10 ad Cap. 12 sess. 24 de reformatione.*

Item *in Nullius die 4 Septembris 1591 lib. 7 Decretorum pag. 20 a tergo; in Nullius die 24 Septembris 1593 lib. 7 Decretorum pag. 129; in Nullius die 25 Maii 1652 lib. 19 Decretorum pag. 191.*

49. Idcirco id procedit, etiamsi agatur de Collegiata Ecclesia: nam Sacra Congregatio censuit, – Decretum Concilii Tridentini Cap. 12 sess. 24 de reformatione §. *Ad ceteras autem Dignitates* comprehendere etiam Dignitates in Collegiatis – *in Taurinen. die 21 Aprilis 1583 Posit. 100 pag. 15 ad cap. 12 sess. 24 de reformatione.*

Item *in Brundusina die 13 Ianuarii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 6 et 17.*

50. Siquidem Sacra Congregatio in puncto rescripsit: – Ad obtinendam Dignitatem Scholasticae in Ecclesia etiam Collegiata requiri aetatem annorum 22 ex Decreto Concilii cap. 12 vers. *Ad ceteras* sess. 24 – *in Nullius die 15 Martii 1601 lib. 9 Decretorum pag. 134 a tergo.*

51. Qua de re proposito dubio: – I. An clericus Thomas Brigantes aetatis annorum quatuordecim capax sit assequendi Praeposituram secundam Dignitatem Ecclesiae Collegiatae S. Iustinae Oppidi Mondulphi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Senogallien. die 30 Augusti 1766.*

52. Unde–Laurentius Doccius vir genere et pietate nobilis Arbipresbiteratum secundam Dignitatem in Collegiata Ecclesia S. Mariae, ut dicunt *di Provenzano,* fundavit ac proprio aere dotavit, supplex modo petit per hanc Sacram Congregationem declarari, an ipse ad praedictam Archipresbiteratus Dignitatem possit Clericum nepotem suum, qui annum quatuordecim attingit, praesentare? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Non posse, et Oratorem dignum esse, ut illi utpote fundatori per Datariam ex Apostolica benignitate indulgeatur – *in Senen. die 29 Novembris 1659.*

53. Hanc Sacrae Congregationis sententiam secuta est Rota, ut debebat, ac latissime adornavit in Burgen. Thesaurariae 3 iulii 1739 coram Peralta *in Senogallien. die 9 Augusti 1766* §. *Hanc.*

54. Imo Dignitates Collegiatae Ecclesiae in Cathedralem erectae tenentur assumere sacros Ordines; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Dignitates et Canonici Praebendati teneatur sacros Ordines assumere iuxta Decretum ab Episcopo promulgatum die 6 decembris 1749? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Oriolen. die 7 Februarii 1756.*

55. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Oriolen. die 28 Augusti 1756.*

56. Idcirco ex dispositione Concilii Tridentini sess. 22 cap. 4 de reformatione omnes, Dignitates Personatus Officia Praebendas Portiones ac quaelibet alia Beneficia obtinentes in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, tenentur omnino suscipere Ordines requisitos infra annum, cum per se ipsos exercere debeant respectiva munia *in Senogallien. die 9 Augusti 1766* §. *De.*

57. Indulgetur autem passive vocato ad Primiceriatum quartam Dignitatem Cathedralis Ecclesiae contra extraneum dispensatio aetatis, licet ipse in decimo tertio anno versetur *in Urbanien. Primiceriatus di 24 Martii 1764.*

58. Iamvero ad vacantem Primiceriatum, qui quarta erat Dignitas Ecclesiae Cathedralis Urbaniae iurispatronatus Familiae de Miniis, Vincentia Giannini Ripa, uti ex Familia, praesentavit die 14 aprilis anni 1762 Sacerdotem Zenonem Gatti extraneum. Doralix Minia, uti ex Familia, praesentavit biduo post Franciscum Zucchi filium aetatis decimum tertium annum agentem, sub conditione Apostolicae dispensationis obtinendae. Huius favore supplicatio signata fuit. Sed cum altera etiam supplicatio favore Gatti super derogatione medietatis vocum signata fuerit, hinc totius negocii cognitio ad Sacram Congregationem remissa est. Franciscus Zucchi allegavit, quod sibi descendenti ex ea Familia competeret ius passivum ex ipsa litera fundationis, et quod nullum Competitorem ex illo sanguine haberet; ac propterea dispensatio aetatis sibi deneganda non esset. De sua descendentia asseruit controversiam non esse, de iure vero patronatus passivo favore descendentium ambigi non posse, ultimum statum clarum esse, in quo anno 1751

Franciscus Rota, uti ex Familia, institutionem obtinuit; clarissimum statum antecedentem, in quo Rector Ripa nominatus a Vincentio Patre, uti e Familia, licet aetatis annum ageret decimum septimum, Apostolicam dispensationem impetravit, et eam Dignitatem retinuit; convenire etiam priores status, in quibus nemo admissus videtur, qui e Familia non fuerit; se nominatum fuisse a Persona legitima, nimirum a Doralice Matre, quae in statu praecedenti simul cum Vincentio Giannini Ripa ad nominandum admissa fuit. Addidit, supplicationem Sacerdotis Gatti subreptionis vitio infectam esse, quia reticuit, ipsum Zucchi fuisse nominatum legitime. Episcopus historiam texuit erectionis huius Dignitatis, eiusque primae originis ex duabus Capellaniis illius Familiae.

59. His itaque perpensis, proposito dubio: - An et quae supplicatio sit relaxanda in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Relaxandam esse supplicationem Francisci - *in Urbanien. Primiceriatus die 24 Martii 1764.*

60. Hinc Sacra Congregatio respondit, sustinendam esse provisionem factam a Dataria Apostolica de Decanatu Ecclesiae Cathedralis ad favorem Clerici in aetate quatuordecim annorum tantum constituti proximioris Fundatoris consanguinei praesentati a Patronis cum expressione in Literis Apostolicis praedictae aetatis *in Vigilien. Decanatus die 2 Augusti 1670 lib. 26 Decretorum pag. 392.*

61. Concessa pariter fuit dispensatio pro octo mensibus ad hoc, ut Monachus in Decanum eligeretur, non obstantibus constitutionibus Congregationis, attenta instantia Generalis, immo et Capituli Generalis, nec non bonis eligendi qualitatibus *in Messanen. die 2 Septembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 403.*

62. Praeterea Sacrum Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 12 de reformatione - hortatur etiam, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, Dignitates omnes, et saltem dimidia pars Canonicatuum, in Cathedralibus et Collegiatis insignibus, conferantur tantum Magistris vel Doctoribus aut etiam Licentiatis in Theologia vel Iure canonico - *in Lucana Dispensationis die 11 Aprilis 1807* §. *Sane.*

63. Ceterum cum Concilium hortetur, non praecipiat, haud est omnino necessarium, ut Dignitates Doctoribus conferantur, ut notat Gallemart ad not. Concil. Trid. sess. 22 cap. 2 n. 1, et sess. 24 cap. 12 reformatione n. 24 *in Lucana Dispensationis die 11 Aprilis 1807* §. *Sane.*

64. Idcirco cum ex iure necessarium non sit, facilius indulgenda videtur dispensatio ab Doctoratus conditione, quae in Literis Apostolicis praescripta est, si congrua subsit causa, cur dispensatio huiusmodi concedatur *in Lucana Dispensationis die 11 Aprilis 1807* §. *Sane.*

65. Quin imo si quis a Summo Pontifice obtinuerit Archidiaconatum secundam Cathedralis Ecclesiae Dignitatem, quin eidem aperuisset, quod Doctoratu aut Licentiatu haud praeditus esset, locus non est aperitioni oris, ac ea propter nullatenus a posssessione iam capta removeri debet *in Asten. Aperitionis oris die 17 Septembris 1859* (1).

66. Nam prima Dignitas, quocumque appelletur nomine, Doctoratu aut Licentiatu ornata esse debet, nequaquam vero secunda, quamvis praeclaro Archidiaconi titulo fortasse gaudeat *in Asten. Aperitionis oris die 17 Septembris 1859* §. *Equidem.*

67. Quapropter Sacra Congregatio declaravit, - ad obtinendum Archidiaconatum, qui vere careat omni cura et omni prorsus iurisdictione, non necessario requiri, quod quis sit Magister in Theologia seu Doctor aut Licentiatus in Iure canonico - *in Polinianen. mense Decembris 1602 lib. 10 Decretorum pag. 53 a tergo.*

68. Unde - Carolus Antonius Scalzi Archidiaconus Cathedralis Aquipendii, cura animarum et iurisdictione carens, supplicat declarari, an ipse teneatur esse doctor vel licentiatus in iure canonico? -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Aquipendii Canonicatus die 20 Iunii 1671 lib. 27 Decretorum pag. 127 a tergo.*

69. Quin imo non est necessarium, ut conferatur Doctori vel Graduato Dignitas Abbatiae vel etiam habens iurisdictionem

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archidiaconatus*, §. II. n. 11 ad 17, Tom. II; ibique reliqua habentur.

quasi episcopalem et ordinariam *in Dubium die 9 Decembris 1585 Posit. 100 ad cap. 12 sess. 24 de reformatione.*

Item *in Salamantina die 9 Decembris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 46.*

70. Alias vero si res sit de prima Dignitate, ac extet consuetudo: nam et Primicerius Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Terrae Ebuli, qui ex Literis erectionis est prima Dignitas, caput Ecclesiae et Capituli, nec non omnimodam ordinariam iurisdictionem in Ecclesiam et Capitulum habet, non modo tenetur suscipere Lauream Doctoralem, sed nec locus est dispensationi super susceptione dictae Laureae *in Salernitana Doctoratus die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

71. Siquidem - componitur Ecclesia Collegiata S. Mariae Pietatis Terrae Ebuli ex binis Dignitatibus, quae prima est diciturque Primicerius, altera vero Cantor nuncupata, et duodecim aliis Canonicis. In Literis Apostolicis erectionis dictae Collegiatae legitur concessa Primicerio iurisdictio ordinaria in Ecclesiam et Capitulum sub his verbis: « Pro uno Primicerio, qui caput Ecclesiae et Capituli huiusmodi existat, ac omnimodam ordinariam iurisdictionem in Ecclesiam et Capitulum huiusmodi illiusque Personas et bona quaecumque habeat ». Provisus nuper fuit de dicta prima Dignitate a Sede Apostolica Sacerdos Paulus Crescillus, apposita clausula in Literis provisionis expeditis a Dataria, dummodo Orator infra annum teneatur suscipere Lauream Doctoralem; credens nihilominus antedictus Crescillus sese minime teneri ad adimplementum memoratae clausulae non quidem ex lege fundationis, cuius documentum dabitur in Summario, neque ex alio iure ad id devinciente, pridem recurrit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, quatenus se doctorandi onus subire non teneatur, vel saltem si teneretur ab eo onere liberari rogavit. Sub die 10 maii proxime praeteriti proposita instantia per Summarium, rescriptum fuit: « Adeat Datariam ». Sed renovata instantia per Oratorem, requisita fuit informatio Archiepiscopi referentis, sibi constare praedecessorem Primicerium de Clario fuisse laureatum in Archigymnasio Urbis, quemadmodum credit, tales fuisse alios praedecessores, idque deducit ex omnimoda iurisdictione ordinaria tributa Primiceriis pro tempore in Bulla fundationis. Multa congessit Relator circa inhabilitatem Oratoris sine suis Literis testimonialibus provisi et examinati in Urbe, quibus utpote ad Causam non facientibus omissis, iterum rogat Orator EE. VV. exaudiri -.

72. Propositis vero dubiis: - I. An Primicerius Crescillus teneatur suscipere Lauream Doctoralem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit dispensandus super susceptione dictae Laureae Doctoralis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in casu, de quo agitur. Ad secundum, Negative - *in Salernitana Doctoratus die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

73. Unde satis non est gradus Baccalaurei ad obtinendam Dignitatem Decanatus, sed attentis peculiaribus circumstantiis Sacra Congregatio proponit Summo Pontifici dispensationem *in Ulixbonen. Decanatus die 30 Martii 1715 lib. 65 Decretorum* (1).

74. Qua de re si quis Prioratum et Canonicatum in Collegiata Ecclesia obtinuerit cum conditione, ut Doctoratum susciperet, indulgetur dispensatio ab eo suscipiendo, cum expensis non sit idoneus et scientia praeditus existat *in Lucana Dispensationis die 2 Maii 1807.*

75. Iamvero Presbiter Aloisius Marchetti olim Religiosus professus in Ordine S. Hieronymi Congregationis Pisanae sedulam navavit operam disciplinis philosophicis atque theologicis, et postquam a Procuratore Generali Ordinis fuit laurea insignitus cathedram philosophiae in Civitate Urbini, theologiae in Urbe Romae exercuit. Ex indulto Apostolico habitum regulare dimisit, et facultatem consequendi Beneficium seculare etiam cum annexa cura animarum impetravit. Inde ex collatione Apostolica Prioratum et Canonicatum cum eo coniunctum obtinuit in Parochiali et Collegiata Ecclesia Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae *di Camaiore* Lucensis Diaecesis, et in Literis Apostolicis ea interposita est conditio, ut - doctoratum in

(1) Species et resolutio Causae huius prostat in Verb. *Baccalaureus*, Tom. III.

aliqua approbata Universitate susciperet –. Cum vero Universitas, quae in Civitate Lucensi instituta erat, non haberet privilegium conferendi Lauream, et alio se conferre, ut Doctoratum susciperet, Marchettus impeditus esset expensis, quibus non erat idoneus, supplicavit Summo Pontifici, ut a suscipienda Laurea dispensaretur. Archiepiscopus id confirmavit ac addidit: – Cum satis praefata testimonia et experimenta scientiae necessariae ad suum munus rite et laudabiliter peragendum aeque ac ad sustinendum Dignitatis suae decus praeditum esse demonstrent, Capitulum assentitur libenter, ut a conditione in Bullis apposita Lauream suscipiendi benigne a Summo Pontifice absolvatur –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a suscipiendo Doctoratu in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Lucana Dispensationis die 2 Maii 1807*.

76. Quin imo licet Fundator Primiceriatus tertiae Dignitatis in Collegiata Ecclesiae mandaverit, ne ullus ad praefatam Dignitatem admitteretur, nisi Doctor esset in aliquo publico Collegio, et non per privilegium Principis; idque in Literis collationis praescriptum fuerit, attenta tamen redituum imminutione multiplicitate onerum ac longaeva Oratoris aetate, indulgetur relaxatio huiusmodi oneris, si Summo Pontifici placuerit *in Pientina Laureae Doctoralis die 16 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

77. Enimvero – in Literis Apostolicis, quibus de Primiceriatu tertia Dignitate in Ecclesia Collegiata Sinalongae provisus fuit Ioannes Dominicus Petrocchi, appositum legitur Decretum suscipiendi intra annum Lauream Doctoralem, cum Fundator prohibuerit, « ne ullus ad dictam Dignitatem admittatur, qui non sit Doctor in Theologia vel in utroque iure aut Philosophia et doctoratus sit in aliquo publico Collegio, et non per privilegium ab aliquo Principe ». Quare cum preces Petrocchi postulantis relaxationem enunciati Decreti fuerint a SS. D. N. Clemente XI huic Sacrae Congregationi remissae, Orator exponit, se ex lege fundationis gravatum esse onere servitii chori ad omnes horas canonicas et Missas solemnes, quae cantari solent, nec non celebrationem Missae omnibus diebus festivis, et ulterius ad alias tres Missas in qualibet hebdomada, et demum onere recolendi festivitatem Angeli Custodis cum Missa in cantu et aliis octo lectis et unius Anniversarii cum totidem Missis lectis; et viceversa reditus dicti Primiceriatus non excedunt annua scuta triginta, cum de tempore fundationis ascenderent usque ad centum, ut omnia confirmat Episcopus in sua informatione referens, diminutionem praefatam provenisse ex facto Principis reducentis fructus, qui in Monte Pietatis Florentiae solvebantur ad rationem quinque, ad unum cum dimidio, post quam reductionem nullum Laurea Doctorali insignitum ad hanc Dignitatem aspirasse; hinc attenta tenuitate redituum Primiceriatus, multiplicitate onerum, aetate provecta annorum quinquaginta et eius paupertate, Petrocchius Orator humillime supplicat pro affirmativa resolutione sequentis dubii: – An sit locus relaxationi Decreti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, si Sanctissimo placuerit – *in Pientina Laureae Doctoralis die 16 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

78. Animadvertendum autem est, quod Decanatus non est Dignitas per se subsistens, sed est praeeminentia quaedam ipso iure deferenda antiquiori de Collegio, adeo ut, qui prius in illud receptus fuit, suapte natura, ipsoque iure Decanus nuncupetur *in Romana Decanatus Capituli Lateranensis die 22 Novembris 1732* §. *Qualitatem* (1).

79. Quum itaque ex Constitutionibus Capitularibus seu fundationis legibus ad Dignitatem Decanatus sit eligendus Canonicus antiquior, antiquioritas intelligenda est a servitio Ecclesiae et chori indistincte, non vero ab assecutione Canonicatus de Massa; adeoque ille eligendus omnino est *in Urbinaten. Decanatus die 21 Novembris 1778 et die 6 Martii 1779.*

80. Siquidem Card. Iulius Feltrius de Ruvere anno 1563 inter cetera assignavit Capitu-

(1) Bart. in leg 2, n. 2 cod. de Decurion.; Ioannes de Platea ibid. sub n. 1 vers. Tunc ille, qui praeest aliis, et vers. Senior enim Collegii; Pyrr. Angleberm. in leg. 1 in fin. cod. de Dec. lib. 12; Coccin. scribens de Decanatu S. Rotae in annot. 261 post. tom. 1, decis. 1, n. 260 et seqq. et n. 381 et seqq.

lari Mensae Cathedralis Ecclesiae Urbinatensis annua scuti 220 ex suis patrimonialibus bonis pro dote duarum noviter erigendarum Dignitatum sub nominibus Archipresbiteratus et Decanatus. Canonici, ab eodem facultate accepta, constituerunt: – Si Dignitas vacaverit et ad Capitulum pertinuerit electio, de ipsiusmet Capituli gremio semper eligatur; sed occurrente Decanatus vacatione, iuxta piam illustrissimi bo. me. Cardinalis Urbini mentem, qui Dignitatem hanc in Ecclesia nostra propriis ipsius patrimonialibus bonis una cum Archipresbiteratu fundavit, antiquiorem Canonicum eligat omnino Capitulum –. Ad assequendam subinde huiusmodi Dignitatem concurrebat Canonicus Franciscus Maria Rosa ex eadem Urbinatensi Civitate, et Ioannes Carolus Valbonetti oriundus ex Sarsinatensi Diaecesi, et uterque praetendebat, se supra suum Contradictorem antiquioritate pollere. Nam Canonicus Rosa annum agebat ultra septuagesimum secundum et in Canonicorum coetu cooptatus fuit die 23 octobris 1738; Canonicus autem Valbonetti agens annum quinquagesimum octavum, quamvis renunciatus fuisset Canonicus in Theologali Concursu die 16 octobris 1753, contendit tamen, antiquitatem in Capitularibus Constitutionibus praescriptam intelligendam esse de Canonico de Massa, non vero de Praebenda, proindeque ipsum in electione praeferendum, quia ipse Canonicatum obtinuit de Massa dicto anno 1753, Canonicum autem Rosa, dimisso Canonicatu de Praebenda, adeptum fuisse Canonicatum de Massa die 17 iulii 1755. Archiepiscopus in sensu fuit, Canonicum Rosa, iuxta Constitutionum leges, antiquiorem esse et omnino eligendum. Subdidit insuper, quod – fuit in Capitulo ad hoc celebrato supplex Valbonetti libellus expensus, et a nonnullis subreptionis vitio notatus. Reticet ipse siquidem, in actu suae adeptae possessionis reperisse in chori stallo quindecim retro annis – residentem Canonicum Rosa. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et in cuius personam sit facienda electio ad Decanatum Ecclesiae Metropolitanae Urbini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Electionem faciendam esse in personam Canonici Ioannis Francisci Rosa – *in Urbinaten. Decanatus die 21 Novembris 1778.*

81. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Urbinaten. Decanatus die 6 Martii 1779.*

82. Quin imo etiam Canonicus Poenitentiarius eligendus est ad Dignitatem huiusmodi Decanatus, quum ceteris antiquior existat, quin ullatenus obstet ratio qualitatis Poenitentiariae annexae ipsius Canonicatui *in Urbinaten. Electionis die 11 Septembris 1706 lib. 56 Decretorum.*

83. Iamvero – in Ecclesia Metropolitana Urbini, cuius Capitulum habet ius eligendi in mensibus non reservatis, viget Constitutio relata in libro Constitutionum capitularium approbatarum a Vicario et Visitatore tunc Apostolico et usque modo servatarum sub tit. de electione pag. 10 in haec verba sonans: « Si Dignitas vacaverit et ad Capitulum pertinuerit electio, de ipsiusmet Capituli gremio semper eligatur: sed occurrente Decanatus vacatione, iuxta piam illustrissimi bo. me. Cardinalis Urbini mentem, qui Dignitatem hanc in Ecclesia nostra patrimonialibus propriis ipsius bonis una cum Archipresbiteratu fundavit, antiquiorem Canonicum eligat ». Cum autem nuper vacaverit Dignitas Decanatus per obitum Pagnoni in mense non reservato, Urbanus Canonicus Poenitentiarius ceteris antiquior, antianitate ducta a tempore primi Canonicatus obtenti, a quo ad Poenitentiariam fuit promotus, fretus eiusdem Constitutionis dispositione praetendit ius passivae electionis praefatae Dignitatis. E converso se opposuit Carolus Sempronius simplex Canonicus, ad se uti Canonicum post eum antiquiorem, dimensa etiam antianitate a tempore primi Canonicatus obtenti, contendens spectare eamdem passivam electionem eo sub fundamento, quod Canonicus Poenitentiariae annexae eius Canonicatui neutiquam sit eligibilis. Capitulum igitur antedictae Ecclesiae, cui activa electio competit, utriusque Concurrentium gravamen vitare cupiens, subscriptum dubium concordatum EE. VV. humiliter resolvendum proponit, Partibus utrinque scribentibus: – An et quem ex praedictis Concurrentibus possit et debeat Capitulum eligere in Decanum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Esse eligen-

dum Canonicum Poenitentiarium Urbanum, et amplius – *in Urbinaten. Electionis die 11 Septembris 1706 lib. 56 Decretorum.*

84. Quod si peculiares adsint circumstantiae, Sacra Congregatio declarat, in casu, de quo agitur, ei competere Decanatum, qui Canonicatum Presbiteralem obtinuit quidem Competitoris, sed mox, illo dimisso, Subdiaconalem assequutus est, ac dein hoc pariter dimisso, rursum Presbiteralem possedit, quin tamen praecedentiam super dictum Competitorem assequi potuerit *in Romana Decananatus Capituli Lateranensis die 6 Decembris 1732.*

85. Enimvero Capitulum Basilicae Lateranensis constabat duodeviginti Canonicis totidemque, praeter Archipresbiteralem, Praebendis, quarum octo erant Presbiterales, quinque Diaconales, reliquae Subdiaconales. Nullus Canonicus, iuxta Decretum Visitationis Apostolicae editum anno 1720, mutare sine Pontificio indulto poterat Ordinem, Canonicatui sive Praebendae, quam obtinebat, addictum: Canonici Ordinis Presbiteralis praestantiori loco potiebantur tam in choro, quam in aliis functionibus, tametsi recentius fuissent in Capitulum admissi, quam alii Canonici Ordinis Diaconalis vel Subdiaconalis. Si tamen aliquis Canonicus Episcopali dignitate esset insignitus, hic in subsellio digniori sedebat, quamvis Canonicatum Subdiaconalem obtineret. Unde die 28 septembris 1717 proposito dubio: - An in Ecclesia Lateranensi, ubi Praebendae sunt distinctae, in praecedentiis spectandum sit tempus admissionis ad Canonicatum, vel potius susceptionis Ordinis in qualibet Praebenda requisiti? –, Sacra Congregatio Visitationis Apostolicae respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam –. Nihil tamen quoad Decanatum statutum legebatur in Constitutionibus Capituli. Itaque anno 1706 Franciscus de Vico Canonicatum est assequutus Praesbiteralem, quem insequenti anno 1708 permutavit alio Canonicatu Subdiaconali, simulque a subsellio Presbiterali descendit ad subsellium congruens Canonicatui Subdiaconali. Postmodum anno 1721 Canonicatum Subdiaconalem rursus permutavit cum Canonicatu Presbiterali, itidemque ascendit ad subsellium Ordinis Presbiteralis, cedens tamen digniorem locum aliis Canonicis eiusdem Ordinis, quos tunc invenit in hoc ipso Ordine priores, quamvis recentius in Capitulum admissos. Hos inter erat Canonicus Testa, qui Canonicatum Presbiteralem fuit assecutus anno 1709, quique proinde in sede ceterisque functionibus praecessit Franciscum de Vico, donec iste Episcopali honore insignitus non fuit, id quod accidit anno 1723. Cardo hinc quaestionis inter utrumque exortae vertebatur in hoc, num in deferendo Decanatu Capituli attendi simpliciter et indiscriminatim deberet maior antiquitas in assecutione Canonicatus, an vero praestantia Ordinis et subsellii Presbiteralis, adeo ut maior antiquitas ducenda esset a tempore ingressus in Collegium, vel potius a tempore ingressus in classem Ordinis Presbiteralis. Tum et illud pressius videbatur perpendendum, an peculiare aliquid haberet praesens casus, propterea quod Franciscus de Vico fuerit initio adeptus Canonicatum Presbiteralem, deindeque Presbiteralem locum aliquando dimissum recuperaverit ac in praesens retineret auctusque etiam esset Episcopali gradu.

86. Hinc videbatur competere Decanatum dicto Francisco de Vico, cum in Lateranensi Ecclesia Canonici cuiuscumque Ordinis indiscriminatim spectarent rationem maioris antiquitatis, tum in Tabella notante servitium chori, tum in turno collationis Beneficiorum, tum denique in Praebendarum optione. Eo insuper considerato, quod si attendenda esset praestantia Ordinis et subsellii Presbiteralis, sequeretur, nunquam posse ad Decanatus praerogativam pervenire Canonicos Ordinis Subdiaconalis vel Diaconalis, quippe qui non poterant transire ad Ordinem et subsellium Presbiterale. Iuris quoque communis regulae ad id conferre videbantur: gradus enim honorificentior ei de iure debetur, quem diuturniores impensi labores et prolixioris servitii merita commendant, quin qualitas Ordinis et subsellii conducere posset ad assecutionem Decanatus, ex quo Decanatus non erat Dignitas per se subsistens, sed erat praeeminentia quaedam ipso iure deferenda antiquiori de Collegio non ratione Ordinis, sed ratione diuturnioris servitii. Nec igitur aliquid referre solebat transitus ab uno ad alterum Canonicatum in eodem Capitulo eademque

Ecclesia, quia mutatio Canonicatus non afficiebat diversam receptionem in Collegium; proindeque firmo manente initio admissionis, antiquiori Canonico deferri debebant praerogativae, quae competebant ratione antiquioritatis, ut speciatim notat Passerinius in Cap. *Cum in tua* n. 20 de consuetudine. Quin imo addunt etiam nonnulli Doctores, quod si quis adeptus Canonicatum, cum nondum esset initiatus Ordine Presbiterali, sedere quidem debet infra Canonicum Presbiterum, qui postea fuerit admissus, sed deinde ad Presbiteratum promotus recuperare debet potiorem locum ei competentem ratione antiquioritatis. Idque de S. R. E. Cardinalibus, qui ab Ordine Diaconali post decennium transeunt ad Ordinem Presbiteralem, sancivit Clemens VIII in Constitutione 48 tom. 3 Bullarii. Ceterum in Decanatu eiusdem Sacri Collegii cum Paulus IV in Constitutione 5 Bullarii tom. 1 statuerit, illum esse deferendum Episcopo Cardinali antiquiori in Curia praesenti, decisum fuit anno 1721, Decanatum spectare ad Cardinalem in Ordine Episcopali antiquiorem, quamvis iuniorem in Cardinalatu, non vero ad eum, qui viceversa fuerit antiquior in promotione ad Cardinalatum, sed recentius in Ordinem Episcopalem admissus, ut habetur in Bullario Clementis XI pag. 496, et in ultima oratione Consistoriali eiusdem Pontificis pag. 289. At Canonico Testa suffragabantur plures peculiaris facti circumstantiae: quamvis enim Franciscus de Vico factus Canonicus Ordinis Presbiteralis anno 1706 sederet in subsellio Presbiterali, cum tamen anno 1708 permutasset subsellium suum Presbiterale cum altero subdiaconali, factum est, ut Canonicus Testa, adeptus anno 1709 Canonicatum Presbiteralem, sederit supra Franciscum de Vico, eumque in omnibus functionibus praecesserit; et quidem non solum per illud tempus, quo de Vico retinuit subsellium Subdiaconale, sed etiam deinde quum sub annum 1721 idem de Vico iterum ascendit ad subsellium Presbiterale, tunc enim nihilominus ipse per biennium, antequam scilicet crearetur Episcopus, cessit locum praestantiorem Canonico Testa, quem invenit prius sedentem in eodem Ordine subselliorum Presbiteralium. Usitatum praeterea erat in Lateranensi Basilica, ut Praefectura chori, Vicario absente, exerceretur non a Canonico antiquiore in assecutione Canonicatus, sed ab antiquiore in subsellio Presbiterali: quodque itidem sacrae preces, quae praemitti solent Congregationibus Capitularibus, recitarentur, Vicario absente, non a Canonico antiquiore in Canonicatu, sed ab eo, qui, licet iunior in Canonicatu, esset tamen antiquior in subsellio Presbiterali. Proferebat etiam Canonicus Testa in specie Decanatus duo exempla alias servata: sed documenta huiusmodi consuetudinis in utramque partem allata rem dubiam et ambiguam efficiebant. Favere demum quoque sibi putavit Canonicus Testa responsum Gregorii IX, qui in Cap. *Statutum* de maior. et obed. Archipresbitero Liberianae Basilicae rescripsit: – Statuimus, ut Presbiteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium, et sic de reliquis ordinatim obtineat, etiamsi posterius admittantur. Et qui maior est in Ordine, etiamsi postea sit receptus, in portione percipienda esse volumus potiorem –.

87. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et cui competat Decanatus in Capitulo Basilicae Lateranensis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In casu, de quo agitur, competere D. de Vico – *in Romana Decanatus Capituli Lateranensis die 6 Decembris 1732.*

88. Post haec neminem latet, dispositionem Concilii Tridentini in Cap. 18 sess. 24 de reformatione quoad Concursum locum non habere, ubi res est de primis Dignitatibus Collegiatarum Ecclesiarum, quibus cura animarum incumbit, ceu tradunt Fagnanus in Cap. *Cum sit ars* n. 19 ad 27 de aetate et qualitate ord., Gonzalez ad Regul. 8 Cancell. gloss. 6 n. 164, Garcias de Benef. par. 9 cap. 2 n. 195, Barbosa de offic. et potest. Parochi cap. 2 n. 27, et de Episcop. alleg. 60 n. 28, Massobrius in prax. haben. Concurs. praelud. 3 dub. 3 n. 28, Pitonius discept. eccles. 116 n. 43, Rigantius ad Regul. 4 Cancell. §. 2 n. 24 *in Firmana seu Farfen. die 28 Ianuarii 1758 §. Constitutione.*

89. Idcirco cum agatur de Collegio adnexam habente curam animarum, in Dignitatum provisione non requiri Concursum, firmat etiam Card. De Luca in disc. 7 n. 15 de iurepatronatus *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760 §. Ex.*

90. Siquidem Dignitas Archipresbiteratus Cathedralis, cui annexa et cura animarum, non comprehenditur Decreto Concilii in Cap. 18 sess. 24 de reformatione, etiamsi non sit prima post Pontificalem *in Neritonen. mense Augusti 1585 lib. 4 Decretorum pag. 53.*

91. Immo nec quaevis alia Dignitas sive Prioratus, sive Praepositura in Collegiata, sive ab initio curam animarum habens, sive post ei adiuncta *in Avenionen. die 25 Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

Item *in Caurien. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 50.*

92. Idcirco si vacare contigerit aliqua Dignitas, cui accessorie unita extet animarum cura, vim non obtinet dispositio Concilii Tridentini in Cap. 18 sess. 24 de reformatione; proposito enim dubio: – VIII. Utrum Prioratus curam animarum habentes comprehendantur sub nomine Parochialium quoad dispositionem cap. 18 sess. 24 de reformatione? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad octavum, non comprehendi Prioratus curam animarum habentes in dispositione Concilii de examine per Concursum – *in Avenionen. die 25 Octobris 1586 pag. 187.*

93. Qua de re multo minus Prioratus, qui sunt primae Dignitates in Ecclesiis Collegiatis cum onere curae animarum, conferuntur praevio Concursu, si prius fuerint Vicariae perpetuae conferendae, praevio tantum examine, nec subinde naturam mutaverint *in Firmana seu Farfen. die 28 Ianuarii 1758.*

94. Siquidem Constitutione Summi Pontificis, cuius initium: *Dum universi gregis,* Ecclesiae omnes Archidiaeceseos Firmanae, quae pridem iurisdictioni Abbatiae Farfensis subiiciebantur, Episcoporum iurisdictioni subiectae fuerunt, reservato tamen Emis Abbatibus commendatariis Farfensibus iure nominandi ad ea Beneficia, quae pridem ab ipsis conferebantur. Cum autem mense Iulii 1757 vacasset Prioratus Collegiatae Ecclesiae S. Victoriae, qui prima Dignitas erat in eadem Ecclesia et animarum curam adnexam habebat, controversia orta fuit inter Archiepiscopum Firmanum et Emium Abbatem Commendatarium Farfensem, an nominatio facienda esset praevio Concursu, vel potius praevio dumtaxat examine atque approbatione Archiepiscopi; et Emus Abbas nominavit Sacerdotem Iosephum Terribili, qui contendit, Tridentini dispositionem silere, ubi res est de primis Dignitatibus Collegiatarum, quibus cura Animarum incumbit. Eoque amplius, quia hi Prioratus erant prius Vicariae Regulares, in quibus conferendis nullus requirebatur Concursus, atque inde a Summo Pontifice Urbano VIII erectae fuerunt in Vicarias perpetuas, praeceptumque fuit, – ut, praevio examine –, providerentur ab Emis Abbatibus Commendatariis Farfensibus; ac demum erectis ab eodem Summo Pontifice Ecclesiis in Collegiatas, cautum fuit, ut Prioratus providerentur – praevio examine et approbatione –, ita ut eorum natura nunquam mutata fuerit; nec mutare dispositionem praefatae Constitutionis Summi Pontificis in §. Abbas vero, ubi haec habentur: – Ad Paraecias vero, et signanter ad Paraeciam S. Petri de Penna, Personas, quas maluerit, ex approbatis ab Ordinario in Concursu praecedenter habito ad praescriptum Concilii Tridentini cap. 18 sess. 24 de reformatione –, quia cum se referret ad dispositionem Tridentini, si haec non complectebatur primas Dignitates, quibus incumbebat animarum cura, neque eas complecti a Constitutione dicendum erat.

95. His mature perpensis, proposito dubio: – An nominatio ad Prioratum S. Victoriae facienda sit praevio Concursu in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Firmana seu Farfen. die 28 Ianuarii 1758.*

96. Hinc haud sustinetur quidem electio ad officium Cantoratus ab Episcopo facta in personam Sacerdotis, qui iuxta consuetudinem Ecclesiae non expleverat servitium triennale, sed ne dubium, quod huiusmodi Officium resignari et assignari valeat per Episcopum absque Concursu *in Lycien. Cantoratus die 9 Iulii et die 6 Augusti 1746.*

97. Iamvero Ioseph Carozzius libere resignavit officium Cantoratus, quod in Ecclesia Lequilarum tenebat: Episcopus igitur Officium illud contulit Sacerdoti Nicolao Antonio Carozzio, qui iuxta morem et longam consuetudinem illius Ecclesiae non expleverat triennale servitium. At plures Sacerdotes contenderunt, Ecclesiam esse Receptivam, ob idque

ad eius Officia eligendos esse Sacerdotum suffragiis eos, qui magis idonei et digni fuerint reputati. Hanc tamen Receptivam Ecclesiae Lequilarum naturam et qualitatem quoad Dignitates et Officia valde dubiam et incertam faciebant, ut disserebat Carozzius, duae vel tres postremae collationes factae ab Episcopo Lyciensi iure suo ordinario. Nec mirum esse debere Ecclesiam hanc Lequilensem Receptivam quidem esse quoad Sacerdotes Patrimoniales, et Dignitates ac Officia ad Episcopi collationem pertinere, cum id in aliis Ecclesiis Regni Neapolitani observari testificationem faceret Card. De Luca de Canonicis disc. 18 19 20 et 21; atque hac ratione non posse Episcopum Lyciensem deiici a possessione, in qua erat, conferendi. Disputarunt etiam dissentientes Sacerdotes, necesse esse, ut indiceretur Concursus, qui a Tridentino requiritur in parochialibus Ecclesiis, sed ipsa Tridentini dispositio eos repellit, aiebat Carozzius, quae hoc decernit de solis Parochis et Dignitatibus, quibus onus imminet et cura animarum, nec veteres Canones aut consuetudines mutat in Officiis et Dignitatibus liberis.

98. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An electio Sacerdotis Carozzi ad officium Cantoratus facta ab Episcopo sustineatur? II. An dictum Officium in Ecclesia Lequilarum possit resignari? *Et quatenus negative.* III. An dictum Officium debeat assignari per Concursum, seu potius arbitrio Ordinarii? *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* IV. An ad Concursum possit admitti, qui non expleverit triennale servitium in casu etc. –, Sacra Congregatio die 9 iulii 1746 respondit: – Dilata, et ad D. Secretarium iuxta mentem; et mens est, quod transmittantur omnia acta extrahenda citata Parte –. Impletis itaque mandatis, Sacra Congregatio subinde respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, Ad quartum, provisum in tertio – *in Lycien. Cantoratus die 6 Augusti 1746.*

99. Ceterum forma Concursus – exigitur a Dataria Apostolica quando vacat aliqua Dignitas maior in Collegiata aut Cathedrali Ecclesia, cui sit annexa cura animarum, de qua olim disputabatur, an esset nec ne conferenda per Concursum, iuxta late deducta per Fagnanum in Cap. *Cum sit ars* n. 19 de aetat. et qualit. ord.; Sanctissimus etenim Noster voluit atque decrevit, quod occurrente vacatione alicuius Maioris Dignitatis in Cathedrali aut Collegiata Ecclesia, cui sit annexa cura animarum, epistola scribatur ab Emo Pro-Datario ad Ordinarium loci, ut Concursum indicat, et quod deinde transmittat acta Concursus – *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Ante.*

100. Quum autem Clerus Ecclesiae Maioris Montis Alti postulaverit declarari, eamdem Ecclesiam fuisse olim Cathedralem, deinde suppressam et unitam Sedi Consentinae; post suppressionem vero et unionem praedictam remansisse in ea Collegium cum quatuor Dignitatibus et annexa cura animarum, illarumque primam et principalem Decanatum nuncupatum reservatam esse collationi et dispositioni Sedis Apostolicae, et reliquas tres conferendas esse praevio examine, sed absque Concursu, propositis dubiis: – II. An in ipsa Ecclesia post dictam suppressionem et respective unionem remanserit Collegium cum Dignitatibus, easque fuisse et esse vere et proprie Dignitates cum perpetua animarum cura? III. An Decanatus uti prima et principalis Dignitas in Collegiata reservata sit collationi et dispositioni Apostolicae, ceterae autem tres Dignitates conferendae sint praevio examine et absque Concursu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad D. Secretarium cum Sanctisssimo – *in Consentina Declarationis die 17 Ianuarii 1761.*

101. Nullum tamen dubium, quin prima Dignitas post Pontificalem conferri debeat a Sede Apostolica *in Spalaten. lib. 3 Decretorum pag. 111 a tergo.*

102. Nam ex Regula 4 Cancellariae S. Sedis dispositioni reservantur omnes Dignitates maiores post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus *in Interamnen. Optionis die 26 Iunii 1824* §. *Optionem.*

103. Hinc etiam ex longaeva observantia probatur reservatio Dignitatis, Card. De Luc. de Benef. disc. 14 n. 18 *in Sorana Aperitionis oris et Praeeminentiae die 13 Ianuarii 1844* §. *Nec turbatur.*

104. Quin imo ex regula 8 nunc 9 Cancella-

riae statuitur, adversus Apostolicas reservationes minime suffragari consuetudines] etiam immemorabiles nec non privilegia etiam in limine fundationis concessa et Indulta Apostolica optandi maiores et pinguiores Praebendas *in Interamnen. Optionis die 26 Iunii 1824* §. *Optionem.*

105. Verum ut reservata dicatur Dignitas reditum decem florenorum auri de Camera attingere debet, quin computari in id valeant distributiones, Card. De Luc. de Benef. disc. 107 n. 1 2 et 3 *in Sorana Aperitionis Oris et Praeeminentiae die 13 Ianuarii 1844* §. *Nec turbatur.*

106. Imo quum in Capitulo Cathedralis Ecclesiae de iure vigeat ius optionis, locus non est praefixioni particularis Praebendae pro prima et unica Dignitate Decanatus, licet maiora onera in eadem inhaerentia Ecclesiae decor ac reverentia erga Summum Pontificem, qui eam confert, id expostulare videantur *in Bellunen. Optionis die 28 Ianuarii 1860.*

107. Siquidem Capitulum Ecclesiae Cathedralis Bellunensis decem constabat Canonicis, quos inter Decanus unica Dignitas erat. Ius optionis vigebat in Capitulo quoad omnes Praebendas (una excepta, quae recentioris erat fundationis, quam vocabunt *la Graziana nuova*) ita tamen, ut optio vacantis Praebendae praelative competeret Decano, deinde reliquis Canonicis, servato ordine possessionis. Innitebatur huiusmodi ius consuetudine et Statutis Capitularibus anno 1385 confectis. Cum itaque per obitum Ioannis Sperti Canonici Decani vacasset Praebenda Castelli, quam Episcopus appellabat Decanalem, contradicentibus tamen Canonicis, qui affirmabant, nullam esse Praebendam Decanalem proprie dictam, sed omnes Praebendas esse mere Canonicales, hanc Praebendam per optionem occupavit Canonicus antiquior, et successive Canonici ratione antianitatis reliquas optarunt Praebendas, ita ut quae minoris erat reditus, nempe scutorum centum circiter, vacans superfuerit novo assignanda Decano. Abnorme porro visum est Episcopo, ut unica Capituli Dignitas, cuius nominatio in vim postremae Conventionis initae inter Sanctitatem Suam et Caesaream Maiestatem, ad S. Sedem pertinebat, Praebenda omnium minima potiretur, ceu contigebat in casu, quo extra Capituli gremium Decani electio fieret, et sola Dignitas vacaret, ut iam evenerat. Quamobrem huic reparando incommodo pro futuris vacationibus e re sua censuit Episcopus Capitulo proponere, ut Praebenda Castelli Decanali Dignitati perpetuo et inseparabiliter assignaretur successivis vacationibus. Huic vero propositioni continuo restitit Canonicus antiquior; ac mox coactis Capitularibus comitiis, collectisque suffragiis, duo affirmativa quoad dictam Episcopalem propositionem, et septem negativa inventa sunt. Canonicus vero Fullini, qui Vicarii Episcopi munere fungebatur, a voto edendo abstinuit; et Canonicus Senior Ruzzati infirmitatis causa domi retentus alterum Canonicum ad ferendum nomine suo suffragium delegavit, quod ex consuetudine permissum asserebant Canonici, contradicente Episcopo, qui mordicus sustinuit, haudquaquam decere, ut, dum Canonicus Theologus et Poenitentiarius propriam habebant Praebendam, Decanus minorem possideret Praebendam, licet potiori praeditus honore et maioribus gravatus oneribus; necnon Summus Pontifex postremam ex Canonicalibus Praebendam conferret. E contra Canonici contenderunt, omnes Cathedralis Ecclesiae Praebendas esse mere Canonicales, nullamque ex eis censeri aut appellari posse Decanalem, nisi quatenus in eius possessione versaretur Decanus, minime vero quasi huic Dignitati perpetuo et inseparabiliter adnexa esset. Sustinuerunt ius optandi ex Statutis et ex immemorabili et nunquam interrupta consuetudine; neque huiusmodi ius Capituli decori nocere, neque Sacrorum Canonum praescriptionibus repugnare, nec ullam vere subesse necessitatem, ut proposita induceretur mutatio quoad exercitium iuris optandi in Cathedrali vigentis. Nam in articulo 22 novissimi Concordati non collatio Praebendarum, sed unice ad primam Dignitatem nominatio Summo Pontifici reservabatur, quae quidem integra, minime obstante optione perseverabat. Accedebat demum, praelativum ius ex Statuto et consuetudine statim Decano acquiri etiam respectu Seniorum, ut Praebendas primo vacantes optare posset: quamobrem non plane deterior prae ceteris illius

conditio censenda erat. Quod si Episcopi votis Sacra Congregatio adhaesisset, Canonici disputarunt, se iure suo optionis usos merito fuisse, quod sane praepedire non poterat simplex Episcopi ad Sacram Congregationem porrecta petitio, quin ulla praecesserit iudicialis quaestio aut contestatio vel inhibitorium Decretum.

108. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An sit annuendum petitioni Episcopi quoad praefixionem Praebendae Castelli nuncupatae pro dignitate Decanatus in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit providendum quoad novum Decanum nominandum in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo - *in Bellunen. Optionis die 28 Ianuarii 1860.*

109. Provisi tamen de Dignitatibus liberae collationis Inferiorum debent examinari et approbari ab Episcopo *in Avenionen. die 25 Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128.*

110. Amplia, etiamsi sint de iurepatronatus *in Avenionen. die 25 Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128 et 187.*

111. Secus vero, si provisi de Dignitatibus etiam in Cathedralibus sint Doctores vel approbati ab Universitate *in Bononien. anno 1585 lib. 4 Decretorum pag. 110.*

112. Hinc Sacra Congregatio respondit Episcopo ac censuit, quoad differentias ac dissidia occasione vacationis Praebendae, cui adhaerebat Decanatus, exorta, dandas esse Nuntio Venetiarum Literas Sacrae Congregationis nomine, ut huic negotio assisteret, et Episcopo praesto esse non praetermitteret *in Bellunen. die 27 Aprilis 1630.*

113. Quin imo quum Episcopus ex Pontificia Constitutione amplissima polleat facultate eligendi in officium Primiceriatus Cathedralis Ecclesiae, quem ipse duxerit, illud etiam Canonico ex ordine Subdiaconorum committere potest, quin obsit, praetensa aliorum degradatio vel asserta consuetudo centenaria et immemorabilis *in Sorana Primiceriatus die 3 Iunii 1843.*

114. Siquidem precibus motus Sorianae Cathedralis Capituli, quibus indefinitus olim Canonicorum numerus definiri, certa cuilibet assignata Praebenda, pro tutiori Ecclesiae servitio, flagitabatur, ita scilicet, ut - numerus decem Canonicorum, quorum sex in Sacerdotio et duo in Diaconatu et reliqui duo in Subdiaconatus ordinibus essent pro tempore constituti, in eadem Ecclesia crearentur, statuit et ordinavit Apostolicis Literis sub anno 1404 Innocentius Papa VII, - quod usque ad eumdem numerum decem Canonicorum ex Canonicis ipsius Ecclesiae, qui nunc sunt, illis etiam, qui Praebendas et additamenta ipsa nunc obtinent cedentibus vel decedentibus, aut ad alios quomodolibet dimittentibus, ex tunc esse debet dictus numerus in eadem Ecclesia decem Canonicorum, quorum sex in Sacerdotio et duo in Diaconatu et reliqui duo in Subdiaconatus ordinibus praefatis esse pro tempore constituit, et apud eamdem Ecclesiam personaliter residere debeant -. Quoniam vero inter Canonicos aderat officium nuncupatum Primiceriatus, de eo singulatim addidit, - quodque praedictum Primiceriatus officium in suo primaevo statu remaneat, et per illum ex eisdem decem Canonicis regatur pro tempore, cui praefatus Episcopus illud duxerit committendum -. Huiusmodi Primiceriatus officium, quod ab anno 1806 nemini commissum iacuerat, collatum exinde est ab Sorano Antistite Presbitero cuidam Francisco Lanna eadem ferme die, qua hic Canonicatu auctus ordinis Subdiaconalis postremo videlicet (quia in singulis vacationibus cuilibet patebat ascensus) eiusdem possessionem nanciscebatur. At obstitit e limine universum Capitulum iura pessumdata protestatum Capitularium antiquorum, eorum maxime, qui erant ex ordine Presbiteratus, quibus unice conferri Primiceriatum potuisse existimabant. Nam eiusdem vindex Adsertor advertit, ex chirographo Innocentiano Primicerio ipsi competere, uti pacifice primam in choro sedem ac primos honores, ex adverso Canonico Lanna, uti nuper in Capitulum cooptato, postremum stallum esse servandum in ordine Subdiaconorum; quare si Primicerius renunciaretur, esset insimul ultimus et primus, quod sane erat absurdum; aeque ac diceretur, eum relicta posteriori sede ad ordinem Presbiterorum incontinenti conscendisse, aliis descendentibus Capitularibus. Huic enim saltui obstaret ipsa Bulla Innocentii VII, ubi taxative numerus Canonicorum ita praefiniebatur,

ut sex perpetuo debeant esse Presbiteri, duo Diaconi, ac duo Subdiaconi: atqui saltu admisso, iam unus superesset Subdiaconus, et Presbiteri ad numerum septenum augerentur; aliorum vero descensui refragaretur commune ius, cui Bulla non derogavit, quo sine delicto nemo degradatur. His positis, larvam evanescere contendit, quam ipsius Bullae alia verba parabant, – cui Episcopus duxerit committendum –: nam haec ita interpretanda esse iuris ratio dictat, ut cum praecedentibus non repugnarent; pugnarent autem ex disputatis. Quievit etiam fidenter Capitulum in consuetudine, quam allegabat, centenaria et immemorabili, quam ex pluribus actibus probare censuit. Contra Episcopus praedictis Bullae verbis innixus sustinuit, cum Primiceriatui animarum cura ex actis sacrarum Visitationum aliisque documentis de anno 1753 adnexa esse deberet, electionis facultatem eo magis liberam esse oportere, quantum digniorem ad Parochi munus eligi, omnino convenire cum Tridentino sess. 7 cap. 3 de reformatione, quin obesset praetensa degradatio. Primiceriatus enim Officium erat ad nutum amovibile, minime Beneficium; quare Canonicus ex ordine Diaconorum vel Subdiaconorum ordinem, quem uti simplex Canonicus, quoad possessionem haud relinquebat, et si praecedentia in choro fruebatur, non acquirebat tamen qualitatem Canonici Presbiteri ita ut, vix precarium Officium cessabat, rediret ad pristinum stallum. Quod magis manifestum fiebat, ubi adverteretur, Primiceriatus stallum, utpote in principe loco positum, de iure a nemine occupari posse, durante eius officii vacatione: quare quisquis demum ad illud occupandum eligeretur, ceteri Capitulares in suo subselliorum ordine et gradu perpetuo remanebant. Explosit inde Episcopus praetensam consuetudinem, cum praesertim ex actibus facultativis, etsi per multos annos exercitis, praescriptio non oriretur, nisi demonstraretur contradictio cum subsequuta acquiescentia, quod sane deerat in themate.

115. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sustineatur nominatio Sacerdotis Lanna Canonici ex ordine Subdiaconorum ad Primiceriatum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Sorana Primiceriatus die 3 Iunii 1843.*

116. Unde Primiceriatus Ecclesiae Fasanensis conferri possunt tam partecipantibus, quam non partecipantibus, et provisi de huiusmodi Primiceratibus non participantes consequi debent portionem capitularem et respective participationem massae communis, licet non habeant requisita Statutorum capitularium et Decretorum Sacrarum Visitationum *in Fasanen. die 30 Aprilis et die 30 Iulii 1757.*

117. Siquidem Episcopus S. Agathae Gothorum in visitatione habita anno 1660 in Ecclesia Receptiva S. Ioannis Baptistae Oppidi Fasani decrevit, – ut pro maiori decore et servitio Ecclesiae, et ut Chorus dirigatur in psalmis antiphonis etc., constituantur duo Cantores sive Primicerii a domino Baiulivo iuxta antiquum solitum et amplissima privilegia Religionis, absque onere assignandi et eis constituendi Praebendam aliquam, qui Primicerii seu Cantores fruantur illis honoribus praeeminentiis et emolumentis, quibus fruuntur Primicerii maioris et Collegialis Ecclesiae Putignani, et praecedant post Priorem omnibus Sacerdotibus gremialibus etc., et eorum munus sit psalmos hymnos antiphonas intonare, ideo sint periti in Cantu Gregoriano –. Hinc anno 1668 statutum fuit a Capitularibus, ut Ecclesia deinceps numerata haberetur, et triginta dumtaxat Sacerdotes ad participationem admitterentur, hac lege data, ut in locum deficientis senior cooptaretur, dummodo servitium praestiterit per hebdomadas, isque praeferretur, qui primum Ordinibus fuerit initiatus, et si duo haberentur, qui eodem tempore essent ordinati, aetate maior praeferri deberet. Diu tamen servata non fuit haec sanctio capitularis, nam anno 1678, querentibus Sacerdotibus, angustum esse tricenarium numerum Sacerdotum participantium, auctus fuit ad quadragenarium, confirmato in ceteris Statuto anni 1668, quod etiam confirmavit Episcopus in Visitatione habita anno 1681, lato Decreto, quo iussit, – numerum quadragenarium non posse diminui, neque augeri sub poena suspensionis a divinis, et casu vacationis alicuius ex quadraginta, admittatur ille extragremialis, qui habuerit antianitatem Ordinis, et tolerabiliter versatus in cantu Gregoriano, servata forma ea-

pitularis Statuti –. Ex hac methodo factum est, ut, deficientibus Primiceriis, novus eligeretur e numero Participantium, et in portionem vacantem Senior admitteretur Sacerdos in Ordine e numero extragremialium, et si aliquando a Baiulivis Sacri Ordinis Hierosolymitani electi fuerint Primicerii ex supranumerariis, qui in Ordine seniores non essent, hi servitium sine Portione capitulari praestiterunt, donec, nova vacua Portione, admitti possent ad numerum participantium, si eas haberent qualitates, quae Statuta anni 1668 et anni 1678 constituerunt. Res tamen turbatae sunt anno 1755: nam e vivis erepto Primicerio, in numerum Participantium allectus fuit Sacerdos Franciscus Vitale senior in Ordine; et cum Primicerius a Baiulivo eligendus esset, Pro-Vicarius Fasanensis sese Primicerium interinum constituit, donec a Baiulivo fieret electio, et, lato Decreto, praecepit, ut ius quidem esset cuilibet Sacerdoti optandi Portionem capitularem iuxta ordinem senioritatis, ut semper factum fuerat, non tamen Portionem defuncti Primicerii. Cum igitur hoc Decretum everteret ordinem, qui eousque servatus fuerat, et leges capitulares ab Episcopo confirmatas, et Capitulum et Franciscus Vitale, cui ex adelectione ius quaesitum erat, provocarunt ad Sacram Congregationem contendentes, Primicerios eligendos esse e numero Participantium, et si ex eo numero non eligerentur, non posse electos consequi capitularem Portionem et participationem Massae communis.

115. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Primiceriatus Ecclesiae Fasanensis sint conferendi Sacerdotibus participantibus? *Et quatenus negative.* – II. An provisi de dictis Primiceriatibus non participantes nec habentes requisita Statutorum Capitularium et Decretorum Sacrarum Visitationum consequi debeant assertam Portionem et respective participationem Massae communis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, posse conferri tam participantibus, quam non participantibus; et amplius. Ad secundum, Affirmative – *in Fasanen. die 30 Aprilis 1757.*

116. Repropositis deinde dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Fasanen. die 30 Iulii 1757.*

117. Hinc valida censetur electio ad quintam Dignitatem Cathedralis nec curam animarum nec iurisdictionem habentem per Municipale Consilium patronum expleta, licet examussim adhibita non fuerit forma statuta in Cap. *Quia propter* de electione in 6, atque Episcopus contra eam et institutionem ab ipso solemniter electo datam audacter insurgentes et publice ac notorie seditionem cientes et contumelias effudentes monitoria ac censuras ferre merito valet *in Andrien. Electionis et institutionis die 8 Aprilis 1848.*

118. Enimvero Andriense Municipium patronum, cum Consilium legitimo ritu indictum fuisset, vulgo – in seduta permanente – delectui Militum habendo, et veniam a Praeside Provinciae, prout legibus Neapolitanis cavebatur, iurepatronatus utendi Syndicus expostulasset, quin opus haberet novum indicendi conventum, ad Decuriones iam rite et frequenti numero duo praeter viginti congregatos, die 23 mensis februarii 1847 inter alia negotia illud etiam de Priore S. Richardi quinta Cathedralis Ecclesiae Adriensis Dignitate eligendo retulit. Atque reapse. suo utens iure, Canonicum eiusdem Ecclesiae Cathedralis Vincentium Latilla ad dictam Dignitatem eligendum designavit, et mira animorum consensione Decuriones Latillae suffragati sunt. Quocirca, praevia dicti Praesidis Provinciae adprobatione, adiit Syndicus Episcopum, ut eidem institutionem indulgeret; sed edictis vix editis, Capitulum per maiorem suffragiorum numerum resolvit, electionem veluti nullam ac simoniacam esse habendam. Capitulo accesserunt nonnulli Decuriones, qui privatim et oretenus cum eodem coram Episcopo de nominatione facta conquesti sunt. At Episcopus die 1 aprilis decrevit, ut capitularis resolutio omnino deleretur ex libro conclusionum, – tamquam infamatoria ipsius magnificae Universitatis –, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda a quocumque illam retinere voluisset; utque praesentatus Latilla in Prioratus possessionem rite et solemniter immitteretur, reservato cuique iure querelam proprio nomine apud Curiam exhibendi. Canonicum autem Vitum Fortunato, ipso Decreto, suspensionis poena mulctabat, utpote qui publice

et notorie seditiones inter Capitulares ciebat, et contumelias circa Latillae electionem effuderat. Hinc magis ob id exasperati sunt Capitularium animi potissimum Canonici Fortunato, qui sprevit omnino suspensionis Decretum. Idcirco Episcopus bina edidit monitoria, quorum altero die septima aprilis lato, et anteacta omnia confirmabat, et novas conclusiones de eadem re fieri vetabat, comminata in transgressores excommunicationis poena, reservata semper cuique facultate, prout de iure, agendi; altero prohibebat, quominus in posterum deleretur ex Missarum aliisque capitularibus libris nomen Prioris S. Richardi D. Vincentii Canonici Latilla sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda. Unde Canonici recursum habuerunt ad S. Sedem, quibus accessit declaratio duorum ex Decurionibus Nicolai Canosa et Nicolai Conti, qua profitebantur, se partes favore Canonicorum agere velle; qui omnes propterea nullitatem electionis sustinuerunt.

119. Quum enim ius eligendi ad Communitatem pertineret, electio fieri non poterat singulariter, sed collegialiter, praevia omnium in electione ius habentium vocatione, quae penitus in casu deesse videbatur, ceu etiam ex observantia intimatio Decurionum necessaria ostendebatur. Insuper nulla fuit deliberatio capta ea die, qua de electione Prioris est habitus in Municipali Consilio sermo, et solum fuit deliberatio ipsa exarata ac subsignata a Decurionibus post eorum discessum ab aula consiliari, idcirco nullitatis vitio electio inficiebatur, quia haud collegialiter, sed specialiter fuit ad exitum perducta. Aliud nullitatis caput ex simonia a lingua et obsequio desumebant, cum Canonicus Latilla Prioratum obtinuerit, se per Patrem per Fratrem et per amicos Decurionibus commentando. Contra Canonicus Latilla validam esse ostendit electionem, quia Canonici nullum habentes ius legitima persona standi in huiusmodi iudicio carebant; et quia Decuriones, attenta legitima convocatione, actionem de contemptu habere non poterant, cum reapse Syndicus convocationem expleverit, scilicet – previa legale chiamata –. Nam nec lege loci, nec consuetudine cautum erat, ut praeventive in ipso intimationis actu res pertractanda deduceretur; idque imo de more sic fiebat, quin etiam huiusmodi praemonitio de iure Sacrorum Canonum necessaria videretur. Nec obesse contendit Canonicus Latilla, consiliari deliberationi postero die exaratae extra aulam nonnullos Decuriones subscripsisse, cum hoc legitimae celebrationi minime officeret, tum si iuri, tum si ipsius loci consuetudini respectus haberetur. Advertit inde, non agi in themate de electione canonica, quae verteret circa maiorem Dignitatem, uti sunt Episcopatus Abbatiae Praelaturae Regulares aliaeque Dignitates cum iurisdictione, pro quibus certa ac determinata forma statuta est ex Cap. *Quia propter* de electione in 6; sed agi de Dignitate nomine tenus seu sine ulla animarum cura aut iurisdictione, pro cuiusmodi Dignitate ex unanimi Canonistarum sententia tantus formalitatum rigor haud requiritur, cum satis superque sit, ut actus collegialiter fiat. In casu autem tantus fuit suffragiorum numerus, ut, etsi ceteri omnes Decuriones interfuissent et dissensissent, validitati tamen electionis id minime nocuisset. Simonia demum explosit ex eo etiam, quod dare propter preces non est vendere, nec precibus impetrare est emere. Idcirco in facto posita electionis validitate, nec de legitima institutione dubitari poterat.

120. His utrinque perpensis, propositis dubiis : – I. An constet de nullitate electionis Prioris S. Richardi in casu? – II. An constet de nullitate possessionis in casu? – III. An et quomodo sint infirmanda Decreta Episcopi Andriensis dierum 17 et 22 aprilis anni 1847 in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative in omnibus – *in Andrien. Declarationis et Institutionis die 8 Aprilis 1848.*

§. II.

DIGNITATES IN GENERE QUOAD IURA ET POTESTATEM

1. Dignitas sine praecedentia nec esse nec concipi potest, Barbosa in Collect. Doctorum ad lib. 3 Decretalium, et in comment. ad tit. de Praebend. et Dignitat. in proemio n. 13, Fagnan. in Comment. ad eumd. lib. et tit. Cap. *Ad haec.* n. 1 et 31, Rebuf. in Prax. Benef. tit. Quotuplex sit Beneficium *in Parmen. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Ast.*

Item *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855* §. *Ad primum.*

2. Unde pugnat, sedem inferiorem tenere et in Dignitate esse, cuius est ut plurimum anteire, Aretinus consil. 24 n. 6, Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 16 *in Parmen. Executionis Literarum Apostolicarum die 23 Iunii 1833* §. *Ast.*

Item *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855* §. *Ad primum.*

3. Siquidem Dignitas appellari solet – administratio perpetua rerum ecclesiasticarum cum praeeminentia –, ut aiunt Canonistae et dixit Rota in Recent. decis. 30 n. 4, part. 19, et in Nullius seu Urgellen. Praeposituraе 8 iunii 1685 §. His omnibus coram Paulutio *in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *His.*

4. Nulla enim datur Dignitas absque rerum ecclesiasticarum administratione praeter praeeminentiam in gradu, ad tradita per Rigantium in Regula Cancellariae quarta §. 1 n. 8, et Fagnanum in Decretales tom. 4 *in Sorana Aperitionis oris et Praeeminentiarum die 29 Iulii 1843* §. *Post.*

5. Hinc vera Dignitas requirit administrationem cum iurisdictione et praeeminentia, ad tradita per Lotterium de re Benef. lib. 1 quaest. 16 n. 47, Rot. in decis. 9 de Praeben. in novis, Rigantium in Reg. Cancell. IV §. 1 n. 8 *in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *Capitulum.*

Item *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Tertius; in Sorana Aperitionis Oris et Praeeminentiae die 29 Iulii 1843* §. *Post haec.*

6. Quapropter Dignitas tribus constituitur requisitis, scilicet ut habeat administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione, nomen cum praerogativa tam in choro, quam in Capitulo, et quod de consuetudine habeatur pro Dignitate, uti communiter tradunt Doctores ac praesertim Ricciardellius Licaeum Eccles. Cap. 8 n. 1 *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 29 Ianuarii 1825* §. *Illud.*

7. Alias enim esset Dignitas meri nominis, ceu monent Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 16, Rota in decis. 469 n. 15 coram Priolo, et decis. 1547 n. 4 coram Penna *in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *Capitulum.*

8. Unde Personatus per simplicem illam praerogativam, quam super alios sui Ordinis habet, dici nequit habere Dignitatem, Barbosa de Can. et Dignit. Cap. 4, Reiffenstuel tract. 11 dist. 1 n. 14 *in Parmen. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Tandem.*

9. Attamen quoties res sit de Dignitate in iure expressa, nempe de Archidiaconatu et Archipresbiteratu, quae Dignitates in iure sunt, ut ex titulis de Officio Archidiaconi et officio Archipresbiteri, si fundationis lex eam Dignitatem voluerit, etiam sine administratione et cura animarum pro vera Dignitate habetur, ex generali totius Italiae consuetudine, Aretin. consil. 3 n. 5, Fagnan. in Cap. *Ad haec* de Praeben. n. 41, Barbos. de Canon. Cap. 4 n. 13, Ceccoper. lucubr. can. lib. 1 n. 139, Pignatell. consult. 130 n. 5 tom. 4, Piton. discept. Eccles. 99 n. 7 *in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *His.*

10. Hinc Doctores, distinguentes Dignitates iurisdictionem habentes ab iis, quae nullam habent iurisdictionem, existimant, eos, qui Dignitates absque iurisdictione possident, cum Capitulo prodesse debeant industria et consilio, mediocri scientia praeditos esse de-

bere, Bellett. disquisit. clerical. part. 1 de Cler. §. 4 n. 8, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 4 n. 69 *in Alexandrina Praepositurae die 31 Augusti 1771* §. *Si vero.*

11. Ceterum Concilium Tridentinum in Cap. 6 sess. 25 de reformatione vers. *Qui vero obtinent Dignitates* praeservat nedum Dignitates, quae habent iurisdictionem, sed etiam illas, quae pro talibus communi habentur aestimatione *in Corduben. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 186.*

12. Hinc Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 16 n. 34 omnes accurate distinguens honorum gradus, qui in Ecclesiis Cathedralibus habentur, binos hosce praesertim memorat sub. n. 47: – Secundus gradus est nuda et simplex praeeminentia ratione nudae et simplicis Dignitatis. Huiusmodi est Dignitas quaedam ventosa, cuius effectus alius non est, quam ut inter fratres invidiam generet et scandalum seminet. Toleratur tamen in Ecclesia veluti ad speciem quamdam et decorem illius comparata, frequentiusque vocatur Personatus. Finales huic sunt aliae Dignitates sine administratione et iurisdictione, etiamsi alias nomen ipsum videatur de iure aliud innuere: in hoc enim magis est spectandum quid sit in re, quam in nomine, Archid. in cap. 1 n. 2 de consuetudine. Tertius gradus inest quidem et praecedentia et praeeminentia, sed aucta Dignitate propter illi adnexam administrationem cum iurisdictione in ipsos de Collegio, quem gradum praesidentiam vocamus. Est enim advertendum, Dignitatem in suo proprio et potentiori significatu habere adnexam administrationem cum iurisdictione, ita ut haec sint inseparabilia – *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Profecto.*

13. Itaque huius tertii gradus Dignitatibus ea omnia conveniunt, quae de residentia allegantur. At Dignitates, quae illo secundo gradu comprehenduntur, nullam aliam habent – praerogativam, quam ut sive in sessionibus teneant medium locum inter Canonicos et Dignitates, idest ut magis honorentur quam Canonici, minus quam Dignitates, et sic in reliquis omnibus functionibus Capitularibus –, ceu monet dictus Lotterius loc. cit. n. 56: atque has Dignitates nec a Tridentina Synodo, nec a Sacrae Congregationis resolutionibus abhorrere testari videtur Fagnanus in Cap. *Quia nonnulli* de clericis non residentibus n. 11, ubi ait: – Procedendo iuxta considerationes alias a Sacra Congregatione admissas circa intellectum et concordiam Cap. 3 sess. 21 et Cap. 3 sess. 22 videtur animadvertendum, Concilium duo genera Dignitatum et officiorum distinxisse. Unum earum Dignitatum, quae participant de reditibus mensae Capitularis, de quibus intelligitur Cap. 3 sess. 21. Alterum, quae proprios et separatos habent reditus, et nihil habent commune cum Capitulo, quas etiam agnovit ius commune, ut per Oldrad. cons. 150, et non obligant ad residentiam, Hostien. in summa tit. de cleric. non resid. §. qualiter n. 2, possuntque retineri cum aliis Beneficiis requirentibus residentiam, Cap. *Dudum,* ubi Abbas n. 9 de electione, et in cap. *De multa* n. 21. Immo veniunt sub nomine Beneficiorum simplicium, licet appellentur Dignitates, Rigant. in Reg. Cancell. 4 §. 1 n. 8, Rota coram Buratto decis. 862, in Nullius seu Urgellen. Praepositurae 8 iunii 1685 coram Paulutio, et in Romana Praepositurae Capellae Sanctissimi Praesepis 1663 coram Cerro decis. 747 *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Huius.*

14. Qua de re Dignitates duplicis generis sunt, aliae, quae in ipso Capitulo sunt, et Canonicos solo gradu praecellunt, de quibus loquitur Tridentinum in Cap. 3 sess. 21 de reformatione; aliae vero, quae a Capitulo prorsus separatae sunt, de quibus loquitur Tridentinum in Cap. 3 sess. 22 *in Faventina die 18 Augusti 1764* §. *Propugnat.*

15. Idcirco quae secundi generis sunt, retineri possunt etiam cum Canonicatu, et cum aliis Beneficiis requirentibus residentiam *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Huius* (1).

16. Imo veniunt sub nomine Beneficiorum simplicium, licet appellentur Dignitates *in*

(1) Cap. *Dudum*, ibique Abbas n. 9 de elect.; et in Cap. *De multa*, n. 21; Staphil. de lit. grat. tit. de aetat. et qualit. Benef. n. 44.

Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843 §. *Huius* (1).

17. Unde idem non est in omnibus Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Dignitatum numerus et ratio, totumque conficit vel fundationis lex, vel peculiaris locorum consuetudo, ut ad rem Rigantius ad Regul. Cancell. 18 §. 1 n. 20, Devoti Instit. canon. lib. 1 tit. 3 sect. 8 §. 67 *in Imolen. Dignitatum die 20 Novembris 1830* §. *Illis*.

18. Quamobrem etiamsi ex Canonum iure neque Theologus, neque Poenitentiarius Dignitatis praerogativa fruatur, et unusquisque sedeat in choro servato ordine possessionis, cum merum Officium exerceant, ut respondit Sacra Congregatio in Murana 11 aprilis 1699 et in Senen. Poenitentiariae 16 aprilis 1691, nihilominus in quibusdam locis utrumque eorum Dignitatem habere, vel novissimum inter Dignitates locum obtinere, testantur Concilium Mediolanense XI tit. monit. exec. decret. pag. 415, Rota decis. 353 n. 14 coram Ansaldo, et Sacra Congregatio in Mediolanen. Praecedentiae die 19 septembris 1761 *in Imolen. Dignitatum die 20 Novembris 1830* §. *Illis*.

19. Contra licet Primicerius in pluribus Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis inter Dignitates recenseatur, non propterea sequitur, eumdem in aliis etiam Ecclesiis Dignitatem habere *in Parmen. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Neque*.

20. Cum enim variae sint Ecclesiarum consuetudines, non ab externis denominationibus, sed ab honoribus et praeeminentiis titulus Dignitatis est metiendus, iuxta Reiffenstuellii monitum in lib. 1 Decret. tit. 26 n. 27, Pirhing in ius can. tit. 26 lib. 1 n. 3, ibique illi inter Dignitates adnumerantur, ubi reapse obtinent praeeminentiam, qua in re definienda, pensandus omnino est usus et consuetudo, Gomes de grat. expect. n. 45, Par. de resignat. Benef. *in Parmen. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Neque*.

21. Hinc tralatitium in iure est, in recognoscendis vel comprobandis alicuius Ecclesiae Dignitatibus, potius ipsius Ecclesiae consuetudinem inspiciendam, quam canonicam earum institutionem et erectionem inquirendam esse, ita Barbosa in Cap. 21 de Dignit. n. 14 *in Mediolanen. Praecedentiae et Exequutionis die 22 Septembris 1855* §. *Quamvis*.

22. Qua de re Literae Apostolicae erectionis Dignitatis nec non consuetudo sunt praesertim inspiciendae, ut dignoscatur, quibus eadem iuribus polleat, et quae munera seu officia in Capitulo exercere possit *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 26 Februarii 1825 et die 25 Februarii 1826*.

23. Siquidem quartam Dignitatem in Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Lucae fundavit, sibique ac familiae suae iuspatronatus reservavit Ioannes Baptista Spada, eamque a s. m. Paulo V per Literas Apostolicas diei 6 iunii 1618 erigi impetravit, simulque titulo Abbatiae insigniri adiecta lege, ut eius possessor Abbas Spada appellaretur. Inde Canonici contendere ceperunt, Abbatem obire minime posse capitularia munera, quae *interiore Sacrista e loco posito* nuncupabant, et administrationem Sacrarii ac redituum Capituli respiciebant; nullum ipsi ius esse neque ferendi suffragii, neque interessendi Capitulo, cum de rebus mere temporalibus agebatur. Concordia tamen anno 1689 inter Canonicos et Bartholomaeum Spada, tunc Abbatiae possessorem, fuit inita, cuius vigore Canonici omnia Bartholomaeo concesserunt, quae in controversiam venerant; ac vicissim Bartholomaeus ad complura Canonicorum onera ferenda se devinxit, addita tamen clausula, qua ad vitam ipsius ea perdurare deberet. Igitur e vivis erepto Bartholomaeo, res ad pristinum statum rediit: sed exin veteres excitatae sunt quaerelae. Propositis itaque dubiis: — I. An Abbati Spada competat ius Missam canendi diebus solemnioribus, illam non canentibus Archiepiscopo et aliis Dignitatibus in casu etc. II. An Abbas Spada in rebus spiritualibus et mixtis vocem activam habeat in Capitulo in casu etc. III. An dum agitur de rebus temporalibus intervenire possit Capitulo absque voce activa in casu etc. IV. An Abbas Spada eligi possit ad munera capitularia et illa obire in casu etc. V. An

(1) Rigant. in Regul. 4 Cancell. §. 1, n. 8; Rot. in decis. 852 coram Buratto; et in Nullius seu Urgellen. Praeposituraе Capellae Sanctissimi Praesepis 1663 decis. 747 coram Cerro.

Abbati Spada competat ius percipiendi emolumenta non procedentia ex Massa communi seu Massa grossa in casu etc. –, Sacra Congregatio, mature perpensis literis Apostolicis erectionis et consuetudine, respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative absque voce activa et passiva. Ad quartum, Affirmative quoad munera spiritualia et mixta; et quoad temporalia, adimpleta conditione ad formam Bullae erectionis. Ad quintum, Affirmative dummodo non agatur de legatis erectis ante fundationem Abbatiae – *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 26 Februarii 1825.*

24. Contendentibus vero Canonicis, Abbatem Spada chorali servitio, ut ceteros Canonicos, non esse adscribendum, multoque minus inter eos cooptandum, qui Archiepiscopo extraordinarias functiones obeunti ministrabant in officio Diaconi et Subdiaconi, vel inter eos, qui munus sortiebantur interioris Sacristae, ad Sacram Congregationem iterum confugit Parochus Bartelloni, actualis Abbas Spada, ut quaelibet dirimeretur controversia. Is enim contendit, se eodem modo, quo ceteri Canonici, adscribi debere servitio chori; ac inservire Archiepiscopo, extraordinarias functiones obeunti, non esse munus extraordinarium, sed ordinarium: quin imo etiamsi inter extraordinaria munera id recenseretur, eius nomen in urnas foret immittendum, praesertim quia Literae Apostolicae Pauli V Abbatem Spada aliis Metropolitanae Ecclesiae Dignitatibus – in omnibus et per omnia absque ulla prorsus differentia–aequiparandum praecipiebant. Nec in dubium revocari posse autumavit, Abbatem Spada ad munus interioris Sacristae eligi et illud obire posse. Nam officium istud non erat inter Officia mere temporalia recensendum, quae tantummodo ad rerum Ecclesiae temporalium administrationem defensionem vel custodiam ordinabantur; sed inter officia mixta, quae ad rerum tum spiritualium, tum temporalium administrationem erant instituta. Nec Paraecia, quam regebat, erat incompatibilis cum huiusmodi Officio: nam anno 1689 sua sponte Canonici in Caput Capituli elegerunt Abbatem Spada, licet Priorem Ecclesiae S. Pauli; et ad tramites Capitularium Constitutionum interior Sacrista absens aut iusto impedimento detentus, poterat officium suum *loco posito* vel uni ex Canonicis committere. Contra Canonici contenderunt, Abbati Spada Apostolicis Literis Pauli V ea tributa fuisse, quae privilegium praerogativam et gratiam secumferebant, nullam vero iniunctam legem onera Capituli perferendi: at ministrare Archiepiscopo extraordinarias functiones peragenti nec privilegium nec gratia erat, sed onus. Similiter ad munus interioris Sacristae eligendum non esse censuerunt; nam Sacra Congregatio non comprehendit, imo exclusit. Porro munus hoc inter alia Capituli princeps erat, idcirco speciali mentione dignum erat: et cum declaravit, munera Capituli temporalia in Abbatem Spada non esse conferenda, usque dum conditionem impleverit ad formam erectionis, is huiusmodi officium exercere non poterat. Namque munus interioris Sacristae erat complexio quaedam facultatum spiritualium temporalium et mixtarum, ac proinde interior Sacrista, licet aliquando negotia spiritualia et mixta exerceret, attamen ut plurimum in capitularibus sessionibus res mere temporales Capitulo expendendas proponebat et cum Canonicis definiebat. Abbati autem Spada fas non erat in hisce temporalibus Capituli negotiis sese immiscere, et idcirco nequibat interioris Sacristae officium gerere.

25. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Abbas Spada adscribi debeat servitio chori per turnum in casu? II. An Abbati Spada ius competat sortiendi munus Diaconi et Subdiaconi etiam pro extraordinariis functionibus in casu? III. An Abbas Spada eligi possit ad munus interioris Sacristae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative quatenus aliae Dignitates munus Diaconi et Subdiaconi sortiantur. Ad tertium, Affirmative ad formam resolutionis diei 26 februarii superioris anni 1825 ad tertium et quartum dubium – *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 25 Februarii 1826.*

26. Idcirco quum Sacra Congregatio declaraverit, Ecclesias S. Mariae de Fracta Terrae Castelli et S. Ioannis Baptistae Terrae Carifii haud esse Collegiatas, propositis dubiis: – II. An Parochus dictae Ecclesiae S. Mariae de Fracta, Archipresbiter nuncu-

patus, et Parochus dictae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, Abbas nuncupatus, habeant Dignitatem in eisdem respectivis Ecclesiis? III. An primus Presbiter utriusque Ecclesiae, qui appellantur Primicerius, habeat Dignitatem, vel potius simplex Officium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum et tertium, Negative; et amplius – *in Trivicana Collegialitatis die 1 Septembris 1731.*

27. Quum itaque Canonicus Salottolo Collegiatae S. Leonardi Oppidi Campi Bassi sustineret, Archipresbitero reservandas esse quidem omnes functiones, quae illi a Statuto tribuuntur, sed reliquas omnes faciendas esse a Canonico Hebdomadario, qui de mane Missam solemnem celebravit, proposito dubio: – IV. An ad Hebdomadarium, qui de mane Missam solemnem celebravit, pluviali indutum privative pertineat ius canendi vesperas aliasque peragendi functiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative ad formam Statuti, exceptis functionibus Archipresbitero reservatis – *in Boianen. Praeeminentiarum die 19 Aprilis 1760.*

28. Hinc et in Ecclesia Cathedrali Venefrana aderant Hebdomadarii, sed nulla praediti dignitate, imo nec iisdem iuribus, quae Canonici Praebendati habebant, potiebantur *in Venefrana Plurium die 10 Decembris 1746 et die 17 Iunii 1747.*

29. Siquidem triplex erat in Cathedrali Venefrana Ecclesia species Canonicorum: prima eorum erat, qui Praebendati vocabantur, ex uberiori fortasse Praebenda nuncupati; horum quindecim numerabantur extra Archidiaconum et duos Primicerios: altera eorum erat, qui vocabantur Hebdomadarii ab obeundo per hebdomadas Sacri munere, nec excedebant numerum novem: tertia denique eorum erat, qui appellabantur Expectantes seu sperantes vel Supranumerarii, quod praeter ordinem cooptabantur in spem futurae successionis ad Praebendas, quae vacarent morte Praebendatorum. Horum Canonicorum, qui Ecclesiae servitium praestabant, non una conditio erat, diversoque iure censebantur in honorificis iuribus atque emolumentis. Maxima vero differentia erat, ceteris missis, quod Praebendati suffragium soli habebant in Capitulo, soli decernebant quidquid ad Ecclesiam et bonorum oeconomiam pertinebat, soli recipiebant tertii Ordinis Sperantes Canonicos, soli cum Episcopo decernebant de regimine ecclesiastico et de disciplina, summotis penitus atque eliminatis Hebdomadariis, quos uti pares et aequales recipiebant intra septa Ecclesiae, simili veste utentes, eodem sedentes gradu, non genu, sed humeros flectentes Episcopo, eique coniunctim facientes coronam, ita ut, si vel in choro sedentes, vel Episcopo adstantes intuerentur, omnino pares reputarentur, nulla inter eos distinctione, nisi quod Praebendati primas semper tenerent sedes, et in pompis subsequerentur Hebdomadarios, unica praeeunte Cruce, quae erat Praebendatorum. In hac honorum aequalitate iurium et lucri differentiam ferre noluerunt Hebdomadarii; negarunt se Canonicos ad Sacrum per hebdomadas agendum et ad residentiam obstrictos esse. Ceterum Sacra Congregatio anno 1680 rescripsit: – Ex deductis, non teneri ad residentiam, sed ad servitium chori –. Quum autem Ecclesiam deseruissent, Praebendati ad Sacram Congregationem confugerunt, ut illorum temeritas coerceretur.

30. Propositis hinc dubiis: – I. An Canonici Hebdomadarii Ecclesiae Venefranae perfrui debeant iure canoniae, et partem constituant Capituli in casu etc. II. An iidem Canonici Hebdomadarii assequi valeant Canonicatus Praebendatos in casu etc. III. An iidem Hebdomadarii teneatur ad residentiam, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 23 novembris 1680 in casu etc. IV. An iidem Hebdomadarii teneantur praestare Ecclesiae Venefranae servitium chori cum habitu canonicali iisdem diebus iisque functionibus ac eodem modo, quo tenentur Dignitates et Canonici Praebendati? *Et quatenus negative.* V. An et quomodo teneantur praestare servitium chori in casu etc. VI. An iidem Hebdomadarii teneantur in suis respective hebdomadis non solum Missam Conventualem canere, sed etiam in officio Hebdomadariorum assistere omnibus horis canonicis usque ad completorium inclusive noctuque respective Nativitatis Domini nec non diebus hebdomadae maioris lectiones canere aliaque peragere in servitium chori, quae a Magistro Caeremoniarum praescribuntur? *Et*

quatenus affirmative. VII. An omnia praemissa expleri etiam debeant per turnum a Dignitatibus et Canonicis Praebendatis ac Expectantibus in casu etc. VIII. An et in quo numero assistere teneantur cum pluvialibus Archidiacono et Primiceriis vesperas et laudes celebrantibus, et respective officium Diaconi et Subdiaconi facere, una vel altera ex dictis tribus Dignitatibus Missas celebrante? *Et quatenus affirmative.* IX. An ad eamdem assistentiam teneantur Canonici Praebendati et respective Expectantes in casu etc. X. An et in quibus functionibus, dum celebrant Canonici Praebendati, teneantur Canonici Hebdomadarii supplere vices Canonicorum Expectantium, qui sunt absentes, et loco eorum assistere in casu etc. XI. An iidem Canonici Hebdomadarii teneantur etiam non invitati interesse processionibus tam ordinariis, quam extraordinariis Cathedralis? *Et quatenus affirmative.* XII. An et a quo indici valeant processiones extraordinariae in casu etc. XIII. An iidem Canonici Hebdomadarii participare debeant de emolumentis dictarum processionum et quando in casu etc. XIV. An Hebdomadarii in peragendis funeribus teneantur non solum Defunctorum cadavera associare ad Ecclesiam, verum etiam una cum Dignitatibus Canonicis Praebendatis ac Supranumerariis ipsorum exequiis assistere? *Et quatenus affirmative.* XV. An et de quibus emolumentis participare debeant in casu etc. XVI. An praedicti Hebdomadarii teneantur omnes Missas Conventuales canere quando ex praescripto Rubricarum non una, sed duae vel tres erunt canendae, sive potius ad unam tantum teneantur in casu etc. XVII. An ad omnia praedicta servitia chori teneantur per se ipsos, vel potius eadem supplere possint per Substitutos in casu etc. XVIII. An iidem Hebdomadarii insimul retinere possint quodcumque Beneficium vel Officium tam in Civitate, quam in Diaecesi, quod quomodolibet impediat vel incompatibile sit cum servitio dicti chori in casu etc. XIX. An pro implemento omnium praedictorum iidem Canonici Hebdomadarii teneantur sibi ipsis constituere Massam distributionum et respective punctaturarum, sive potius distributiones Hebdomadariorum constituendae sint ex massa capitulari? *Et quatenus negative quoad secundam partem.* XX. An et quomodo providendum sit pro dictis distributionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative iure optionis; et amplius. Ad tertium, in decisis; et amplius. Ad quartum et quintum, teneri tantum iuxta solitum; et amplius. Ad sextum et septimum, iterum proponatur. Ad octavum et nonum, servetur solitum. Ad decimum, Negative; et amplius. Ad decimum primum, Affirmative quoad processiones tantum solemnes ordinarias et extraordinarias indicendas ab Episcopo ex causa publica; et amplius. Ad decimum secundum, provisum in undecimo; et amplius. Ad decimum tertium, Negative; et amplius. Ad decimum quartum et decimum quintum, servetur solitum. Ad decimum sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius. Ad decimum septimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, dummodo substituendi sint de gremio Hebdomadariorum. Ad decimum octavum, Negative. Ad decimum nonum, Negative; et amplius. Ad vigesimum, provisum in nono; et Episcopus utatur iure suo, et amplius – *in Venefrana Plurium die 10 Decembris 1746.*

31. Repropositis dein dubiis sexto et septimo, quae indecisa manebant, nec non aliis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad octavum nonum decimum quartum decimum quintum decimum septimum et decimum octavum, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro plena informatione, et signanter super solio – *in Venefrana Plurium die 17 Iunii 1747.*

32. At Prioratus Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi Civitatis Tolentinae est Dignitas ex comprehensis sub Regula quarta Cancellariae ad effectus praeeminentiales, iuxta ipsius Collegiatae consuetudinem; proposito enim dubio: –VI. An Prioratus dictae Collegiatae Ecclesiae sit Dignitas cuius qualitatis et ad quos effectus? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, esse Dignitatem ex comprehensis sub Regula quarta Cancellariae ad effectus praeeminentiales, iuxta ipsius Collegiatae consuetudinem – *in Tolentina Servitii chori et Missae conventualis die 26 Maii 1739.*

33. Itaque Dignitas Prioratus Ecclesiae Cathedralis Pisciensis haud gaudet iisdem iuribus et praerogativis, quibus fruuntur ceteri Canonici et Dignitates, sed gaudere debet iuxta solitum; proposito enim dubio: – II. An praefata Dignitas Prioratus gaudeat eisdem iuribus et praerogativis, quibus fruuntur ceteri Canonici et Dignitates dictae Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, gaudere iuxta solitum – *in Piscien. Vocis in Capitulo die 1 Martii 1738.*

34. Neminem hinc latet, de iure communi Dignitates non esse de Capitulo, utpote quod a solis Canonicis constituitur, etiamsi ipsae habeant stallum in choro, iuxta doctrinam Compostellani in Cap. 1 n. 4 de electione, quam communiter sequuntur Doctores, et praesertim Fagnanus in Cap. *Nullus* n. 43 eodem titulo, Barbosa de Canonicis cap. 37 n. 14, Pirr. Corradus in prax. Benef. lib. 2 cap. 13, Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 15 n. 14 et 18: ita etiam sentit Rota coram Seraphino decis. 98 n. 1, in Recent. decis. 708, et post Card. De Luca decis. 3 n. 9 et 21 lib. 14 tom. 4 *in Marsicana Vocis in Capitulo die 30 Aprilis 1729* §. *De iure.*

Item *in Piscien. Vocis in Capitulo die 8 Februarii 1738* §. *Circa; in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *Quemadmodum; in Viterbien. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iulii 1826* §. *Sententia; in Guadalaxarien. Electionis die 3 Aprilis 1841* §. *Ad.*

35. Ab hac tamen generali regula tres casus excipiuntur a Doctoribus: primus nimirum est, si Dignitati adnexa sit Praebenda Canonicalis; tunc enim ratione Canonicatus dicitur Dignitas in Capitulo, et habet in eo vocem, Gloss. in Cap. *Cum* in verbo receperat de constit., ibique Felinus n. 18, Innocentius in Cap. 2 in fine de Instit., Abbas in Cap. *Dilectus* 19 de Praebendis, idque procedit etiamsi esset adnexa Praebenda non vere Canonicalis, quae est, quando eam habens, reputatur pro Canonico, et habet vocem in Capitulo, licet non sit Canonicus, ut probat Textus in Cap. *Cum in Ecclesia* de Praebendis in 6, et notant Vitalinus in Clement. finali n. 16 de Praebendis, Garcias de Benef. part. 11 Cap. 5 n. 201, et Rota in decis. 684 part. 11 divers. n. 4, et coram Seraphino decis. 474 n. 5: alter casus est, si in ipsa erectione Dignitas effecta fuit de Capitulo et cum stallo in choro et voce in Capitulo, Abbas et Felinus in Cap. *Cum olim* lib. 2 tit. de re iudicat., Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 37 n. 14, Rota coram Seraphino decis. 98 n. 1 et 2, et decis. 437 n. 8, et coram Bichio decis. 203 n. 3: tertius casus est, si vel Ecclesiae Statuto, vel ex legitima consuetudine Dignitates censeantur de gremio Capituli, aut saltem ex observantia ipsae admissae fuerint ad pertractanda negocia capitularia, ac in iis vocem activam et passivam habuerint, quae tamen desumi debet ex interventu in iis actibus, qui proprii sunt Capituli, nimirum in condendis Ecclesiae Statutis, in electionibus, in traditione possessionis novo Episcopo, aliisque similibus: ita communiter Abbas in Cap. 3 de electione, et in dicto Cap. *Cum olim* n. 8 de re iudicata, ibique Felinus n. 4, et in Cap. *Cum M. Ferrar.* n. 18 de constit., et ibi Ripa n. 168, Decius in Cap. *Relatum* n. 5 de Praebendis, Geminianus in Cap. finali de Praebendis in 6, Garcias in dicto cap. 5 part. 11 n. 207, Barbosa de Canon. et Dignit. dict. cap. 37 n. 14, Rota coram Seraphino decis. 437 n. 8, et in Recent. decis. 708 n. 3, decis. 114 n. 9, et decis. 251 n. 5 part. 9 *in Marsicana Vocis in Capitulo die 30 Aprilis 1729* §. *Ab hac.*

Item *in Viterbien. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iulii 1826* §. *Sententia; in Guadalaxarien. Electionis die 3 Aprilis 1841* §. *Ab.*

36. Ceterum Dignitates, iuxta consuetudinem totius Italiae, sunt de Capitulo *in Marsicana Vocis in Capitulo die 30 Aprilis 1729* §. *Adest.*

Item *in Tolentina Archipresbiteratus die 11 Ianuarii 1766* §. *Quemadmodum; in Guadalaxarien. die 3 Aprilis 1841* §. *Abs re.*

37. Unde in Italia obtinet consuetudo, ut Dignitates tamquam Canonici, et de Capitulo reputentur cum iisdem iuribus privilegiis et oneribus, quibus Canononici potiuntur, adeo ut in substantia sint Canonici, licet magis qualificati cum nomine et praeeminentiis Dignitatum *in Viterbien. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iulii 1826* §. *Obtinet.*

38. Iamvero Card. De Luca in disc. 46 n. 5 et 9, et Card. Petra in Constit. Leonis Magni tom. 1 sect. 2 n. 9 animadvertunt, eam esse totius fere Italiae consuetudinem, ut Dignitates sint de gremio Capituli: ipsae enim ad instar aliorum Canonicorum intersunt choro, aliisque vacant, cultum ac Ecclesiae servitium respicientibus, aeque habent Praebendas, et fruuntur distributionibus quotidianis minutis, vel aeque participant de massa distributionum, quae stat loco Praebendae, adeo ut proprie ac substantialiter sint veri Canonici sub nomine Dignitatum abusive, in sola scilicet nuncupatione magis qualificati cum aliquibus praeeminentiis supra alios *in Piscien. Vocis in Capitulo die 8 Februarii 1738* §. *Secus.*

Item *in Viterbien. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iulii 1826* §. *Obtinet; in Guadalaxarien. Electionis die 3 Aprilis 1841* §. *Abs.*

39. At Dignitas Prioratus Cathedralis Ecclesiae Pisciensis nec activam nec passivam habet vocem in actibus capitularibus, licet ex Bulla erectionis ius suffragii habere videatur, sed contraria tamen obstet observantia *in Piscien. Vocis in Capitulo die 1 Martii 1738* (1).

40. Hinc si Dignitates Praebenda penitus distincta a Massa communi fruantur, nedum de eadem participare nequeunt, sed nec habent vocem activam neque passivam in iis, quae respiciunt Massam communem *in Imolen. Distributionum die 13 Martii 1773* §. *Hinc ad tertium.*

41. Idcirco his in terminis proposito dubio: – III. An Archipresbiter possit intervenire et habere suffragium in Capitulis seu resolutionibus capitularibus super dictis bonis et iuribus? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative; et amplius – *in Tolentina Archipresbiteratus die 1 Februarii 1766.*

42. Alias vero prima Dignitas ob non susceptum sacrum Ordinem voce quidem caret in Capitulo, iure tamen gaudet convocandi Capitulum illique praesidendi ac negotia proponendi, ad tradita per Card. De Luca de Canon. disc. 39 n. 5, Barbosam in Concil. Trid. sess. 22 cap. 4 de reformatione n. 8 et 10 *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 25 Februarii 1826* §. *Neque.*

43. Siquidem Priori Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi competit ius perpetuum convocandi Capitulum *in Firmana die 6 Septembris 1783* (2).

44. Quum imo Dignitates Archipresbiteratus et Thesaurarii fuerint erectae, quin Capitulum ullam adiiceret conditionem, sed imo cum expresso iure vocis activae et passivae, eisdem ius vocis competit etiam in negotiis spectantibus ad Massas, de quarum distributionibus non participant, si praesertim observantia accedat *in Senen. Vocis in Capitulo die 26 Martii 1768* (3).

45. Unde quum Dignitates simul fuerint institutae in actu erectionis Cathedralis cum Canonicis simulque reditus assignati in distributiones quotidianas nec non vox in Capitulo fuerit attributa, Sacra Congregatio mandat, ut Episcopus conficiat Decretum, vi cuius in posterum Dignitates votum habeant in electionibus Praebendarum vacantium, et ut in paritate suffragiorum praevaleat votum Episcopi *in Guadalaxarien. Electionis die 3 Aprilis 1841 et die 23 Novembris 1844.*

46. Siquidem Capitulum Cathedralis Guadalaxariensis coalescebat ex quinque Dignitatibus, nimirum Decano Archidiacono Cantore scholarum Magistro et Thesaurario, decem praeterea Canonicis, ex quibus sex de gratia, quatuor de officio vulgo dicebantur, scilicet Poenitentiario Magistrali Doctorali et Theologo, ac tandem sex Portionibus integris, totidemque dimidiis Portionibus. Anteactis temporibus ad omnes has Praebendas ius nominandi ac praesentandi spectabat ad Reges Hispaniarum, exceptis tantum quatuor Canonicatibus de officio nuncupatis, ad ipsos electio fiebat ab Episcopo Dignitatibus et decem Canonicis. Post immutatum regimen in iis regionibus, civilis Auctoritas in Mexicano Conventu statuit, ut in quavis provisione quinque sibi proponerentur cum iure tres ex iis ad minus excludendi, quin un-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Canonici*, §. X, n. 51 et 52, Tom. V.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capitulum*, §. I, n. 51, Tom. VI.

(3) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archipresbiter*, §. II, n. 155 ad 160, Tom. II; et in Verb. *Canonici*, §. X, n. 13 ad 15, Tom. V.

quam Apostolicae Sedis Auctoritas legem hanc confirmaverit. Ex hoc factum fuit, ut tredecim in Ecclesia Guadalaxariensi vacarent Praebendae, quatuordecim tantummodo Capitularibus remanentibus, quorum aliqui infirmi, alii autem senectute pene confecti erant, alius demum in Hispania patria sua plurimis ab illinc annis degebat. Tandem Episcopus die 13 aprilis 1837 Cantorem ad Decanatum, quatuor antiquiores Canonicos ad Archidiaconatus Cantoriae Scholasteriae et Thesaurariae Dignitates, sex demum Portionarios, duobus exceptis, qui vel non poterant, vel ad altiorem gradum promoveri nolebant, ad totidem Canonicatus, ascensus iure, quod strictioris schalae vocabant, electos Canonicos instituere valuit; quo factum est, ut Magistralis Poenitentiaria Doctoralis, quinque integrae totidemque dimidiae vacarent Portiones. Publico itaque Edicto Concursum indixit, ut quicumque sese ad tredecim Praebendas idoneos existimarent, intra quinquaginta dierum, qui portionem aliquam intra nonaginta, qui Magistralis aut Poenitentiariae aut Doctoralis Canonicatum optare vellent, peremptorium terminum accederent. Expletis tandem de more ad trium horum optionem literariis exercitiis, id unum Episcopo supererat, digniores inter candidatos ad eos nec non ad decem seligere Portiones. Capitulo exinde congregato, unus ex Canonicis proposuit, quod ubi paria essent vota Episcopus decisivum haberet; duodecim enim erant, qui electionem perficere debebant. Id, ceteris Capitularibus non dissentientibus, rationi aeque ac iuri consonum visum fuit. Episcopus compromissum acceptare censuit. Rebus ita compositis, in ipso electionis exordio vacantium Praebendarum, nimirum trium Canonicatuum de officio, unus ex Canonicis, quem tres alii secuti sunt, admisit in quinque Dignitatibus ius ferendi suffragium quoad electionem Canonicatuum de officio, prout semper eo iure gavisi fuerunt; at id denegavit quoad ceteros Canonicatus de gratia et quoad Portiones, cum in iis nunquam dederint. Haec tamen protestatio pro tuendis iuribus et actus legitimitate fuit emissa; consensus enim praestitus fuit ad vitanda scandala, ut omnes votum darent, et res tota Apostolicae Sedis iudicio subiiceretur, a qua etiam norma pro futuris electionibus exposcebatur. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de validitate electionum in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione in casu? III. An et quae dispositio sit decernenda in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Sanctissimo pro sanatione saltem ad cautelam ad quoscumque iuris effectus. Ad tertium, dilata; firmo interim in Dignitatibus iure ferendi suffragium in electionibus, donec aliter a S. Sede fuerit provisum, et ad mentem – *in Guadalaxarien. Electionis die 3 Aprilis 1841.*

47. Mens autem fuit, ut scriberetur secreto Episcopo, – qui magis praecise referat, an Dignitates una cum Canonicis fuerint erectae, utrum sicut ceteri Canonici Praebenda fruantur ac de distributionibus participent et choro inserviant, num vocem habeant in condendis Ecclesiae statutis, in electione Vicarii Capitularis, et in tradenda possessione novo Episcopo, aliisque similibus, nec non trasmittat particulas Statutorum ad rem faciendas –. Episcopus mandatis obsequens retulit, in actu erectionis Cathedralis constitutas fuisse quinque Dignitates, nimirum Decanatum Archidiaconatum Cantoriam Scholasteriam et Thesaurariam, nec non decem Canonicatus et Praebendas, quae a dictis Dignitatibus omnino separatae esse deberent, nec unquam una simul cum Dignitate aliqua obtineri possent, ac demum sex integras et totidem dimidias Portiones; ac omnibus et singulis reditus fuisse assignatos in distributiones quotidianas, quibus absentes privantur, aliis interessentibus accrescerent. Statutum praeterea fuit in Decreto executoriali praefatae erectionis, – quod Portionarii ipsi vocem habeant in Capitulo una cum Dignitatibus et Canonicis tam in spiritualibus, quam in corporalibus, praeterquam in electionibus et aliis a iure prohibitis casibus, qui solis Dignitatibus et Canonicis pertinent –. Reproposito hinc dubio: – An et quae dispositio sit decernenda in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et, facto verbo cum Sanctissimo, scribatur Episcopo, qui Decretum conficiat, vi cuius in posterum Dignitates votum habeant in electionibus, et ut in paritate suffragiorum praevaleat votum Epi-

scopi – *in Guadalaxarien. Electionis die 23 Novembris 1844.*

48. Unde Solorsanus in tom. 2 lib. 3 cap. 14 n. 51 de Iure Indiano ait, – quod in pari suffragiorum numero praevalet pars, cui Praelatus assentit –; et consonat Van – Espen iur. eccles. univ. part. 1 tit. 8 cap. 3 n. 8, et tit. 10 cap. 1 n. 6, item part. 2 tit. 21 cap. 1 n. 14, adducens Bullam executionis novorum Episcoporum Belgii, ubi de Canonicis graduatis eligendis *in Guadalaxarien. Electionis die 23 Novembris 1844* §. *Quantum.*

49. Ceterum perpendere praestat, quod, cum Canonici dicerentur Cathedralis Ecclesiae membra et caput Episcopus, priscis Ecclesiae temporibus adigebantur Episcopi omnia tractare cum totius olim Cleri mox Capituli consilio vel consensu, Cap. *Novit.* 4, Cap. *Quanto* 5 de his, quae fiunt a Praelato absque consensu Capituli; hinc S. Leo Magnus ad Siculos Episcopos de rebus Ecclesiae distrahendis rescribens in Canone *Sine exceptione* 52 caus. 12 quaest. 2 inquit: – Cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiae –, et S. Hieronymus in Canone *Olim idem erat* 5 dist. 95 ait: – Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispensationis Dominicae veritate Praesbiteris esse maiores, et in commune debere Ecclesiam regere –; unde ex ea iuris regula communis Episcopis et Capitulis Cathedralium erat Praebendarum collatio *in Guadalaxarien. Electionis die 23 Novembris 1844* §. *Quoad.*

50. Verum ex incomodis, quae in regimine Ecclesiae oriebantur, haec communio Episcoporum et Capitulorum sublata fuit: Bonifacius enim VIII in Cap. *Non est* 3 de consuet. in 6 declaravit, non esse consuetudinem reprehendendam, quod Episcopus in inquirendis et corrigendis Subditorum excessibus consilium sui Capituli requirere minime teneatur: id etiam obtinuit expresse in Beneficiorum collatione: etenim Caelestinus III in Cap. *Ea noscitur* 6 de his, quae fiunt a Praelatis sine Capituli consensu, rescripsit, – ex antiqua et probata consuetudine vel concessa libertate (fieri posse, ut Praelati) in Ecclesiarum seu Beneficiorum collationibus nullum Collegii seu Capituli consensum debeant requirere –; hinc, ut monet Gagliardi in tract. de Benef. cap. 8 n. 4, paucae nunc sunt Ecclesiae, in quibus Capitula ipsa non amplius iure generali, sed tantum speciali, eoque vario pro variis locorum Statutis, pactis fundationum, vel privilegiis, consuetudinibus, potestatem habeant conferendi Beneficia vel communem cum Episcopis, vel privativam absque ullo Episcoporum suffragio, et ex statutis pariter, vel locorum consuetudine, vel privilegiis pendet, ut votum Episcopi vel simplex sit, vel duplex, vel tantam habeat vim, ut aequet suffragia totius Capituli, Gagliardi loc. cit., Gonzalez in Reg. 8 Cancell. gloss. 45 §. 2 n. 51, ac ceteri Doctores apud Rigantium in Reg. 2 §. 3 n. 237 *in Guadalaxarien. Electionis die 23 Novembris 1844* §. *Quoad.*

51. Hac itaque regula prae oculis habita, conciliantur quamplurimae Sacrae Congregationis resolutiones, quae variae sunt, iuxta privilegiorum Statutorum ac consuetudinum diversitatem *in Guadalaxarien. Electionis die 23 Novembris 1844* §. *Hac.*

52. Hinc et Decanus, obtinens Dignitatem simul et Canonicatum, duplex etiam de iure habet suffragium *in Tridentina die 17 Ianuarii 1761* §. *Decanus* (1).

53. Siquidem quum Canonico Decano Cathedralis Ecclesiae Tridentinae ex consuetudine immemorabili competeret duplex suffragium in resolutionibus Capitularibus, proposito dubio: – III. An Canonico Decano competat ius duplicis voti absoluti in capiendis omnibus et singulis resolutionibus capitularibus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative – *in Tridentina die 14 Februarii 1761.*

54. Unde licet Decanus Cathedralis Ecclesiae Vigiliensis vi transactionis cum Capitulo initae participare nequaquam deberet de emolumentis legatis mortuariis aliisque obventis et in futurum obveniendis Capitulo, nec frui posset loco et voce in Capitulo, Sacra Congregatio ex eo quod ea illegitime et contra tabulas fundationis et erectionis inita fuerat nedum nullam declaravit transactio-

(1) Barbos. de Canon. et Dignitat. Cap. 37, n. 18; Card. De Luc, ad Concil. Trid. disc. 20, n. 6; et Rot. in decis. 49, n. 2, part. 4 tom. 2 Recent.

nem, sed et resolvit, competere Decano pro tempore, dummodo in Sacris constituto, vocem in Capitulo nec non participationem in praefatis emolumentis aliisque huiusmodi a die captae possessionis, quin obesset, quod dicta transactio ab anno 1634 ad annum 1688 observata extiterit *in Vigilien. Decanatus die 23 Iulii 1729 die 19 Augusti 1730 et die 29 Augusti 1744.*

55. Iamvero Petrus Iacobus Schinosi fundavit anno 1625 in Cathedrali Ecclesia Vigiliensi Dignitatem Decanatus, et pro eius dote assignavit annuos ducatos 90 monetae Regni Neapolitani, nempe annuum censum ducatorum 56 singulis annis exigendum ab Universitate eiusdem Civitatis, et alios ducatos 33 percipiendos ex tot petiis terrae, reservando iuspatronatus laicale favore suorum descendentium masculorum; Decanis vero pro tempore iniunxit onus celebrandi Missam quotidianam nec non interessendi quotidie omnibus divinis Officiis in dicta Ecclesia celebrari solitis, ut faciebant aliae Dignitates et Canonici. Voluit etiam, quod eadem Dignitas potiri deberet loco et voce activa et passiva in Capitulo, ac etiam omnibus et singulis privilegiis, quibus aliae Dignitates quomodolibet fruebantur; et demum quod retineri posset per unum ex Canonicis, ac ulterius quod Decanus obtinere et retinere valeret Canonicatum absque dispensatione Apostolica, prout latius in instrumento fundationis et Literis Apostolicis pro dicta erectione. Anno 1634 ad sedandas nonnullas controversias inter Decanum tunc existentem et Capitulum, inita fuit concordia, qua conventum fuit, quod Decanus pro tempore nequiret participare de mortuariis emolumentis legatis donationibus aliisque obventis et in futurum obveniendis Capitulo, et quod frui non posset loco et voce in Capitulo; et ita observatum fuit in posterum usque ad annum 1688, quo reclamante Decano ad Sacram Congregationem et adversus dictam transactionem et pro aliis suis praetensis iuribus, inter alia haec tria dubia proposita fuerunt in Congregatione diei 31 ianuarii dicti anni 1688, scilicet: - I. An dicta transactio fuerit valida et obligatoria Successorum in Dignitate Decanatus? - II. An Decano pro tempore, dummodo in Sacris constituto, competat ius vocis activae et passivae in Capitulo? - III. An eidem Decano competat participatio in obventionibus legatis eleemosynis mortuariis et dotibus Anniversariorum obventis Capitulo post erectam Decanatus Dignitatem et in futurum obveniendis? -, quibus Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Episcopus auditis Partibus informet et praecipue, an ceterae Dignitates eiusdem Ecclesiae participent de obventionibus et aliis emolumentis Capituli, de quibus in dubio -; et haec resolutio quoad primum et secundum dubium confirmata fuit sub diebus 10 aprilis et 26 iunii eiusdem anni et 24 maii 1689.

56. Modernus Decanus restauravit antiquam litem super tertio dubio tunc non resoluto, ac etiam praetendit, esse locum reductioni oneris assistentiae in choro et celebrationi Missae quotidianae in erectione Decanatus iniuncti sub motivo, quod notabiliter diminuti erant reditus pro dote assignati in dicta erectione; et quod non teneretur per turnum ad Missas Conventuales, a quibus aliae Dignitates erant exemptae, et super his omnibus recursum habuit ad Sacram Congregationem. Audito Episcopo, hic plene retulit nedum super erectione Decanatus, transactione inita de anno 1634, ac diminutione reditum Decanatus, sed etiam super oneribus et modo, quo de fructibus ceterisque emolumentis Ecclesiae participabant Canonici aliaeque Dignitates. His itaque perpensis, propositis dubiis: - I. An Decano competat participatio in obventionibus legatis emolumentis mortuariis et dotibus Anniversariorum obventis Capitulo post erectam Decanatus Dignitatem et in futurum obveniendis? - II. An sit locus pro eodem Decano reductioni oneris assistentiae quotidianae in choro ac Missae itidem quotidianae ex instrumento fundationis iniuncti? *Et quatenus Affirmative.* Quaenam ratio habenda sit pro utriusque oneris reductione? III. An Decanus una cum Canonicis per turnum teneatur ad Missas Conventuales, a quibus ceterae Dignitates eximuntur? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad instar aliarum Dignitatum. Ad secundum, pro reductione arbitrio Episcopi, et constito coram eodem de dimi-

nutione redituum. Ad tertium, Negative – *in Vigilien. Decanatus die 23 Iulii 1729.*

57. Reproposito dein primo dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis super primo dubio sub die 23 iulii 1729 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Vigilien. Decanatus die 19 Augusti 1730.*

58. Post responsa haec Antonius Schinosius Decanus adiit Tribunal A. C., a quo petiit exequi resolutiones Sacrae Congregationis: lata quidem ab eo sententia est, sed de obventionibus atque emolumentis a Capitulo Cathedralis Ecclesiae, lite pendente, perceptis noluit cognoscere: iussitque redire Decanum ad amplissimorum Patrum iudicium. Novis itaque exortis quaestionibus, propositis dubiis: – I. An et a quo tempore debeatur Decano participatio obventionum legatorum aliorumque comprehensorum in resolutione Sacrae Congregationis 23 iulii 1729 et 19 augusti 1730? II. An iuxta praecitatam resolutionem eidem Decano debeatur participatio tam Missarum adventitiarum, quam Anniversariorum, certam fundi assignationem non habentium, sed quae annuatim per heredes solvantur? III. An idem Decanus participare debuerit et debeat de punctaturis de censibus extra portionem de reditibus Canonicatuum vacantium usque dum provideantur et etiam de aliis emolumentis, quae in fine anni per Procuratorem Capituli sive in cera, sive in pecunia Capitularibus distribui solent? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, deberi a die captae possessionis. Ad secundum et tertium, Affirmative – *in Vigilien. die 29 Augusti 1744.*

59. Itaque celebratio Missae diebus solemnioribus, impedito, vel nolente Episcopo, ad Capituli Dignitatem spectat *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 29 Ianuarii 1825* §. *Ultro* (1).

60. Nam ad principem Dignitatem spectant, quas pontificales vocant, functiones diebus festis duplicibus primae classis, scilicet iure praeeminentiae *in Terracinen. Iurium Parochialium die 27 Iulii 1844* §. *Quaeritur* (2).

61. Qua de re post Dignitates Canonicis, ordine antianitatis servato, ius est canendi Missam *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 29 Ianuarii 1825* §. *Illud* (3).

62. Unde si prima Dignitas post Pontificalem fuerit legitime impedita, secunda debet assistere Episcopo pontificaliter celebranti Missam vel Vesperas in officio Praesbiteri assistentis induta pluviali *in Seguntina mense Octobris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 18.*

63. Quapropter impedito Archipresbitero Collegiatae Ecclesiae S. Leonardi celebrare in processionibus nec non in Missis solemnibus Pentecostes Ascensionis et Corporis Christi, celebrare tenetur Canonicus antiquior, non vero Oeconomus, cum assistentia aliorum Canonicorum; proposito enim dubio: – XVI. An iis diebus eadem assistentia praestanda sit Oeconomo, Archipresbitero impedito, celebranti? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad decimum sextum, Archipresbitero impedito, celebrare debere non Oeconomum, sed Canonicum antiquiorem cum assistentia aliorum Canonicorum – *in Bononien. Iurium Parochialium et Praeeminentiarum die 24 Maii 1732.*

64. Quin imo absente vel impedito Praeposito Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Pedonis, cui adnexa est cura animarum, dignior ex Canonicis supplere tenetur eius partes ac percipere maiorem eleemosynam, non vero illius Coadiutor; proposito enim dubio: – XI. An ubi Canonici collegialiter interveniunt etiam Officiis Defunctorum intra tres dies post depositionem Cadaveris in Ecclesia celebrandis, absente vel impedito Praeposito, dignior ex Canonicis supplere debeat partes Praepositi, excluso eius Coadiutore, et lucretur ceram manualem maiorem et duplicatam eleemosynam? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad undecimum, Affirmative – *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

65. Unde nec ad Hebdomadarium, sed ad Dignitatem vel Canonicum antiquiorem spe-

(1) S. Rituum Congregatio in Andrien. 22 Ianuarii 1618; in Gerunden. 11 februarii 1702; et in Gerunden. Iuris officiandi 24 Novembris 1703.

(2) Card. De Luc. de Praeeminentiis disc. 19, n. 11; Scarfanton. ad Ceccoper. addit. 7, n. 13.

(3) Barbos. de Canon. cap. 5, n. 43 et seqq.; S. Rituum Congregatio in Iuvenaten. 6 Maii 1609; Rot. in Viterbien. Celebrationis Missarum 11 Decembris 1609 §. Quot coram Sacrato.

ctat celebrare Missam solemnem exponere Sanctissimum Sacramentum et intonare Divina Officia in Octava Sanctissimi Corporis Christi aliisque diebus solemnioribus in Ecclesia Collegiata et Receptitia Terrae Galatonae; proposito enim dubio: – XI. An ad Portionarium Hebdomadarium, seu potius ad Dignitatem vel ad Canonicum antiquiorem eiusdem Hebdomadae spectet celebrare Missam solemnem, exponere Sanctissimum Sacramentum et intonare Divina Officia in Octava Sanctissimi Corporis Christi et in aliis diebus solemnioribus primae et secundae classis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Neritonen. Plurium die 12 Iulii 1760.*

66. Compertum enim est, Officiorum celebrationem Hebdomadario iniunctam a Ceremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 3 §. 16 non esse intelligendam de Missis et functionibus solemnibus, quarum praerogativa spectat ad Digniorem, ut explicant Catalan. ad caerem. in dicto §. 16 et §. 17, Rota in Cassanen. Functionum 1 iulii 1757 §. 4 coram Paracciano, et definivit Sacra Congregatio Rituum in Gerunden. functionum Pontificalium 11 februarii 1702, in Baren. 24 novembris 1731 *in Neritonen. Plurium die 7 iunii 1760* §. *Disputant.*

67. Quum itaque Ecclesia Receptitia et Parochialis fuerit erecta in Collegiatam insignem, non omnes functiones spectant privative ad Archipresbiterum primam Dignitatem curam animarum ut antea habentem, sed functionibus mere Parochialibus exceptis, reliquae sunt peragendae ad formam iuris communis, cum nihil praestitutum habeatur in Bulla erectionis nec ulla prorsus consuetudo invecta extet *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii et die 18 Augusti 1860.*

68. Siquidem vix Ecclesia Receptitia numerata et Parochialis Oppidi vulgo *Capracotta* erecta fuit in Collegiatam, illico ortae sunt quaestiones inter Archipresbiterum et Canonicos circa ius peragendi functiones. Archipresbiter enim prima Dignitas cum animarum cura prae primis monuit, in Apostolicis Literis erectionis Collegiatae ne verbum quidem occurrere de extinctione et suppressione tituli et naturae prioris status Ecclesiae, ita ut nihil aliud praeseferrent, quam declarationem Collegialitatis Ecclesiae: adeoque arguit, in Ecclesiae Collegialitate adstruenda omnia iura et onera uti primitus integra permansisse. Quin imo etsi de formali erectione ageretur, pristina Archipresbiteri iura quoad functionum pertinentiam haud immutata fuisse contendit. Nam ex precum tenore ad Principem Sacratissimum exhibitarum Clerus fatebatur, quod integra permanerent favore Archipresbiteri iura stolae albae et nigrae nec non privilegia celebrandi Missas diebus solemnioribus aliasque functiones, ut antea: et Patrocinator in Urbe Archipresbiterum certiorem per literas fecerat, concessam fuisse erectionem Ecclesiae in Collegiatam, salvis omnibus et singulis ipsius iuribus. Accedere videbatur etiam declaratio Commissionis Episcoporum in Regno, qua Archipresbiter unicus erat Beneficiarius ac Rector Ecclesiae; idcirco cum ex moderna Collegialitate nihil fuisset novitatis inductum, ut sustinebat, quoad primaeva iura et onera per Literas Apostolicas, hinc conclusit, ius Archipresbiteri sartum tectum extare peragendi functiones, uti primitus, ad tramites notulae, quam exhibebat. Capitulum contra in primis advertit, quando etiam Ecclesia in statu et conditione merae Receptitiae adhuc permaneret, aequam tamen partitionem functionum servari debere inter Archipresbiterum et Participantes. Ast palam erat, ex Literis Apostolicis erectionis extinctam fuisse conditionem et qualitatem Receptitiae, ex quo Ecclesia illa in Collegiatam insignem non modo fuit erecta, sed aliis similibus Collegiatis quoad iura privilegia et praerogativas universas aequiparata, quin obesset qualitas Parochialitatis in Literis Apostolicis praeservata. Contendit enim, sibi compati quidem qualitatem Collegiatae cum Parochialitate, sed Collegiatam semper vincere Parochialitatem in praeeminentiis, imo Collegiatam insignem (Cathedrali) vel ipsi aequiparari. Idcirco in eadem Ecclesia cura animarum exerceri debet absque ullo praerogativae praeiudicio, quam nacta est per erectionem Ecclesia, cuius virtute, functionibus mere Parochialibus exceptis, reliquae scilicet Canonicales a Canonicis et Dignitatibus peragi

debent ad formam caeremonialis et Decretorum S. Rituum Congregationis, seclusis peculiaribus consuetudinibus et conventionibus post erectionem legitime introductis. Praerogativa autem Archipresbiteri, qua nuncupabatur – caput et Praeses Capituli, quique primum locum – tenere debebat, nihil aliud eidem tribuere poterat, quam praelationem in Capitulo et praecedentiam in sessionibus et processionibus, uti contingit in Collegiatis: at nihil haec pertinere ad ius et ordinem in functionibus peragendis servandum. Unde iura mere Parochialia tantum praeservata fuerunt Archipresbitero, cum cetera Bulla relinqueret sub iuris dispositione. Qua de re cum nulla in casu vigeret consuetudo, Capitulum assignavit functiones partiendi methodum, quin Archipresbiter in functionibus capitularibus peragendis ius sibi arrogare posset delegandi Primicerio secundae Dignitati vel Canonico nonnullas functiones. Nam functiones, quae de iure competunt primae Dignitati, ea impedita vel absente, spectant pariter de iure ad secundam Dignitatem, et successive ad Canonicum antiquiorem in stallo et possessione. Quoad functiones vero Parochiales, quas sibi competere putabat Archipresbiter, eas perferri ab eodem debere dixit. Complures enim, quarum ille sibi celebrationem attribuit, non modo Parochiales non recenseri, sed peragi debere per celebrantem ostendit, quas inter enumeravit – benedictiones candelarum cinerum palmarum et fontis baptismalis, functiones omnes maioris hebdomadae, Missae Solemnes infra annum sive pro vivis, sive pro defunctis, expositio quadraginta horarum et expositio super Populum tam cum Venerabili Sacramento, quam cum Reliquiis et Imaginibus Sanctorum – imo vel ipsa processio Sanctissimi Sacramenti in die et octava Corporis Christi, ut ad rem S. Rituum Congregatio in Brundusina 12 iulii 1627, in Surrentina 21 augusti 1640, in Civitatis Castellanae 15 septembris 1640, in Neapolitana 12 martii 1661, in Lauden. 17 martii 1663, in Curzylen. 31 maii 1670, in generali Decreto Urbis et Orbis 10 decembris 1703, in Pinerolen. 6 septembris 1838, et Sacra Congregatio in Cassanen. 11 Iulii 1767, et in Faventina Functionum 19 iulii 1773.

69. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An et quae sacrae functiones spectent et peragendae sint privative ab Archipresbitero, et quaenam e contra a Primicerio et Hebdomadario in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta notulam a Capitulo exhibitam – *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860.*

70. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, in decisis; et amplius – *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 18 Augusti 1860* (1).

71. Hinc ad Canonicum seniorem, non vero ad Parochum viciniorem, spectat ius administrandi Sacramenta infirmo Priori Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli et eidem mortuo funus peragendi, non tamen ius post eiusdem Prioris mortem exercendi curam Animarum usque ad electionem novi Prioris; propositis enim dubiis: – I. An ius administrandi Sacramenta infirmo Priori Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli et eidem mortuo funus peragendi spectet ad Canonicum seniorem Capituli ad Confessiones approbatum, seu potius ad Parochum viciniorem in casu etc. III. An post mortem Prioris sit locus deputationi Oeconomi, seu potius succedere debeat in exercitio curae Animarum usque ad electionem novi Prioris dictus Canonicus senior ad Confessiones approbatus absque ulla Episcopi approbatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Pisauren. die 25 Ianuarii 1772.*

72. Hinc haud licet Priori Collegiatae Ecclesiae SS. Petri et Dalmatii, cui inest cura animarum, vocare ad funus Sacerdotes sibi benevisos, sed servanda est conventio cum Capellanis inita, et quoad ceram gestatoriam Partes devenire debent ad conventio-

(1) Reliqua Causae huius habes in Verb. *Administratio*, §. II, n. 131 ad 134, Tom. I.

nem iuxta concordiam, et interim servandum est solitum *in Alexandrina Funerum die 28 Augusti 1745.*

73. Iamvero consuetudinem, quae erat in Civitatibus Mediolani et Alexandriae, ut Ecclesiastici, qui cereas faces manibus ferebant, dum corpora Defunctorum efferebantur, eas post ductum funus Parocho, a quo vocati accitique fuerant ad elationem, traderent, accepto decem solidorum compendio, particulari conventione firmarunt Parochus sive Prior insignis Collegiatae Ecclesiae SS. Petri et Dalmatii, quae Alexandriae erat, et Capellani eiusdem Ecclesiae. Convenerunt enim, ut ad funera Capellani vocarentur aut Clerici eiusdem Ecclesiae servitio adscripti; quo vero ad cereas faces data fuit Priori facultas cum eis conveniendi, uti collibuisset. Brevi tamen tempore servata isthaec conventio fuit: postulantibus siquidem Capellanis, Vicarius Generalis Alexandriae mense augusto 1744 Decreto suo iis concessit et ius passivae vocationis ad funera prosequenda praelative ad alios Sacerdotes vel Clericos eiusdem Ecclesiae servitio adscriptos, et potestatem iisdem Capellanis fecit cereas faces sibi retinendi. Appellavit Prior: nam facultati, qua ipse iure posset in advocandis iis, qui sibi magis placebant, ubi Defunctorum voluntas non adversaretur, maximum, dixit, robur adiicere capitularem conventionem, qua alternis vicibus Capellanos vel Clericos arcessiri, cum iis utcumque libuerit, de cereis facibus transigi posse pactum fuit: hanc conventionem servatam fuisse, ut nihil proponeretur, cur deinceps non foret servanda. Propositis autem dubiis: – I. An liceat Priori vocare ad funera Sacerdotes sibi benevisos, seu potius sit servanda conventio inita sub die 25 septembris anni 1740 in casu etc. II. An cera gestatoria libere pertineat ad Capellanos, seu potius liceat Priori modum sibi benevisum statuere, concordando emolumenta cum Capellanis in casu etc. III. An Decretum Vicarii Generalis Alexandriae sit servandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Partes deveniant ad conventionem, iuxta concordiam; et interim servetur solitum. Ad tertium, provisum in praecedentibus – *in Alexandrina Funerum die 28 Augusti 1745.*

74. Proposito autem dubio: – V. An quoties aliqua ex Dignitatibus Ecclesiae Collegiatae S. Barbarae decumbat et moriatur in aliena Parochia, aliae Dignitates omnibus insignibus pontificalibus indutae perducere possint Defunctum ad propriam Ecclesiam pariter mitra et pluviali insignitum, absque ulla solutione quartae funeris? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quintum, Negative – *in Mantuana Iurisdictionis die 16 Martii 1680.*

75. Idcirco quum aliqua Beneficia existentia in Ecclesia divi Thomae ad praesens detenta per Clericos Regulares ministrantes Infirmis, et in altera divi Antonii administrata per Societatem Sanctissimae Trinitatis, fuissent unita praedictae Collegiatae S. Barbarae, ac Abbas praesumpsisset in festivitatibus eorumdem Sanctorum instar supplicationis et cum omnibus Episcopalibus insignibus a praefata Collegiata exeundo accedere ad supradictas Ecclesias, quodque magis erat, per longum et affectatum circulum usque ad faciem Palatii Episcopalis eo modo et forma pertransire, posteaque in iisdem Ecclesiis celebrare in pontificalibus benedictionemque solemnem super Populum impertiri, quod de facto exercebat, nullo ad id quaesito consensu ac licentia Episcopi; Sacra Congregatio vero respondit: – Negative – *in Mantuana Iurisdictionis die 16 Martii 1680.*

76. Ceterum Dignitas in Collegiata, cui annexa est cura animarum, comprehenditur etiam in Decreto Concilii Cap. 13 vers. *Ad haec imposterum* sess. 24 de reformatione, ita ut, si eius reditus non excedant summam centum scutorum iuxta morem regionis, non possit pensione gravari *in Aquilana die 19 Iunii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 663.*

Item *in Nullius die 6 Iulii 1657 lib. 19 Decretorum pag. 598.*

77. Verum Dignitas Cathedralis Ecclesiae, quae curam animarum habet, exercere nequit munus Vicarii Generalis; proposito enim dubio: – An Dignitas Cathedralis, cui est adnexa animarum cura, possit exercere Vicarii Generalis munus? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Dubium die 3 Februarii 1685 lib. 35 Decretorum.*

78. Dignitates vero et Canonici sunt praeferendi Coadiutori in electione Vicarii Capitularis, quatenus sint idonei, ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini in cap. 16 sess. 24 de reformatione *in Dubium Vicarii Capitularis die 14 Aprilis 1685 lib. 35 Decretorum pag. 197.*

79. Hinc usus annuli Personis in Dignitate ecclesiastica constitutis est licitus *in Messanen. mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 189.*

80. Imo Decani possunt acquirere ius visitandi ex consuetudine *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Praesertim.*

81. Tenentur tamen visitare per seipsos, assumpto Notario de consensu Episcopi *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Praesertim* (1).

82. Nec repugnat, quod ius visitandi ad Decanum simul, et Capitulum spectet; quia potest ad plures cumulative pertinere *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Et censet* (2).

83. Sed ius visitandi competens Decano et Capitulo non potest exerceri a solo Decano *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Et censet.*

84. Hinc Decanus habens potestatem ordinariam potest interesse electionibus Abbatissae, et vota colligere, ac secum ducere Officiales *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Validam* (3).

85. Idcirco appellatione Ordinarii venit etiam Decanus et Capitulum in locis, in quibus habent iurisdictionem *in Bellaacen. die 17 Ianuarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 300.*

86. Hinc Decanus Collegiatae Beatae Mariae Virginis Tungrensis ex privilegio Apostolico et consuetudine iure pollet visitandi Conventum et Hospitale dicti loci cum Canonicis sibi benevisis, nec non assistere electioni Superiorissae cum duobus Canonicis ab eo assumendis *in Leodien. Visitationis die 12 Martii 1763 die 18 Augusti 1764 et die 28 Septembris 1765.*

87. Enimvero in Hospitali S. Iacobi Oppidi Tungrensis nonnullae degebant Moniales regulam S. Augustini profitentes, quas anno 1242 s. m. Innocentius IV suscepit sub protectione S. Sedis, aliisque privilegiis ornarunt s. m. Leo X et Hadrianus VI, qui suis Literis Apostolicis expeditis anno 1522 certam statuens normam in futurum servandam pro recto dicti Hospitalis regimine sancivit, quod Prioris electio ac Fratrum et Sororum admissio spectaret libere ad ipsos Fratres et Sorores, – confirmatio vero electionis Prioris huiusmodi, quoties celebrata fuerit, ad Decanum pro tempore existentem et dilectos filios Capitulum Ecclesiae Beatae Virginis eiusdem Oppidi pertineat etc.; dictusque Decanus pro tempore existens in solidum praefati Hospitalis visitator existat, et illud visitare valeat –. Huiusmodi privilegio fretus Decanus Capituli Tungrensis die 29 iulii 1758 praefatum Hospitale Monialiumque Conventum visitavit cum duobus a se delectis Canonicis et Notario; totidemque Sociis assumptis interfuit electioni Superiorissae, spreta contradictione trium Monialium, quae idcirco recursum habuerunt ad Sacram Congregationem. Praefatis Monialibus adhaerebant quinque Canonici; hinc caedem defenderunt, nullo in pretio habendas esse Literas Hadriani VI, quia compulsatae non fuerunt, citata Parte, et quia post has Literas conditum fuit Statutum ab Episcopo Tricaricensi in Visitatorem Diaecesis Leodiensis anno 1627 specialiter deputato per Breve s. m. Urbani VIII cum facultate quascumque ordinationes et Statuta promulgandi etiam quoad Loca et Hospitalia exempta, quare cum in eodem Statuto caveretur expresse, quod–Decani officium est una cum Deputatis a Capitulo – Ecclesias Archidiaconatus visitare; ideo servandam esse contenderunt posteriorem legem Statuti, non autem praecedentes Literas Hadriani. Maxime quia favore iurisdictionis Capituli longaeva concurrebat observantia, quam ex pluribus actis probare studuerunt. Quocirca nullam etiam dixerunt electionem Superiorissae ob defectum iurisdictionis Decani, qui eidem praefuit electioni cum suis Sociis. Verum De-

(1) Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24 cap. 3 de reformatione; et de potest. Episcop. part. 3, allegat. 73, n. 22.

(2) Rota in decis. 76, n. 11 et 12 coram Molin.; et decis. 97, n. 5 et seqq. tom. 1 coram Tanara.

(3) Sperell. decis. 161, n. 1 in fine; et de Cancellario censuit S. Congregatio in Tiburtina 16 aprilis 1727 lib. 77 Decretorum pag. 139.

canus, cui septem adhaerebant Canonici et sex Moniales, contendit, praefatum Statutum de visitatione explenda cum Deputatis Capituli intelligendum esse de Ecclesiis et Monasteriis illius ordinariae iurisdictioni subiectis, non autem de Hospitali S. Iacobi, quod uti susceptum sub protectione S. Sedis erat exemptum, cum in huiusmodi Locis exemptis, quae nullo medio subsunt S. Sedi, soli Episcopo data sit facultas visitandi iure delegato, ut cavetur in Clementina *Attendentes* 2 de statu Monachorum, et in Sacro Concilio Tridentino sess. 25 cap. 9 de Regularibus, et propterea sustinuit, non Statutum, sed specialem delegationem Hadriani VI sequendam esse; eiusdemque delegationis vigore sibi licere autumavit assumere Convisitatores, uti etiam ex observantia probare curavit. Idcirco validam quoque fuisse defendit electionem Superiorissae cum sua suorumque Deputatorum assistentia, quin obesset facultas confirmandi Priorem Capitulo tributa in Literis Hadriani VI, quia canonica non erat electio Prioris, cum hic non esset Regularis; solumque praeesset spirituali et oeconomicae curae Monasterii.

88. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Decano Collegiatae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Tungrensis competat ius visitandi Conventum et Hospitale S. Iacobi dicti loci cum Canonicis sibi benevisis, seu potius Visitatio diei 29 iulii 1758 sit circumscribenda? II. An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissae cum duobus Canonicis ab eo assumendis, ita ut electio diei 22 decembris 1759 sustineatur? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et reproponatur Causa, citato Capitulo, eique praefixo termino ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione – *in Leodien. Visitationis die 12 Martii 1763.*

89. Canonici autem concorditer die 11 ianuarii 1764 declararunt: – salvis tamen omnibus et quibuscumque iuribus Archidiaconalibus Capituli in dicto Hospitali –; declararunt insuper, se nullatenus immiscere velle liti desuper agitatae inter R. D. Decanum et quasdam Moniales Hospitalis. Repropositis interim dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et servetur Rescriptum diei 12 martii 1763; et scribatur iuxta instructionem – *in Leodien. Visitationis die 18 Augusti 1764.*

90 Scriptum hinc fuit: – non enim Rescripto die duodecima martii 1763 pandito, quo iniunctum fuit, ut reproponeretur Causa, citato Capitulo, eique praefixo termino ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione, EE. PP. satisfactum hactenus censuerunt. Opus itaque est, ut legitime fiat Capituli interpellatio, ut de actus validitate dubitari non possit, quod si per actum capitularem rite expletum praesenti controversiae se immiscere nolle litique renunciare decernet, de hoc publicum ac legale exhibeat monumentum: ita quidem, ut declaratio et renunciatio libera sit, nullaque conditione aut reservatione circumscripta aut coercita: et si apponi velint, diserte distincte et singillatim explicentur, quae sint conditiones et reservationes, circa quas Capitulum sua iura integra atque illaesa praeservare intendit –. At Canonici legitime congregati renunciarunt: – declarant, se nunquam habuisse nec habere velle partem in lite ventilante Romae coram Sacra Congregatione inter amplissimum Decanum Tungrensem ex una, et tres Moniales S. Iacobi Tungrensis ex altera partibus, et nullo modo se velle immiscere praefatae liti, neque quomodolibet eidem se opponere –. Solus Canonicus Ruitte, ut antea fecerat, iterum contradixit; ac declaravit, – se inhaerere protestationi factae per quinque Canonicos de data 23 februarii 1751, cui protestationi adhaesit Canonicus Deferne –. Moniales autem dixerunt, de iure agi singulorum Canonicorum et de notorio Capituli praeiudicio; unius itaque sufficere contradictionem, quin Capitulum sine Beneplacito Apostolico iuri suo renunciare posset. Rursus hinc sustinuerunt, Literas Hadriani VI declarasse confirmationem electionis Prioris et admissionis Fratrum et Sororum spectare ad Decanum et Capitulum; tantummodo addidisse: – Decanus pro tempore existens in solidum Visitator praefati Hospitalis existat, et illud visitare valeat –; posterioris secuti temporis perpetuum usum illud *in solidum* declarasse, ut ad Decanum una cum Capitulo spectaret. Contra Decanus contendit, Moniales uti singulas non posse in iudicio stare; non licere eisdem tueri iura extranei Capituli, quod non contradicebat, imo renunciavit: ni-

hil obesse contradictionem duorum Canonicorum contra Capituli legitime congregati consensum; particulam illam *in solidum* suapte natura ferre, quod solus etiam posset Decanus omnia agere uti Sedis Apostolicae delegatus; perpetua nullis temporum intervallis interrupta consuetudine id confirmatum. His igitur perpensis, repropositis iisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Leodien. Visitationis die 28 Septembris 1765.*

91. Hinc Primicerio Collegiatae Ecclesiae S. Andreae competit collatio duorum Beneficiorum Parochialium, eorumque Parochi ab eodem vocati tenentur accedere ad certas solemnitates in Collegiata praedicta peragendas, sed puniri nequeunt certis poenis et mulctis in casu contraventionis, multoque minus ad eas exequendas immitti Familia armata, irrequisito Episcopo loci *in Mantuana Iurisdictionis die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

92. Siquidem – Regularis olim et Abbatialis Ecclesia divi Andreae Monachorum S. Benedicti Civitatis Mantuae a cl. me. Cardinali Gonzaga illius commendatario vigore specialis Bullae s. m. Sixti IV secularizata fuit, praevia suppressione Dignitatis Abbatialis in dicto Monasterio illiusque membris Prioratibus atque Beneficiis quibuscumque ad dispositionem Abbatis et Conventus pertinentibus, et erecta in Ecclesiam Collegiatam una cum omnibus et singulis iuribus ac privilegiis, retentione Fontis Baptismalis, ac facultate exercendae curae animarum. Ibi autem inter cetera Beneficia ecclesiastica sacerdotalia et clericalia octo instituti fuere Canonicatus et Praebendae, unaque principalis Dignitas Primiceriatus, auctoritate quacumque in Literis Apostolicis expressa, et signanter gestandi mitram et baculum pastoralem, delicta Canonicorum Presbiterorum et aliorum Inferiorum corrigendi, ac quoties vacatio contingeret, eadem Beneficia, quae ad Abbatis et Conventus dispositionem spectare consueverunt, conferendi. Cum igitur iis fretus modernus Primicerius dictae Ecclesiae praetendat ad se spectare collationem duarum Ecclesiarum parochialium S. Ambrosii et S. Urbani de Formigosa eiusdem Diaecesis Mantuanae uti de iuribus et pertinentiis dicti Monasterii S. Benedicti, eorumque Parochos cogere per Literas missivas virtute sanctae obedientiae auctorabiles et comminatorias ad personaliter interessendum tribus Pontificalibus Capellis infra annum celebrari consuetis, ita ut novissime, renuente Parocho S. Ambrosii huiusmodi parere mandatis, armatam Familiam immiserit ad domum Parochialem et super bonis Parochi executionem fieri curaverit, irrequisito Episcopo, cuius iurisdictioni subest tam Primicerius, quam ipsa Ecclesia Collegiata; hinc triplex exorta dubitandi occasio, triplici pariter responsione EE. VV. de more subiicitur dirimenda –.

93. Propositis itaque dubiis: – I. An Primicerio Ecclesiae Collegiatae S. Andreae competat collatio duorum Beneficiorum Parochialium S. Urbani de Formigosa et S. Ambrosii in Civitate et Diaecesi Mantuana existentium? II. An eidem Primicerio competat iurisdictio vocandi ad certas solemnitates, quae fiunt in eadem Ecclesia S. Andreae Parochos S. Ambrosii de Formigosa sub certis poenis et mulctis, eosque in casum contraventionis puniendi et mulctandi? III. An illi pariter competat iurisdictio committendi Familiam armatam ad exequendas dictas poenas contra Personas et bona dictorum Parochorum tam in Civitate, quam in Diaecesi Mantuana, irrequisito Episcopo, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Primicerio non competere iurisdictionem, sed Parochos ab eodem vocatos teneri accedere vel per se, vel per alios. Ad tertium, Negative – *in Mantuana Iurisdictionis die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum pag. 184.*

94. Vertente dein controversia inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis et Primicerium praefatae Collegiatae, eo quia iste contendebat in Bullis collationis dictae Parochialis Ecclesiae S. Ambrosii apponere diversas et insolitas clausulas, quibus Episcopus ordinariam suam iurisdictionem laedi conquerebatur, Sacra Congregatio, citato et consentiente Procuratore Primicerii, die 26 iunii praefati anni 1700 respondit: – Servandum esse solitum –, ut in lib. 50 Decretorum pag. 365 *in Mantuana Iurisdictionis die 24 Septembris 1735* §. *Alterum.*

95. Demum novus praefatae Ecclesiae Collegiatae Primicerius Nicolaus Tasca contendere cepit, se una cum sua Ecclesia eiusque Ministris non solum ab Episcopi iurisdictione exemptum esse, verum etiam ordinaria iurisdictione potiri, ita ut plura, quae alias ad Episcopum spectarent, sibi asseruerit. Propositis interim dubiis: – I. An Ecclesia S. Andreae eiusque Primicerius sint exempti a iurisdictione Ordinarii? II. An idem Primicerius in condendis Statutis possit apponere poenas suspensionis et censurarum pro eorumdem Statutorum observantia? III. An Primicerius possit affigere et publicare Edicta in Ecclesia S. Andreae, seu potius unice observanda sint illa publicata ab Ordinario? IV. An Primicerius retinere possit Tribunal Cancellarium Familiam armatam aliosque Officiales? V. An Primicerius procedere possit ad carcerationem aliasque poenas corporis afflictivas contra delinquentes Clericos eiusdem Ecclesiae aliosque eidem Ecclesiae inservientes? VI. An recognoscere et iudicare valeat Causas civiles tam activas, quam passivas inter Clericos aliosque inservientes, vel de re propriae Ecclesiae? VII. An facultas concessa Primicerio corrigendi et puniendi delicta Canonicorum aliorumque de suo Capitulo sit privativa quoad Ordinarium, et ad quae delicta restringatur, quorumve delictorum correctionem et punitionem comprehendat? VIII. An talis facultas exerceri possit per viam processus formalis ac in forma iurisdictionis contentiosae? IX. An Primicerius et Canonici aliique de Capitulo Ecclesiae S. Andreae teneantur accedere ad processiones solemnes aliasque auctoritate Ordinarii indictas? X. An Primicerius possit in omnibus anni solemnitatibus Pontificalia ad libitum celebrare? *Et quatenus negative.* An et quibus anni solemnitatibus haec ei liceant? XI. An possit mitra et baculo Pastorali uti sine ullo distinctivo et Populo benedicere indistincte et more Episcopali? *Et quatenus affirmative.* XII. An in casibus, in quibus eidem Primicerio permittitur usus et respective celebratio Pontificalium, possit haec facere extra propriam Ecclesiam? XIII. An occasione celebrandi Missam possit sedere in Faldistorio et indui sacris vestibus ad Altare cum praesentia Sacerdotum? XIV. An ei liceat annulum osculandum exhibere in administratione Sacrae Eucharistiae et Concionatori solemniter benedicere? XV. An liceat eidem Primicerio sacras Reliquias approbare easque proprio signo ac stemmate authenticare? XVI. An incedendo per Civitatem possit deferre Crucem pectoralem cunctis visibilem? XVII. An possit incedere per eamdem Civitatem Mozzetta et Roccheto indutus? XVIII. An saltem incedendo per Civitatem uti possit veste et mantello violaceo? XIX. An Primicerius, quando non celebrat pontificaliter, possit alium adhibere pro lotione manuum, ministerio Sacerdotum inservientium uti, et productione trina Crucis adstantibus benedicere, ac tam privatim, quam pontificaliter celebrans, uti pileolo ab initio Missae usque ad Canonem, et ab assumptione usque ad finem Missae? XX. An et quas poenas inferre possit Primicerius in vim facultatis sibi concessae corrigendi et puniendi delicta Canonicorum aliorumque de suo Capitulo? XXI. An teneatur ad generalem Synodum Diaecesanam intervenire, se suumque Clerum subiicere Synodi mandatis? XXII. An possit supellectiles ad Sacrificium Missae necessarias benedicere? XXIII. An possit se ingerere in Causis immunitatis ecclesiasticae localis, tradendo brachio seculari aut militari confugientes ad dictam Ecclesiam? XXIV. An iuxta solitum Episcopus possit visitare Ecclesiam Collegiatam S. Andreae ultra Altare Sanctissimi Sacramenti Fontem Baptismalem et alia ad curam animarum spectantia? XXV. An Episcopus possit visitare Confraternitatem laicalem pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi erectam in Ecclesia Collegiata S. Andreae, et exigere redditionem rationis reddituum, qui administrantur ab eadem Confraternitate? XXVI. An Primicerius possit ordinare celebrationem Missae post meridiem ac interdicere, ne Missae de Requiem signatae ad Altare pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi ibi dicantur? XXVII. An possit concedere licentiam quotidie exponendi Sanctissimum Sacramentum ad benedictionem elargiendam Populo circa ortum solis et toties, quoties ei placuerit in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, constituto Procuratore per Primicerium iuxta mentem – *in Man-*

Mantuana Iurisdictionis die 24 Septembris 1735.

96. Quum itaque Decanus Collegiatae Ecclesiae S. Georgei poenas per modum correctionis extraiudicialiter in Canonicos tulerit, hancque potestatem sibi privative quoad Capitulum vindicaverit, Sacra Congregatio mandavit, ut coadiuverentur probationes *in Colonien. Iuris mulctandi die 11 Ianuarii 1738.*

97. Iamvero cum Damianus Meyer Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Georgei Civitatis Coloniae sub diem 7 decembris anno 1736 palam in comitiis capitularibus exprobaverit Decano eiusdem Ecclesiae, quod nullo iure Capitularia Protocolla sibi detineret, ac plura in eis contra expressam Capituli mentem inservisset, praefatus Decanus, ne inde Dignitas Decanatus imposterum vilesceret et ecclesiastica Capitularium disciplina paullatim collaberetur, die 22 dicti mensis edidit Decretum, quo eidem Canonico Meyer salutarem hanc iniunxit poenam, nimirum: – quod per mensis spatium ab instante Nativitatis Dominicae festo incipiendum stricte penes Ecclesiam Georgianam resideret, ita ut omnibus horis Canonicis maioribus et minoribus continuo a principio usque ad finem interesse teneretur; sin secus, aut in aliquo praemissorum deficiens, rigorosiorem expectaret disciplinam –. Praeterea cum alter Canonicus Wolff iunior in Capitulo perstrepere cepisset, ac relicto loco, in quo una cum aliis Canonicis sedere debebat, huc illuc excurrere, iussusque semel iterum ac tertio a Decano, ut locum suum repeteret ibique conquiesceret, hisce Decani mandatis obtemperare detrectasset, quin imo, adscitis aliis Capitularibus, tumultum studuisset inire, eoque vehementius ante Capitularis Aulae ostium clamare non desineret, memoratus Decanus sub diem 14 ianuarii 1736 alterum adversus dictum Canonicum Wolff iuniorem edidit Decretum, quo recensitis eiusdem Canonici excessibus iam descriptis, in haec verba conclusit: – Hinc pro salutari aliqua huius inobedientiae temeritatis et audaciae disciplina et correctione per tres hebdomadas continuas stricte penes Ecclesiam residebit, ita ut in omnibus horis maioribus et minoribus teneatur a principio usque ad finem continuo interesse, inque primis hodie Vesperis incipere; sin secus et in aliquo horum deficiens, rigorosiorem expectaturum disciplinam –; innovatoque per tres vices enunciato Decreto, auctaque poena seu mulcta usque ad viginti aureos, tandem die 5 decembris dicti anni 1736 declaravit illum – in poenam viginti aureorum sub die 2 maii ipsi comminatam damnabiliter incidisse, eique sub quinta vice et peremptoria monitione canonica serio iniunxit – debitam paritionem in servanda per mensem residentia stricta in castrino S. Nicolai festo inchoanda sub poena suspensionis a Capitulo et perceptione fructuum, mandando interim sub poena arbitraria Dominis Officiantibus Cellerario et Praesentiario, ne huic Domino Wolff iuniori reditus canonicales pecunias aut frumenta extradant, usque dum ex integro paruerit, refutatis non minus huius contumacis Rei frivolis appellationibus a nullo hucusque Iudice acceptatis, et praeter haec in disciplinaribus et morum correctione effectum suspensivum non sortientibus, quam reiectis omnino nuperis de praetensa sua innocentia a nemine desuper cognoscendi ius et facultatem habente, vel superiore aliquo agnita ex captionibus miserrime et frustra nunc ingestis –. At Capitulum contendit, Decanum haudquaquam huiusmodi facultate puniendi potiri, vel saltem appellationem in suspensivo competere. Contra vero memoratus Decanus in medium protulit Constitutiones in Provincialibus Conciliis sub Archiepiscopo Conrado editas cap. 9, et alias sub Archiepiscopo Friderico anno 1536 promulgatas part. 3 cap. 15, nec non synodalem legem anni 1598 cap. 12, ab Archiepiscopo Ferdinando anno 1612 tit. 1 cap. 2 innovatam, ac demum duo Decreta ab Archiepiscopo Maximiliano in pastorali Visitatione anno 1664 peracta, quibus omnibus huiusmodi iurisdictionem comprobare studuit.

98. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An Decano Ecclesiae S. Georgii Coloniae competat ius privative mulctandi et corrigendi suos Canonicos in casu etc. II. An poenae per eumdem Decanum inflictae Canonicis Meyer et Wolff sustineantur in casu etc. III. An et quomodo liceat appellare ad Curiam Archiepiscopi a Decretis per Decanum latis in materia correctionali in casu etc. –, Sacra

Congregatio respondit: - Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructionem D. Secretarii – *in Colonien. Iuris mulctandi die 11 Ianuarii 1738.*

99. Quum autem collata fuerit anno 1718 a Sede Apostolica Iosepho Iunguito Thesauraria una cum Canonicatu in Collegiata Ecclesia S. Mariae Civitatis Tudelae, ac mox inter ipsum et Capitulum graves exortae fuerint controversiae, propositis dubiis: – I. An constet de excessibus Capituli contra Iunguitum provisum Apostolicum in casu etc. II. An et quo tempore D. Iunguito debeantur fructus reditus et distributiones in casu etc. III. An eidem debeantur per Capitulum omnia damna et interesse passa ex causa molestiarum et litium ex causa Capituli inductarum in casu etc. IV. An et sub quibus poenis cogendum sit Capitulum ad exhibenda omnia instrumenta et iura, quae respiciunt reditus praeeminentias et iura Dignitatis Thesaurariae et Canonicatus in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, deberi a die possessionis, excepto primo anno solvendo heredibus defuncti. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, cogendum esse sub poenis pecuniaribus, in quantitate arbitrio Nuntii, et in subsidium suspensionis a divinis – *in Nullius Tudelae die 22 Novembris 1727.*

100. Repropositis dein dubiis sub formula: – An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio die 13 martii 1728 respondit: – Ad Emum D. Card. Belluga, qui auctoritate Sacrae Congregationis Partes inducat ad concordiam, et quatenus concordare nolint, eam faciat ex officio in Sacra Congregatione referendam –. Cum vero concordia suum effectum habere non valuerit, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis iuxta modum praescriptum a Sacra Congregatione et ab Emo Praefecto declarandum, et pro executione tam praesentis Decreti, quam ab ipso in futurum dependentium, Episcopo Tyrasonensi facultatibus eiusdem Sacrae Congregationis; et amplius – *in Nullius Tudelae seu Tyrasonen. die 13 Augusti 1729.*

101. Modus fuit, – quod praevia absolutione utriusque Partis a praetensis excessibus damnis et interesse, Capitulum teneatur solvere Iunguito medietatem omnium fructuum et distributionum quotidianarum a die 18 octobris 1718 usque ad diem primam maii 1724. Et a praefata die prima maii usque ad ultimam diem decembris 1729 teneatur integre persolvere omnes fructus et distributiones quotidianas, exceptis semper anniversariis aliisque emolumentis, quae verum et personale servitium requirunt, ac deductis omnibus pecuniarum summis tam vigore Decretorum Sacrae Congregationis et D. Nuntii Apostolici una cum cambiis pro transmissione pecuniarum, quam ex quacumque alia causa eidem Iunguito vere et realiter a Capitulo solutis, nec non deducta pensione annuorum ducatorum triginta iuxta Bullam s. m. Pauli V, quam tamen Capitulum in deposito habere debeat ad effectum consignandi, quatenus de iure, et ad hunc effectum dictum Capitulum intra viginti dies a die requisitionis, per Iunguitum faciendae computandos, exhibere teneatur Bullam originalem s. m. Pauli V coram Archiepiscopo Caesaraugustano, qui tam super asserta pensione, quam super iure Redecimae, prout iuris fuerit, procedat cum facultatibus Sacrae Congregationis, omni appellatione et recursu remotis. Insuper quod, reprobata consuetudine etsi immemorabili, Capitulum in futurum omnino abstineat ab impositione poenae modicarum; sed tantum iuxta casus mulctare possit Praebendatos poena pecuniaria dumtaxat, nempe duorum vel quatuor et ad summum sex ducatorum. Et si casus maiorem exigat poenam recurrere debeat ad Ordinarium; interim vero Archiepiscopus Caesaraugustanus praesens Decretum in libris capitularibus inseri et registrari mandat. Ulterius quoad controversias praeeminentiales, Thesaurarius tam in choro, quam in Responsoriis aliisque functionibus choralibus eumdem locum habere debeat cum eadem praecedentia tantum, quam habet in choro, ubi suam sedem habet, et non in medio iuxta eius praetensionem: item quod praefatus Thesaurarius habeat praesidentiam Capitulis, quatenus illis non interveniant Decanus vel Archidiaconus nuper a Sanctissimo D. Nostro subrogatus; quo casu Decanus seu Archidiaconus praesidentiam habeat, sicuti etiam in casu, quo nemo istorum interveniat, ead

praesidentia deferatur ad illum Praebendatum, qui in gradu subsequitur –.

102. Non acquiescente Iunguito huic resolutioni, proposito dubio: – An et quomodo sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In ultimo loco decisis; et amplius; et ad mentem – *in Nullius Tudelae seu Tyrasonen. die 30 Septembris 1730.*

§. III.

DIGNITATES IN GENERE QUOAD ONERA

1. Immunis non est a chorali servitio prima Capituli Dignitas, licet curam animarum habeat *in Brictinorien. die 20 Aprilis 1793* §. *Primum* (1).

2. Limita, nisi distinctis potiatur reditibus, nilque omnino percipiat ex capitulari Massa, ita ut honorificam tantum habeat dignitatem et praeeminentiam, ad tradita per Lotterium de re Benef. lib. 1 quaest 16 n. 17, maxime si per capitulares Constitutiones relinquitur chorale servitium illius arbitrio *in Brictinorien. die 20 Aprilis 1793* §. *Promotoris.*

3. Alias enim etiam Archipresbiter Cathedralis Ecclesiae tenetur praestare competens chori servitium ad normam Cap. 3 sess. 22 Concilii Tridentini iamdiu assignatum ex Decreto Sacrae Congregationis, licet id exinde per longum temporis spatium non praestiterit *in Montis Politiani Servitii chori die 21 Februarii 1818.*

4. Enimvero anno 1666 quaesivit ab Sacra Congregatione Episcopus Ecclesiae Politianae, num Cathedralis Ecclesiae Archipresbiter sine cura animarum, cum prima esset Capituli Dignitas, servitio chori teneatur; et Sacra Congregatio die 17 aprilis eiusdem anni rescripsit: – Archipresbiterum non teneri ad praescriptum Tridentini Concilii sess. 24 cap. 12 de reformatione choro quotidie intervenire, sed illi ab Episcopo competens servitium ad normam Cap. 3 sess. 22 esse assignandum –. Id Episcopus praestitit, ut patebat ex registro Literarum Sacrae Congregationis, in quo epistola legebatur die 3 iulii eiusdem anni ad Episcopum transmissa, cuius pars hisce erat verbis concepta: – Probavit Sacra Congregatio, quod iuxta Amplitudinis tuae Decretum idem Archipresbiter inservire debeat omnibus diebus Dominicis et per Quadragesimam nec non in die Natalis Domini et tribus diebus sequentibus, item in festis Circumcisionis et Epiphaniae, in festo Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, in vigilia et festo Ascensionis Domini, in vigilia et tribus diebus Pentecostes, in vigilia et festo Corporis Christi cum tota octava, in festo Inventionis S. Crucis, in festis Beatae Mariae, idest Conceptione Purificatione Assumptione Visitatione Annunciatione et Nativitate, et decollatione S. Ioanni Baptistae, in festis omnium Apostolorum, in festo S. Marci Evangelistae, in festo S. Laurentii Martyris, in festo S. Martini confessoris, in festo B. Agnetis Virginis Politianae, in festo omnium Sanctorum, et in die commemorationis omnium Defunctorum, ac quod de festis dicitur, intelligatur cum primis et secundis vesperis –. Eadem epistola factum Episcopi probabatur, qui tertiam partem fructuum Archipresbiteratus punctaturis assignavit. Hanc punctaturarum legem ex quodam libello in Cancellaria Episcopali reperto per septennium servatam fuisse patebat, nempe usque ad annum 1673. Ab hoc autem anno nullum amplius quoad chorale servitium ab Archipresbitero praestitum inveniebatur monumentum ad annum usque 1753, in quo Pius Magnoni Antistes Politianus in actis Visitationis asseruit, praelaudatum Decretum, quod suus Antecessor auctorante Sacra Congregatione ediderat, – nunquam fuisse executioni mandatum –. Quare

(1) Concil. Trid. sess. 24 cap. 12 de reformatione; Ugolin. de potest. Episcop. part 1, Cap. 19, §. 1, n. 1; Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. can. lib. 2, tit. 4, n. 16; Argir. discept. eccles. 7, n. 1, lib. 6; Benedict. XIV in notif. 107, n. 101.

et suae et Archipresbiterorum consulens conscientiae, iterum audita Sacra Congregatione idem Decretum renovavit. Ab huiusmodi Decreto Archipresbiter Iulius Contucci ad tribunal Nuncii Apostolici appellavit. Dum autem quaestio agebatur, utrum admittenda esset appellatio, Archipresbiter supplicem libellum Archipresbitero porrexit, in quo praecipue exponens bonam fidem, qua adeptus fuerat hanc Dignitatem, dimissionem Praebendae Theologalis ab ipso ante factam, ut mitiori Archipresbiteratus servitio aetati consuleret et senectuti quietem inveniret, exemptionem a choro postulavit. Rescripsit Episcopus in calce huius libelli, – servari solitum vivente eodem Archipresbitero, et eum non molestari, salvo iure providendi in futuris –. Res siluit reliquo tempore, quo rexit Politianam Ecclesiam dictus Magnoni, siluitque etiam sub altero Episcopo Pio Franzesi, cui modernus Episcopus successit. Hic vix aliqua hac de re monumenta invenit, statim consulendum censuit Sacrae Congregationis oraculum, a qua tamen cum nullum accepisset responsum ob rerum publicarum eversionem, Augustino Petrini, qui Archipresbiteratus dignitate fungebatur, iniunxit, ut ab EE. PP. dubii ipsius definitionem exposceret. Multa sane Archipresbiter proposuit, ut Dignitatem suam immunem redderet a servitio chori: sed animadvertebatur, quod in Reformat. Ad Constit. 75 repellebatur Archipresbiter a participatione distributionum, quia ei certi constituti fuere reditus. Idcirco ad chori servitium teneri videbatur. Insuper si quid ambigui habebant leges et Reformationes, iam hoc explicatum fuit et definitum ex Decreto Sacrae Congregationis: et contra observantiam observatur, quod ea, quae praecessit Decretum Sacrae Congregationis, inanis erat; quae vero superaccessit, nunquam ad metam centenariam pervenit, ut inducere posset praescriptionem adversus Statuta et rem iudicatam, ita ut potius abusus, quam consuetudo iudicanda esset.

5. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? *Et quatenus in decisis.* II. An et quale servitium chorale sit Archipresbiterali Dignitati imponendum in casu? III. An sit eximendus a praescripto servitio hodiernus Archipresbiter in casu? –, Sacra Congregatio respondit: –Ad primum, in decisis ad formam Resolutionis Sacrae Congregationis anni 1666. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Negative – *in Montis Politiani Servitii chori die 21 Februarii 1818.*

6. Idcirco quum Dignitates Ecclesiae Cathedralis ab antiquo tempore nunquam punctis notarentur, indeque eveniret, quasdam etiam in maioribus solemnitatibus servitium Ecclesiae ac per esset negligere non sine aliorum murmure, proposito dubio: – An dicta consuetudo sit tolerabilis, vel omnes punctis notandae sint ad mentem Sacri Concilii et Decretorum Sacrae Congregationis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dignitates etiam esse punctis notandas, nisi intra duos menses in Sacra Congregatione aliquid relevans adduxerint – *in Acheruntina et Mathuranen. Visitationis Sacrorum Liminum die 3 Martii 1668.*

7. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, Dignitates ex legitimo impedimento debilitatis vocis excusari alta voce psallere, sed nihilominus teneri personaliter divinis Officiis interesse *in Andrien. die 8 Maii 1649.*

8. Idcirco Prior et Curatus, licet etiam ex facultate sibi ab Ordinario, concessa pro tempore a Concilio permisso absit a choro propter sua privata et domestica commoda, punctari debet *in Nullius seu Fasani Punctaturarum die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

9. Siquidem – in Ecclesia Matrice receptitia adscripti sunt quadraginta Sacerdotes, qui destinatis hebdomadis choro intersunt, omnibusque praeest Prior et Curatus Ecclesiae. Ex antiqua consuetudine et Decretis in Sacra Visitatione factis anno 1660 ab Apostolico Visitatore, absentes et tempore statuto non intervenientes choro punctantur. Parochus seu Prior praetendit, se immunem esse a punctaturis, si absit a choro et residentia ad bimestre tempus ex facultate ab Ordinario sibi concessa, iuxta disposita in Cap. 1 sess. 23 de reformatione. E contra nonnulli ex Sacerdotibus admittunt quidem, Parochum non esse punctandum, cum munera parochialia exercet, et si absit vel ratione malae valetudinis, aut alia de causa legitima et a iure approbata; secus autem si propter

sua privata et domestica commoda, eo quia Concilium indulgeat Parochis, ut ad duos menses abesse possint, non autem ut lucrentur distributiones aut punctari non debeant in Ecclesiis Collegiatis sive Receptitiis, in quibus ultra animarum curam etiam in choro inserviunt –. Monito igitur Procuratore Parochi, proposito dubio: – An Prior et Curatus Ecclesiae Fasani in casu absentiae a choro etiam ex facultate sibi ab Ordinario concessa pro tempore a Concilio permisso punctari debeat in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Nullius Fasani Punctaturarum die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

10. Quum autem plures agerentur controversiae inter Andream Dantium Praepositum Collegiatae Ecclesiae S. Petri Castri Franchi in superiori Arni parte, et Gratiam Bardottium Priorem Parochialis Ecclesiae S. Martini et Barbarae eiusdem Castri atque eiusdem Collegiatae Canonicum, propositis dubiis: – I. An Prior Ecclesiae Parochialis SS. Martini et Barbarae, uti Canonicus, teneatur interesse divinis Officiis in choro Ecclesiae Collegiatae S. Petri diebus festivis et signanter solemnioribus in casu etc. II. An idem Prior teneatur intervenire processionibus a praedicta Collegiata fieri solitis, et praesertim solemnioribus Sancti Titularis et Sanctissimi Corporis Christi in casu etc. III. An ipse Prior teneatur interesse in eadem Ecclesia Collegiata benedictioni Fontis die Sabbati Sancti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et expectetur exitus Causae coram Episcopo; et scribatur eidem ad mentem – *in S. Miniatis die 20 Martii 1745.*

11. Imo Canonici antiquiores Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi Civitatis Tolentinae tenentur quidem excipere confessiones fidelium et coadiuvare Priorem, cui adnexa erat cura animarum, in administratione aliorum Sacramentorum, nec non instituere Pueros in doctrina christiana in casu indigentiae arbitrio Episcopi, et in casu deficientiae mulctandi sunt iudicio Episcopi, sed Prior tenetur eis semper contribuere annuam praestationem quatuor rubrorum frumenti et scutorum sex pro quolibet; propositis enim dubiis: – IX. An iidem duo Canonici antiquiores teneantur excipere fidelium confessiones nec non Priorem coadiuvare in administratione aliorum Sacramentorum? X. An teneantur etiam instruere Pueros in doctrina christiana? *Et quatenus affirmative ad nonum et decimum.* XI. An, ipsis deficientibus ab huiusmodi munere, teneatur Prior eis contribuere annuam praestationem quatuor rubrorum frumenti et scutorum sex pro quolibet? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, Affirmative. Ad decimum, teneri ad coadiuvandum Priorem in casu indigentiae arbitrio Episcopi. Ad undecimum, Affirmative; et in casu deficientiae mulctandos esse iudicio Episcopi – *in Tolentina Servitii chori et Missae Conventualis die 26 Maii 1739.*

12. Hinc etiam Decanus Collegiatae S. Agricolae tenetur interesse quotidie matutinis ac horis canonicis; proposito enim dubio: – II. An Decanus et Canonici Collegiatae S. Agricolae teneantur non solum interesse Matutinis in diebus solemnibus nec non Tertiae Sextae ac Missae maiori et Vesperis cuiuslibet diei, sed etiam quotidie matutinis aliisque horis, ita ut, quatenus opus sit, standum, vel recedendum a decisis sub die 25 septembris 1700? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et in decisis – *in Avenionen. die 21 Augusti 1734.*

13. Qua de re quum Bernardinus Lupi quatuor in Collegiata Ecclesia divi Nicolai Terrae S. Aedisti Canonicatus instituisset, ac domum eidem Ecclesiae adhaerentem reliquisset pro habitatione Canonici Senioris, cui districte id praecepit sub poena decem scutorum anno quolibet Sacrario solvendorum, sed Canonicus Petrus Paulus Lupi Testatoris praeceptum non adimplevisset nec poenam solvisset, cum habitatio illa duobus tantum angustis cubiculis constaret et insalubri Terrae loco sita reperiretur, propositis dubiis: – I. An Canonicus Lupi teneatur inhabitare domum a Testatore praescriptam in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An quoad praeteritum sit absolvendus a poena in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et ad mentem, scilicet consulendum Sanctissimo pro dispensatione. Ad secundum, Affirmative facto verbo cum Sanctissimo – *in Nullius S. Aedisti die 18 Iulii 1772.*

14. Unde si absint Primicerius hebdomadarius et alius Primicerius, Canonicus antiquior seu pignior tenetur incipere Matutinum et horas canonicas, nec non huiusmodi servitium subire; propositis enim dubiis: – VI. An, absente Primicerio hebdomadario et alio Primicerio, possit Canonicus antiquior cogi ad incipiendum matutinum et horas canonicas, an dignior? VII. An, cessante impedimento infirmitatis podagrae, qua dicti duo Primicerii laborant, teneatur Canonicus antiquior huiusmodi servitium subire? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Canonicum antiquiorem seu digniorem praesentem eodem modo posse cogi. Ad septimum, Canonicum antiquiorem, absentibus duobus Primiceriis, teneri huiusmodi servitium subire – *in Andrien. die 8 Maii 1649.*

15. Idcirco absente Primicerio hebdomadario, alius Primicerius praesens cogitur ad incipiendum matutinum et horas canonicas; proposito enim dubio: – V. An absente Primicerio hebdomadario possit alius Primicerius praesens cogi ad incipiendum matutinum et horas canonicas? –, Sacra Congregatio respondit. – Ad quintum, Primicerium alium praesentem cogi posse, Primicerio hebdomadario absente – *in Andrien. die 8 Maii 1649.*

16. Imo Dignitas Collegiatae tenetur exercere officium Hebdomadarii et alia munia subire, sicut ceteri de Capitulo, Ferrar. in Biblioth. Verb. *Hebdomadarius* n. 20, Monacell. tom. 1 tit. 2 form. 4 *in Albinganen. Missae Conventualis die 30 Martii 1844* §. *Etiamsi.*

17. Qua de re quum Archidiaconus Collegiatae Ecclesiae Terrae Carticeti, cui adnexa erat cura animarum, contenderet, onus celebrandi Missam Conventualem ab ipso sustinendum non esse, nec eleemosynam ex Massa capitulari haud esse detrahendam, cum huiusmodi onus inhaereret Canonicis, divina Officia celebrantibus, nullo recepto stipendio, quin obessent verba Literarum Apostolicarum, quibus fuerat erecta praefata Collegiata, scilicet – detractis obligationibus Missarum et oneribus parochialibus – propositis dubiis: – III. An quilibet ex Canonicis Hebdomadariis teneatur celebrare Missam Conventualem absque ulla eleemosyna, seu potius haec sit praestanda ex Massa communi in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* IV. An et a quo tempore reintegranda sit Massa communis pro eleemosynis indebite perceptis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative ad primam partem, comprehenso per turnum Archidiacono, Negative ad secundam. Ad quartum, Affirmative a die motae litis – *in Fanen. die 29 Aprilis 1780.*

18. Repropositis vero dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, praevio recessu a decisis, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quartum, provisum in tertio – *in Fanen. die 15 Iulii 1780.*

19. Demum repropositis dubiis sub formula: – II. An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad tertium et quartum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in secundo loco decisis; et amplius – *in Fanen. die 20 Ianuarii 1781.*

20. Hinc Episcopus cogere potest Dignitates, ut omnes assistant eidem Pontificalia obeunti in Ecclesia Cathedrali; proposito enim dubio: – An possidentes Dignitates in Ecclesia Cathedrali Episcopo Pontificalia obeunti omnes assistere teneantur, vel maior pars suppeditat; et posito, quod non, an recusantes assistentiam praestandi mulctari possint? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Omnes teneri, salvis tamen singulorum legitimis vacationibus – *in Tudertina anno 1573.*

21. Qua de re Dignitates aeque ac Canonici tenentur associare Episcopum, dum a Palatio descendit et accedit ad Ecclesiam Cathedralem, ut divinis Officiis assistat, et iis peractis redit ad suum Palatium *in Abulen. anno 1586 lib. 4 Decretorum pag. 124.*

22. Imo Episcopus cogere potest Dignitates, ut respectiva munia personaliter expleant, easque adigere, ne extra Diaecesim huiusmodi tempore exeant; proposito enim dubio: – An mulcta cogi possint possidentes Dignitates, ut personali actu partes suas tam in Missarum, quam in aliorum munerum celebratione expleant, ac adigendi sint, ne extra Diaecesim huiusmodi tempore recedant? –,

Sacra Congregatio responsum dedit: – Posse cogi, salvis tamen singulorum legitimis vocationibus – *in Tudertina anno 1573.*

23. Nam obtinentes Dignitates in Cathedralibus vel Collegiatis non excusantur a personali servitio, praetextu cuiuscumque consuetudinis *in Conchen. die 4 Decembris 1634 lib. 16 Decretorum pag. 113.*

24. Quapropter Dignitates Cathedralis Ecclesiae legitime non impeditae tenentur per se celebrare Missas solemnes in maioribus anni festivitatibus, non celebrante Archiepiscopo, non vero per Substitutum; et concurrente legitimo impedimento, Missa solemnis celebranda est per proximam Dignitatem; hinc et celebrare tenentur per se ipsas amoto legitimo impedimento, in eodem turno, si habeant quoque Canonicatum Beneficium seu Officium inferius; propositis enim dubiis: – I. An Dignitates Ecclesiae Cathedralis Ulixbonensis Orientalis legitime non impeditae teneantur per se celebrare Missas solemnes in maioribus anni festivitatibus, non celebrante Archiepiscopo, vel potius eas celebrare valeant per Substitutum in casu etc. II. An concurrente legitimo impedimento illius Dignitatis, quae celebrare debeat, celebranda sit dicta Missa solemnis per aliam proximam Dignitatem non impeditam, vel potius celebrari valeat per quemcumque Canonicum aut alium Substitutum vel Hebdomadarium in casu etc. III. An Canonici integrae Praebendae aut etiam Dignitates habentes quoque Canonicatum vel aliud Beneficium seu Officium inferius, cessante legitimo impedimento, celebrare teneantur per se ipsas in eodem turno et hebdomada et in reliquis festis diebus, in quibus Canonici dimidiae et quartae Praebendae celebrare in suis respective hebdomadis obligantur in casu etc. IV. An Dignitatibus vel Canonicis integrae Praebendae solemniter celebrantibus in quibuscumque anni diebus teneantur alii Canonici integrae Praebendae legitime non impediti inservire in munere Diaconi et Subdiaconi per se ipsos, vel potius inservire possint per alios? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, celebrandam esse Missam solemnem per proximam Dignitatem, si prima sit legitime impedita, et de impedimento constet ad formam Statuti; et legitime impeditis omnibus Dignitatibus ut supra, Missam esse celebrandam a Canonicis tantum, successive, incipiendo ab antiquiore. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, dilata; et exquiratur particulariter super confirmatione Statutorum – *in Ulixbonen. Orientalis die 2 Decembris 1722.*

25. Hinc obtinens Dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia tenetur per se ipsum utriusque onera adimplere, nec satisfacit Concilio Tridentino deserviendo per se in Dignitate et per Substitutum Canonicatui *in Novarien. die 16 Februarii 1588 ad cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

26. Imo non obstante consuetudine etiam immemorabili Dignitates Cathedralis Ecclesiae tenentur inservire per se ipsos; proposito enim dubio: – I. An Dignitates dictae Ecclesiae, quae ab antiquo tempore imo immemorabili per Substitutum inserviunt, cogi possint ad inserviendum per se ipsas in earum hebdomada? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, cogi posse ad inserviendum per se ipsas in earum hebdomadis, non obstante consuetudine etiam immemorabili – *in Andrien. die 8 Maii 1649.*

27. Obtinens tamen Dignitatem, quae habet onus, ut reditus Fabricae recte administrentur, non tenetur per se ipsum huiusmodi munus exercere *in Dubium ad cap. 3 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

28. Alias vero, qui possident Dignitatem cum Canonicatu seu portione in eadem Ecclesia, tenentur per se ipsos respectiva munia obire, nisi eadem simul concurrant; proposito enim dubio: – An obtinentes Dignitates cum Canonicatu seu Portione in Ecclesia eadem teneantur per se ipsos utriusque Beneficii onera subire, ita ut non satisfaciant Concilio, deserviendo personaliter in Dignitate, et per Substitutum in Canonicatu seu Portione, non obstante consuetudine? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Teneri, nec aliter Concilio satisfacere, quam si personaliter utrique Beneficio deserviant, nisi servitia simul ita concurrant, ut ab una Persona eodem tempore praestari nequaquam possint. Porro facultatem substituendi in servitio Canonicatus quempiam alium Canonicum pro eo tempore, quo servitio non sit obstrictus, mini-

me illi esse denegandam – *in Abulen. die 27 Iulii 1685.*

29. Unde Portionarii Collegiatae et Receptivae Ecclesiae Terrae Galatonae tenentur assistere in munere Diaconi et Subdiaconi, dum Dignitas celebrat Missam solemnem; proposito enim dubio: – IV. An Dignitati et Canonico celebranti Missam solemnem in diebus festis primae et secundae classis teneantur Portionarii assistere in munere Diaconi et Subdiaconi? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative iuxta solitum – *in Neritonen. Plurium die 12 Iulii 1760.*

30. At Decanus, prima Dignitas in Collegiata, non potest cogi ab Episcopo fungi officio Diaconi Sacerdoti celebranti, nisi ultra Dignitatem Decanatus obtineat in eadem Ecclesia Praebendam habentem annexum onus canendi Evangelium *in Calaguritana anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 119.*

31. Ceterum Episcopus non tenetur designare cuilibet Dignitati Cathedralis Ecclesiae Ordinem sacrum, quia de eis Concilium Tridentinum nihil disponit nec loquitur *in Arben. die 19 Decembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 564.*

32. Decani autem, ordinariam iurisdictionem habentes in locis suae Dignitatis, cognoscere possunt et debent de Causis etiam Beneficialibus in prima instantia, secus autem de Matrimonialibus et Criminalibus *in Asturicen. mense Iulii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 47.*

33. Hinc Decani habentes ius visitandi, possunt visitare cumulative cum Episcopo Personas sibi subiectas, nec non de Causis civilibus cognoscere in prima instantia, immo etiam de matrimonialibus et criminalibus, supposita consuetudine immemorabili, quam non sustulit Concilium Tridentinum *in Dubium ad Cap. 20 sess. 24 de reformatione Posit. 110.*

34. Quod si eisdem seu quibuslibet Dignitatibus insit curae animarum, Missam pro Populo et pro Benefactoribus applicare debent, ideoque Dignitates Collegiatae Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis Terrae Senalongae, quibus incumbit cura animarum, tenentur diebus Dominicis et Festis de praecepto applicare Missam pro Populo et Benefactoribus; proposito enim dubio: – II. An Dignitates et Canonici dictae Collegiatae, quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eamdem applicationem dictis diebus festivis, quibus debent applicare pro Populo, vel possint applicare simul pro Populo et Benefactoribus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Pientiana Remissionis Onerum die 17 Februarii 1731.*

35. Unde Prior Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi Civitatis Tolentinae tamquam Parochus tenetur applicare Missam pro Populo diebus tantum festis, concionem facere et Evangelium explicare per seipsum, et in casu legitimi impedimenti per Substitutum ad formam Concilii, alias mulctandus arbitrio Episcopi ad formam Concilii, sed minime debet restituere fructus ob non emissam professionem fidei, quin Canonici praetendere valeant participationem intortitiorum, quae obveniunt occasione funerum in proprio eorum sepulchro, cum solitum sit servandum *in Tolentina Missae parochialis et Professionis fidei die 26 Maii 1739.*

36. Siquidem octo ex Canonicis antiquioribus et iunioribus Collegiatae Ecclesiae sub invocatione S. Iacobi Civitatis Tolentinae contenderunt, Priorem Benaducci tamquam Parochum teneri Missae Sacrificium singulis diebus pro Populo applicare, nec non obstringi per se ipsum concionari ac Evangelium eidem Populo explicare; praetereaque fructus a die captae possessionis Prioratus ob non emissam fidei professionem coram Ordinario suos minime fecisse, sed eos ab ipso restitui debere in beneficium Collegiatae, vel in Pauperum eleemosynam erogandos, tandem intortitia, quae occasione tumulationis Canonicorum in Collegiata obveniebant, ad singulos ex Canonicis aeque ac ad Priorem pertinere. Propositis itaque dubiis: – I. An Prior Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi, tamquam Parochus, teneatur applicare Missam pro Populo quotidie? – II. An idem Prior teneatur per se ipsum concionem facere et Evangelium explicare Populo, et quibus diebus; et an in casu legitimi impedimenti valeat supplere per Substitutum? *Et quatenus affirmative quoad utramque partem.* III. An et quomodo in casu

omissionis veniat mulctandus? IV. An fructus percepti per Priorem ob omissam professionem fidei coram Ordinario sint restituendi a die captae possessionis? *Et quatenus affirmative.* V. An quomodo et cui dicti fructus sint applicandi? VI. An intortitia, quae obveniunt occasione funerum Canonicorum tumulandorum in proprio eorum sepulchro, spectent ad Canonicos una simul cum Priore in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et teneri solum diebus festis. Ad secundum, Affirmative quoad utramque partem ad formam Concilii. Ad tertium, Affirmative arbitrio Episcopi ad formam Concilii. Ad quartum, Negative. Ad quintum, provisum in quarto. Ad sextum Negative; et servetur solitum – *in Tolentina Missae parochialis et Professionis fidei die 26 Maii 1739.*

37. Idcirco etiam Prior Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris Civitatis Fulginei tenetur Missam applicare pro Populo diebus tantum Dominicis et festis ad formam Constitutionis *Cum semper oblatas* Benedicti XIV *in Fulginaten. Missae parochialis die 7 Augusti 1773.*

38. Enimvero in Sacrario Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris Civitatis Fulginei publica extabat Missarum Tabella, in qua eiusdem Collegiatae Prior, cui animarum cura adnexa erat, onus iniunctum legebatur celebrationis Missae singulis diebus Dominicis et qualibet feria secunda cuiuslibet hebdomadae, pro reliquis vero diebus Missarum onus aliis Canonicis impositum noscebatur. Patebat enim, Tabellam sic inscribi: – Tabella, in qua continentur, quae pertinent ad Ecclesiam Collegiatam et Parochialem Sancti Salvatoris –, et in ea recenseri onera Missarum cuilibet Canonico inhaerentia, ac in primis de Priore sic legi: – Admodum R. D. Cherubinus Barnabò Prior tenetur celebrare die Dominico et die lunae –, postea vero pro aliis hebdomadae diebus singulos Canonicos numerari. Consueverunt itaque Priores praedecessores Missam diebus Dominicis celebrare tamquam Parochi, in feriis autem secundis uti Priores. Dubitans tamen Sacerdos Christophorus Marcelli modernus Prior et Parochus, an hoc modo satisfactum remaneret oneri celebrationis Missae Parochialis a Tridentina Synodo et a Benedictina Constitutione iis praescripto, qui animarum curam exercent, id ipsum ab EE. PP. declarari postulavit, ut conscientiae suae consuleret, et tutam agendi rationem Successoribus proponeret. Episcopus retulit, onera Missarum indistincte transcripta reperiri, absque ulla sive testamenti sive donationis sive legati adnotatione, et Priores praedecessores Missarum celebrationem simpliciter et absque ulla designatione adnotasse in libris ad id destinatis et ab anno 1643 confectis. Demum exposuit rationes, ob quas modernus Prior existimabat, suos antecessores diebus quidem Dominicis uti Parochos Missam pro Populo applicasse, in feriis vero secundis uti Priores. Alias enim duplex onus subire uti Prior debuisset, cum Canonicis titulo dumtaxat et praecedentia excelleret; et in Synodo Diaecesana praescriptum fuerat, ut omnes Parochi saltem quolibet die festo de praecepto Missam pro Populo applicarent. His mature perpensis, proposito dubio: – An Prior Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris per celebrationem diebus Dominicis iuxta Tabellam possit satisfacere oneri Missae pro Populo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ita tamen, ut teneatur etiam aliis diebus Festis applicare Missam pro Populo ad formam Constitutionis *Cum semper oblatas* Benedicti XIV – *in Fulginaten. Missae Parochialis die 7 Augusti 1773.*

39. Qua de re quum Episcopus Amerinus exposuisset, quod Prior Cathedralis Ecclesia, qui actualem habebat curam animarum, sustineret, neque per se neque per suum Sacerdotem adiutorem teneri praedicare verbum Dei praetextu consuetudinis immemorabilis, dum praesertim diebus Dominicis post vesperas per Canonicum Theologum Sacra Scriptura explicaretur, sed Testes, quos Prior allegabat, de consuetudine immemorabili non deponebant cum requisitis ad eam probandam necessariis, et huiusmodi consuetudo directe iuri divino et canonico adversabatur, propositis dubiis: – I. An Prior Ecclesiae Cathedralis Amerinae teneatur per se ipsum, vel eo impedito, per Sacerdotem suum adiutorem ad explicandum Evangelium in Missa Parochiali, seu potius obstet consuetudo in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.*

II. An et quibus poenis sit idem Prior mulctandus in casu contraventionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur iuxta mentem (1) – *in Amerina Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Februarii 1781.*

40. Quum itaque in relatione ab Episcopo Castellanetensi exhibita Sacrae Congregationi, occasione Visitationis Sacrorum Liminum, nonnulla proposita fuerint dubia, quae respiciebant obligationes, quibus idem Episcopus putabat, Thesaurarium, qui erat tertia Dignitas in Cathedrali, esse adstrictum, monito interim Thesaurario, propositis dubiis: – I. An Thesaurarius teneatur subministrare omnia necessaria pro sonitu campanarum in casu etc. II. De sexaginta libris cerae, quas dictus Thesaurarius tenetur tradere in festo Purificationis pro publica distributione, an ea pars, quae aliquando superest, cedat in beneficium Ecclesiae Cathedralis, vel potius ipsius Thesaurarii? III. An dictus Thesaurarius teneatur ad exercitium curae animarum, sicuti alii duo Parochi tenentur, et eis aequaliter teneatur etiam contribuere omnia emolumenta parochialia? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta Decretum Visitationis anni 1599 et 1608. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, Affirmative; et amplius – *in Castellaneten. Visitationis Sacrorum Liminum die 9 Maii 1719.*

41. At neque Cantor neque Decanus tenentur ferre onera, quae Capitulum paullo ante eorumdem electionem imposuerit: imo Decanus cogi non potest ad paranda convivia praestari solita, licet permittenda, nec ad solvendam pecuniae summam pro fabrica Ecclesiae, nisi de consuetudine rite constet *in Leodien. die 30 Septembris 1730 die 1 Septembris 1731 die 18 Iulii 1733 et die 18 Decembris 1734.*

42. Siquidem vacante Cantoratu in Collegiata Ecclesia S. Crucis, Capitulum, antequam procederet ad electionem, decrevit, quod quisquis electus foret, quingentos florenos Brabantiae solvere teneretur pro fabrica Ecclesiae, hac nimirum pecuniae summa subrogata in locum prandii, quod ex veteri more parari consueverat. Idipsum quoque decretum a Capitulo fuit anno 1728 occasione vacationis Decanatus, sed tamen aucto onere ad florenos mille, itidem erogandos in reparationem Ecclesiae. Sequuta dein electione Cantoris et Decani, iidem putarunt, invalidas esse praefatas capitulationes, etiamsi demandarent solutionem in usum pium, quia factae erant absque Apostolico Beneplacito, et ante electionem de proximo faciendam; ideoque contrariarentur Constitutioni 51 Innocentii XII, attenta praecipue earumdem exorbitantia, cum summa taxata absorberet fructus Praebendarum longe ultra semestre contra dispositionem Constitutionis 104 S. Pii V et praefati Innocentii XII. Ulterius Decanus contendit, ipsum non teneri ad praestandam Cappam aureorum centum post triennium a die suae electionis, minusque ad duo convivia annualia in diebus Exaltationis S. Crucis et dedicationis Ecclesiae, utpote improbata a Cap. *Iacobus* 44 de simonia. Capitulum vero sustinuit, validas et iustas esse praedictas resolutiones capitulares, cum solutio in iis praescripta non in proprium privatum commodum, sed in usum pium converteretur; nec non cohaereret antiquo Statuto condito de anno 1585 et approbato a S. Sede. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineantur Constitutiones Capitulares factae anno 1724 et 1728 ante electionem Decani et Cantoris Ecclesiae Collegiatae S. Crucis, ita ut sint exequendae? II. An et quae alia onera sustineantur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, dilata; et coadiuventur probationes – *in Leodien. die 30 Septembris 1730.*

43. Decisioni prioris dubii statim obsequentissime acquievit Capitulum: sed advertit, quod si Cantor et Decanus contenderent, se praeterea esse eximendos ab iis, quae iniungebantur

(1) Scilicet rescribendum Episcopo mandavit, ut exceptiones a Canonico Cibo exponendas reciperet, et Sacrae Congregationi transmitteret. Interim vero iussit, permittendam ab Episcopo esse Patribus Capuccinis doctrinae christianae institutionem, quam prius sciente et adprobante Episcopo praedecessore habere consueverant. Nam tam sanctum opus, quo dum animarum bono consulitur, nemini praeiudicium infertur, nec disciplinae ecclesiasticae ordo perturbatur, impediendum esse nunquam Sacra Congregatio putavit, *ceu videre est in Reg. Litt. l.b. 34 10 Februarii 1781.*

per Statuta omnium Ecclesiarum Leodiensium, et mutandam fore consuetudinem apud eas omnes vigentem, oportuisset Causam agi, citatis etiam et auditis ceteris Ecclesiis. Reproposito autem dubio: – An et quae alia onera sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Quoad duo convivia, Negative; quo vero ad Cappam, dilata et scribatur Ordinario iuxta instructionem – *in Leodien. die 1 Septembris 1731.*

44. Ea itaque, de quibus Sacra Congregatio edoceri optavit, haec erant: primum, an verum esset, solvisse Decanum florenos bis centum et quinquaginta in adipiscenda Decanatus possessione, et in quam causam conversa fuerit ea pecuniae summa; secundum, quanti essent annui proventus Decanatus, et quaenam eius onera; tertium, an et a quo tempore esset in usu Statutum Cleri Leodiensis circa solutionem aureorum centum pro Cappa; quartum denique, an Sacrarium illius Collegiatae Ecclesiae esset satis instructum annuis reditibus pro sacra supellectili. Ad primum respondit, Decanum post suae electionis confirmationem vere solvisse florenos ducentos et quinquaginta, eosque fuisse addictos fabricae Ecclesiae. Ad secundum significavit, Decanum reipsa ex reditibus Decanatus percepisse annua scuta centum monetae Romanae; sed et aliquid aliud pecuniae superesse exigendum a debitoribus vel minus idoneis, vel qui solutionem distulerunt; onera esse, ut in ingressu solveret dictos florenos ducentos et quinquaginta pro fabrica Ecclesiae, solveret iura competentia pro electionis confirmatione, solveret intra triennium aureos centum pro Cappa, et memorata prandia quotannis subministraret. Addidit, Decano incumbere etiam curam animarum erga Canonicos Beneficiatos aliosque subditos Capitulo, quae tamen cura exerceri solebat ab Operariis substitutis, qui stipendium a Capitulo accipiebant. Ad tertium quaesitum dixit, Statutum Cleri Leodiensis de pendendi aureis centum pro Cappa in usum fabricae Ecclesiae et sacrae supellectilis servatum fuisse per spatium temporis excedens hominum memoriam, nec huiusmodi solutionem in controversiam vocari a ceteris Ecclesiarum Decanis. Postremo ad quartum respondit, reditus certos fabricae Ecclesiae eiusque Sacrario assignatos non excedere scuta quinquaginta, sed si etiam incerti comprehenderentur, posse omnes simul aestimari, ut asserebat Decanus, annuis scutis bis centum et octoginta monetae Romanae, qui tamen impares videbantur. Vicarius Generalis retulit, consuevisse parari honestam refectionem iis, qui ad solemnitatem Dedicationis Ecclesiae, et ad Exaltationis S. Crucis conveniebant: unde Capitulum contendit, improbandam non esse huiusmodi consuetudinem. Nam Sacra Congregatio in Polignanen. anno 1584 lib. 4 Decretorum pag. 9, et recentius in Brugen. 3 septembris 1728 proposito dubio: – An toleranda sit consuetudo immemorabilis de praestando convivio per Capellanum noviter receptum, seu potius improbanda? –, respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et ad mentem; videlicet ut, si Capellanus nolit parare prandium, cogi nequeat, si vero velit, prohiberi non debeat, dummodo convivium sit frugale et moderatum –. Capitulum denique sustinuit, ferenda esse per Decanum alia onera, cum nec Concilium Tridentinum, nec Constitutio 104 S. Pii V obstarent, qua enim prohibetur, ne onus Canonico impositum pro fabrica aut Sacrario medios fructus unius anni excederet.

45. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An quoad duo convivia sit standum, vel recedendum a decisis die 1 septembris 1731? II. An et quae alia onera substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse permittenda, sed Decanum non esse cogendum. Ad secundum, dilata; et coadiuventur probationes super consuetudine quoad Cappam – *in Leodien. die 18 Iulii 1733.*

46. Reproposito dein dubio: – An et quae alia onera sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, remotis sequestris, praefixo termino trium mensium pro confectione et transportatione processus – *in Leodien. die 18 Decembris 1734.*

47. Omnes autem Dignitates sunt oneri residentiae obnoxiae *in Vercellen. Residentiae die 23 Iunii 1764* §. *Aiunt.*

48. Etenim iuris non dubii est, Dignitates ad residentiam omnino teneri, adeo ut ne consuetudo quidem immemorabilis, vel tenuitas, imo et totalis defectus redituum excusare a residentia valeant *in Ferrarien.*

Thesaurariae die 4 Februarii 1843 §. *Iuris.*

49. Hinc Sacra Congregatio constantem hanc doctrinam adplicavit in specie Dignitati Thesaurarii in Consentina relata a Fagnano in Cap. *Cum omnes* de constit. n. 25 hisce verbis: – Sacram Congregationem censuisse Thesaurariam, quae erat maior post Pontificalem, licet nullos fructus nec curam haberet, non obstante consuetudine non residendi, teneri omnino ad residentiam, quia illa consuetudo non residendi, quae valet de iure communi, cum nulli sunt fructus, sublata est a Concilio Tridentino in Canonicatibus et Curatis – *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Hanc.*

50. Siquidem Benedictus XIV Instit. eccles. 107 n. 2, et Fagnanus in Cap. *Cum omnes* de constit. n. 31 hanc refert resolutionem Sacrae Congregationis: – Sanctissimus D. N. etiam ex sententia Congregationis Concilii declaravit, immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis insignibus. In Collegiatis autem non insignibus posse excusare, dum tamen sint rurales prorsus destitutae, in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esse residere, aut quae adeo tenuis essent reditus, ut Canonici aliunde non habentes, unde vivant, se alere non possent – *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Iuris.*

51. Quin imo ea de re rursus rogata (eodem referente Fagnano loc. cit. n. 32) Sacra Congregatio declaravit, – illa verba Decreti a se editi, videlicet in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum fuerit residere, intelligenda esse, si a nullo prorsus solitum fuerit residere; secus si alii resederint, alii non; tunc enim, qui non resederunt, compellendos esse, ut resideant – *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Iuris.*

52. Qua de re in specie Thesaurariae etiam Sacra Rota in Taurinen. Thesaurariae 15 maii 1620 decis. 473 coram Buratto respondit, Thesaurariam, de qua ibi agebatur, ad residentiam teneri, cum constaret, esse Dignitatem, tum ex collationibus tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate factis, tum ex actibus iurisdictionis in convocando Capitulo et in praesidendo actibus capitularibus in absentia obtinentium maiores Dignitates *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Hanc.*

53. Idcirco Thesaurarius Cathedralis Ecclesiae Ostunensis cogi potest ad residentiam ad formam Concilii Tridentini; proposito enim dubio: – I. An et quomodo Thesaurarius Cathedralis Ostunensis cogi possit ad residentiam? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad formam Concilii Tridentini Sess. 24 cap. 18 de reformatione – *in Ostunen. Procurationis et Residentiae die 28 Iulii 1708 lib. 58 Decretorum.*

54. Amplia, Dignitas Thesaurariatus in Cathedrali Cusentina tenetur residere, etiamsi nullos fructus percipiat, nec curam animarum habeat, nec sit maior post Pontificalem *in Cusentina ad Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

55. Quapropter – posito, in Gallia provisos de Beneficiis curam animarum habentes non teneri residere, modo deserviant per Parochum amovibilem, per Ordinarium tamen approbatum, et sint alicuius Ecclesiae Canonici, in qua residentiam faciant, utrum Canonici Metropolitanae Ecclesiae, qui huiusmodi Prioratus Canonicatibus non annexos curam animarum habentes obtinent, in alia tamen, quam Avenionensi Diaecesi, teneantur vel Prioratum, vel Canonicatum dimittere, possintque eos ad id cogi? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Teneri Canonicos, qui post Concilium Prioratum et Canonicatum adepti sunt, alterum dimittere, ut in altero resideant; et quia per Concilium utroque privati intelliguntur cap. 4 sess. 7, debere eos conscientiae suae consulere, turpeque esse non observare Concilium in ditione Sedis Apostolicae, et pugnari pro eius observantia in Regno Galliae – *in Avenionen. die 25 Octobris 1586.*

56. Ceterum Primicerius Ecclesiae Receptitiae Sanctissimae Annuntiatae Terrae Gifoni non tenetur ad praecisam residentiam, sed ad causativam tantum *in Salernitana Residentiae die 3 Octobris 1711 et die 29 Aprilis 1713 lib. 61 et 63 Decretorum.*

57. Enimvero – Archiepiscopus Salernitanus impleturus munus suum etiam in executionem Apostolicarum Literarum Encycli-

carum per organum huius Sacrae Congregationis omnibus locorum Ordinariis transmissarum, sub die 10 martii 1710 iudicialiter interpellari fecit Blasium de Rubeis Primicerium Matricis seu Receptitiae Ecclesiae, non tamen Curatae, SSmae Annunciationis Terrae Gifoni ab anno et ultra Neapoli commorantem, ut ad suam residentiam in praefata Ecclesia rediret. Atqui praetendens praefatus Blasius, suum Primiceriatum nonnisi simplex Beneficium esse omni residentiae vinculo solutum, obtinuit Monitorium ab A. C. super manutentione in quasi possessione non residendi. Quare Archiepiscopus imploravit auctoritatem huius Sacrae Congregationis, referens, dictum Primicerium ex visitationibus Archiepiscoporum praedecessorum omnino teneri ad residentiam, cum ei commissa sit dicta Ecclesia Matrix duarum Universitatum, Vallis scilicet et Planae Terrae Gifoni, in eaque asservari Venerabile ac inesse chorum cum stallis, ubi in solemnioribus, nec non qualibet die Sabbati et tertia Dominica cuiuslibet mensis Missae decantantur, pluraque defunctorum Anniversaria ex obligatione, et plusquam millae Missae annuatim explentur; nonnullos Sacerdotes eiusdem Ecclesiae et chori servitio extari adscriptos, nullumque ex eis provideri per Bullas, nisi ipsum Primicerium, qui suos reditus et praeeminentias habet, et demum Primicerios antecessores semper personaliter resedisse, uti fusius ex relatione danda in Summario –. Monitis interim Partibus, proposito dubio: - An Blasius de Rubeis Primicerius Ecclesiae Sanctissimae Annunciatae Terrae Gifoni teneatur residere in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probatione, exhibitis Bullis provisionum – *in Salernitana Residentiae die 3 Octobris 1711 lib. 61 Decretorum.*

58. At – subinde cum diversimode protraheretur huiusce controversiae repropositio ad enixas preces Promotoris Fiscalis rescriptum fuit, quod Archiepiscopus procederet prout de iure. Iamvero, ut perhibetur, iudicio in Curia Archiepiscopali instructo, mox dictus Primicerius, Causae momenta retexendo, sibi propitium oraculum Sacrae huius Congregationis denuo implorat, expositis Ordinarii Literis, quibus de anno 1695 eiusmodi Beneficii collationem ipse obtinuit, ac Presbiteris et Clericis Receptitiae Ecclesiae Sanctissimae Annunciatae iniungitur, ut in Primicerium eum recipiant stallumque in choro assignent –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Non teneri ad praecisam residentiam, sed ad causativam tantum; et amplius – *in Salernitana Residentiae die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum.*

59. Itaque vulgatum est in iure, Dignitatem residere per se debere in Parochiali unita, quando unio facta est tantum ad vitam Praebendati, Sacra Congregatio in Montis Regalis distributionum 22 novembris 1732, Constitutio S. Pii V 65 *Cupientes* idibus iulii 1568, Monacellius form. legal. tit. 13 form 2 n. 81. At Parochialis unita perpetuo Dignitati nullam requirit residentiam, sed in illa Vicarii perpetui sunt deputandi. Et hoc locum habet in omnibus Canonicatibus et aliis ad formam Cap. *Extirpandae* §. Qui vero de Praebendis, Pignatell. tom. 10 consult. 150 n. 2. Quod confirmatum reperimus a Pio V in sua Constitutione *Ad exequendum Pastoralis officii* Kal. nov. 1564, in qua §. 4 voluit et mandavit, - quod dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorium electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum seu eorum Vicariorum praevio examine et approbatione deputentur – *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Quoad.*

60. Canonicus vero in una Ecclesia et Decanus in alia tenetur residere in Decanatu tamquam in digniori, et Missas, quas celebrare debet, tenetur per Substitutum obire, si nequeat per seipsum *in Colonien. die 13 Aprilis 1630 lib. 14 Decretorum pag. 269.*

61. Hinc Decanus Cathedralis, cui imminet cura animarum, tenetur residere in loco, ubi habet curam; si vero cura sit unita Decanatui per unionem Parochialis, tenetur residere in Cathedrali, tamquam in Ecclesia maiori et digniori, constituto Vicario perpetuo in Parochiali unita *in Syracusana Residentiae mense Novembris 1584 lib. 4 Decretorum pag. 5.*

62. Idcirco Decano Ecclesiae Terulensis

deputato a Rege catholico in Visitatorem Regni Sardiniae negata fuit facultas non residendi in propria Ecclesia, et multo magis percipiendi distributiones quotidianas in absentia *in Terulen. die 2 Aprilis 1650 lib. 19 Decretorum pag. 40.*

63. Verum non est a Concilio Tridentino in cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Praeterea* sublata conditio apposita a Testatore in erectione Archidiaconatus in Cathedrali, – quod Archidiaconus pro tempore de Familia Testatoris non teneatur residere – *in Faventina lib. 1 Decretorum pag. 90 a tergo.*

64. Imo nec residere tenentur Dignitates obtinentes in Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis sine Praebenda, quae tamen distincta est certa dismembratione, diu interim expectant, donec effectum sortiatur, dummodo nullos fructus, nullasve distributiones percipiant *in Palentina mense Maii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 262.*

65. Ceterum Dignitates Cathedralis Ecclesiae cogi quidem possunt ad incedendum in habitu talari usque ad occasum solis, excepta occasione eundi ad loca ruralia, sed non per inquisitionem, nisi prius semel atque iterum moneantur; propositis enim dubiis: – II. An Dignitates et Canonici praedicti cogi possint ad incedendum in habitu talari usque ad occasum solis, excepta occasione eundi ad loca ruralia? *Et quatenus affirmative.* III. An adversus Dignitates et Canonicos praedictos in casu inobedientiae sit procedendum etiam per inquisitionem? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium ad mentem (1) – *in Salernitana Edictorum die 27 Septembris 1732.*

§. I.

DISPENSATIO IN GENERE

1. Dispensatio, veluti correctoria iuris communis, stricte intelligi debet ex Cap. 1 §. Ille de filiis Presbiterorum in 6 *in Camerinen. Missae pro Populo die 28 Martii 1801* §. *Res.*

2. Ea porro indoles ac vis est Pontificiae dispensationis et gratiae, ut stricte interpretari debeat, nec ultra limites, quibus ab eodem Pontifice dispensante et gratiam concedente coercita fuit, extendi possit *in Alatrina die 26 Augusti 1820* §. *Ea* (2).

3. Compertum enim est, dispensationes et derogationes strictissimi iuris esse, neque ultra expressa porrigi et extendi posse *in Romana Praecedentiae die 23 Novembris 1754* §. *Addunt.*

4. Idcirco dispensatio utpote odiosa strictae interpretationis est, nec de casu ad casum porrigenda, ad tradita per Rotam in Hildesimen. Fructuum Canonicalium super bono iure 15 iunii 1731 coram Emo Crescentio *in Placentina Executionis Literarum Apostolicarum die 31 Ianuarii 1824* §. *Tertiam.*

Item *in Montis Alti Dubium recitationis Divini Officii die 7 Augusti 1841* §. *Ad primum.*

5. Nec imo ex tritissima iuris regula dispensatio tam facile ad alios casus, licet fortassis consimiles, est protrahenda, cum privilegii instar haberi debeat *in Bononien. Montis Pietatis die 23 Iunii 1838* §. *Habent.*

6. Dispensationes enim ita inter res odiosas referuntur, ut dispensatus in uno non intelligatur dispensatus in alio, nisi verba dispensationis claris verbis alium casum compre-

(1) Mens autem fuit, ut Episcopus prius semel atque iterum moneat Dignitates et Canonicos; si id non sufficiat, procedat ex officio et per inquisitionem ita tamen, ut processus fiat sine emolumentis Curiae Archiepiscopalis, et omnes punctaturas reddat uniformes dispositioni Sacri Concilii, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 28 die 27 Septembris 1732.*

(2) Piton. discept. eccles. 80, n. 7; Rota coram Ansaldo decis. 80, n. 27; in Romana Nullitatis Professionis 19 februarii 1753, §. 11 coram Matthaeio; et in Melevitana Mensae die 5 decembris 1762 coram Olivatio.

hendant *in Praenestina Pensionis die 13 Ianuarii 1844 §. Ad rem.*

7. Quapropter optime inquit S. Rota in Melevitana Capellaniae 5 martii 1830 §. 4 coram Muzzarelli: – Stricti iuris dispensationes semper esse intelligendas, neque de uno ad alium casum fas esse ampliare –; et uno verbo Pragmaticorum hoc est dicterium: – Dispensationes tantum valent, quantum sonant – *in Praenestina Pensionis die 13 Ianuarii 1844 §. Ad rem.*

8. Quod magis obtinet, cum dispensatio et gratia Pontificis in alterius detrimentum redundet; tunc enim quodammodo odiosa est, nec quavis interpretatione extensionem recipere potest *in Alatrina die 26 Augusti 1820 §. Ea.*

9. Pontifex enim dispensationem concedere non solet in praeiudicium alterius *in Sutrina Canonicatus die 24 Ianuarii 1801 §. Hanc.*

Item *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846 §. Diluit* (1).

10. Dispensatio quippe nunquam in tertii perniciem vergere debet, ex Textu in Leg. *Rescripta* Cod. de precib. Imper., Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 57 n. 2, Amostaz de causis piis lib. 1 cap. 17 n. 8 *in Firmana Capellaniae die 18 Ianuarii 1832 §. Denique.*

Item *in Firmana Dispensationis et Nominationis die 18 Decembris 1847 §. Quod.*

11. Nam gratiae et privilegia iuri alterius detrimentum inferre non debent, Cap. *Super* de potestate et officio Iudicis delegati, Cap. *Si quando* de rescriptis *in Ariminen. Funerum die 16 Iunii 1827 §. Porro.*

12. Idcirco in primis id praecavendum curat Sedes Apostolica, ne quid detrimenti ius cuiuspiam patiatur, quod firmum omnibus et incolume praestari curae eidem maxime est *in Florentina Canonicatus die 1 Martii 1834 §. Num.*

13. Unde in praeiudicium iuris ex provisione et possessione sibi quaesiti non potest quisquam ad beneficium dispensationis admitti *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768 §. Contra* (2).

14. Qua de re nec ad praescriptam qualitatem supplendam suffragatur Apostolica dispensatio, quae ex praesumpta Fundatorum voluntate, tamquam extraordinarium remedium, nunquam concedi debet in damnum secundo loco vocatorum *in Verulana Archidiaconatus die 30 Ianuarii 1768 §. Nec* (3).

15. Ad impediendam vero dispensationis gratiam necessarium est ius certum et actu quaesitum *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768 §. Asserit* (4).

16. Ceterum quoties nemo est, cui praeiudicium inferatur, iuris rigor facilius attemperatur *in Firmana Capellaniae die 23 Ianuarii 1847 §. Nec insuper.*

17. Alias animadvertendum etiam est, quod dispensatio veras et idoneas exigit causas, quae derogationem iuris et voluntatis suadeant, ut ex Concilio Tridentino sess. 6 cap. 2 de reformatione infert Corrad. in prax. Dispensat. Apostol. lib. 1 cap. 1 n 6. *in Tusculana Dispensationis die 8 Augusti 1801 §. Quominus.*

18. Dispensatio enim nonnisi iusta et rationabili causa a Pontifice concedi solet, ex Textu in cap. 1 de filiis Presbyterorum, et Glossa in Cap. *Ordinarii* verb. dispensat. de offic. Ordinarii *in Firmana Capellaniae die 18 Februarii 1832 §. Denique.*

Item *in Firmana Capellaniae die 23 Ianuarii 1847 §. Verumtamen.*

19. Unde legitimae dispensationis causae, ut docet S. Thomas 2 quaest. 63 art. 2 et quaest 67 art. 4, ad tria rediguntur; nimirum primo ad publicam sive privatam utilitatem, secundo ad communem sive particularem necessitatem, tertio ad pietatem *in Nullius Dispensationis die 16 Iulii 1836 §. Legitimae.*

20. Hinc et opportune venit praeclara divi Bernardi ad Eugenium scripta sententia in lib. 3 de consider. cap. 4: – Ubi necessitas

(1) Vivian. de Iurepatronat. lib. 12, cap. 9, n. 29; Piton. de controv. patron. alleg. 65, n. 6.

(2) Piton. de controv. patron. allegat. 85, n. 11 et 12; Rota in Asten. Beneficii 1 februarii 1737 §. 10 coram Sanctissimo.

(3) Card. De Luc. de Iurepatronat. disc. 70, n, 19; Piton. Discept. eccles. 13, n. 39.

(4) Rota coram Lancetta decis. 593, n. 4; et in Melevitana Beneficii 27 aprilis 1722 §. Nec profuit coram Gamaches.

urget, dispensatio est excusabilis, ubi utilitas provocat, laudabilis – *in Disceptationibus super matrimonio litera I discept. 1 n. 52 1740.*

21. Qua de re contra expressam Fundatoris et Transigentium voluntatem et in praeiudicium iuris alteri quaesiti, nonnisi quam publica causa attendi debet, ad tradita per Rotam in decis. 308 n. 18 coram Clemente XIII *in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774* §. *Ex his.*

22. Quin imo prohibita censetur contra Concilium dispensatio, eo ipso quod nunquam reperitur concessa, ut ait Fagnanus in Cap. *super eo* de Bigamis non ordinandis n. 35 *in Nullius Dispensationis die 16 Iulii 1836* §. *Et.*

23. Ceterum Summus Pontifex dispensationem tribuere potest, absque eo quod sibi a Canone concedatur potestas, cum de iure sit supra ius *in Nullius Dispensationis die 6 Iulii 1836* §. *Haec* (1).

24. Dispensatio vero, fundata in falsa causa, nulla esse videtur, licet falsitas processerit ex ignorantia, ad tradita per Spirit. Sanct. oper. moral. tom. 4 tract. 11 de matrim. disp. 8 sect. 5 n. 561, et Dianam oper. moral. tom. 3 tract. 2 resol. 104 n. 4 et 2 *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Allegata.*

25. Pontius tamen in lib. 8 cap. 17 §. ultimo n. 42 de Matrimonio haec habet: – Illud etiam addendum est, quod dicebamus, quando de hodierno stylo Curiae Papa non dispensat, non confidit de precibus supplicantis, nec de precum veritate, sed committit Ordinario, ut praecedenti diligenti inquisitione super precum veritate et causis, ipse Ordinarius dispenset in ipso casu, postquam praecessit inquisitio, et Ordinarius declaravit, causas expressas esse veras, sententia illa et declaratio, etiamsi forte fuerit iniusta, est valida et habet auctoritatem rei iudicatae et retractari non potest; et proinde sequens Ordinarii dispensatio et Matrimonium ex illa contractum valet et deinceps retractari non potest – *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Additur.*

26. At idem Pontius tres affert ad hoc suum notabile dictum limitationes: – primo, quando a principio Rescriptum fuit subreptitium cum dolo vel fraude; secundo, quando postea Testes adhibiti super precum veritate fuerunt corrupti; tertio, quando dispensatio vel Rescriptum ad dispensandum fuit subreptitium, licet per ignorantiam, et subreptio fuit notabilis in tacenda veritate – *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Et.*

27. Si enim dispensatio vitio obreptionis vel subreptionis infecta prostet, haudquaquam sustinetur *in Novarien. die 11 Ianuarii* §. *Nunc et die 5 Iulii 1777* §. *Quibus.*

28. Defectus autem causae impulsivae non vitiat dispensationem, uti late ostendunt Anaclet. in lib. 1 Decret. tit. 3 §. 8 n. 184 tom. 4 in append. de dispens. §. 5 n. 208, De Iustis de dispens. Matrim. lib. 1 cap. 4 n. 28, Diana oper. moral. t. 3 tract. 2 resol. 103 per totum in edit. coord. *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *In.*

29. Indubium tamen videtur, quod veritas causae attendi debeat non tempore mandati Romae expediti, sed tempore executionis; nam ex Reiffenstuel lib. 1 Decret. tit. 3 de Rescript. §. 3 n. 77, et Maschatii testimonio edocemur: – De stylo Curiae Romanae in Rescriptis dispensatoriis, quibus non datur gratia facta, sed facienda per Exequutorem, veritas causae attendi debet non tempore mandati Romae expediti, sed tempore executionis, ut tunc causa sit vera, dum Exequutor dispensat – *in Lunen. Sarzanen. Suspensionis Nominationis die 23 Novembris 1833* §. *Fatetur.*

30. Quapropter non purificata conditione, nec Literis Apostolicis ab Exequutore exequutioni demandatis, prodesse nequit dispensatio, iuxta regulam, de qua Rota in decis. 335 n. 12 tom. 4 coram Ansaldo *in Amalphitana die 17 Ianuarii 1761* §. *Et.*

Item *in Novarien. Distributionum et fructuum die 5 Iulii 1777* §. *Quibus.*

31. At non obest, quod Executor dispensationis Decretum ferat: nam Dispensationem ab Executore tam verbo, quam facto concedi posse tradunt Sanchez in disp. 4 n. 1 lib. 8 tom. 3 de matrimonio, et De Iustis in cap. 3 lib. 1 n. 18 de dispensatione *in Civitatis Castelli Nullitatis Matrimonii die 18 Iulii 1778* §. *Contra.*

(1) Cap. *Proposuit* de conces. Praeben.; S. Thomas 4, art. 13; Fagnan. in Cap. *Nimis* de filiis Presbiterorum n. 19; Pax Iordan. var. elucubrat. can. tom. 2, lib. 19, tit. 1, n. 71.

§. II.

DISPENSATIO SEU INDULTUM ABESSENDI A CHORO

1. Pia Mater Ecclesia, quae neminem cum gravi incomodo aut periculo ad propria munia exequenda compellit, eos a chori Ecclesiaeque servitio abesse posse permisit, quibus adversa valetudo interesse praepediret *in Sanctae Agathae Gothorum Exemptionis die 13 Februarii 1773* §. *Pia.*

2. Idcirco ex iure est, ut infirmis concedantur Indulta abessendi a choro, quamdiu infirmitas perduret, ex Cap. 1 et toto fere titulo de Clericis aegrotantibus et Cap. 1 de Clericis non residentibus in 6, quod Tridentinum confirmavit in sess. 24 cap. 12 de reformatione, statuens, infirmitatem esse idoneam causam, cur quis absit a choro, et nihilominus fructus Beneficii et distributiones percipiat *in Eugubina Indulti die 13 Ianuarii 1816* §. *Ex.*

Item *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Iamvero.*

3. Neminem hinc latet Iuris Canonici dispositio in Cap. unico de Clericis non residentibus in 6, ubi Bonifacius VIII post vetitas Clericis residentibus, sed divinis Officiis non interessentibus, quotidianas distributiones, illos ab hac censura excepit – quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret – *in Camerinen. die 21 iunii 1766* §. *Bonifacius.*

Item *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Indulta.*

4. Quapropter Indulta abessendi a chori servitio, sive pro diebus et horis ratione munerum, sive ad certum tempus valetudinis tuendae causa, semper concessa fuisse innumerae testantur Sacrae Congregationis resolutiones *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Indulta.*

5. Et sane si vel iure civili infirmitas ab officio et munere semper excusat, L. 2 §. Si quis in iudicio ff. de re iudicata, eo magis excusabit iure canonico, quod ab Ecclesia procedit, quae viscera pientissimae Matris induit filiorumque suorum calamitatibus blande consolari omni ope semper studuit *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Iamvero.*

6. Unde Mansionario valde obeso indulgetur, ne integrum chori servitium praestet *in Nullius Sublacen. die 17 Septembris 1808.*

7. Siquidem adeo obesus erat Sacerdos Benignus Pistoia Mansionarius Collegiatae Ecclesiae Sublaci, ut Medicus iuratus affirmaret, – non li è compatibile poter stare lungo tempo in piedi non solo, ma neppure puole attendere ad officio veruno, che ammetta lungo tratto di tempo –. Tum igitur hoc vitio corporis, tum ex gravi sexaginta annorum aetate postulavit, ut eximeretur a servitio Ecclesiae tam quoad divina efficia, quam quoad publicas supplicationes aliasque sacras functiones. Emus Abbas testabatur, ita Oratorem pinguedine laborasse, ut – monstri simile videatur –. Verum retulit, Capitulum animadvertere, ex quatuor Mansionariis duos frui exemptione a choro ex indulto causa studiorum, quibus in Seminario vacabant, tertium vero docere grammaticam in eodem Seminario. Quare si omnino eximeretur Orator, servitium chori maximum detrimentum passurum foret. Sed quanti haec facienda essent patebat ex eo, quod in Collegiata S. Andreae Festis tantum diebus divina Officia, et ne quidem integra peragebantur, ita ut Mansionarii, qui in Seminario erant, sive ad discendum, sive ad docendum, perraro interesse impedirentur, exceptis Adventus et Quadragesimae temporibus, quibus pariter aliquod servitium Ecclesiae Canonici et Mansionarii praestare tenebantur. – Ut igitur (ita prosequebatur Emus Abbas in sua informatione) quam fieri potest minimum de chori servitio detrahatur, ac ea tamen, quae debet, infirmae valetudinis habeatur ratio, ita rem componi censerem posse, ut a choro quidem Orator minime eximatur, praeterquam si actu morbo laboret aliquo, verum potestas ipsi fiat sedendi, quotiescumque ei pedes stare sine incommodo nequeant. Id autem eo facilius concedi posse arbitror, quod eius propria sedes longius e conspectu Populi semota in extrema chori parte sita sit prope solium Emi Abbatis, ut adeo offensioni esse intuentibus minime possit. Quoad publicas vero supplicationes, quae Sublaci vel extra muros producendo identidem fiunt, assentitur Capi-

tulum, idque mihi videtur necessarium concedi oportere; ut quoties procedendum sit vel extra Sublacum, vel intra quidem, sed per vias minime planas, abesse impune Oratori liceat, non autem si vel procedendum, vel alia sacra functio obeunda sit in Ecclesia, vel non longe ab ipsa, neque per asperas vias. Eamdem ob causam adderem, non esse punctandum, quoties descendendum sit ad inferius Oratorium Sanctissimi Crucifixi, id quod nonnisi per multos gradus difficilis infirmo homini descensus est –.

8. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo et ad quod tempus sit concedendum indultum ex causa infirmitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, iuxta votum Emi Abbatis – *in Nullius Sublacen. die 17 Septembris 1808.*

9. Idcirco indulgetur exemptio a choro horis vespertinis durante causa infirmitatis, quum ea satis ex documentis constet *in Eugubina Servitii chori die 23 Augusti 1738.*

10. Siquidem Ubaldus Antonius Guiducci Canonicus Cathedralis Ecclesiae Eugubinae usque ab anno 1732 cepit statis horis Vesperarum et Completorii choro non interesse, itidemque ad Processiones, quae Vespere solebant ibi peragi, non accedere sub obtentu, quod asthmatico praesertim morbo ita laborabat, ut nequiret omnino, nisi plurimo cum incommodo vitaeque etiam periculo, praefatam Ecclesiam Cathedralem a domo sua longe dissitam ac in erecta Civitatis parte positam post prandium adire, non intermisso ceteroquin interventu canonicis horis ante meridiem celebrari consuetis, quippe qui praefata asthmatis affectione non adeo graviter mane afflictaretur: at insequenti anno 1733 cum putaverit Capitulum memoratae Ecclesiae, Canonicum Guiducci toto eo tempore, quo vespertinis horis non interfuit, punctaturarum legi obnoxium fuisse, instituta desuper est coram A. C. iudicialis contentio, cuius tamen decisio ea in parte, quae exemptionem a choro concernebat, fuit per Emum Pro-Auditorem Sanctissimi Sacrae Congregationi remissa. Episcopus retulit, – quod praefatum inter Canonicum Guiducci ex una et Capitulum ex altera parte viget in hoc meo Tribunali controversia circa punctaturas pro memorata absentia per annum elapsum, quas remitti non posse praetendit Capitulum, et fultum sanctione Synodali et Capitulari laudabili consuetudine, quod nempe si aliquis ex Canonicis, asserta infirmitate, adhuc Civitatem circuire repertus (prout revera fere perpetim circuire repertus fuit antedictus Canonicus) sit, nihilominus punctationi obnoxius, nisi a Medico iuratam attestationem, id suo consilio fecisse, reportaverit. Remittendas vero hic reponit, eo ductus argumento, quod ex Medici consilio choro post prandium interesse non poterat, citra propriae salutis praeiudicium –. Quibus ita praemissis, sensum suum in haec verba aperuit: – In quo rerum themate obsequentissime censerem, quod relate ad punctaturas iam incursas teneatur solvere, cum non reportaverit iuratam attestationem ex Medici consilio Civitatem circuisse, dum ob assertam infirmitatem vacabat a choro. Pro futuris vero temporibus, eiusdem Canonici onerata conscientia, illum ad tempus a choro pomeridiano vespertinisque Processionibus dispensari posse existimarem –.

11. His itaque inspectis una cum documentis, quibus Orator nitebatur ostendere, se memorato asthmatico morbo ita affici, ut Cathedralem Ecclesiam nequiret post prandium adire, proposito dubio: – An constet de legitimo impedimento Canonici Guiducci non accedendi ad Cathedralem horis vespertinis, ita ut eidem sit indulgenda exemptio a choro in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, durante causa infirmitatis – *in Eugubina Servitii chori die 23 Augusti 1738.*

12. Qua de re conceditur Beneficiato Indultum abessendi a choro hora matutina cum potestate lucrandi distributionibus, onerata tamen eiusdem conscientia, si ipse tempore humido et frigido magis vexetur convulsivis nervorum dolcribus *in Piscien. Indulti die 6 Decembris 1760.*

13. Iamvero Sacerdos Clarissimus Mainardi Beneficium possidens in Cathedrali Ecclesia, cui onus choro inserviendi adnexum erat, postulavit, ut dispensaretur quotidie ab huiusmodi onere hora matutina, quoad reliquas autem horas tunc solum, quum actu angeretur graviori convulsionum morbo, facta ipsi potestate nihilominus percipiendi

quotidianas distributiones. At Capitulum contendit, haudquaquam concedendum esse petitum Indultum, quia Orator eodem morbo affectus erat ante Beneficii assequutionem, nec impediebatur extra domum versari temporibus etiam rigidioribus, immo superiore aestate longam suscepit peregrinationem ad S. Domum Lauretanam; et quia Constitutionibus Synodalibus et Capitularibus non iniungebatur Beneficiatis personale servitium, sed facultas indulgebatur substituendi alium Capellanum, cuius ope debitum servitium praestare posset Orator in casu verae infirmitatis, quin Ecclesia debitis fraudaretur obsequiis in exiguo praesertim numero quindecim Beneficiatorum, quorum nonnulli ratione ingravescentis aetatis et imperitiae in Cantu Gregoriano suo muneri satisfacere non poterant. His tamen oppositionibus non adhaesit Episcopus, qui indulgere posse censuit petitam dispensationem, onerata conscientia Oratoris, quem exemplarem Sacerdotem praedicavit, nobilis quidem generis, sed inopem. Hinc Mainardus sustinuit, veram, sed mitiorem fuisse suam nervorum affectionem ante adeptum Beneficium: negavit, post morbi incrementum rigidiori aeri se unquam exposuisse, nisi ut chorum adiret horis matutinis. Nec obesse censuit Capituli oppositiones, quia peregrinationem ad Sanctam Domum Lauretanam suscepit tempore calidiori summae aestatis ad implorandam gratiam valetudinis: et Constitutiones Synodales vel Capitulares facultatem substituendi alium tribuebant solum illis Beneficiatis, qui nolebant per se ipsos choro interesse, nullamque imponebant necessitatem huius substitutionis illis, qui erant legitime impediti. In facto autem erat, quod ipse vexaretur convulsivis nervorum doloribus, qui maxime recrudescebant tempore humido et frigido, adeo ut in rigidissima hyeme curvus evaserit. Quocirca Medicorum consilio noxius illi reputabatur aer, qui circa ortum et occasum solis in Civitate Pisciensi solebat esse frigidior et humidulus: et quotidiana experientia comprobavit grave detrimentum, quod illi afferebat accessus ad chorum pro recitatione matutini, quod in Cathedrali Pisciensi summo mane persolvebatur. Addidit, unius dispensatione fraudatam debitis obsequiis non remanere Ecclesiam, cui serviebant duodeviginti Canonici et Dignitates et quindecim Beneficiati praeter Diaconum et Subdiaconum aliosque Clericos choro addictos.

14. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et pro quibus horis sit concedendum Indultum Beneficiato Mainardi abessendi a choro et lucrandi distributiones quotidianas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, onerata conscientia Oratoris – *in Piscien. Indulti die 6 Decembris 1760.*

15. Idcirco cum ageretur de Canonico, qui inciderat in vitium nervorum capitis, quo convulsivo motu et vertigine abripiebatur ex testificatione Medicorum, et consuetudo Capituli existeret, quod in morbis internis sequebatur fidem Capitularis aegroti et sinebat, ut distributionibus quotidianis frueretur, licet choro abesset, proposito dubio: – An constet de legitimo impedimento abessendi a choro, ita ut debeantur distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio, non obstante dissensu et contradictione Capituli, respondit: –Affirmative, onerata conscientia Oratoris – *in Tranen. Distributionum die 12 Septembris 1750.*

16. Conceditur itaque indultum abessendi tribus anni mensibus iuxta votum Episcopi, si aer loci sit valde infestus *in Vercellen. Servitii chori die 19 Iunii 1790.*

17. Siquidem ima Vallis pestiferique circumstantes lacus infestum reddebant aerem Oppidi *di Biandrate*. Collegiata ibi erat Canonicorum septem, qui Missas singulis hebdomadis canebant tres, terque divinum recitabant Officium, exceptis mensibus iulii augusti et septembris, in quibus Officium diebus tantum agebant festis. Plerique erant exteri ac salubriori sub caelo nati, valdeque idcirco in ea regione afflictabantur. Sacrae Congregationi supplicarunt pro dispensatione a choro et residentia tribus illis nocuis mensibus sub obligatione adimplendi onera reliquo anni tempore. Exposita Emus confirmavit Vercellensis Episcopus, neque ad probandam necessitatem opus esse dixit iurata Physicorum fide, – cum aliunde plenissime omnibus pateat, aerem illic mensibus praesertim supradictis adeo valetudini esse adversum, ut nonnisi magno cum propriae salutis periculo residere Canonici queant, quod et diuturna ex-

perientia satis probatum videtur –. Atque hinc indulgeri posse censuit petitioni Oratorum – ea tamen lege, ut Missae et Officia, quae mensibus supplicatis amitterentur, reliquis anni mensibus integre suppleantur ad maiorem Dei cultum eiusque Ecclesiae decorem, et ad huiusmodi munerum adimplementum; nec non a Capitulo provideatur pro Missa diebus festis, cum in Canonicorum absentia non desint Vice-Parochus Capellanus atque Regulares, quorum in eodem Oppido adest Conventus, qui animarum ibi degentium curae et saluti optime consulant –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Vercellen. Servitii chori die 19 Iunii 1790.*

18. Unde cum Canonicus esset septuagenario maior et mala affectus valetudine, Sacra Congregatio, non obstante Ecclesiae Statuto, eidem concessit Indultum, quo ad tempus pro horis matutinis a chori servitio abesse posset *in Colonien. Indulti die 28 Novembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

19. Enimvero – Statutum Collegiatae Ecclesiae SS. Cassii et Florentii Oppidi Bonhen haec inter cetera quoad Canonicum seu Ordinaria seu Apostolica auctoritate noviter provisum statuit et decernit: «Promittet, se lapsis expectationis suae annis, dum ad primam annalem eius residentiam pervenerit, eamdem per unum integrum annum personaliter completurum etc., sic videlicet quod idem Canonicus per huiusmodi primum annum etc. in choro primus et ultimus de choro causis cessantibus legitimis existat etc. Ad quorum praemissorum remissionem et indulgentiam sibi faciendas a quocumque cuiuscumque dignitatis status praeeminentiae aut potestatis, seu sibi concessis fruetur quovis modo vel gaudebit ». Ioannes Stuben provisus a Sanctissimo usque ab anno 1711 de Canonicatu in dicta Collegiata, cum sit septuagenario maior et mala affectus valetudine ex quadam asthmatis specie, usque a die 8 augusti per supplicem libellum extra ordinem et folium EE. VV. supplicavit pro Indulto, ut, Statuto praefato non obstante, a choro saltem pro horis matutinis possit abesse etiam in dicto anno captiosae, ut nuncupant, residentiae; cumque EE. VV. rescripserint, in folio instantiam esse describendam, ideo preces humillime pro gratia renovat. Capitulum et Canonici Statutum relatum obstare praetendunt, cum eius observantiam ipse Stuben iuraverit conceptis verbis: « Annalem residentiam more reliquorum Canonicorum complebo ». Et quatenus EE. PP. censeant, Indultum esse concedendum, Capitulum et Canonici dispicere exorant, an necessaria sit absolutio a iuramento tam pro ipso Stuben impetrante, quam pro reliquis Capitularibus, nec non apponi in Indulto derogatorio Statuto clausulam « pro hac dumtaxat vice et attenta senii septuaginta annorum raritate et gravitate, eodem Statuto in aliis futuris casibus in suo robore permansuro » –.

20. His itaque perpensis, proposito dubio:– An et quomodo sit concedendum Indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad sex menses, pro horis matutinis – *in Colonien. Indulti die 28 Novembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

21. Quapropter concedendum est indultum vacandi a choro, durantibus infirmitatibus onerata conscientia Oratoris arbitrio Episcopi, cum praesertim res sit de Canonico, qui in septuagesimo secundo aetatis anno versatur, licet Capitulum contendat, quod praeteritis annis negligentissime servitium praestiterit *in Praten. Indulti die 23 Iunii 1764.*

22. Siquidem Innocentius Bonamici Canonicus Theologus Ecclesiae Pratensis veniam exoravit, ut sibi infirmo liceret ab Ecclesia abesse. Is enim extollebat suam antecedentem assiduitatem per triginta perpetuos annos, dum potuit; sua priora facta, ut diligenter omne officium munusque suum impleret: et praeter haec, se praecipua pietatis causa atque ut Episcopi imperio pareret, munus Poenitentiarii sine ulla mercede viginti quinque annorum spatio exercuisse; se in septuagesimo secundo anno aetatis versari, laboribus fractum iam senioque confectum vexari periculoso ac desperato morbo, quod probabatur ex testimonio Medicorum, nec negabatur ab ipsis suis Sociis, qui contradicebant, cetera omnia certa esse ex patenti facto et ex ipso Episcopi testimonio, quod cuicumque contrariae assertioni erat praeferendum. At cuncta impugnavit Capitulum. Dixit enim,

veterem Sacrae Congregationis usum esse, ut non aliter vacationem concedat, nisi post Ecclesiae servitium annorum quadraginta et ultra, ac illud laudabiliter et assidue praestitum. Utrumque autem existimavit deesse Bonamicio, et quadragenarium temporis spatium et servitium laudabile. Insignis eum praedicavit fuisse negligentiae praeteritis annis Canonicum; sua munia ut impleret, coactum tantummodo, minaci auctoritate Episcopi; extare de ea re publica monumenta; suae indiligentiae saepissime subiisse poenas; probari id ex communi Canonicorum affirmatione, quae dabatur. Hinc sustinuit, nullius illum esse indulgentiae dignum: hinc iure facere Capitulum, quod contradiceret, ut Ecclesiae iura communia tueretur; nec certe iniquo et omnis humanitatis experti animo, sive instigatione nonnullorum, qui privatis de causis et spiritu contradicendi se opponebant, ut re non bene cognita aiebat Episcopus, cuius Vicarius Generalis consanguineus Bonamici erat. Episcopus certe enixe Canonici petitionem suo testimonio adiuvabat, diligentiam ac mores collaudavit. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo Canonico Innocentio Bonamici concedendum sit indultum vacandi a choro? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative durantibus infirmitatibus onerata conscientia Oratoris, arbitrio Episcopi – *in Praten. Indulti vacandi a choro die 23 Iunii 1764.*

23. Alias enim, ut quis legitimam excusationem abessendi a choro tempore infirmitatis mereatur, diligentiam servitii choralis cum sano esset corpore necesse est, ut probet, ceu tradunt Antonell. Decian. tom. 2 cons. 69 n. 8, Monet. part. 2 cap. 9 n. 2 de distributionibus, Covarr. 3 Cap. 13 n. 8, Azor. lib. 7 cap. 7 quaest. 11, aliique Doctores omnes, teste Bonacina de hor. can. quaest. 5 part. 1 n. 18, Rota in Hispalen. Distributionum 2 maii 1603 coram Coccino *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Ast.*

24. Unde Sacra Congregatio, quoties facultatem legitimae absentiae elargitur, clausulam hanc adiicit, – si ante infirmitatem fuerit solitus suae Ecclesiae inservire – *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Ast.*

25. Sacri Canones vero nequaquam exigunt gravem infirmitatem, ut quis abesse rite possit a chori servitio cum distributionum quotidianarum perceptione, sed admittunt levem etiam morbum, cuius augmentum timeri possit, ut firmant Fagnanus in Cap. *Licet* n. 14 de praebendis, Reiffenstuel in ius can. lib. 3 tit. 4 de cler. non resid. §. 7 n. 193, Schmalzgrueber in ius can. tom. 1 tit. 8 §. 4 n. 86, Pignatellius consult. 115 n. 57 tom. 9, Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. can. lib. 2 tit. 9 n. 5, Gratian. discept. for. cap. 591 n. 44 *in Tranen. distributionum die 12 Septembris 1750* §. *Praesertim.*

Item *in Piscien. Indulti die 22 Novembris 1776* §. *Et plane; in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Primum.*

26. Idcirco infirmitas eiusmodi esse debet, ut quis sine periculo ad chorum accedere nequeat, non ut omnino impediat accessum *in Urbinaten. Indulti die 18 Septembris 1802* §. *Neque.*

Item *in Eugubina Indulti die 13 Ianuarii 1816* §. *Ex.*

27. Quin imo, etiam prudenti existente timore superventurae infirmitatis, quemlibet a choro legitime excusandum consentiunt Barbosa de offic. et potest. Episcop. alleg. 53 n. 169, Pignatellius consult. 130 n. 15, aliique *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Primum.*

28. Qua de re licet Capitulum obstitisset, ne Canonico nervorum debilitate affecto indultum abessendi a choro concederetur, cum ex asserta Ecclesiae consuetudine exemptio a choro nonnisi iis tribueretur, qui infirmitatem e domo egredi non possent, Sacra Congregatio tamen illud ad annum concedere merito censuit *in S. Agathae Gothorum Exemptionis die 13 Februarii 1773.*

29. Siquidem nonnullis ab illinc annis Sacerdos Antonius Roberti Cathedralis Ecclesiae S. Agatae Gothorum Canonicus talem passus est infirmitatem, ut nervorum debilitatem viscerum obstructionem emaciationem aliaque incommoda adhuc experiretur, ex quibus capitis vertigines et in toto corpore tremores. Hinc cavere debebat a frigore ab humiditate, quam suae valetudini noxiam te-

stabantur Medici; et, ne ingravescente in dies morbo inutilis curatio redderetur, magis exactam vivendi agendique rationem servare tenebatur, cuius causa chori Ecclesiaeque servitio interesse non poterat. Facultatem proinde postulavit abessendi a choro per triennium, quo tempore medicinalium auxilio pristinam sanitatem recuperare non desperabat. Petitioni contradixit Capitulum Cathedralis: sed non aliam Capitulum adduxit rationem denegandi consensum, quam consuetudinem in Ecclesia vigentem, ut exemptio a choro nonnisi iis tribueretur, qui ob infirmitatem e domo egredi non poterant; idque servatum semper fuisse, ut aditus fraudibus praecluderetur. Quamvis autem, pro accuratiori oppositae consuetudinis examine, praefixus fuerit eidem Capitulo terminus ad iura sua deducenda, renuit nihilominus in lite sese immiscere asserens, nil, praeter consuetudinem contra Oratoris preces opponendum, et satis fore, ut de illa EE. PP. certiores fierent ab Episcopo. Quatenus vero, ea non obstante, exemptionem Oratori concedere existimaverint, addendam supplicarunt conditionem, ut, si contingeret,ipsum e domo exire, vel ad Missae Sacrificium celebrandum, vel ad negotia peragenda, aut ad Cathedralem accedat, pro lucrandis extraordinariis emolumentis, omnino iis diebus choro interesse teneretur, alias quotidianas distributiones amitteret. Episcopus omnia confirmavit, quae ab Oratore exposita fuerunt; eiusque precibus assentiri posse censuit ad biennium, cum nullum ex hoc indulto detrimentum divini cultus ratio pateretur, ob numerum quadraginta Ministrorum vicissim ipsi Ecclesiae actu inservientium.

30. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et ad quod tempus Canonico Antonio Roberti sit concedendum indultum abessendi in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad annum – *in S. Agathae Gothorum Exemptionis die 13 Februarii 1773.*

31. Nam nec eius indolis debet esse morbus, ut excuset legitime, ob quem quis domi perpetuo morari debeat, aut nequeat alio se conferre vel ut valetudini consulat, vel ut inclementiam aeris suae valetudini adversi de Medicorum iudicio effugiat *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Demum* (1).

32. Hinc si sanitatis causa ad balnea vel alium locum se transferat aegrotus Canonicus, aut quilibet Clericus chorali onere mancipatus, erit haud secus excusandus, Barbosa de offic. et potest. Episcopi alleg. 53 n. 60, atque ut rem undecumque cum Benedicto XIV Inst. eccles. 107 §. 8 n. 47 concludamus, inquit Passerini ac Panimolle, posse dari casum, quod infirmitas sinat Canonicos aliquantisper domo causa sanitatis exire, et non faciat onus choro se praesentes exhibendi *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Demum.*

33. Quapropter licet Canonicus per morbum non impediatur, quominus in et extra Civitatem possit vagari, conceditur indultum abessendi a choro et residentia cum perceptione distributionum, si Medici id esse necessarium testentur *in Novarien. Indulti die 11 Ianuarii 1777.*

34. Enimvero Defendens Maria Trevi anno 1745 diaconalem Canonicatum in Collegiata Ecclesia S. Gaudentii Novariae a Canonico Longhi–Gaudiano fundatum adeptus fuit per nominationem in eius personam factam a Decurionibus dictae Civitatis eiusdem Canonicatus Patronis. Onera adiecta Canonicatui libenter implevit Defendens Maria, choro adfuit assidue, divinisque officiis laudabiliter interfuit, donec – avendo successivamente sortito un salino malenconico temperamento, trovasi in strane guise da lunga affezione ipocondriaca tormentato –. Preces idcirco porrexit Sacrae Congregationi pro Indulto, quo ab horis matutinis a servitio chori a Capitularibus comitiis et in dubiis suae valetudinis periculis a residentiae onere taliter dispensaretur, ut non solum omnes suae Praebendae fructus, sed etiam quotidianas aliasque extraordinarias distributiones percipere posset. Gemini medicinae Professores censuerunt, quod Canonicus Maria Trevi deberet – soggiornare lungamente in campagna, dove anco per il passato ha provato giovamento –. Episcopus retulit, Capitulum in primis comitiis rem iudicio eiusdem Episcopi nec non

(1) Monet de distribut. part. 2, C. 296, n. 10; Pal. p. 9, §. 2 n. 2; Schmalzgrueber de cleric. non resid. tit. 6, n. 90.

supremo S. Sedis arbitrio remittere censuisse; in secundis tamen comitiis in contradictorem se praebuisse Canonici Trevi eiusque postulatae gratiae eo sub praetextu, quod illius morbus non esset de illis gravibus, qui hoc petitum mererentur indultum; et quoniam Canonicus per eius morbum non impediebatur, quominus in et extra Civitatem posset vagari, ita nec etiam impeditus esse deberet, quin ad chorum accederet. Retulit etiam laudatus Episcopus, ex testamentaria dispositione Canonici Longhi – Gaudiani fundatoris Canonicatus vetitum esse Oratori petendi Coadiutorem vel Canonicatum renunciandi cum pensione; Decuriones vero Patronos nec assentiri coadiutoriae, nec renunciationi cum pensione, eorumque arbitrio ac potestati relictum non esse, ut petitioni Canonici praestarent assensum, quamvis non dubitarent de infirma illius valetudine. Antistes Novariensis suum votum aperiendo sic dixit: – Attamen cum satis perspecta sit Oratoris integritas, eidem concedi posse crederem indultum pro dispensatione ad annum durante infirmitate, et onerata conscientia Oratoris, ita ut integro fruatur distributionum compendio, sed excepto lucro proveniente ex anniversariis aliisque functionibus extraordinariis, in quibus ex Testatorum dispositione praesentibus tantum stipendium praestari debeat –.

35. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum Canonico Defendenti Trevi indultum abessendi a choro et residentia, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi cum solitis clausulis – *in Novarien Indulti die 11 Ianuarii 1777.*

36. Unde si satis constet etiam ex testimonio Medicorum, quod Canonicus ob pedum dolorem et surarum contractionem impotens factus sit sine aliorum ope erigi flectere membra sua aliosque corporis motus exercere, conceditur indultum pro exemptione a servitio chori et Ecclesiae durante infirmitate et onerata eiusdem conscientia, nec non mandatur integra restitutio distributionum, quibus fuerat privatus, licet Civitatem circumiret ac itinera extra Diaecesim susciperet *in Cremonen. Indulti die 2 Augusti 1760.*

37. Siquidem Sacerdos Ioannes Cadonici vir literarum eruditione clarus et auctor operis, cui titulus: – Vindiciae Augustinianae ab imputatione Regni Millenarii –, cum annum ageret 44, obtinuit a s. m. Benedicto XIV collationem Canonicatus in Ecclesia Cathedrali Cremonensi, cuius nactus possessionem anno 1750 assidua diligentia cepit choro interesse: at pedum dolore et surarum contractione affectus pari frequentia debitum Ecclesiae et Altari servitium continuare non valuit. Anno 1756 annuit Capitulum, ut a servitio Ecclesiae desisteret, durante morbo: eumdem nihilominus monuit Capitulum sub initio mensis septembris 1758, ut in futurum choro interesset, ne alioquin distributionum amissione mulctaretur: nam propter assertam pedum debilitatem non detinebatur inter domesticos parietes, sed domo libere egrediebatur baculo non adiutus, neque incedendo claudicationis aut doloris signa exhibens; quin immo itineribus non parcens, Mediolanum Parmam et alia dissita loca vel negotiorum vel recreationis causa divertebat. Quotidianas etiam deambulationes ex consilio Medicorum ad horam circiter producebat, et in alienam domum non parum dissitam suis pedibus se conferens, ad tardam usque coenam rigida etiam hyeme solebat inter amicos conversari –. Unde si difficilior videretur accessus ad chorum, ob nimiam distantiam domus, in qua habitabat, a Cathedrali, facile amovere poterat incommodum, conducendo domum prope Cathedralem, cum haberet sufficientes reditus, quibus honeste viveret. Contra Canonicus Cadonici disputavit, pedum dolorem et surarum contractionem adeo crevisse, ut impotens factus esset sine aliorum ope erigi, flectere membra sua, aliosque corporis motus exercere, prout necessarium foret, si cogeretur e domo, quam incolebat, discedere, et per unum fere milliare ad dissitam Ecclesiam Cathedralem progredi, ibique in choro modo stare, modo sedere, modo genua et corpus flectere, ut constabat ex iudicio Medicorum, qui eum curarunt, et ex testimonio Episcopi, qui precibus assentiebatur; quin immo etiam ex facto et agnitione ipsius Capituli, a quo ratione huius infirmitatis indulta fuerat Oratori venia et lucrandi distributiones quotidianas. Contendit pariter, nihil obesse, quod sedens in rhaeda, Mediolanum et Papiam, non Parmam,

concesserit, haud negotiorum causa, sed ad tuendam valetudinem, ne continua quiete in alios incideret morbos; quodque ex Medicorum consilio diebus et horis lenioribus per aliquot passus deambulare soleret in terreo solo extra moenia Civitatis, quae parum distabant a sua habitatione, et quandoque ad vicinam amici domum accederet, cum inde inferri non valeret, quod posset pedibus suis incedere ad dissitam Ecclesiam Cathedralem per asperam viam silicibus stratam. Minusque cogi posse censuit ad conducendam domum prope Cathedralem: tum quia gravissimum id ferret incommodum, ob necessarias suisque viribus impares expensas habitationis famulatus et victus, quibus tunc liberaliter occurrebat nobilis Vir, a quo alimenta accipiebat; tum insuper quia inutilis fuisset haec providentia quoad sacras actiones iuxta rubricam peragendas in divinis Officiis, quas eo magis explere nequiret sine evidenti periculo gravis morbi et acerbissimi doloris, quod minime Sacri Canones exigunt. Idcirco sustinuit, sibi debere etiam distributiones quotidianas. Episcopus censuit, annuendum esse precibus Oratoris, dummodo distributiones ex lege fundationis non essent reservatae personaliter tantum interessentibus.

38. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An sit concedendum Indultum pro exemptione a servitio chori et Ecclesiae in casu etc. II. An debeantur Canonico Ioanni Cadonici distributiones quotidianae decursae a mense septembris 1758 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative durante infirmitate et onerata conscientia Oratoris. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Cremonen. Indulti die 2 Augusti 1760.*

39. Idcirco cum Canonicus reapse hepatico morbo laboraret, obtinuit Indultum abessendi a choro, etiamsi e domo egrederetur ac itinera extra Diaecesim susciperet, exceptis tamen solemnioribus festis et iis, quibus adsistentia tantum etiam absque cantu praebetur amissis distributionibus inter praesentes, onerata strictissime Oratoris conscientia, quin insuper expediret, attentis peculiaribus circumstantiis, restitutio distributionum non perceptarum nec non dealbatio punctaturarum a libro capitulari *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838.*

40. Enimvero Nucerinae in Umbria Cathedralis Canonicus Sacerdos Dominicus Antisari anno 1826 Apostolicam Sedem adibat exponens, laborantem se ab anno huius aevi super decimum nono ad diem illam habitualiter hepatico morbo debuisse fere semper chorali servitio de Medicorum iudicio abstinere. Tredecim porro inter Canonicos eius Cathedralis chorali servitio praeter ipsum mancipatos nonnullos in proposito perstitisse eum punctandi tamquam illegitime absentem, et integrarum ferme distributionum iacturae subiiciendi, quamvis anno vigesimo tertio Capitulo universo Medicorum testimonia exhibuisset, morbi veritatem et necessitatem chorum omittendi probantia; atque hinc petebat legitimam choralis servitii, aegritudine perseverante, omittendi facultatem, plenam atque integram distributionum restitutionem ab iis, qui immerito sibimet vindicaverant, punctaturarum denique a Capitulari libro dealbationem. Episcopus Nucerinae Civitatis Medici et Chirurgi testimonia dedit, quibus illi iurisiurandi fide testabantur, Canonicum Antisari hepatico morbo affectum choro interesse non posse, ob idque ab iisdem prohibitum fuisse, ne ad illum accederet. Capitularis autem sententia, licet ea varie se habuerit, nihilominus eiusmodi se praeferebat, ut non inficiarentur Capitulares, Canonicum Antisari morbo illo habituali aegrotantem aliquando ab chorali servitio excusari, attamen et aliquoties posse servitium idem obire omnes consentiebant, eo quia Civitatem nocturno etiam tempore circumibat, et itinera etiam extra Diaecesim suscipiebat: hinc solemnioribus saltem festis ac praesertim iis, quibus adsistentia tantum absque cantu praebebatur, choro adesse poterat. Ad distributionum vero restitutionem quod attinebat, Capituli Prior censuit, eas non esse restituendas. Canonici enim easdem forte bona fide perceperant atque consumpserant. Quibus votum suum adiiciens Episcopus dixit: – Nullum de Sodalibus infirmis sermonem instituunt Constitutiones Capitulares: stylus est, quod vere infirmi tantummodo ob negligentiam poenis, ut aiunt, punctaturis immunes sint, minime vero gaudeant distributionibus,

quae dividuntur inter praesentes. Nam, ut animadvertit Canonicus Campana, distributiones quotidianae illae solummodo adsunt, quae ex Massa capitulari conficiuntur, ceterae, quae ex tribus legatis profluunt, debent solummodo de voluntate Testatoris actu interessentibus distribui, adeo ut ius habeant eas percipiendi etiam Mansionarii et Sacerdotes, qui dicuntur Societatis, dummodo adsint. Quare mei Capituli sententiam sequi autumo –. At Canonicus Antisari contendit, se morbo affectum domo egredi causa sanitatis aliquantulum melioris comparandae, chorum accedere praetermittere, tum quod nimia aeris, cui Cathedralis suberat, elasticitas, ob eius locum in montis culmine situm, et eiusdem intemperies maxime conferret ad morbum eius augendum; atque hac de causa Sacrum faciendo quotidie Ecclesiam S. Philippi accedebat in planiori loco sitam, itinera suscepit, Eugubium Urbem Romae alioque modo Medicorum consilia audiens, modo ut Sanctuaria celebriora invisens Coelicolas sibi faceret propitios pro obtinenda sanitate. Per calumniam et invidiam autem Capitulum obiecisse contendit, quod se diligentem servitio cum sano esset corpore non praebuisset; nam allato punctaturarum libro a die captae possessionis, ingentem diligentiarum numerum ostendit. Unde sustinuit, sibi de iure esse restituendas distributiones iniuste ab Capitularibus perceptas.

41. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo Canonico Antisari concedendum sit Indultum abessendi a choro in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An debeatur ei restitutio distributionum non perceptarum in casu? III. An dealbandae sint a libro capitulari punctaturae adversus Oratorem inscriptae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative exceptis solemnioribus festis et iis, quibus adsistentia tantum etiam absque cantu praebetur, amissis distributionibus inter praesentes, onerata strictissime Oratoris conscientia super omnibus. Ad secundum et tertium, in casu, de quo agitur, non expedire – *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838.*

42. Ceterum non ita frequenter existimari oportet, tamquam – in choro praesentem, qui se aegrotum fatetur, sed Urbem circumire potest, neque veluti praesens haberi debet, qui morbi specie domum suam diurna luce non deserit, nocturno vero tempore frequentes coetus adire non metuit –, Benedictus XIV Instit. eccles. 107 §. 7 *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Verum.*

43. Quum autem res sit de vitio morbove interno, qui sensibus aliorum non subest, quique incrementum accipere potest ex frequentia, ex cantu, ex hominum strepitu et aeris calore, ex frigore hyemis, ut recte expendit Zacchia quaest. medic. legal. lib. 7 tit. 2 de divin. offic. quaest. 2 n. 3 et quaest. 3 n. 4, sequendum est Medicorum iudicium *in Tranen. Distributionum die 12 Septembris 1750* §. *Praesertim.*

44. Idcirco cum per testimonium plurium virorum ac praesertim quatuor Medicorum, quorum duo formiter a Vicario Generali interrogati fuerunt, constaret, Archidiaconum ob infirmitates, quibus laborabat, choro divinisque Officiis interesse non posse, ex eo quod aere rigidissimo sono cantu vocibus psallentium recrudescebant ciebanturque vitia illius, Sacra Congregatio mandavit quidem, ut duo Medici rite eum inspicerent, sed cum et iidem de facto iurati aperuerint, a choro abesse posse et debere, locus fuit concessioni Indulti abessendi a choro, onerata vero conscientia Oratoris durantibus infirmitatibus, arbitrio Episcopi *in Aquilana Indulti die 20 Martii et die 26 Iunii 1745.*

45. Enimvero adversa valetudine laborans et pluribus corporis vitiis affectus Franciscus Carolus Aquilanae Ecclesiae Archidiaconus preces obtulit Sacrae Congregationi, quibus postulabat indulgeri sibi, ut a choro abesse posset. Episcopus secundum eum respondit: nec Capitulum Cathedralis Ecclesiae aliquid excepit; sed quidam Capitulares sese praestiterunt contradictores. Ex iis vero, quae proponebantur, constabat, eum pluribus morborum speciebus opprimi, qui non patiebantur, ut sine vitae periculo choro divinisque officiis statis horis interesset, ut testificationem faciebant et Civitatis Ordo et plures Sacerdotes, et quod magis erat quatuor medicinae Professores, quos inter duo spectandi erant, quod formiter a Vicario Generali interrogati

fuerant, quique rem omnem narrabant et iureiurando referebant, non posse Archidiaconum ob infirmitates, quibus laborabat, divinis Officiis interesse, aere siquidem, qui in Aquilana Civitate frigore et tenuitate sua vehementissimus erat, sono cantu vocibus psallentium recrudescebant ciebanturque vitia, quae in auribus Archidiaconi erant, ut metuendum esset occupari eum subito posse apoplexia, quae eum morti traderet. His interim perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo Archidiacono Francisco de Carolis concedendum sit Indultum, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo iuxta instructionem – *in Aquilana Indulti die 20 Martii 1745.*

46. Paruit Episcopus mandatis Sacrae Congregationis, et accitis duobus Medicis praecepit, ut Archidiaconum Franciscum Carolum conveniret, perspectisque omnibus, quae perspicienda essent et cognoscenda, referrent, quibus ille vitiis afficeretur, et an legitime ab illis impediretur, ne choro divinisque officiis interesse posset. Retulerunt Medici, vitia, quibus ille afficiebatur, iudiciumque iurati aperuerunt, a choro abesse posse et debere, ne quid detrimenti caperet eius valetudo. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative onerata conscientia Oratoris durantibus infirmitatibus, arbitrio Episcopi – *in Aquilana Indulti die 26 Iunii 1745.*

47. Norunt enim omnes, controversias hasce Medicorum potius, quam Iurisperitorum iudicio definiendas esse, ut dudum rectissime monuerunt Fagnanus in Cap. *Licet* n. 141 de Praeben. et Dignit., et Passerinus in Cap. unico de Clericis residentibus reg. 5 n. 9, prae ceteris vero Vanespen. Iur. eccles. univ. tit. 4 de Instit. et offic. Canon. part. 3 cap. 5 §. 5 vers. quae vero *in Aquilana Indulti die 13 Februarii 1745* §. *Ex iis.*

Item *in Novarien. Indulti die 23 Novembris 1776* §. *Et plane; in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Primum.*

48. Nec desunt, qui putant, ipsam Infirmi iuratam affirmationem sufficere ad probandam infirmitatem, ceu tenent Mascard. de probat. conclus. 884 fere per totum, Zanger de except. part. 2 cap. 9 n. 12, Mindan. de process. lib. 2 cap. 19; quod non aliter tamen admitti posset, nisi dum agatur de testimonio, quod nulla suspicione laboret, fides enim iurisiurandi pendet a fide viri, Stryx iurisdict. dissert. vol. 5 disp. 3 cap. 3 n. 57 *in Camerinen. die 21 Iunii 1766* §. *De modo.*

49. Verumtamen recepta ordinaria probatio fieri consuevit per literas et testimonium Medicorum, qui de certis et indubitatis morbis ac de necessaria ob eos causa testificentur, Zacchias in quaest. medic. legal. lib. 2 tit. 2 quaest. 1 n. 3, nec non per Testes, Farinacc. de testib. quaest. 63, Barbosa de potest. Episcopi alleg. 53 n. 116 *in Camerinen. die 21 Iunii 1766* §. *Verumtamen.*

50. Idcirco licet attentis oculorum vitio ac pectoris infirmitate Canonici Coadiutoris, iam fuerit ei concessum Breve dispensationis ad quinquennium a choro per spatium trium mensium hyemalium quolibet anno, sed cum Capitulum exequutioni huiusmodi Brevis sese adversus praestiterit, Sacra Congregatio mandavit, ut Ordinarius conficeret Processum super infirmitate eiusque qualitatibus *in Florentina Exequutionis Brevis die 30 Aprilis 1746.*

51. Siquidem gravi laborans capitis et oculorum vitio ac pectoris infirmitate Canonicus Iacobus Baldovinetti Coadiutor Canonici Medices in Metropolitana Ecclesia Florentiae obtinuit Breve dispensationis ad quinquennium a choro per spatium trium mensium hyemalium quolibet anno praeter vacationes indultas dispositione Tridentini. Brevis huius exequutio data fuit Decano, sed sese huic gratiae contradictorem praestitit Capitulum. Proposito autem dubio: – An sit locus exequutioni Brevis Apostolici in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 martii 1746 responsum tulit: – Dilata, et proponatur omnino in prima etiam unica –. Reproposito mox dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Archiepiscopo pro confectione Processus super infirmitate, eiusque qualitatibus – *in Florentina Exequutionis Brevis die 30 Aprilis 1746.*

52. Hinc haud indulgetur facultas abes-

sendi a choro ipsi Patrono, qui Capellaniam in Collegiata et Parochiali Ecclesia, cui adnexum est servitium chori horis matutinis, nisi satis superque de praetenso cardialgiae morbo constet, etiamsi Medicus testificationem faciat, cuius iudicium sequendum esse iura decernunt; his enim in terminis proposito dubio: – An stante morbo, quo laborat, sit eidem indulgenda facultas abessendi a choro horis matutinis, durante infirmitate? –, Sacra Congregatio die 7 februarii 1756 responsum dedit: – Dilata ad primam post cineres –; sed reproposito inde dubio sub eadem formula, respondit: – Ad secundum, Negative; et ad D. Secretarium iuxta mentem – *in Aquilana die 20 Martii 1756.*

53. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *In Aquilana die 29 Maii 1756.*

54. Nec itaque conceditur Canonico Indultum exemptionis ab exercendis muniis capitularibus, si morbus haud gravis videatur, cum praesertim ex consuetudine nec ii, qui causa infirmitatis a choro absunt, ab exercendis huiusmodi muneribus eximantur *in Praenestina Indulti die 29 Martii 1806.*

55. Iamvero Canonicus Iacobus Turini ab annis tredecim anhelus erat, et respirandi difficultate afflictabatur. Qua de re putavit Medicus, – non solo espediente, ma anche necessario, che il medesimo si astenga da ogni fisico e laborioso impiego e seria applicazione per non incorrere in pericolosi e funesti cimenti di salute –. Hinc Canonicus Turini postulavit, ut, attenta infirmitate, eximeretur ab exercendis muniis capitularibus. Canonici vero repugnarunt, tum quia munia huiusmodi levia erant, nec valetudini detrimentum afferre poterant, tum quia hoc Indultum fuisset contra consuetudinem, cum in Capitulo Praenestino non eximerentur ab exercendis muneribus nec ii, qui causa infirmitatis a choro aberant. Nihilominus Emus Episcopus precibus suffragabatur: munera enim Capitularia aut erant graviora, quam ab Infirmo ferri possent, aut saltem talia, ut periculum esset, ne Orator inquies esset, et morbus proptèrea ingravesceret. Maxime cum Orator aliis curis pre Ecclesia et Diaecesi distentus esset. Unde dum ex causa infirmitatis a iure concessa est exemptio a servitio chori, aeque infirmus eximi posse videbatur ab exercendis muniis capitularibus, si eius valetudini detrimentum attulisset. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit concedendum Indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Praenestina Indulti die 29 Martii 1806.*

56. Imo Sacra Congregatio, quoties habitualiter aegrotis absentiae Indultum elargita est, obligationem tamen chorum solemnioribus anni festis accedendi mandare consuevit *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Ceterum.*

57. Idcirco multo minus Sacra Congregatio assolet concedere Indulta perpetua abessendi ex causa infirmitatis; et quandoque illa concedit cum clausula, durante infirmitate *in Eugubina Indulti die 13 Ianuarii 1816* §. *In.*

58. Quoties vero absit infirmitas, Ecclesiae tantum utilitas ad concedendum Indultum abessendi attendi debere videtur, ex doctrina Reiffenstuel in ius can. tom. 3 tit. 4 §. 7 n. 198 *in Firmana et Fanen. Indulti abessendi die 26 novembris 1796* §. *Altera.*

59. Nam dispensandum est in publicam, non privatam causam, ex Can. *Miramur* dist. 61, et Cap. *Licet* de Regularibus, Fagnan. in Lib. 3 Decret. Cap. *Ex parte* n. 62 de clericis non residentibus, alias dispensatio esset potius dissipatio, Ioann. Andr. in Cap. *Nisi cum pridem* §. Personae verb. discretionis de renunciatione *in Santandrien. Servitii chori die 16 Martii 1793* §. *Haud.*

60. Hinc ut Basilicarum et Collegiatarum Urbis frequentiori servitio divinique cultus splendori prospiceret s. m. Innocentius XII particularem Congregationem deputavit, quae ad examen revocatis omnibus Indultis sive ratione munerum, sive studiorum causa concessis pro exemptione a chorali servitio, moderationes reformationes ac etiam revocationes, quae opportunae visae fuissent, proponeret. Re mature perpensa, quid censuerit Sacra illa Congregatio ex quinque S. R. E. Cardinalibus et quatuor Praesulibus coacta, patet ex sequenti Decreto diei 2 maii 1693: – Censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, Indulta quoad Nuncios Apostolicos

nec non intimos et eidem Sanctissimo actu inservientes familiares ac Sub-Datarium et Camerae Apostolicae Commissarium non esse immutanda. Quoad Gubernatores et Vicelegatos Provinciarum Civitatum et Locorum Status ecclesiastici, qui, durante absentia, nunquam possunt Ecclesiis interesse, nec non Procuratorem Generalem Montium ac Familiares S. R. E. Cardinalium, firmo tamen quoad eorumdem Cardinalium Caudatarios remanente Decreto moderatorio Sacrae Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum die 19 augusti 1690 edito, esse revocanda; et expedire, quod in posterum non concedantur. Indultum inservienti Secretariae Congregationis Eminentissimorum Cardinalium consultationibus negotiorum ditionis temporalis eiusdem S. R. E. praepositorum concessum esse reformandum, et in posterum restringendum ad illos dies et horas dumtaxat, quibus ratione huiusmodi servitii actualiter praestandi impeditus fuerit, eius conscientia desuper strictissime onerata. Indulta causa studii, pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum reditus consistunt vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis Praebendae, dempta tamen tertia parte, quae inservientibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium, neque maioribus viginti quinque annis, quin imo, huiusmodi aetate viginti quinque annorum expleta, eadem Indulta, licet idem triennium adhuc completum non fuerit, expirare. Omnes denique habentes Indulta pro singulis diebus et horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus seu officiis actualiter praestandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos toties, quoties Ecclesiae seu choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada huiusmodi puncta posse et debere deleri seu tolli pro illis tantum diebus et horis, quibus Indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorumdem munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, et circa huiusmodi impedimentorum relevantiam iudicio proprii Vicarii cuiuslibet Ecclesiae; in Ecclesiis vero, ubi non adest huiusmodi Vicarius, iudicio dignioris Canonici esse deferendum – *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Ut.*

61. Facta praedictarum Resolutionum Summo Pontifici relatione die 8 eiusdem mensis et anni, ita eas probavit: – Sanctitas Sua illas probavit, et a die prima iunii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari. Indultis tam a se, quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis quomodolibet concessis, et aliis contrariis quibuscumque non obstantibus, quibus pro observatione praemissorum amplissime derogavit –, ut legitur in lib. 163 Decretorum *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Ut.*

Item *in Romana Dubia Indultorum die 25 Maii 1822* §. *Cum.*

62. Quod in humanis saepe saepius contingit, ut, quae olim sapienti consilio constituta sunt, volventibus annis, vel sensim relaxentur, vel etiam, mutatis temporum circumstantiis, minus apta videantur, id etiam visum est Summo Pontifici Pio VII, ita ut exemptiones a chorali servitio aliqua novae Supremae Auctoritatis providentia indigerent. Hinc suorum Praedecessorum, ut in ceteris in hoc etiam aemulatus religionem et gloriam, per Auditorem suum in mandatis ita dedit: – Sua Santità vuole, che si richiamino ad esame tutti gli Indulti, perchè siano quindi confermati rivocati o riformati secondo le regole allora ristabilite e costantemente poi adottate ed eseguite dalla Sagra Congregazione del Concilio. Non crede però necessario deputare altra Congregazione particolare, ma crede, che la stessa Congregazione del Concilio, appunto perchè ben conosce le norme, che devono regolare gli Indulti e le ha costantemente eseguite, debba ella medesima richiamarle ad esame e proporre alla stessa Santità Sua quali dovrebbero confermarsi, quali rivocarsi, e quali rettificarsi secondo le stesse norme –. Itaque priusquam rem Sacrae Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum iudicandam proponeret, Secretarius praefatae Sacrae Congregationis Emos Archipresbiteros ac Titulares rogavit, ut de singulis eorum Ecclesiarum Indultariis referrent, ipsaque Indulta remitterent, ex quorum accurato examine depromsit dubia resolvenda.

63. Propositis quippe dubiis: – I. An et

quomodo sit confirmandum, vel concedendum Indultum abessendi a choro addictis S. Sedis servitio sive in temporali, sive in ecclesiastico munere? II. An et quomodo sit concedendum Indultum iis, qui, alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum Beneficii, numquam possunt durante munere suis Ecclesiis deservire et chorali officiaturae personaliter interesse? – III. An et quomodo sit concedendum Indultum inservientibus Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium pro expediendis negotiis tum ecclesiastici, tum temporalis regiminis? – IV. An et quomodo sit concedendum Indultum inservientibus Pontificiae Capellae sive in munere Magistri caeremoniarum, sive Acolythorum et Clericorum? V. An et quomodo sit concedendum Indultum Lectoribus in publicis Universitatibus? VI. An sit confirmandum, vel concedendum Indultum pro excipiendis fidelium confessionibus sive in Ecclesia Beneficii, sive in alia Ecclesia, vel Monasterio, vel vacantibus exercitio sacrarum Missionum aliisque pietatis operibus. VII. An et quomodo sit concedendum Indultum Coadiutoribus sive ratione munerum, sive causa studiorum? VIII. An sit concedendum Indultum addictis servitio particularium Personarum, quavis etiam dignitate fulgentium? IX. An et quomodo sit providendum in futurum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus pro diebus et horis, amissis distributionibus inter praesentes tantum. Ad secundum, Negative exceptis Nunciis et Internunciis. Ad tertium, Affirmative pro diebus et horis, amissis. Ad quartum, Affirmative pro diebus et horis, dummodo personaliter et ex munere intersint, amissis distributionibus inter praesentes, onerata. Ad quintum, Affirmative pro diebus et horis, amissis. Ad sextum, Negative excepto tantum casu verae necessitatis. Ad septimum, Negative in omnibus. Ad octavum, Negative exceptis Caudatariis S. R. E. Cardinalium, ad formam tamen Decreti diei 19 augusti 1690. Ad nonum, ad D. Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem; et mens est, Indulta adhuc esse confirmanda, sive reformanda, sive revocanda ad formam praecedentium Resolutionum, et supplicandum Sanctissimo, ut in posterum non concedantur, nisi per Sacram Congregationem Concilii sub poena nullitatis, utque ea Indulta non valeant, nisi obtento Decreto exequutoriali Ordinarii vel legitimi Superioris – *in Dubia Indultorum die 6 maii 1820.*

64. Facta mox Sanctissimo die 10 eiusdem mensis maii et anni 1820 relatione, – Sanctitas Sua Resolutionem eiusdem Sacrae Congregationis ad novem praedicta dubia in omnibus benigne approbavit et respective confirmavit; voluitque, ut in casibus particularibus sub praemissis dubiis non comprehensis provideatur pariter ab eadem Sacra Congregatione Concilii ad formam Sacrorum Canonum et Sacrosancti Concilii Tridentini et iuxta praxim ab ea hactenus servatam, atque omnia praemissa inviolabiliter in posterum servari mandavit a die prima iulii proximi futuri, Indultis omnibus tam a se, quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis quomodolibet concessis et aliis quibuscumque non obstantibus, quibus pro exequutione praemissorum amplissime derogavit –, ut legitur in lib. 163 Decretorum *in Romana Dubia Indultorum die 25 Maii 1822* §. *Cum.*

65. Hac edita Resolutione, statim Indultarii inservientes Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium implorarunt declarationem, an clausula illa apposita in Resolutione tertii dubii – amissis – eo sensu accipi deberet, an scilicet amitterent distributiones quotidianas, quum ratione Indulti abessent a choro, an vero amitterent distributiones, quae ex Testatorum voluntate inter praesentes tantummodo distribuuntur. Ipsi enim contenderunt, Resolutionem praedictam ita esse intelligendam, ut scilicet amissis distributionibus, quae inter praesentes dividuntur, integre sibi remanerent distributiones quotidianae. Plura quidem in medium praefati Indultarii protulerunt; sed reproposito dubio sub formula: – An et quomodo recedendum sit a decisis sub die 6 maii 1820 quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Romana Dubia Indultorum die 25 Maii 1822.*

66. Qua de re quum Sacra Congregatio concesserit Canonico Indultum abessendi a Choro, ut Officium Acolythi in Pontificio Sacello exercere posset cum clausula – onerata tamen Ora-

toris conscientia de praecisa necessitate vacandi –, exemptione a servitio chorali gaudet pro iis diebus, quibus ex munere illud exercere tenetur, non vero in aliis diebus, quibus ex propria voluntate huiusmodi servitium praestat *in Romana Indulti die 23 Novembris 1833.*

67. Siquidem Alexander Testa Canonicus S. Mariae in Cosmedin inter Capellanos, quos dicunt communes, et Acolythos Ceroferarios Pontificii Sacelli iam inde ab anno 1815 cooptatus, Indultum a Sacra Congregatione assequutus fuerat, quo facultas e dem facta est, ut diebus et horis, quibus suo munere in Pontificali Sacello perfungebatur, posset a choro abesse, quin absentium poena mulctaretur, ita tamen, ut – de praecisa necessitate vacandi conscientia ipsius onerata – Rescripto illo denunciaretur. Aliud autem simile Rescriptum anno 1820 ob Capellani adsistentis munus indeptus, utroque Indulto usus est, ut ad Sacra solemnia in Pontificale Sacellum adiret, suam ibidem operam praestiturus. Verum edita haud ita pridem per Collegium Acolythorum Decanum certa quadam dispositione, qua Acolythi, qui duodecim erant, iis recensitis, quos supra numerum dicunt, bifariam distributi in Sacellum alternis vicibus praesto esse adigebantur, dubitatum est, an quo die ex turni lege Canonicus Testa abesse a Sacello Pontificali libere poterat, privilegio Indulti gauderet, si illuc potius, quam ad chorum sese contulisset. Eam quidem controversiam liquido et procul dubio resolvi posse respondit Emus Card. Basilicae Cosmedianae Diaconus – habito respectu clausulae in Indulto appositae a Sacra Congregatione Concilii « onerata tamen Oratoris conscientia de praecisa necessitate vacandi »–. Scitissime enim distinguit – ius ac debitum interessendi ex munere Pontificiis functionibus. Ius in Oratore nemo est, qui inficiari possit: ad debitum vero quod spectat, omne tollit punctum regula statuta inter Clericos Ceroferarios pro diebus et Capellis, quibus unusquisque ex ipsis singulariter interesse tenetur ad suum obeundum Officium. Num haec regula ex superiori mandato vel sanctione proveniat, an vero ex singulorum privato et unanimi consensu aut conventione, nihil ponit in esse. Unusquisque Clericus Ceroferarius stricte Pontificiis Capellis interesse ex munere non tenetur, nisi diebus in eadem regula constitutis; proindeque in aliis si intersit, servitium, quod praestat, ex propria voluntate tantum est repetendum. His itaque diebus Canonicus Testa a choro abesse non potest, quia suum munus in Ecclesia provenit ex iure simul et debito, nec probatur praecisa vacandi necessitas in Indulto praescripta –.

68. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Canonicus Testa gaudeat exemptione a chorali servitio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, iuxta votum Emi Diaconi – *in Romana Indulti die 23 Novembris 1833.*

69. Unde conceditur Canonico indultum abessendi ad alium annum tantum et absque spe ulterioris prorogationis a choro et Ecclesia Collegiata, ut fungi valeat munere Vicarii Generalis in aliena Diaecesi, licet consensus Capituli indemnitas Ecclesiae et iusta causa concurrere videantur *in Firmana et Fanen. Indulti abessendi die 26 Novembris 1796.*

70. Enimvero Collegiata Ecclesia Oppidi S. Victoriae Firmanae Diaecesis Canonicis constabat octo, Priore, qui unica erat cum cura Animarum Dignitas, et binis Praebendariis. Alterum ex Canonicis, Horatium nempe Valeriani, in suum elegit Vicarium Generalem Fanensis Episcopus: supplicavitque idcirco Sacrae Congregationi pro facultate abessendi a Collegiata durante munere Vicariatus, dimissa favore eiusdem Collegiatae tertia fructuum parte; et sub die 13 iunii 1795 ablegatae fuerunt preces Archiepiscopo Firmano, qui retulit, per absentiam Oratoris a choro et Ecclesia Collegiata – nullum Ecclesiae ipsi damnum obvenire posse videtur. Sane adest alter, qui studiorum causa exemptionem a choro certo expostulabit, itemque qui tempore Quadragesimae annunciando Dei verbo solet incumbere, et non ideo Ecclesiae famulatus detrimentum patietur, statim ac qui reliqui erunt, satis esse ad sacra peragenda videantur-.Et capitulari transmissa resolutione testatus fuit, maiorem Collegialium numerum favore Oratoris fuisse. Exposuit deinde Fanensis Episcopus, sibi prae

ceteris in Vicarium Generalem assumere placuisse Canonicum Valeriani indole moribus doctrina praeditum, atque in haec conclusit verba: – Quapropter cum spes firma sit, talem mihi adiutorem futurum, qualis in substinenda regiminis huius mole indigeo, rogo vos, Eñi Patres, ut ipsum apud me hoc in officio manere sinatis, in quo uberiores profecto utilioresque, quam domi, studii, ac laboris fructus, ex suae iuventutis flore expectari possunt –. Ad postulatam vero impediendam gratiam appositum fuit Canonicorum dissidentium nomine assuetum – nihil transeat –. Alter tamen ex his solemni declaratione protestatus fuit, suum ab apposito impedimento abfuisse consensum; alter ex parte sua in eiusdem – nihil transeat – lacerationem convenit, ita ut agi videretur Causa inter unum Praepositum eiusque Nepotem ex una, et Oratorem ex altera parte. Aequitatem suae petitionis suadere contendit Orator ex Capituli consensu, cum maior adesset suffragiorum numerus, neglecto suffragio Canonici Nicolai Terribili, qui tamquam Clericus vocem habere non poterat in Capitulo: praeterea ex indemnitate Ecclesiae, cum dempto Oratore et Canonico Terribili, qui studiorum aberat causa, remanerent adhuc Canonici sex et prima Dignitas pro decenti illius servitio; demum ex iusta causa, cum Episcopus Fanensis multum sibi ex Canonico Valeriani promitteret – in sustinenda regiminis huius mole –. At Praepositus ad excludendum consensum Capituli tribuit Canonico eius nepoti (licet simplici Clerico et studiorum causa absenti) ius ferendi suffragium per schedam. Atque ita paribus constitutis suffragiis, ea secundum Capitulares Constitutiones, suum iterando, dirimere potuisse dixit. Haud de cetero subsistere dixerunt Praepositus et Canonicus Terribili, alium praeter Canonicum Valeriani non existere idoneum Sacerdotem, quem sibi Fanensis Episcopus in Vicarium Generalem assumeret, dum Episcopus ipse in sua informatione fatebatur, quod praefatus Canonicus, licet in iuventutis flore constitutus, – ei prae ceteris placuit –. Et admissa etiam in eodem Antistite necessitate assumendi Oratorem in Vicarium Generalem, adhuc tamen sustinuerunt, trahi eam non posse ad utilitatem Ecclesiae S. Victoriae, quae una ad concedendum indultum abessendi attendi debere videbatur, ex doctrina Reiffenstuel in ius can. tom. 3 tit. 4 §. 7 n. 198.

71. His utrinque perpensis, proposito dubio – An et quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad alium annum tantum absque spe ulterioris prorogationis, et amplius – *in Firmana et Fanen. Indulti abessendi die 26 Novembris 1796.*

72. Hinc exequendum est Indultum abessendi a Choro ab Sacra Congregatione concessum causa studii, licet adsit lex assistendi choro nec non Decretum Episcopi, quo mandatur, fructus absentibus haud acquiri, eosque assistentibus accresci *in Aquinaten. Participationis die 14 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

73. Siquidem – ex Mensa Archipresbiteralis Ecclesiae Parochialis S. Antonii Castri Pici anno 1652 erecta extitit auctoritate Episcopi Ecclesia Receptitia pro omnibus naturalibus Civibus eiusdem Castri Ordinibus Sacris insignitis, Archipresbytero aliisque Praebendariis onere iniuncto conveniendi in Ecclesia nec non assistendi choro aliisque divinis Officiis in huiusmodi Ecclesiis Receptitiis fieri solitis, ut latius ex particula Capitulationum, quae circumfertur. Verum quia deinde Praebendarii absque residentia et interessentia fructus eiusdem Ecclesiae superlucrari praetendebant, idem Episcopus huic inconvenienti occurrendo opportune decrevit, «fructus absentibus minime acquiri eosque assistentibus accresci»; quod usque nunc debitam executionem obtinuit. Ast Capitulationibus praefatis et Episcopi Decreto non obstantibus, volens Antonius Carnevale Praebendarius dictae Ecclesiae et Alumnus Seminarii Pontis Curvi, licet absens, de dictis fructibus participare, sub die 1 Martii 1704 indultum causa studii de more concedi solitum ab hac Sacra Congregatione reportavit, praevia favorabili Episcopi informatione pariter circumferenda, vice vero versa Archipresbitero aliisque PraebendariisMonitorium petentibus ab A. C. super observatione Capitulationum, ad instantiam Oratoris per R. P. Auditorem Sanctissimi praefatae controversiae resolutio remissa extitit EE. VV., a quibus modo responsum expectatur –. Proposito hinc dubio: – An

Indultum, de quo agitur, sit exequendum? –, Sacra congregatio respondit: – Affirmative – *in Aquinaten. Participationis die 14 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

74. Qua de re quum Sacra Congregatio, attentis peculiaribus rerum circumstantiis, censuisset, consulendum esse Sanctissimo pro gratia habilitationis Clerici Stecconi ad obtinendum Legatum seu Beneficium erectum in Collegiata Ecclesia S. Bartholomaei Busseti, proposito dubio: – III. An et quomodo sit concedendum indultum abessendi studiorum causa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative arbitrio et conscientiae Episcopi, dummodo non excedat aetatem annorum viginti quinque – *in Burgi S. Domnini Legati die 19 Augusti 1797* (1).

75. Unde compertum etiam est, ex speciali Rescripto s. m. Clementis XIII diei 18 februarii 1667 exemptos fuisse a punctaturis Canonicos et Beneficiatos, qui tempore Quadragesimae decendium in chatacheseos explicationem operam navant *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Postea.*

§. III.

DISPENSATIO SEU INDULTUM ABESSENDI A RESIDENTIA.

1. Compertum est, plurimum differre simplex Indultum non interveniendi choro certis diebus et horis, quod facile conceditur ratione munerum, ab altero Indulto non residendi in loco Beneficii, de quo late tractant Fagnanus in Cap. *Licet* de Praebendis n. 11 et Reiffenstuel in ius can. tit. 4 de clericis non residentibus, quod difficilius conceditur, et nonnisi ad breve tempus, et arctioribus cohibitum clausulis: in primo enim casu Canonicus seu Beneficiatus aliquod servitium Ecclesiae suae praestare potest ac debet iis diebus et horis, in quibus non impeditur a munere; in altero vero casu nunquam ad Ecclesiam accedere potest is, qui longe a residentia aberrat *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Notandum.*

Item *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824* §. *Manifesta.*

2. Hinc in Decreto iussu s. m. Innocentii XII die 2 maii 1693 edito statuitur, revocanda esse iam concessa, et in posterum non concedenda Indulta quoad Gubernatores et Vice – Legatos, qui temporali ecclesiastici Status servitio mancipati sunt, et confirmanda iussit Indulta quoad Nuncios tantum, in quibus sine ulla dubitatione verificatur legitima causa utilitatis Ecclesiae, de qua meminit Bonifacius VIII in cap. unico de clericis non residentibus in 6 *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Notandum.*

Item *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824* §. *Manifesta.*

3. Qua de re proposito dubio: – II. An et quomodo sit concedendum Indultum iis, qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum Beneficii nunquam possunt durante munere suis Ecclesiis deservire et chorali officiaturae personaliter interesse? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative exceptis Nunciis et Internunciis – *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820.*

4. Idcirco multo minus Indultum abessendi conceditur, si Clericus ad onera implenda iuramenti vinculo se obstrinxerit: quandoquidem quum Canonici Collegiatae Ecclesiae iuxta praescriptum testatorum fratrum Bandi nominaverint Clericum Franciscum Richini, qui iureiurando promisit onera omnia et conditiones a Fundatoribus impositas adimplere, sed in Seminario Auximano degens studiorum causa inde postulavit Indultum abessendi a residentia quousque cursum studiorum complevisset, proposito dubio: – I. An sit concedendum Indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Nullius Sancti Rufilli die 9 Aprilis 1785.*

5. Qua de re quum ob numerum Canonicorum absentium valde imminuatur cultus divinus cum Ecclesiae dedecore ac Populi

(1) Reliqua quoad eos, qui absunt causa studiorum, vide in Verb. *Absentia causa studii*, Tom. I.

scandalo, mandatur quidem executio gratiae abessendi e loco residentiae ad annum causa studii iam concessae, sed absque spe ulterioris prorogationis, et Episcopus cogere tenetur omnes absentes prout de iure *in Spoletana Indulti die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

6. Iamvero - Felix Rodulphus alumnus Collegii Capranicensis et Canonicus divae Mariae Terrae Cassiae obtinuit a Sacra Congregatione Indultum, quo ipsi conceditur, ut per alium annum ex causa studii a residentia sui Canonicatus abesse possit. Cum autem Episcopus Spoletanus, cuius arbitrio et conscientiae remissa fuerat eiusdem Indulti executio, potius duxerit, illam esse suspendendam, attento praesertim exiguo numero Canonicorum praesentium et habilium diurno chori servitio, cum ex uno Archipresbitero et duodecim tantum Canonicis Capitulum constituatur, inter quos tres iubilatione gaudeant, alter infirmitate crurium frequenter detineatur et tres sint absentes, adeo ut nedum in solemnioribus diebus, sed in ipsa mere feriali et quotidiana sacrorum officiorum celebratione cum maxima divini cultus diminutione, Ecclesiae dedecore, ac universi Populi scandalo, unus vel duo in choro remaneant et in processionibus Venerabilis duo tantum paria seu quatuor Canonici bini processionaliter incedere cogantur, a sapientissimo proinde EE. VV. oraculo statuendum est: – An demandanda sit omnimoda executio Indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro executione gratiae absque spe ulterioris prorogationis, et Ordinarius cogat alios absentes, prout de iure –*in Spoletana Indulti die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

7. Ceterum non desunt dispensationum exempla ab Sacra Congregatione, iusta intercedente causa, concessa, ut residentialis Beneficii Rector alium sufficeret Sacerdotem, qui oneribus satisfaceret *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827* §. *Nec.*

8. Siquidem quum Sacerdos Polastri Capellaniam cum onere praestandi servitium per se ipsum in Ecclesia parochiali Bremidae possideret, Apostolicum impetravit Indultum abessendi per quadrimestre anni, petiitque Alexandriam, ex eo quod gravia in crure vulnera, ob infectum loci aerem, contraxerat. De sua inde, Medicorum opinione, desperans salute, si Bremidam rediret, lares ibi figere decrevit, Ecclesiaeque servitio assuetus, accepit anno 1789 per Apostolicas resignationis Literas residentialem Alexandrinae Collegiatae SS. Petri et Dalmatii Archipresbiteratum, nulla tamen facta mentione Capellaniae Bremidae. Summo Pontifici hinc ante illius possessionem supplicavit pro facultate retinendi utrumque Beneficium, et adimplendi per alium onera Capellaniae. Archiepiscopus, attento insanabili pene illius morbo, censuit, – ut aliquid solaminis tribuatur Oratori, qui cum laude munere suo ad annos ultra triginta perfunctus est, et alibi consistens, a morbo contracto convalescere, ac salutem suam vitamque tueri valeat, e re esse ut eidem Apostolica benignitate indulgeatur, ut alium substituere valeat sacerdotem, in mea Diaecesi approbatum, qui Beneficii praedicti (Bremidae) oneribus satisfaciat. Orator vero interim Alexandriae moram trahens, in Archipresbiteratu, de quo agitur, instituatur –. Proposito itaque dubio: – II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione et reconvalidatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi – *in Papien die 19 Februarii 1791.*

9. Donec enim iusta perdurat causa, conceditur Indultum abessendi, impletis per alium Sacerdotem oneribus *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827.*

10. Enimvero obtinuit Ioseph Camilleri dudum Patrimonium a Dominico Bonnici in Ecclesia parochiali Civitatis Victoriosae institutum ea adiecta conditione, ut, si in praefata Ecclesia fundaretur aliqua Collegiata, is intervenire deberet choro cum Canonicis. Anno 1821 de facto Ecclesia illa fuit evecta in Collegiatam: hinc Camillerius ad Sacram Congregationem confugit, Indultum abessendi efflagitans. Nam ut ipse, qui erat unicus filius, posset nedum Sororum curam habere, sed insuper opitulari Patri, qui octavum supra sexagesimum, et Matri, quae octogesimum aetatis implevit annum, necessarium erat, ut a choro et residentia abesset. Nedum imo ipsius petitio pietate, sed etiam aequitate et praesumpta Fundatoris voluntate innitebatur.

Unde Episcopus sic sententiam suam aperuit: – Arbitror ego, memorati Sacerdotis Camilleri instantiam aequam et rationabilem esse, quoties ipse, perdurante causa, onus a Testatore illi iniunctum per alium impleverit Sacerdotem –. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo concedendum sit Indultum abessendi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi – *In Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827.*

11. Qua de re quum Antonius Maceiras obtinuisset Capellaniam residentialem in Ecclesia Lucensi in Hispania Tarraconensi, Compostellam petiit studiorum causa, sed defuncto Patre remigravit in patriam, ut inopi Matri ac parvae Sorori, quae in familia erat, praesidium atque opem ferret, ibique ea de causa morabatur, iam in societatem Cleri eiusdem loci adscriptus. Supplicavit propterea, ut indulgeretur ad Lucensem Ecclesiam non ire, deputato alio suis impensis, qui onera Capellaniae impleret. Proposito hinc dubio: – II. An sit locus Indulto abessendi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative durante vita Matris tantum, impletis tamen per alium omnibus oneribus –*in Lucen. die 1 Martii 1766.*

12. Hinc multo magis Indultum abessendi a choro et residentia ad triennium, impletis per alium oneribus, conceditur, si Ecclesiae necessitas urgeat *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824.*

13. Siquidem Sacerdos Pius Franciscus Corsi anno 1794 Capellaniam obtinuerat in Ecclesia parochiali Oppidi Hortinovi cum onere celebrandi functiones, prout in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis fieri solet. Cum inde vero, volente Episcopo, munus Parochi suscepisset in Paraecia *di Migliarina,* ob tenuitatem redituum tam Capellaniae, quam Paraeciae, Indultum petiit abessendi a choro et residentia. Episcopus retulit, vix habere alium modum providendi praedictae Paraeciae; adeoque enixe rogavit – ut ad decennium saltem abesse possit a personali residentia ac chori interventu, nec non ut per alium oneribus Missae cum cantu Missae lectae Rosarii recitationis et Viae Crucis satisfacere valeat, ipso super ceteris omnino dispensato –. Proposito itaque dubio: – An et quomodo concedendum sit Indultum abessendi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, attenta necessitate, iuxta votum Episcopi, ad triennium, facto verbo cum Sanctissimo – *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824.*

14. Qua de re quum Hieronymus Catalinus Camers obtinuisset Capellaniam erectam in Ecclesia Sanctissimae Conceptionis Ploraci, quae onere residendi in eodem loco Ploraci celebrandi nec non Sacramentales Confessiones audiendi per se ipsum, excepto casu infirmitatis vel legitimae causae, gravata erat, sub obtentu valetudinis, ob gravem aerem loci sibique obnoxium, ab eo divertendi veniam pluries petiit et assequutus est, donec die 24 martii 1764 ad sex tantum menses absque spe prorogata est. Hinc aliam viam iniit, Sanctissimo per Datariam preces obtulit de impetranda perpetua facultate non residendi, quas Emus Pro–Datarius ad Sacram Congregationem remisit pro voto. Sed homines Oppidi, quos inter familia Fundatoris heredes, contradixerunt. Proposito itaque dubio: – An sit locus Indulto abessendi et celebrandi per alium Sacerdotem sive Saecularem, sive Regularem in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad triennium, si tamdiu necessaria infirmitatis causa perduraverit, onerata Oratoris conscientia, et adimpletis interim omnibus oneribus per Sacerdotem Secularem idoneum etiam ad excipiendas confessiones sacramentales – *in Camerinen. die 21 Iunii 1766.*

15. Unde quum Sacra Congregatio, attenta paupertate Antonii Moschetti, censuisset, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione ad effectum retinendi ad triennium Canonicatum erectum in Ecclesia Collegiata Oppidi *Montegiorgio* cum Capellania adnexam habente curam animarum ad nutum amovibilem in contermino agro Pagi *Monteverde,* proposito dubio: – II. An et quomodo et ad quod tempus sit concedendum indultum abessendi a choro in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative ad triennium, amissa tertia parte tantum distributionum, et adimpletis per alium oneribus – *in Firmana die 18 Iulii 1807.*

16. Hinc licet Communitas loci Scalengiarum institisset, ut Lucius Antonius Olgiati Canonicus Coadiutor in Cathedrali Ecclesia Vercellensi ab ipsius patre patrono nominatus ad Capellaniam in Ecclesia S. Sebastiani martyris erectam per seipsum in aurora Missam celebraret ibique resideret ad formam fundationis, Sacra Congregatio, attenta Patroni qualitate, proposito dubio: – II. An sit locus dispensationi ab onere residentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative in casu, de quo agitur, facto verbo cum Sanctissimo – *in Taurinen. die 29 Aprilis 1780.*

17. Quum autem Laurentius Geraldini Presbiter Congregationis Missionis Capellaniam erectam in Parochiali Ecclesia Castri Pinnae cum onere residentiae et celebrandi tres Missas obtinuisset, eiusque titulo ad Ordines promotus fuisset, nec reditus satis essent ad persolvendum stipendium alteri Sacerdoti, qui in designata Ecclesia Missarum onera adimpleret, adeoque petiisset onerum Missarum translationem seu reductionem ac dispensationem a residentia, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus translationi seu potius reductioni Missarum in casu etc. II. An favore Sacerdotis Laurentii Geraldini sit locus dispensationi a residentia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem (1)-*in Amerina Reductionis et Dispensationis die 7 Augusti 1773.*

18. Similiter, attentis peculiaribus rerum circumstantiis, proposito dubio: – An et ad quod tempus concedendum sit Indultum absentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Veliterna die 17 Septembris 1814.*

19. Quod si desit iusta et rationabilis causa ac mens Fundatoris obstet, haud conceditur Capellano Indultum abessendi nec non per alium onera implendi *in Auximana Indulti die 9 Iulii 1768.*

20. Iamvero anno 1754 Carolus Lavinius a Patronis nominatus obtinuit Capellaniam sub invocatione S. Michaelis Archangeli fundatam in Ecclesia S. Mariae Angelorum Oppidi Philoptrani ea adiecta lege, ut eam assequi non posset, qui curam animarum haberet, vel Beneficium residentiale cum eadem Capellania incompatibile possideret, alias intra tres menses a die nominationis illud dimittere teneretur, si Capellaniam retinere vellet. Lavinius autem, post sedula ac tam diuturna usque in praesens in loco residentiae habita studia, exoptans vel in munere praedicationis, vel Vicarii Generalis, vel aliis huiuscemodi, fructum studiorum suorum consequi, anno 1766 preces Sanctissimo dedit pro Indulto abessendi ac implendi onera Capellaniae per alium. Is enim contendit, Capellaniam esse mere laicalem, nec ideo exposcere personalem residentiam, nec implementum onerum per se ipsum; ac proinde quod sibi iure licebat libentius Apostolico Indulto abessendi confirmandum esse, maxime quia Fundatoribus consanguineus erat, consensum habebat Patronorum, nullum Ecclesiae ac cultui divino detrimentum inferebatur, et communis observantia vigebat implendi onera per alium, tum in ipsamet Ecclesia Montis Philoptrani, tum in aliis Provinciae Marchiae. Episcopus deliberationem, quam initis consiliis alii Capellani fecerunt, transmisit, quae summatim haec habebat: Fundatores Capellanias instituisse pro auxilio Familiarum, et adeo voluisse personalem residentiam, ut easdem incompatibiles declaraverint cum aliis Beneficiis residentialibus; obstare ideo apertam Fundatorum voluntatem, ne per incognitos Clericos Ecclesiae inservirent, neve ad alia munera implenda ab Ecclesia abessent; idque pessimi futurum esse exempli, cum deinceps alii quoque ex iisdem, imo urgentioribus causis facile idem Indultum essent petituri et obtenturi; falsum esse suppositum stylum inserviendi choro per alium, sed tantum, urgente legitimo impedimento, aliquando absentes subrogasse alios pro implemento onerum Missarum, vel pro exercitio muneris Diaconi et Sub-

(1) Nempe, ut Episcopus iura tam originalia fundationum Capellaniae, quam subsequuti augmenti reditnum atque onerum transmittat, et consequutive referat, utrum fundi taxative, sive potius demonstrative, assignati compereantur, et quatenus revera constet, fundos demonstrative constitutos fuisse, an adsint heredes, adversus quos iura experiri possint, vel eorum suppetant bona, quae ad praemissum effectum impeti valeant, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 33 die 7 Augusti 1773.*

diaconi in festis solemnioribus. Nullam vero subesse causam concedendi Indultum, cum Carolus nunquam Concionatoris munus gessisset, et idem facile implere posset, vel tempore bimestris vacationis in fundatione concessae, vel obtenta diuturnioris temporis absentia a Decano. Officium Vicarii Generalis valde remotum esse, cum studiis legalibus nunquam operam dederit, nec Laurea esset insignitus. Longaevum usque nunc praestitum Ecclesiae servitium non laudabile, nec praemio dignum esse, cum singulis annis plurium mensium punctaturis semper fuerit mulctatus. Demum Carolum ultra aliam Capellaniam laicalem in Oppido Appignani retinere Canonicatum in Oppido *Montecchio,* a cuius residentia fuit a s. m. Benedicto XIV dispensatus expressa lege, ut in Ecclesia S. Mariae Angelorum resideret.

21. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Auximana Indulti die 9 Iulii 1768.*

22. Cum vero agitur de residentia causativa, denegari non solet absentiae indultum *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *Quatenus.*

23. Imo tametsi Canonicus absens ex causa utilitatis Religionis et Ecclesiae etiam universalis, non autem propriae Ecclesiae commodum respiciente, quotidianas distributiones de iure non lucretur, uti per Textum in Cap. *Cum dilectus,* Cap. De cetero, et Cap. *Ad audientiam* de Clericis non residentibus, communiter docent Canonistae, inter quos Fagnanus in Cap. *Licet* n. 160 de Praebendis, et Reiffenstuel in ius can. lib. 3 tit. 4 §. 7 n. 199, iuxta praxim tamen Sanctae Sedis videtur, eiusmodi Indulta percipiendi quotidianas distributiones una cum ceteris emolumentis choro praesentibus dari solitis consuevisse impertiri, quum ex praemissa Religionis sive universalis Ecclesiae causa abesse contingerit, ut ex pluribus similium Indultorum exemplis relatis per Reiffenstuel loc. cit. n. 210, Barbosam de offic. et potest. Episcopi alleg. 43 n. 155, Garciam part. 3 cap. 2 n. 356, quibus consonant Rescripta Sacrae Congregationis edita in Tolетana 4 Iunii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 110, in Anconitana 2 Augusti 1670 lib. 26 Decretorum pag. 236, in Romana 28 Iulii 1730 lib. 80 Decretorum pag. 14, et in alia Romana 28 Aprilis 1736 lib. 86 Decretorum pag. 175 *in Colonien Indulti die 1 Augusti 1739* §. *Momentum.*

24. Hinc Sacra Congregatio concessit quidem Indultum abessendi ob servitium Archiepiscopo praestandum cum perceptione fructuum et distributionum, non vero ob aliud servitium distributiones indulgere censuit, licet utilitas Religionis et Ecclesiae universalis adesse videretur *in Colonien. Indulti die 1 Augusti 1739.*

25. Enimvero Hermannus Wernerus de Bossart Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Andreae et Canonicus alterius Collegiatae S. Gereonis Civitatis Coloniae in supplici libello, quem Summo Pontifici anno 1736 porrexit exponens, - qualiter, dum antehac extitit in servitiis Serenissimi Archiepiscopi Coloniensis praefata sua Serenitas vigore Indulti Pontificii ipsum a residentia et frequentatione chori in praedicta Ecclesia ad S. Andream taliter liberaverit, et nihilominus tam corpus, quam quotidianas distributiones et quascumque obventiones Canonicatus dictae Praepositurae ex laudo antehac inter tunc temporis Praepositum et Capitulum inito et a S. Sede Apostolica approbato annexi perceperit, et quamvis Capitulum praefatae Ecclesiae Collegiatae se opposuerit, attamen, capta praecise informatione a tunc temporis Nuncio Apostolico, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, utraque parte informante, sub die 24 septembris anni 1729 censuit Indultum suffragari–; mox vero subiungens, quod propter sibi collatum a Caesarea et Catholica Maiestate ministerium Residentis in Circulo Vestphalico, - servitia Serenissimi Coloniensis dimittere debuerit, modo autem pro Sacra Caesarea Catholica Maiestate supremo Ecclesiarum protectore et defensore et Imperio Romano pluribus negotiis, quam antehac, sit occupatus, atque inter haec saepius talia occurrant, quae magnam cum Religione et rebus Ecclesiae habent connexionem, sicque penes Ecclesiam Collegiatam S. Andreae, (ubi praeter corporalem certis diebus praesentiam ad nullum omnino vel Altaris, vel chori aut Capituli Officium

obligatus existit) residere, ibidemque chorum frequentare nequeat, humillime a Sanctitate Sua imploravit, quatenus ex speciali gratia quoad dictam residentiam Canonicalem in Ecclesia Collegiata S. Andreae secum taliter dispensare clementissime dignetur, ut eidem de omnibus fructibus et emolumentis, ac si continuo in choro praesens esset, Capitulum respondere debeat –. Nam id assequi contendit ex causa utilitatis Religionis et Ecclesiae universalis, quin detrimentum Ecclesiae S. Andreae ob magnum Canonicorum numerum obveniret. Insuper is centum octoginta quatuor diebus tantum in singulos annos servitium praestare obstringebatur; nec vocem in Capitulo habebat, nec munus ullum obire tenebatur. Demum idem Indultum obtinuerat, donec Archiepiscopo inservivit, qui eidem favit. Capitulum vero contradixit.

26. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus concessioni petiti Indulti etiam quoad distributiones quotidianas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro concessione Indulti ad triennium, si tamdiu Orator duraverit in munere, amissis distributionibus quotidianis –*in Colonien. Indulti die 1 Augusti 1739.*

27. Sustinenda autem sunt Indulta Pontificia vacandi a residentia, cum fuerint rite per Canonicum obtenta, quin obstet praetensum vitium subreptionis et obreptionis *in Maceraten. die 14 Martii et die 18 Iulii 1778.*

28. Siquidem Franciscus Angelucci Canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiae Maceratensis cupiens exercere munus Vicarii Generalis postulavit Indultum abessendi a choro et residentia: sed Sacra Congregatio die 23 martii 1765 respondit: – Lectum –. Canonicus tamen subsequenti mense aprilis chorum Ecclesiamque deseruit, munusque Vicarii Generalis Aesini Antistitis assumpsit. Elapso triennio, rursus dispensationem a residentia petiit; sed iterum Sacra Congregatio die 23 aprilis 1768 responsum dedit: – Lectum –. Quum autem ab S. Congregatione Rituum a die 12 iulii 1766 constitutus fuisset Iudex delegatus pro construendo processu Apostolico super virtutibus et miraculis in specie venerabilis Servi Dei Fratris Angeli Antonii Sandreani Minoris Conventualis, ne perirent probationes, petiit a Summo Pontifice per organum praefatae S. Congregationis Rituum Indultum vacandi a residentia, et voti compos factus est die 10 septembris 1768 sequenti Rescripto: – Sanctisssimus benigne annuit pro gratia iuxta petita, durante constructione processus –. Exin Angeluccius petens executionem antedicti Indulti, quum Capitulum obstitisset, absque ulla limitatione, causa absolvendi praefatum Apostolicum processum, die 1 iulii 1769 reportavit Rescriptum: – Sanctissimus ex causis sibi notis et ex speciali facultate benigne annuit precibus –. Capitulum itaque nulla ac irrita esse contendit praefata Indulta, cum ex Decreto edito ab Innocentio XII et confirmato a Clemente XIII die 15 aprilis 1768 nequiverit dictus Canonicus, declinata S. Congregatione Concilii, aliam Sacram Rituum Congregationem adire pro eadem obtinenda gratia. Addidit, nullam mereri exequutionem obtenta Indulta tamquam vitio subreptionis infecta, ex eo praesertim quod praefatus processus ante diem 8 iunii 1768 iam fuisset absolutus; nulla propterea et irrita esse Pontificia Indulta obtenta posterioribus diebus 10 septembris 1768 et 1 iulii 1769 ob causam construendi processum. Contrarium vero fuit votum Aesini Episcopi, qui nedum solertiam et sollicitudinem Angelucci in supradicto conficiendo processu commendavit, sed et contendit, Rescripta Pontificia ab ipso Canonico obtenta religiose servanda.

29. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Indulta Pontificia obtenta per Canonicum Franciscum Angelucci sint sustinenda in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sint observanda et exequenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Maceraten. die 14 Martii 1778.*

30. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Maceraten. die 18 Iulii 1778.*

31. Indultum vero abessendi e loco residentiae causa exercendi munus Vicarii Generalis concessum a Sacra Congregatione attendendum est a die concessionis, non autem

a die, quo vigore assertae consuetudinis Capituli incipit annus choralis *in Firmana Indulti die 7 Maii 1707 lib. 57 Decretorum.*

32. Siquidem – sub die 10 iulii superioris anni obtinuit Ioannes Baptista Boccardus Primicerius Ecclesiae Metropolitanae Firmi Indultum ab hac Sacra Congregatione, ut causa exercendi munus Vicarii Generalis Emi Episcopi Ferrariensis abesse possit a residentia per annum proximum tantum, cum facultate percipiendi interim duas ex tribus partibus distributionum. Exhibito autem huiusmodi Indulto pro parte dicti Boccardi Capitulo illius Metropolitanae ad effectum consequendi distributiones pro tempore suae vacationis, Capitulum eas praestare renuit, respectu nempe temporis vacationis a dicta die 10 iulii usque ad diem primam septembris eiusdem anni eo sub fundamento, quod cum annus choralis vigore assertae consuetudinis in illa Metropolitana vigentis initium capiat a die prima septembris, idcirco non aliter, quam a dicta die indultum praefatum suas vires resumere intelligatur; quodque cum praecedenter praelibatus Primicerius vacaverit longe ultra tres menses permissos, hinc putat, ut non solum trimestris, verum etiam aliarum dierum vacationum distributiones amiserit, vigore alterius pariter assertae consuetudinis inibi obtinentis, lucrandi scilicet distributiones etiam in tribus mensibus permissis, sive continuis, sive interpolatis, cum hoc tamen, ut si quis, vel unica die ultra trimestre tempus a servitio vacaverit, nedum illius diei, sed etiam totius trimestris, distributionum iacturam faciat. Ab hac porro Capituli renitentia recurrit Boccardus ad Emum Episcopum, qui Causam decidendam reiecit ad Sacram Congregationem, votum suum proferens eiusdem Boccardi favore, ex motivis recensitis in relatione in Summario exhibita. Super his igitur concordato dubio ac monito Procuratore Capituli, exquiritur integerrimum EE. PP. oraculum, quo decernatur: – An Indultum, de quo agitur, veniat attendendum a die concessionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – A die concessionis – *in Firmana Indulti die 7 Maii 1707 lib. 57 Decretorum.*

33. Imo Sacra Congregatio nedum concedit, sed et prorogat indultum abessendi e loco residentiae, ut Canonicus lites alibi agendas defendere valeat *in Varmien. Indulti die 4 Septembris 1700 die 18 Februarii et die 1 Aprilis 1702 lib. 50 et 52 Decretorum.*

34. Siquidem – anno 1691 reclamante Capitulo Cathedralis contra tunc temporis Episcopum, quod iste videlicet per novas et indebitas impositiones nimium gravaret subditos aliaque perageret contra Constitutiones Ecclesiae, Canonicus Bassanus Procurator et Plenipotentiarius Capituli emisit Varsaviae protestationem apud acta Nuntiaturae, et Procurator eiusdem Capituli in Curia, sub die 23 Novembris eiusdem anni obtinuit a Sacra Congregatione Episcoporum Literas ad tunc Nuncium Apostolicum pro informatione et voto, quas Capitulum cum Bassani laudibus et honorificis gratiarum actionibus suscepit, et postea per eius Secretarium ad Internuntium pro earum executione transmisit. Verum minante, ut asseritur, Episcopo, ab ipso detegendos et plectendos excessus capitulares, Canonici destiterunt ab ulteriori recursu contra eumdem, et praetermisso D. Nuncio, contemptisque protestationibus super delatis gravaminibus Provinciae ad S. Sedem cum eodem Episcopo concordarunt et in instrumento concordiae declararunt, protestationem a dicto Bassano factam et exposita in Memoriali porrecto Sacrae Congregationi fuisse *praeter mentem* Capituli et extra materiam contentam in punctis demandatis eidem Procuratori ablegato, a qua declaratione appellante Bassano ad Emum Santacrucium, reportavit sententiam abrasionis dictorum verborum *praeter mentem,* praecipue contra duos Canonicos, nempe Hoffmannum Praesidem et Rostkovuki respective Capituli deputatum, qui etiam cum appellassent ad S. Sedem una cum Capitulo obtinuerunt anno 1694 Breve commissionis Eminentissimo Raziouski directum, quo circumscripto per Signaturam Iustitiae, res delata fuit ad A. C. coram quo adhuc silet. Occasione huius litis et defensionis Causae absens Bassanus a residentia, fuerunt eidem a Capitulo et Canonico Kugnik eius administratore denegati fructus seu reditus sui Canonicatus, pro quibus tamen consequendis Decretum favorabile a

Nuntiatura obtinuit una cum censuris adversus Administratorem, qui pariter cum Capitulo appellavit ad A. C. et inde citra sequutae dicuntur oppressiones iniuriae contumeliae explosiones cum sclopis glandibus plumbeis onustis venena ceteraque omnia fuse relata in informatione impressa Bassani; quibus omnibus successive ab eodem expositis huic Sacrae Congregationi, primo nempe die 2 maii 1693 rescriptum fuit Nuntio, ut Oratoris indemnitati consuleret, et eidem, donec absolveretur lis, Indultum abessendi a residentia impertiretur, et secundo die 29 martii 1697 EE. PP. iniunxerunt Nuntio successori, ut sua dexteritate et prudentia studeret Partes componere et certioraret. In sequelam horum Decretorum Bassanus dedit folium in albo ab ipso subscriptum Nuntio Doria, qui illud replevit pluribus articulis in informatione distinctis, et ut ait dictus Bassanus, nimis gravantibus, a quibus interposita appellatione ad hanc Sacram Congregationem, eaque non obstante, dictus Nuntius, reassumpta Causa coram eo antecedenter mota per Canonicum Hoffmannum vigore L. *Diffamari* Cod. de ing. et manumiss. super veneno et explosione sclopi praetensa per Bassanum, dictum Hoffmannum absolvit uti inculpabilem, nec non iniunxit, ut ab eo Bassanus veniam peteret in publico Capitulo, postquam reversus esset ad residentiam.

35. His igitur stantibus, licet Causa articuli *praeter mentem,* et altera fructuum anni 1694 prout etiam excommunicationis Kugnik introductae fuerint coram A. C. eo sub fundamento, quod habeant omnimodam connexionem cum aliis punctis, et quod per suppositionem omnium controversiarum compositioni demandatae a Sacra Congregatione Nuntio Apostolico cum mutuo Partium consensu videatur renunciatum et recessum a iurisdictione A. C., dictus Canonicus Bassanus enixe petit super infrascriptis dubiis ab EE. VV. responderi –, scilicet: – I. An in sua ablegatione processerit formam mandati Capitularis et non *praeter mentem,* et clausula *praeter mentem* apposita in concordia cassanda sit et abolenda? II. An cassandi et abolendi sint libelli famosi in forma citationum una cum iniuriosis descriptionibus in actis Capitularibus nec non acta facta in tribunali laicali? III. An circumscribenda sit sententia Nuntiaturae super explosionibus et veneno? IV. An integre debeantur fructus omnes sui Canonicatus a die, quo cepit abesse ad se defendendum adversus clausulam *praeter mentem* ac pro tempore absentiae ex causa infirmitatum explosionum veneni et persecutionum? V. An reficiendi sumptus omnes litis et litium damna et interesse liquidanda? VI. An restituendae scripturae penes Dominum Nuncium Doria existentes? VII. An et quomodo consulendum sit eius indemnitati? VIII. An et quomodo consulendum indemnitati et conservationi Provinciae Varmiensis? *Et quatenus ob angustiam temporis non possint praedicta debite examinari, supplicat per modum provisionis decerni sibi aliquos fructus; unde quaeritur*: IX. An et in qua summa sit in hoc exaudiendus? –, Sacra Congregatio respondit: – Renovetur Indultum ad annum, et interim in causam declarandam dentur scuta bis mille monetae Romanae ex fructibus et distributionibus decursus – *in Varmien. Indulti die 4 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

36. Quapropter soluta, ut asseritur, per Capitulum dicta summa scutorum bis mille, obtinuit novam audientiam praetendendo, quod huiusmodi summa cedere debeat in fructus Canonicatus in futurum decurrendos, eo quia praefatus Canonicus Bassanus subreptitie reportaverit dictum Indultum ab hac Sacra Congregatione, non facta mentione instantiae reiectae sub dicta die 25 ianuarii 1698, quam tamen idem Bassanus censet non oportuisse exprimere tamquam non cadentem super puncto residentiae. Unde Partibus utrinque monitis et informantibus, EE. VV. respondere non dedignabuntur: – I. An et in quam causam cedere debeant dicta scuta bis mille Canonico soluta vigore Decreti provisionalis Sacrae Congregationis? II. An sit concedenda renovatio Indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, expectetur exitus litis. Ad secundum, prorogetur Indultum ad sex menses – *in Varmien. Indulti die 18 Februarii 1702 lib. 52 Decretorum.*

37. Non acquiescit Capitulum Cathedralis Varmiensis resolutioni dicti primi dubii, eo quia praetendit ostendere ex iustificationi-

bus alias datis in praeterito summario omnes lites, videlicet Dignitatis Custodiae, deletionis clausulae *praeter mentem*, restitutionis cuiusdam summae pecuniarum censurarum Canonici Kugnik, alterationis actorum capitularium, propinationis veneni et explosionum globi igniti in fenestras, fuisse iam terminatas et in iudicatum transactas; quamobrem acquiescens Decreto prorogationis Indulti ad sex menses, dummodo tamen intra tempus huiusmodi Canonicus redeat ad residentiam, idem Capitulum supplicat iterum examinari dictum primum dubium –. Reproposito hinc dubio: – An et in quam causam cedere debeant scuta bis mille Canonico soluta vigore Decreti provisionalis Sacrae Congregationis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis in omnibus absque spe ulterioris prorogationis Indulti –*in Varmien. die 1 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

38. Itaque Indulta abessendi e loco residentiae a Sacra Congregatione concessa ex causa litis sunt servanda, licet maior Capituli pars praetenderet, quod obstarent Constitutio Nicolai V nec non Constitutiones Synodales *in Reatina Indultorum die 17 Decembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

39. Enimvero – obtinuit ab hac Sacra Congregatione Simeon Dominicus Ponam Canonicus huius Cathedralis sub die 6 februarii superioris anni 1706 ex causa litis, quam habebat cum Vicario Apostolico Reatino, Indultum abessendi per mensem a sua residentia, quod quidem sub die 13 martii ad alios quindecim dies ac sub die 27 eiusdem ad mensem et tandem die 8 maii tum subsequentis ad duos menses fuit prorogatum cum clausula: « amissa tertia parte etc.», iuxta consuetam formulam huiusmodi Indultorum. Simile porro Indultum ex causa litis, quam habebat in Curia, ac sub eadem forma et clausula ad duos menses reportavit Paulus de Matthaeis pariter Canonicus antedictae Cathedralis sub eadem die 27 martii, subinde prorogatum die 5 iunii eiusdem anni ad alium mensem, superaddita tamen alia clausula: « arbitrio et conscientiae Ordinarii ». Cum autem praefata Indulta fuissent exhibita Capitulo praedictae Cathedralis, insurrexit alter ex duobus Canonicis Syndicis sese opponendo illorum exequutioni, sub motivo subreptionis, qua praetenditur eadem Indulta vitiari, quod nimirum omissa fuerit in eis expressio assertae Constitutionis s. m. Nicolai V, quae dicitur in eadem Cathedrali vigere, quaeque demandat, quotidianas distributiones non deberi, nisi personaliter canonicis horis interessentibus; nec non Constitutionum Synodalium vetantium earumdem distributionum perceptionem absentibus sine Ordinarii licentia, quorum documenta usque modo non fuerunt allata, et forsan in Summario dabuntur. Hinc introducta Causa coram Vicario Apostolico, idem remisit eam decidendam ad hanc Sacram Congregationem. Quocirca requisita informatione olim Vicarii Apostolici; hic praemissa confirmando addit, quod cum alias ceteri Canonici similia obtinuissent Indulta promptam exinde invenerint executionem, qua ratione, inquit, alterum Canonicum Syndicum facto verbo cum maiori parte Capitularium expresse fuisse protestatum, nunquam velle nec intelligere huiusmodi Indultorum executionem retardare –. Utraque hinc parte monita, proposito dubio: – An Indulta sint servanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Reatina Indultorum die 17 Decembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

40. Hinc multo magis conceditur Indultum abessendi causa infirmitatis: quandoquidem quum Vincentius Benigni Canonicus unius ex Basilicis Urbis supplicasset pro Indulto vacandi a residentia causa infirmitatis, Sacra Congregatio illud concessit ad sex menses arbitrio et conscientiae Card. Archipresbyteri *in Romana die 19 Aprilis 1692 lib. 42 Decretorum.*

41. Idcirco postquam Ignatius Visconti Capellaniam SS. Ioannis Baptistae et Aloisii, in Ecclesia loci de Albizate erectam cum lege residentiae et celebrandi per se ipsum, obtinuerit, in malam incidit valetudinem tum corporis, tum eius potentiae visivae; proposito itaque dubio: – II. An supradictus Sacerdos teneatur in casu infirmitatis residere in loco de Albizate, sive potius sit eidem concedendum Indultum abessendi a loco residentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, teneri ad residentiam; et esse locum Indulto favore Oratoris, ratione infir-

mitatis, et amplius – *in Mediolanen. Beneficii die 18 Augusti 1781.*

42. Unde si loci aer sit adeo purus, ut Canonicus eum ferre nequeat absque gravi vitae periculo, conceditur Indultum abessendi ad triennium, onerata eiusdem conscientia *in Casertana Indulti die 16 Decembris 1797.*

43. Enimvero posita erat Cathedralis Ecclesia Casertae in culmine Montis, ubi dicebatur Caserta vetus, eiusque loci purissimus aer vim habebat maximam. Iamdiu in ea Canonicatum obtinuit Sacerdos Paschalis Piglialarmi e Villa Falciani, quae in patentibus erat campis, ac tertio ab illa distabat lapide, facileque prioribus provectae aetatis annis irritantem toleravit residentiae aerem. At cessit tandem rigido caelo, patique cepit nervorum distensiones in capite, ex quibus correptus semel fuit apopletico morbo. Qua de re Casertanus Episcopus, de consilio Medicorum ac Poenitentiarii et Theologi Cathedralis, illius favore decrevit anno 1789 exemptionem a residentia sub lege interessendi choro semel in hebdomada et solemnioribus festivitatibus. Post plures autem annos de eo dubitavit Decreto infirmus Canonicus, qui sexagesimum etiam agebat annum, eamdemque ex integro ab EE. PP. postulavit exemptionem, ipsorum relinquens deliberationi conditiones Indulti, quae conciliabiles essent cum physica eius constitutione. Episcopus exposita confirmavit; ac retulit, quod vix ille convalescebat, ad servitium redibat Ecclesiae, licet statim ex nocuo caelo in priores recideret infirmitates, tantoque impetu, ut Dominica Palmarum anni 1785 defecerit inter Sacra et in discrimen fuerit vitae; in compensationem vero deficientiae eius servitii – varia tum Ecclesiae, tum Capitulo grati sui animi suaeque religionis argumenta exhibere non destitit –. A capitulo vero opponebatur, – quod is modo ad aliquem vicinum Pagum, in eadem planitie positum, vel ad aliqua sua non longe a suis aedibus distantia praedia deambulando pertineat; modo Neapolim ad sua necessaria obeunda negotia proficiscatur interdum, ita ut eodem pacto posset Casertam illam ad suae inserviendum Ecclesiae frequentare, et si illius aer, (quod quidem inficiari non possit) sit ipsi malignus, minus infensus volventibus annis evadere poterit –. Aliter vero sentiebant duo Neapolitani Medici, quorum attestationem Episcopus exhibebat. Unde Episcopus, re accurate perpensa, ita suum aperuit votum: – In ea equidem sum sententia, ut supplex Canonicus Piglialarmi debeat vi Canonum immunis declarari a choro divinisque officiis, atque interim ita censeri praesens, ut non solum in absentia non sit notandus, sed quotidianas etiam distributiones participare debeat; verumtamen debeat identidem ad Cathedralem Ecclesiam accedere, ut videat, num forte ita processu temporis suum minuatur malum, ut postea sive diu, sive brevi aliquo anni tempore Ecclesiae valeat inservire; qua de re sua ipsi conscientia consulenda permittatur –.

44. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum Indultum absentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi ad triennium, onerata, si tamdiu – *in Casertana Indulti die 16 Decembris 1797.*

45. Qua de re quum ex testimonio in arte peritorum, licet alter ex illis contradicat, satis probatum extet, quod aer loci sit valde infestus Canonico infirmo, nedum conceditur Indultum abessendi a residentia et a choro cum facultate percipiendi distributiones quotidianas durante infirmitate, onerata tamen eiusdem conscientia, sed et quoad praeteritum indulgetur sanatio, quum absque legitima licentia abfuisset *in Eugubina Indulti die 13 Ianuarii et die 24 Augusti 1816.*

46. Siquidem in Oppido *Fratta* natus Sacerdos Ioseph Dell' Uomo, inde discedens in Paraeciam rurulem Montis Acuti diu a patrio caelo abfuit et deinde anno 1801 Canonicatum in Ecclesia Collegiata S. Ioannis Baptistae consequutus, ad patrios lares reversus est. Per quinquennium servitium chori praestitit. In morbum vero incidit anno 1806, cuius vi pes laevus in gangraenam evasit, et ad vitam conservandam necesse fuit partem anteriorem pedis, quam tarsum vocant Physici, amputare. Sed vulnus putrescens morbum ingravescentem fecit. Quare Medici et Physici consuluerunt Canonicum, ut se transferret in civitatem Perusiae, ut caelo

clementiori uteretur, ibique opportunioribus remediis curationi operam daret. Discessit itaque a residentia Ecclesiae, ut Perusiam concederet; neque annis 1806 1807 et 1808 fuit punctis notatus, si a choro abfuit, immo Canonici Missas hebdomadales, cum eius veniebat vices, gratis celebrabant. At anno 1809 cum exploratum esset Capitulo vulnus insanabile factum, sed nihilominus innixum baculo Canonicum praedictum incedere et Missas celebrare, rati Canonici eum deserere voluisse domicilium in oppido *Fratta,* dum domus, quam incolebat, vendiderat, eumdem monuerunt, se non posse eximere a punctaturis eique distributiones dare, nisi opportunum indultum a Sacra Congregatione Concilii impetraret. Hoc monitu expergefactus Canonicus Dell' Uomo preces dedit Sacrae Congationi, in quibus nil praecise narrans, se a residentia a biennio et ultra discessisse, sed generatim tantum, ei necessarium fuisse petere Perusiam, ut ibi bonam assequi posset valetudinem, indultum absentiae ex causa infirmitatis postulabat; atque ex Rescripto diei 2 maii 1809 exoravit, ut – per annum tantum incipiendum a die discessus, si tamdiu exposita causa perduraverit, abesse possit, et nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat –.

47. Hoc allato indulto, Canonici censuerunt, nihil consequutum fuisse Canonicum Dell' uomo, cum per annum tantum a die discessus inchoandum ex indulto abesse posset a choro, et ipse iam a triennio fere discesserat, et Canonici semper antea a punctis exemerunt. Repugnante Capitulo exequutionem huius Rescripti in posterum dare, Canonicus praedictus reclamavit ad Vicarium Capitularem, cum recursus ad Sacram Congregationem temporum iniquitate esset impeditus; sed nihil profecit. Eum itaque punctis mulctarunt, atque hoc nomine annua scuta novem ei detracta fuere. Accidit, ut die 8 septembris 1814 ipse Canonicus accessit ad Oppidum *Fratta* Missamque in Ecclesia Collegiata celebravit, quin choro interesset. Graviter hoc tulerunt Canonici, eoque gravius, quia noverunt, ipsum Perusiae commorantem diebus festis equo incedentem se conferre ad Ecclesiam ruralem Lugnani (quae Ecclesia aderat a Perusia duo millia passuum), ut Missam celebraret. Quare ab Episcopo Eugubino, ut remediis canonicis compelleret eumdem ad residentiam, postularunt. Tum is tria a Sacra Congregatione imploravit, scilicet Indultum perpetuum quoad futurum absentiae a Choro ex causa infirmitatis, sanationem quoad praeteritum, et restitutionem distributionum, quas post primum impetratum indultum Canonici pepercerunt. Constabat autem ex testimonio omnium Physicorum, Canonicum Dell' Uomo laborare vulnere ex amputatione tarsi in pede sinistro, atque vulnus nulla curatione sanari posse. Quare inutilis erat mora in civitate Perusiae, cum in Oppido *Fratta* adesset chirurgus Battaglia, qui amputationem fecit, et poterat vulnus, si non sanare, saltem delinire. Ex hoc praeterea vulnere non impediebatur Canonicus, quominus incederet et Missam celebraret. Immo constabat, illum equitando singulis festis diebus ad Ecclesiam ruralem Lugnani accedere, ibique Sacrum facere, atque etiam ad Oppidum *della Fratta* se transtulisse. Canonici idcirco concluserunt, infirmitatem obstaculo non esse residentiae, atque propterea remediis canonicis cogendum esse, ut choro interesset. Nam et Ioseph Magnani Medicus conductus *della Fratta,* instituens ex recentioribus chimicis opinionibus analysim elementorum aeris conclusit, aerem loci *Fratta* haudquaquam esse infestam, cum et plures eodem morbo affecti ad extremam pervenissent senectutem. Contra tamen chirurgus Battaglia iuratus affirmavit, caelum Frattae, etsi purum et salubre, adeo inclemens esse morbo Canonici, ut in discrimen eius vita adduceretur. Id quod confirmavit alter chirurgus Bonucci, qui addebat, vulnus exasperatum fuisse, ut Canonicus ad Oppidum Fractae redivit. In hoc opinionum conflictu Episcopus putabat, praehabendum esse iudicium Physici curantis Battaglia.

48. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedendum Indultum abessendi a residentia et a choro ex causa infirmitatis in casu etc. II. An sit concedenda sanatio quoad praeteritum in casu etc. III. An Canonicus dell' Uomo percipere debeat distributiones pro toto tempore absentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio

respondit: – Dilata; et, facto novo experimento in residentia pro tempore arbitrio Episcopi, recurrat – *in Eugubina Indulti die 13 Ianuarii 1816.*

49. Vix Canonico Iosepho dell' Uomo allata fuit haec Sacrae Congregationis deliberatio, confestim novas obtulit preces, ut ab imperato experimento dispensaretur, ne ad extremum adduceretur vitae discrimen. Nam et Medici et Chirurgi Perusini affirmabant, cum ad Oppidum Fractae se conferre non posse ad subeundum experimentum, quum et in febrim incidisset, et ex lapsu, dum Missam celebrare volebat, contusa laeva corporis parte, aucta vi morbi, vix ulla superesset spes, ut septuagenarius homo a lecto valeret consurgere. Episcopus testabatur, – Canonicum Dell' Uomo ad chorale servitium habitualiter esse inhabilem nedum aetatis pondere, sed aegra maxime crurium aptitudine eiusque nunc vitae gradum ex Physicorum curantium testimonio, qui competens iudicium in obiecto valent proferre, ab aere Fractensi prorsus abhorrere –. His itaque perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus durante infirmitate, onerata. Ad secundum, Affirmative ad effectum percipiendi fructus Praebendae pro toto tempore absentiae et quotidianas distributiones a die discessus usque ad diem 2 maii anni 1809. Ad tertium, quoad distributiones ad totam diem 2 maii 1809, provisum in secundo, quoad vero distributiones ab hac die ad diem 10 iunii 1815, Negative; in reliquis, Affirmative - *in Eugubina Indulti die 24 Augusti 1816.*

50. Hinc eo vel magis Presbitero causa infirmitatis conceditur Indultum abessendi a Diaecesi donec convalescat, cum is Beneficio residentiali nuncium miserit, quin obstet respectivi Episcopi oppositio ob magnam Sacerdotum inopiam *in Amerina Residentiae die 25 Ianuarii 1823.*

51. Siquidem Hippolytus Sacerdos Fossati Amerinae Diaecesis et unus ex Beneficiatis illius Cathedralis, annuente Episcopo, Romam petiit morbi curandi causa, quo laborabat in crure. In Urbe moratus per aliquod tempus, nuncium misit chorali Beneficio penes Datariam Apostolicam. Dum renunciationis negotium absolvebatur, elapsum est trimestre absentiae, quod ex sacrorum Canonum censura ei elargitus fuerat Ordinarius. Quamobrem Sacerdos Fossati Sacram Congregationem adivit mense ianuarii 1822 et plurium Chirurgorum iuratas attestationes super qualitate morbi et adhibendae curationis necessitate proferens petiit, ut ad longius tempus ipsi protraheretur Indultum. Episcopus requisitus pro informatione et voto, qui distulit responsum, donec scivit, Datariam Apostolicam annuisse precibus Hippolyti, retulit: – Remedium istud (degli stivaletti ossia fascia espulsiva), quod cura non indiget, etiam in patria exequi poterit Sacerdos Fossati; necesse ergo non est illi, ut moretur in Urbe pro usu istius remedii, quod a multis adhibetur, qui morbo isto subiacent, et alia cura et remedio non indigent. Asserere etiam possum, morbum cruris Sacerdotis Fossati numquam illi motum praepedisse, quinimo illum saepe vidisse pleno gradu incedentem. Oro vos tandem EE. PP. animo attendere velitis ad magnam inopiam Sacerdotum huius Amerinae Civitatis, quae vos impellat ad indicendum remeatum Sacerdotis Fossati ad suam Diaecesim, qui saltem huic Civitati utilis erit Sacrum faciendo praesertim in diebus festivis –. Contra Hippolytus advertit, se in curandae Sacristiae officio per quinque supra viginti et Capellani choralis munere per quatuordecim circiter annos sedulam eidem Ecclesiae servitutem praestitisse, praesertim tempore deportationis et absentiae omnium Canonicorum, quin aliis reditibus ex ecclesiasticis Beneficiis potitus fuisset, quam quos percepit ex Beneficio chorali, cuius tenuitas iam perspecta erat Sacrae Congregationi. Adduxit etiam infirmae valetudinis rationem, quae inter canonicas causas ad dispensandum a residentia annumeratur, ad Textum in cap. unic. de clericis non residentibus in 6; illiusque probationem exhibuit ex iurata attestatione Chirurgorum, qui ita referebant: – doversi assoggettare ad una cura lunga e metodica, e dopo sistemarsi con l' uso dello stivaletto, chiamata fascia espulsiva –.

52. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et ad quod tempus sit Oratori concedendum Indultum absentiae in casu etc. –,

Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, donec convalescat – *in Amerina Residentiae die 25 Ianuarii 1823.*

53. Ceterum licet Canonicus in aetate septuaginta quinque annorum versaretur, ac ita infirmitate laboraret, ut, iuxta Medicorum attestationes, infensus ei esset aer loci, non propterea Sacra Congregatio annuit absolutae dispensationi a residentia, sed dispensationem indulsit ad annum durante infirmitate et onerata eiusdem conscientia *in Hyeracen. Dispensationis die 27 Martii 1762.*

54. Siquidem Paulus Nanni Decanus Ecclesiae Cathedralis Hyeracensis postulavit, ut, ratione senectutis et malae valetudinis, dispensaretur a servitio chori et Ecclesiae atque ab onere residentiae. Episcopus retulit, Oratorem in Oppido Roccellae natum die 20 martii 1687 prae humorum, quibus abundabat, acrimonia, iuxta trium Physicorum sibi exhibitum testimonium, in gravem incidisse hypochondriacam affectionem et non infrequenti vomitu ac tussicula, nec non mordaci herpete instar leprae in capite brachiis et cruribus correptum, vigiliis quoque vertigine et artuum debilitatione gravari, eidemque infensum esse rigidum ac salibus repertum aerem Hyeraci. Et Capitulum ab Episcopo interpellatum testari non dubitavit, petitae dispensationis exemplum deesse in Ecclesia Hyeracensi; sed illi nihilominus assentiebatur, ratione servitii praestiti ab Oratore eiusque adversae valetudinis, dummodo, servatis Ecclesiae consuetudinibus, illi non tribuerentur in absentia distributiones aliaque emolumenta solis praesentibus debita. Episcopus vero denegandum censuit absolutae vacationis et perpetuae absentiae Indultum, ratione aut servitii, cum illud non fuerit quadragenarium neque assiduum neque laudabile, aut adversae valetudinis, cum Physicorum iudicium pluribus exceptionibus esset obnoxium. Idcirco Episcopus conclusit hisce verbis: – Sum voti, indulgendum abesse a Civitate tribus vel quatuor mensibus hyemalibus, arbitrio Episcopi, ex causa infirmitatis coram eodem approbandae, cum facultate prorogandi singulis annis, si necessitatis ratio postulaverit –; ideo in Congregatione habita die 29 Augusti 1761 super precibus Oratoris rescriptum fuit: – Quoad iubilationem, lectum; quo vero ad Indultum abessendi ex causa infirmitatis, pro gratia ad quatuor menses hyemales tantum arbitrio Episcopi, et iuxta eius votum –, sed non acquievit edito Rescripto Decanus Nanni. Idcirco supplicavit pro concessione Indulti absolutae dispensationis a residentia. Nam ad hunc effectum non requiri contendit quadragenarium assiduum et laudabile servitium, quemadmodum necessarium est pro Indulto iubilationis, quin ipse praetenderet in absentia distributiones quotidianas. Suam infirmitatem haud negari posse defendit, tum ratione grandaevae aetatis, quam agebat, septuaginta quinque annorum, tum insuper ratione corporalium affectionum, quibus vexabatur, et quae mitioris aeris exigebant afflatum, iuxta Medicorum attestationes. Nec obesse censuit, quod Oppidum Roccellae, in quo suam moram perpetuo trahere decrevit, situm esset prope mare; quia in eo ortum duxit, et patrius aer cuique utilis est, ad tradita per Zacchiam quaest. medic. legal. lib. 5 tit. 4 quaest. 5 n. 11, immo utilior fuit etiam duobus Episcopis antecessoribus, qui in Oppido Roccellae valetudinem Hyeraci amissam recuperarunt, ut referebant Testes.

55. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel potius recedendum a decisis, ita ut sit annuendum absolutae dispensationi Decani Nanni a residentia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Quoad iubilationem, in decisis; et amplius: quo vero ad Indultum, praevio recessu a decisis, pro dispensatione ad annum, durante infirmitate, et onerata conscientia Oratoris – *in Hyeracen. Dispensationis die 27 Martii 1762.*

56. Nam Sacrum Concilium Tridentinum in sess. 6 cap. 2 de reformatione Indulta perpetua de non residendo etiam ex iustis et rationalibus causis elargita sustulit, solumque temporales dispensationes praeservavit *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737* §. *At.*

57. Idcirco Indultum abessendi difficillime ac tantummodo ad breve tempus, arctissimisque cohibitum clausulis concedi solet *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Notandum..*

Item *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824* §. *Manifesta; in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *Nullam.*

58. Qua de re quum Nicolaus Bellosili Canonicus Offidae licentiam petierit abessendi a residentia cum indulto percipiendi fructus et distributiones, ex eo quod servitium praestabat in Secretaria Status Summi Pontificis, Sacra Congregatio id indulsit ex causa praedicta per sex menses, ut interim omnes fructus et distributiones sui Canonicatus percipere valeret, aeque ac si personaliter interesset *in Anconitana die 2 Augusti 1670.*

59. Unde Sacra Congregatio, attenta iniusta expulsione e loco residentiae, concessit quidem Priori Cathedralis Ecclesiae Nullius Orbetelli Indultum abessendi ad tempus nec non percipiendi omnes fructus et distributiones quotidianas, sed illud exinde in perpetuum concedere merito renuit, licet praetenderet, quod eaedem causae adhuc vigerent *in Nullius Orbetelli Residentiae die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

60. Enimvero – obtinuit de anno 1679 Mutius Simoncellus a cl. me. Cardinali de Alteriis, tunc Nullius Orbetelli Ordinarii, Dignitatem Prioratus illius Cathedralis, eamque per decennium pacifice possedit, tandem nonnullis sibi comparatis emulis in pluribus muneribus, inibi, ut ait, exercitis, nempe Vicarii Generalis Sanctissimae Inquisitionis, Commissarii pariter Generalis trium decimarum, et Delegati S. Sedis Apostolicae pro tuenda immunitate ecclesiastica, de anno 1689 sub motivo, quod Gallis adhaereret, a Civitate expulsus, hucusque ab eius Ecclesia exulavit, sine tamen praeiudicio fructuum dicti Prioratus ac distributionum quotidianarum, tam vigore Decreti A. C. de anno 1690, quam vigore Indulti eidem ab hac Sacra Congregatione concessi die 15 aprilis eiusdem anni tenoris sequentis, videlicet: « Attenta relatione Emi Cardinalis de Alteriis Nullius Orbetelli Ordinarii benigne indulsit Oratori, ut, veris existentibus narratis, a residentia sui Prioratus per annum proximum tantum, sine tamen praeiudicio litis pendentiae contra Capitulum quoad fructus et distributiones praeteritas, pro eiusdem Eminentissimi arbitrio et prudentia ex causis praemissis abesse possit, et interim omnes eius fructus et distributiones quotidianas percipere, perinde ac si choro et divinis Officiis personaliter interesset ». Quod quidem Indultum cum praefatus Orator prorogari obtinuerit usque ad mensem augusti superioris anni, et fructus omnes una cum distributionibus quotidianis integre perceperit, vigente, ut praetenditur, eadem causa et impedimento residendi, videlicet exilio, ut supra passo, licet dissentiones inter Gallos ac Hispanos sedatae sint, attamen enixe EE. VV. exorat decernere: – An sit locus Indulto perpetuo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Nullius Orbetelli Residentiae die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

61. Idcirco quum ex ingruentibus bellorum calamitatibus tutus non sit ad residentiam accessus, Sacra Congregatio nedum Indultum abessendi ad tempus, sed et eiusdem prorogationes ad effectum faciendi fructus suos pluries concedit, licet Capitulum acriter obsistat, adiecta demum tamen conditione, ut Orator post finem ultimi Indulti redeat omnino ad residentiam *in Avenionen. Indultorum die 9 Februarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

62. Siquidem – inde ab anno 1708 Sacerdos Amantius de Augier, qui tum pridem Canonicalem Praebendam obtinuerat in Ecclesia Cathedrali Avenionensi, emissa fidei professione coram R. P. Vicesgerente, supplex Sacram Congregationem adiit, ut attentis servitio, quod Emo Cardinali della Tremoille impendebat, ac ingruentibus tum bellorum calamitatibus, ex quibus tutus non erat ad residentiam accessus, EE. PP. indulgere ipsi benigniter dignarentur opportunum Indultum lucrandi fructus et proventus omnes in absentia, non obstantibus Ecclesiae praedictae aliisque statutis et consuetudinibus quibuscumque. Hinc sub die 11 februarii iam dicti anni 1708 Rescriptum prodiit, «ut Orator, veris existentibus narratis, a residentia sui Canonicatus per annum proximum tantum arbitrio et conscientiae Ordinarii ex causa praemissa abesse possit et interim omnes eius fructus percipere, amissis distributionibus quotidianis: quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus Praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel Praebendae ac distributionum simul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia,

quae inservientibus accrescat ». Nondum anni circulus completus erat, quod Orator, iisdem allegatis causis, sub die 15 decembris tum subsequentis Indulti annalem prorogationem assecutus fuit, pro arbitrio pariter et conscientia Ordinarii, servata in reliquis forma praecedentis Indulti. Similem quoque prorogationem per annum obtinuit in Congregatione diei 12 aprilis 1710, ea tantum superaddita clausula, « ut praesens Indultum Oratori non suffragetur ad evitandas poenas contentas in Edicto Emi Urbis Vicarii contra non residentes, nisi idem Indultum exhibeatur infra octo dies in Secretaria eiusdem Emi Vicarii ». Iterum vero supplex rediit Orator sub die 24 aprilis eiusdem anni 1710, ac expresse prorogationem efflagitavit a prima die tum currentis mensis aprilis anni 1710 usque ad primam aprilis 1711, quemadmodum voti compos effectus fuit ad formam praecedentis Indulti. Itemque sub die 14 martii 1711 ac sub die 5 martii 1712 alias respective annales prorogationes Orator ipse consequutus fuit, renovatis quoque precibus, causaque tantum exposita servitutis, quam exhibebat praelaudato Emo Tremoille, in Congregatione diei 1 aprilis 1713 alteram Orator annalem prorogationem obtinuit cum clausula: « servata in reliquis forma praecedentium Indultorum ». Quoniam vero interim exhibitus fuit supplex libellus, ad Archiepiscopum pro comprobatione remissus, quo Capitulum Avenionense de longaeva eiusdem Canonici absentia conquerebatur, proindeque sub die 23 septembris anni 1713 inscriptum fuit in Regesto Secretariae consuetum, ut aiunt, « Nihil transeat » ad ipsius instantiam, nisi Capituli Procuratore prius citato; hinc idem ipse Canonicus Amantius iterum confugit ad Sacram Congregationem, repetita eadem causa, ac sub die 17 martii 1714 prorogationem saepedictorum Indultorum consecutus fuit iis adiectis clausulis: » Iuxta formam praecedentium Indultorum, sine tamen praeiudicio pendentiae litium, ac praesens gratia incipiat a die terminati ultimi Indulti ».

63. Sub his supervenit Archiepiscopi Avenionensis informatio, qua exponere non dubitavit, quod primum ab Oratore reportata Indulta admitti, Capitulo non reluctante, curavit; ceteroquin vero non adeo erat terra marique interclusus aditus, quin subditi praecipue Sedis Apostolicae Avenionem accedere possent. At quia novas annuatim prorogationes Orator exhibere non cessabat, semel iterumque monitum ipse fecit eius Procuratorem, ut vel Indulta pure gratiosa impetraret, aut narratorum veritatem saltem extraiudicialiter deinceps comprobaret, cum de veritate difficilis accessus grave dubium insurgeret. Subinde vero, exposito Indulto, solam servitii supradicti causam allegante, saepedictus Archiepiscopus inquit, nullam in eo admittendo formam servandam esse censuisse, cum facile EE. VV. de veritate certiores essent vel esse possent; constare vero subtexit, quod Orator Amantius neque servitium unius diei inchoavit, sed continuis per annis septem Indultis donatus fuit, ac praeterea nec in manibus Capituli professionem fidei emisit. Distributiones capitulares vere quotidianas esse idem Relator censet, licet quotidie non distribuantur praesertim portiones vini et frumenti, etenim nihilominus punctationibus subiacent; neque inficiari posse concludit, quod ex capitulari deliberatione recursus fuit expositus in Sacra Congregatione adversus Amantium, quidquid sit, an Canonici nonnulli datum retractent consensum, ut latius ex relatione, quae in Summario dabitur. Instauratur itaque impraesentiarum controversia, tum super primo Indulto ac successivis prorogationibus, num scilicet causae in ipsis expositae satis verificatae comperiantur, cum particulariter super ultima prorogatione, ut asseritur reportata, nequaquam monito Procuratore Capituli, qui « Nihil transeat » ut praefertur, inscripserat. Ceterum ex documento exhibito constat, saepedictum Canonicum Amantium fructus sive distributiones Massae grossae annuatim percepisse, amissis distributionibus quibusdam, quae nuncupantur minutae –.

64. Monitis hinc Partibus, propositis dubiis: – I. An indultum et prorogationes, de quibus agitur, suffragentur Canonico de Augier, et quae ad effectum faciendi fructus suos in casu etc. II. An ultimum indultum prorogationis sustineatur, vel potius sit reportandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et Orator post finem

ultimi Indulti redeat omnino ad residentiam, et amplius – *in Avenionen. Indultorum die 9 Februarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

65. Quum itaque Sacra Congregatio concesserit Indultum abessendi e loco residentiae nec non eiusdem prorogationem ob vigentes bellorum strepitus, frustra Capitulum insurget, si rationes, quas in medium profert, haud gratiam perimere valent *in Leodien. seu Namurcen. Residentiae die 5 septembris 1711 die 5 martii die 27 augusti 1712 et die 13 maii 1713 lib. 61 62 et 63 Decretorum.*

66. Iamvero – cum de anno 1697 vacaverit Sedes Episcopalis Namurcensis, extitit de ea provisus a s. m. Innocentio XII Ferdinandus Maximilianus de Berlò Canonicus praebendatus nec non Archidiaconus Campiniae nuncupatus Cathedralis Ecclesiae Leodiensis. Ut autem novus provisus suum Episcopale decus decentius tenere posset, idem Pontifex motu proprio eidem Indultum concessit retinendi ad decennium una cum Ecclesia Namurcensi Canonicatum et Archidiaconatum praedictos Ecclesiae Leodiensis cum clausula: « non obstantibus etc. » et cum altera clausula: « proviso, quod Canonicatus et Praebenda et Archidiaconatus huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congruae supportentur onera consueta », prorogatum ad aliud decennium a Sanctissimo D. N. de anno 1707. Verum de mense Februarii 1710 Capitulum et Canonici Leodienses hortati sunt Episcopum ad residendum saltem per trimestrem in eorum Ecclesia, si lucrari vellet fructus tam Canonicatus, quam Archidiaconatus. Vice versa Episcopus residens in sua Ecclesia Namurcensi autumat, sibi liberum non esse adire Leodium inter vigentes bellorum strepitus. Qua de re recursum habuit ad Sanctissimum D. N. precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, quatenus hoc belli tempore dignetur eidem indulgere integros fructus dicti Canonicatus et Archidiaconatus, absque obligatione residentiae, cuiusmodi simile Apostolicum Indultum eadem de causa difficultatis ad residendum obtinuerunt tres alii Canonici dictae Ecclesiae Leodiensis impraesentiarum Namurci degentium, exhibens se ceteroquin Orator necessarias visitationes obire in districtu sui Archidiaconatus. Requisitus fuit desuper informare Nuncius Apostolicus Coloniensis, qui ad explorandam veritatem precum Oratoris audivit tam Capitulum Leodiense, quam eumdem Episcopum, quorum hinc inde obiectiones, nempe Capituli et responsiones Episcopi, ad Sacram Congregationem transmisit, prout in Summario dabuntur. Retulit porro informans, se monuisse tam Capitulum, ut interim abstineat a quacumque innovatione, quam Episcopum, ut quamprimum visitet Archidiaconatum suum, idque saltem quotannis peragat, quod eidem liberum est, omnemque operam adhibeat, ut eodem belli tempore sibi permittatur adire Leodium, ibique residentiam per trimestrem agere, cum ceteroquin residentia sex mensium requisita per Statuta Capituli Leodiensis ad consequutionem omnium fructuum ab eo exigi non valeat, cum gravior sit obligatio residendi in Episcopatu, quin et vigore Statutorum praesentes censentur Canonici Archidiaconi districtum suum visitantes pro tempore visitationis, alioquin inutile redderetur Apostolicum Indultum retinendi Praebendam et Archidiaconatum praefato Episcopo concessum ad sublevandam tenuitatem redituum mensae Episcopalis Namurcensis. In altera vero relatione idem Nuncius transmisit documenta ostendentia, Episcopum satisfecisse eius adhortationibus, indicendo visitationem propediem obeundam, aliaque explevisse pro gubernio dicti Archidiaconatus ac diligentias continuasse, ut sibi Leodium adire fas sit, quod usque modo ei ob bellum permissum non fuit, uti latius ex praefatis relationibus una cum praemissis aliis documentis in Summario exhibendis –.

67. Proposito itaque dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia ad biennium durante impedimento accedendi ad Ecclesiam iuxta modum, videlicet amissa tertia parte fructuum, quae accrescat interessentibus ita tamen, ut Episcopus curet interim removere impedimentum, quo praepeditur adire Leodium, nec non visitet Archidiaconatum – *in Leodien. seu Namurcen. Residentiae die 5 Septembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

68. Sub his insistente praelibato Episcopo pro declaratione, quod biennium huiusmodi

computandum esset, ex quo bellorum strepitus invalescere ceperunt, sub die 5 martii 1712 placuit EE. PP. respondere: «Biennium currere a die recursus ad Sacram Congregationem, nempe a die 20 septembris 1710». Quapropter in Congregatione die 27 augusti praelapsi anni iam labente huiusmodi biennali Indulto, iisdemque perseverantibus obstaculi causis, Orator ipse prorogationem ad annum obtinuit cum solitis clausulis. Nuper vero insurrexit Capitulum Ecclesiae Cathedralis Leodiensis, quod autumat, huiusmodi gratiam et consecutivam prorogationem, ut praefertur ab Episcopo Namurcensi impetratam, omnino corruere, tum quia nullibi constare asserit, mox dictum Praesulem curam subinde adhibuisse pro obstaculi remotione, verum etiam cum praememoratum Indultum retinendi simul Canonicatum et Archidiaconatum viribus careat, quod subreptitie et obreptitie tum expositum fuisse contendit, earum Praebendarum fructus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem non excedere, cum ceteroquin iidem proventus adamussim summam pertingant similium ducatorum plusquam mille, quemadmodum ex documentis, quae in Summario dabuntur, liquere autumat. Ceterum saepedictus Episcopus Namurcensis pluribus haec retundere conatur, prae ceteris contendens, nullum praetermisisse studium, quo liberum sibi esset adire Leodium –.

69. His aliisque, quae uberius utrinque adducebantur, perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 5 septembris et 27 augusti 1712 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Leodien. seu Namurcen. Residentiae die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

70. Quapropter si Canonicus ob homicidium patratum ab ipsius germano inimicitias contraxerit capitales cum consanguineis defuncti, Sacra Congregatio concedit Indultum abessendi e loco residentiae ad tres menses ad effectum redeundi absque alia spe, cum adsint circumstantiae, quibus post huiusmodi tempus inimicitiae evanescere videntur *in Alerien. Indulti die 17 Decembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

71. Iamvero – ob patratum homicidium usque de mense septembris anni 1695 per Ioannem Michaelem Cottonum in personam Ioannis Iosephi Sanctolini Canonici Ecclesiae Cathedralis Aleriensis, Ioannes Brandus Cottonus germanus frater dicti Ioannis Michaelis ac eiusdem Ecclesiae Canonicus Theologalis capitales contraxit inimicitias cum omnibus consanguineis dicti Canonici Sanctolini ultra numerum quinquagiata, ut habetur ex fide Praetorum et Officialium locorum Campilaurei, ita ut profugus a sua residentia coactus fuerit latitare, ne subesset ultioni suorum inimicorum. Quamobrem de anno 1698 pro consequendis distributionibus quotidianis usque tunc decursis et a Capitulo denegatis, ob non praestitam choro assistentiam, iudicium instituit coram Ordinario Marianensi viciniore, a quo, cognita inimicitiarum gravitate, sub die 15 martii dicti anni sententiam favorabilem reportavit, non obstante exceptione, quod sub verbo Regio de anno 1696 per decem et octo ex consanguineis dicti defuncti fuerit assecuratus. E contra vero Episcopus Aleriensis ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis per aliam definitivam sententiam sub die 10 maii eiusdem anni 1698 condemnavit dictum Canonicum Cottonum ad solvendam summam librarum bis centum applicandam Sacristiae eiusdem Ecclesiae, eo quia choro non interfuit ac Sacrae Theologiae lectionem non explevit, a qua tamen sententia interposita appellatione per eumdem Canonicum ad Metropolitanum Pisarum, obtinuit ab ipso sub die 31 augusti 1699 sententiam illius revocatoriam, licet postmodum Causa ad Curiam delata succubuerit per tria iudicata conformia, in quibus condemnatus extitit ad restituendas distributiones exactas a die supradicti verbi Regii dati de dicto anno 1696. Adhuc autem non pacato odio dictorum Consanguineorum Sanctolini erga personam dicti Canonici Cottoni, idem de licentia Ordinarii Romam perventus preces porrexit huic Sacrae Congregationi pro obtinendo Indulto percipiendi omnes futuras distributiones quotidianas ad formam Constitutionum Synodalium, stante eius absentia ex praedicta causa inimicitiarum, illudque sub die 9 Iulii proxime praeteriti ad sex menses impetravit, adversus quod habito recursu per Procuratorem Capi-

tuli dictae Ecclesiae Cathedralis ad Emum Praefectum, moderatum fuit ad tres menses tantum. Quapropter idem Orator, attenta gravitate suarum inimicitiarum, modo etiam vigentium in loco residentiae, non obstante alio verbo Regio repetito de anno 1699, ut plene constat ex depositionibus trium Testium formiter in Curia Episcopali Aleriensi examinatorum, enixe EE. VV. exorat, ut demandare dignentur Episcopo Aleriensi, quod ea, qua par est, pastorali sollicitudine curet praefata odia componere, praestita per Consanguineos praedicti Sanctolini idonea cautione seu fideiussione de non offendendo, et interim preces renovat pro supradicti Indulti confirmatione et prorogatione, usquequo inimicitiae perduraverint –.

72. Quibus attentis, proposito dubio: – An et pro quo tempore petitum Indultum sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro Indulto ad tres menses ad effectum redeundi absque alia spe – *in Alerien. Indulti die 17 Decembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

73. Hinc Doctores omnes conveniunt, non posse utique Parochum a Parochiali sua Ecclesia aufugere Plebemque sibi commissam relinquere, sed animam pro ovibus ponere obstringi, si tam contra ipsum, quam contra eamdem Plebem gravis oborta sit inimicitia et persecutio, ita ut omnibus communiter impendat vitae discrimen, nec alii reperiantur, qui tuto possint Gregi assistere eiusque spirituali saluti invigilare, iuxta tradita per Innocent. Hostien. Ioann. Andr. Butr. Cardinal. in cap. *Nisi cum pridem* §. Propter malitiam de renunciatione, Thomas 22 quaest. 185 art. 5, Sotus lib. 10 de iust. quaest. 3 art. 4, Fagnanus in cap. *Non liceat* de Praebendis n. 48, Pignatellius tom. 4 consult. 17 n. 53; aeque tamen communiter receptum est, graves inimicitias a solo Parocho cum Barone loci, aut cum ipsomet Populo absque sua culpa et post adeptam possessionem contractas, iustam ei praestare causam a residentia abscedendi, constituto Vicario, qui ab Ordinario approbatus ea meliori, quae fieri potest, ratione spirituali animarum saluti occurrat, ut per Textum in Can. *Adversitas* §. Hoc tunc servandum 7 quaest 1, in Cap. *Ad supplicationem*, in Cap. *Nisi cum pridem* §. Propter malitiam de renunciatione, et in Cap. final. de Clericis non residentibus, tradunt Glossa in cit. Cap. fin. verb. Excusationem, Schmalzgrueber in ius canon. lib. 43 tit. 4 §. 3 n. 47, Vallens. ibi n. 7, Zoes n. 9, Pirhing n. 23, Barbosa n. 8, Pignatellius tom. 4 consult. 17 n. 52, Murga de Benef. quaest. 10 art. 3 n. 182, Paris. de resignat. Benef lib. 10 tit. 11 *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737* §. *Hinc.*

74. Nam tam Sacra Congregatio Concilii, quam altera Episcoporum et Regularium negotiis praeposita consentanee ad sanctionem Concilii Tridentini sess. 6 cap. 2 de reformatione Parochis, qui ob inimicitias contractas nequeant tuto in Parochia commorari, consueverunt Indultum non residendi ad breve aliquod tempus concedere, uti de stylo Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium constat ex Decretis relatis per Pignatellium tom. 7 consult. 4 n. 16, et signanter ex Epistola Episcopo Visitatori Ariminensi (1) directa, et de laudabili more, quem servat Sacra Congregatio, testantur Fagnanus in Cap. *Ad supplicationem* n. 12 et 13 de renunciatione, et in Cap. *Clericos* n. 26 de clericis non residentibus, Barbosa de officio et potestate Parochi part. 1 cap. 8 addentes, enunciatum Indultum non solere ultra annum prorogari *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737* §. *At.*

75. Si vero intra anni spatium inimicitiae nequiverint sedari, ac verisimile sit, eas diutius protrahi posse, ne Parochum perpetuo a sua Ecclesia abesse contingat, neve spirituali animarum saluti, absente proprio Pastore, grave aliquod obveniat detrimentum, modis omnibus iste, licet innocens, est inducendus, ut Parochialem resignet, aut eam cum alia permutet, secundum ea, quae in terminis ad-

(1) Siquidem praefata epistola hisce verbis conscripta prostat: – V. S. faccia risedere i Curati, che non hanno casa parrocchiale, in altra casa, che sia dentro i limiti della Parrocchia e più vicina alla chiesa, che si potrà. I Curati sotto pretesto d'inimicizia non possono assentarsi dalla Cura con licenza del Vescovo, ma devono domandarla al Pontefice, o alla Congregazione, la quale suole molto bene esaminare le circostanze, e specialmente per qual causa sono contratte le inimicizie, se vi è stata colpa del Curato, ed altre diligenze. E quando pure si concede, si fa per breve tempo, e tra le condizioni particolari, che stii più vicino, che si può sicuramente alla cura –.

vertit cum aliis Fagnanus in Cap. *Clericos* n. 26 de clericis non residentibus, ubi sic habet: – Cum Indulta perpetua de non residendo etiam ex iustis et rationalibus causis iam sublata fuerint Decreto Cap. 2 sess. 6, ubi inimicitiae sunt verisimiliter duraturae, ut consulatur saluti animarum, inducendus est Parochus ad resignandum, vel permutandum, arg. Cap. *Ad supplicationem* de renunciatione, et ita Parochus punitur sine culpa, sed non sine causa, ut notat Glossa in Cap. *Tua nos* in verb. Administrationis de Clericis aegrotantibus, ad exemplum Parochi leprosi, qui ab administratione Officii removetur, sed de bonis Ecclesiae sustentatur –; et ita pluries resolvit Sacra Congregatio in Regien. lib. 1 Decretorum pag. 51, in Faventina mense decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 81, in Pisana die 14 decembris 1630 lib. 14 Decretorum pag. 363, in Militen. 1 decembris 1635, in alia Militen. 15 octobris 1644, in qua remisit eidem Episcopo, – ut, veris existentibus inimicitiis per Agatium Sergium Curatum Saluti et per Fabium Sergium Curatum Pervocati suppositis, et quando absque Oratorum causa provenerunt, pro suo arbitrio indulgeat eisdem, ut per sex menses extra eorum residentiam abesse valeant, constitutis interim idoneis Vicariis ab eodem Episcopo approbandis, qui curam animarum laudabiliter exerceant, et dummodo intra dictum tempus, vel inimicitias componere, vel Ecclesias resignare curent –, ut in lib. 17 Decretorum pag. 363; et in Civitatis Ducalis 26 aprilis 1653, ubi iniunxit Episcopo, – ut, si inimicitiae non possint componi, omnino provideat, vel mediante resignatione, vel aliis modis a iure permissis, ut Orator personaliter resideat –, ut in lib. 19 Decretorum pag. 244 *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737* §. *Si.*

76. Imo instante Canonico Carpensi, qui ob metum Principis temporalis residere non poterat in Ecclesia, cui erat adscriptus, tametsi eo tam arcto vinculo, quo Parochus ad residentiam non obstringeretur, Sacra Congregatio sub die 17 septembris 1616 censuit quidem, dandas esse ad Ordinarium literas, – ut Capitulum cogeret ad integras distributiones ei assignandas usque ad mensem aprilis futuri; sed ipsi Canonico significari voluit, ut interim curaret Canonicatum resignare, vel permutare aut rationem aliquam inire, qua et sibi et Ecclesiae indemnitati consultum esset –, ut refert Barbosa de iure eccles. lib. 3 cap. 18 n. 65, et conformiter ad hanc resolutionem eadem Sacra Congregatio in Caputaquen., ubi Sacerdos Natali Quaranta metu Potestatis secularis absens a servitio Ecclesiae Receptitiae Oppidi Serrarum contendebat, tempore suae absentiae sibi, uti ceteris Sacerdotibus participantibus, deberi portionem Massae communis, proposito hoc dubio: – An Sacerdoti Natali Quaranta tempore suae absentiae debeatur portio Massae communis, sicut ceteris Sacerdotibus, deductis tantum oneribus Missarum? –, die 18 augusti 1731 respondit: – Affirmative pro tempore praeterito, et ad D. Secretarium iuxta mentem –, quae fuit, ut Orator curaret removere impedimenta, quae sibi praestabantur, ne ad residentiam suae Ecclesiae reverteretur *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737* §. *Imo.*

77. Unde si Parochus nedum absque sua culpa, sed ut iura Ecclesiae tueretur, graves cum Populo contraxerit inimicitias, Sacra Congregatio Indultum abessendi ad tempus eiusque plures prorogationes concessit, licet postremo dictus Populus reditum illius peroptaverit *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737.*

78. Iamvero Iacobus Toppi Archipresbiter Montis Percilii, qui pridem exponens, diuturnam in Rotae Auditorium sustinuisse litem adversus Populum iniuste detrectantem sibi decimas ex quodam seminum genere persolvere, indeque gravi adeo inimicitia et odio infensum sibi Populum fuisse expertum, ut ad necem usque petitus coactus fuerit nocturno tempore a Parochialibus aedibus occulte aufugere, ab Sacra Congregatione sub annum 1723 obtinuit Indultum, quo ex praemissa inimicitiarum causa ad annum, si tamdiu eadem perdurasset, permissum illi fuit a residentia suae Parochialis abesse. Cum vero subinde ad iteratas eiusdem Archipresbiteri preces, quibus pertinax Populi odium in ipsum flagrare asserebatur, Sacra Congregatio praefatum Indultum modo ad alium annum, modo ad sex menses, et saepius postea ad quatuor tantum menses prorogaverit, fa-

cta illi non semel monitione, ut Parochianorum animos demulcere conaretur, inde tandem, postquam in supremo Rescripto adempta fuerat praefato Archipresbitero spes omnis ulterioris prorogationis, ut maturius statueretur, num eius precibus pro eadem denuo repetitis annuendum esset, vel potius aliter et quomodo esset providendum, oraculum Sacrae Congregationis fuit expetitum. Nam ex praxi Sacrae Congregationis et iuxta praescriptum Concilii Tridentini sess. 6 cap. 2 Indulta perpetua de non residendo etiam ex iustis et rationabilibus causis sublata fuerunt. Unde Archipresbiter tenebatur removere impedimenta, quae sibi praestabantur, ne ad residentiam suae Ecclesiae reverteretur. Idem tamen excepit, huiusmodi praxim Sacrae Congregationis non aptari praesenti hypothesi, in qua assertae inimicitiae cum Populo contractae erant ab Oratore nedum absque sua culpa, sed ex eo dumtaxat, quod iura suae Ecclesiae circa controversam decimarum exactionem tueri voluerit. Praeterea duo in facto notanda erant, alterum, quod saepedictae inimicitiae ob decimarum exactionem obortae postmodum exasperatae dicebantur, ex eo quod nonnulli ex Parochianis, detrectantibus persolvere decimas, putarunt, Oratorem in causa fuisse, ut plurima sibi incommoda et detrimenta ex quodam criminali iudicio provenerint; alterum vero quod in praesens Populus Oratoris reditum peroptare declarabat in supplici libello nomine totius Communitatis Episcopo nuperrime porrecto, idque confirmabatur in literis Gubernatoris Montis Percilii. Episcopus, sinulis expensis rerum circumstantiis, censuit, ulteriorem prorogationem nullatenus impertiendam, sed illi districte iniungendum, ut aut resideret, aut curam animarum dimitteret.

79. His utrinque perpensis, proposito dubio: — An sit prorogandum Indultum, de quo agitur, vel potius an et quomodo sit providendum in casu etc. —, Sacra Congregatio respondit: — Pro prorogatione ad sex menses, et ad Emum Praefectum iuxta mentem — *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737.*

80. Itaque quum quis ex Apostolica benignitate possideat Beneficium Parochiale in aliquo Diaecesis Oppido et Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, si iustae adsint causae, gratiam assequitur abessendi a Parochiali per sex menses quolibet anno, dummodo resideat in Canonicatu *in Tridentina Dispensationis die 11 Martii 1713 lib. 63 Decretorum.*

81. Siquidem — cum Carolus Ferdinandus S. R. I. Comes Lodronius Praebendam Canonicalem in Cathedrali Ecclesia Tridentina obtineret, simul ac Parochialem Ecclesiam Villae Lagarinae de iurepatronatus eiusdem praenobilis familiae, supplex adiit Sanctissimum D. N. ab eiusque benignitate assequutus fuit expetitum Indultum super incompatibilium Beneficiorum retentione seu nova concessione sub eiusmodi lege, « quod interim primo et secundo dictae Ecclesiae debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in dicta Parochiali Ecclesia nullatenus negligatur, sed eius ac Canonicatus et Praebendae praedictorum congrue supportentur onera consueta. Pro illis vero diebus et horis, quibus dictus Carolus Ferdinandus secundo dictae Ecclesiae ratione dictorum Canonicatus et Praebendae non inservierit, emolumenta ratione personalis residentiae, lucrifieri solita, amittat ». Sub his vero Caesarea intercedente praesentatione, iam dictus Comes Carolus Ferdinandus Praepositurale quoque Dignitatem extra Capitulum in praelibata Cathedrali Tridentina adeptus fuit. Itaque personalem residentiam inibi explens, ut nullo unquam tempore conscientiae angore exagitetur, humilem iteravit recursum ad Sanctissimum D. N. precibus ad hanc Sacram Congregationem pro voto remissis, quatenus benigne dispensare secum dignaretur ab onere residendi in secundo dicta Parochiali Ecclesia, cui idonee per Vicarium inservitur tempore, quo ipse in Cathedrali servitutem praestat. Siquidem licet Orator ipse non dubitet, quin animarum curam mediante Vicario ab Ordinario approbando obire possit, prae ceteris attenta consueta huiusmodi Indultorum clausula, ex qua utriusque Ecclesiae onera congrue supportari debent, cum ea, quae Canonicatui incumbant, nonnisi per se ipsum explere possit in Cathedrali, ubi substitutus nequaquam admittitur. Nihilominus tutius sibi consulendo, idem Comes quamplures adducit Familiae Lodroniae praerogativas et

merita aliasque Ecclesiae assertae utilitatis causas, ex quibus eius Praedecessores Apostolicam, quam nunc ipse implorat, benignitatem promeruerunt, quatenus videlicet per Vicarium idoneum animarum curam obire possent in praelibata Parochiali, ut ex documentis in Summario recensendis. Ut vero EE. PP. perspectum habeant ipsius Oratoris zelum, quo Parochialis Ecclesiae decus magnifice colit, assiduamque eius vigilantiam, ne animarum cura utcumque minimum incommodum patiatur, prae ceteris in eodem Summario exhibentur tum Capituli, cum Vicarii Generalis attestationes cum particula postremae Visitationis –.

82. His itaque perpensis proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse concedendam gratiam abessendi a Parochiali per sex menses quolibet anno, dummodo resideat in Canonicatu – *in Tridentina Dispensationis die 11 Martii 1713 lib. 63 Decretorum.*

83. Quin imo quum Dominicus Andreas Cameti Parochus Sancti Stephani Villae Pontis Sigestri Coadiutorem cum futura successione obtinuerit a Summo Pontifice, data eidem Coadiutori facultate parochialia munera obeundi, – Cameto a dicta Parochiali, absente seu apud illam residere nolente, seu non valente –, nequaquam indiget gratia dispensationis a residentia locali; his enim in terminis proposito dubio: – I. An sit indulgendum Coadiuto pro gratia dispensationis a residentia locali, quia in Bulla non adest Decretum residendi? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, non indigere – *in Brugnaten. Coadiutoriae die 17 Ianuarii 1756.*

84. Quod si causae, quibus concessum est Parocho Indultum residendi extra Paraeciam reapse non subsistant, ac plura scitu necessaria reticita fuerint, Sacra Congregatio censuit, locum esse moderationi praefati Indulti, et ad D. Secretarium pro praefixione termini *in Urbanien. die 14 Ianuarii 1764.*

85. Iamvero in agro Urbaniensi extabat Parochia Provertii, quae duas habebat Ecclesias S. Andreae et S. Bartholomaei, quatuor conterminas filiales habebat S. Paterniani a valle S. Eracleani S. Mariae del Piano ac S. Christophori. Fons Baptismi unice in illa S. Bartholomaei retinebatur etiam pro filialibus. Vacantem Parochiam anno 1761 cepit Ioseph Evangelisti ex Oppido Bacchi Fanensis Diaecesis, cui Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1762 indulsit – ad triennium arbitrio Episcopi, praefixo per eumdem Episcopum congruo termino ad incipiendam quamprimum fabricam domus Parochialis, ac proviso pro eius arbitrio et conscientia mediis, quae ipsi videbuntur magis opportuna indemnitati curae animarum –. At protinus auditae fuerunt illorum hominum querelae: nam populus universus tam matris Parochiae, quam filiarum contendit, falsa narrata esse a Parocho, relicta necessaria: quandoquidem domum ad habitandum in Parochia haberi idoneam, quam alii usque ad postremum Parochum sine ulla querimonia inhabitarunt; falsum narratum, quod alia domus in Parochia non esset, falsum esse quod Parochia distaret tantum a Civitate per unum lapidem cum dimidio, cum duae essent viae, una commodior, quae tertium excedebat lapidem, brevior altera, sed aspera ac hyeme prorsus impervia, quae bis mille et quingentum passus numerabat. Deinde allegavit, Parochum reticuisse, quod praeter aedes finitimas Ecclesiae S. Andreae alia inerat propria Parochi domus prope Ecclesiam S. Bartholomaei ad habitandum opportuna; reticuisse, quod fons Baptismi pro universis Parochiis in sua Ecclesia esset; reticuisse, quod munus Vicarii Generalis gereret, quod munus cum cura Parochiae convenire non posse sustinuit. Addidit, non servatam esse legem Rescripti, nunquam enim fuisse – praefixum terminum ad incipiendam quamprimum fabricam –. De multis demum conquestus est malis, quae ex absentia Parochi profecta erant, de Puero nempe, qui Baptisma non habuit; de Muliere sine Sacramentis Ecclesiae demortua; Sacra vel deesse, vel inordinate, ac tempore parum opportuna loci Incolis fieri. Nec credendum contrariis Testibus, qui minis et terrore Curiae testimonia praebuerunt. Episcopus vero totis viribus favit Vicario: falso dixit usurpari nomen Populi: confirmavit iustas causas absentiae: Parochum laudavit, uti honestum iustum ac Diaecesi admodum utilem: exempla aliorum suae Diae-

cesis Parochorum attulit, qui in Parochiis non habitabant.

86. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus moderationi Indulti triennalis concessi a Sacra Congregatione Parocho Provertii super dispensatione a residentia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius; et ad D. Secretarium pro praefixione termini – *in Urbanien. die 14 Ianuarii 1764.*

87. Alias vero saepius Parochos etiam ob aeris insalubritatem obtinuisse Indultum ad certum tempus non solum commorandi in aedibus non Parochialibus, sed etiam residendi extra Parochiam, relicto idoneo Vicario, qui illius nomine animarum curam exerceret, constat ex pluribus Sacrae Congregationis Decretis, et signanter in Turritana 7 iulii 1703 lib. 53 Decretorum pag. 325 in Algaren. 19 aprilis 1704 lib. 54 Decretorum pag. 179, in Lucana 6 iunii 1705 lib. 55 Decretorum pag. 214, et 16 maii 1716 lib. 66 Decretorum pag. 231, in Bosanen. 28 martii 1716 lib. 66 Decretorum pag. 166 *in Tarraconen. Residentiae die 28 Ianuarii 1736* §. *Saepius.*

88. Hinc Sacra Congregatio ob aeris intemperiem concessit Felici Perez Parocho Oppidi de Tamarit Indultum ad triennium residendi in loco *della Riera* intra limites Parochiae, adiecta tamen lege, ut Episcopus deputaret Vicarium idoneum, qui in praefato Oppido resideat sumptibus Parochi; proposito enim dubio: – II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, attentis facti circumstantiis pro concessione Indulti ad triennium, et ad mentem (1) – *in Tarraconen. Residentiae die 24 Martii 1736.*

89. At si Parochus bonam recupaverit valetudinem, haud amplius Indultum abessendi conceditur: quandoquinem quum Ianuarius Oliverius Parochus Ecclesiae in casali Cellularum existentis Indultum abessendi causa infirmitatis obtinuisset, sed bonae licet valetudini iam restitutus ad eam non revertisset, proposito dubio: – III. An et usque ad quod tempus sit concedendum Indultum de non residendo favore Parochi Oliverii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative pro nunc – *in Suessana Residentiae et censurarum die 15 Martii 1738.*

§. IV.

DISPENSATIO SUPER DEFECTU AETATIS

1. Puer, aetatem agens octo annorum, nominatus a Patronis ad Beneficium ante Concilium Tridentinum erectum, haud indiget dispensatione ad illud assequendum *in Montis Alti Dispensationis die 8 Aprilis 1843.*

2. Siquidem quum Compatroni nominaverint ad Beneficium erectum anno 1539 in Ecclesia S. Mariae de Viminatu, quin aliquid Fundator expresse edixerit quoad aetatem, Puerum in octavo aetatis anno nondum exacto constitutum, et ob id dispensationem postulaverit, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris super dispensatione aetatis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Non indigere, attenta fundatione Beneficii ante Concilium Tridentinum – *in Montis Alti Dispensationis die 8 Aprilis 1843.*

3. Hinc tradit Pirrhus Corrad. in prax. Benef. lib. 4 cap. 6 n. 21, eam adhibendam esse distinctionem inter Beneficia erecta ante Concilium Tridentinum et ea, quae postea instituta sunt, ut in illis censeatur Testator, nisi aliud expresse edixerit, sese retulisse quoad aetatem et ordines ad commune ius tunc temporis vigens, cuius vi septennis aetas Beneficii assequendi gratia satis erat: idem refert Giraldus in exposit. Iur. Pontif. ad Concil. Trid. sect. XCII etiam in sensu S. Congregationis *in Montis Alti Dispensationis die 8 Aprilis 1843* §. *Haec.*

(1) Scilicet, ut Episcopus deputet Vicarium idoneum, qui in loco de Tammarit resideat, sumptibus Parochi, *ceu videre est in Rej. Litt. die 24 Martii 1736.*

4. Quando vero res sit de Beneficiis post Concilium Tridentinum erectis, quae de iure exquirunt aetatem quatuordecim annorum, iusta requiritur causa, ut concedatur dispensatio, ad tradita per Fagnanum in lib. 1 Decret. Cap. 2 n. 40 de Bigamis non ordin. *in Asten. die 30 Augusti 1788* §. *Quatenus.*

5. Si enim absit iusta causa, nunquam conceditur dispensatio super defectu clericatus et aetatis *in Piscien. Beneficii super dispensatione die 21 Maii 1803* §. *In.*

6. Unde gravi dumtaxat accedente causa, concedi aetatis dispensationes ab Apostolica Sede, docent Lambertinus de iurepatronatus art. 26 quaest. 7 n. 7, Rebuffius in prax. Benef. part. 1 tit. 1 de cleric. n. 6, part. 2 tit. de Cleric. n. 6, part. 2 tit. de dispens. rat. aetat., Sabellius §. Benef. n. 24 *in Firmana Beneficii die 13 Februarii 1819* §. *At.*

7. Nam ex communis iuris sanctione docemur, legibus a Fundatore praescriptis, quantum fieri potest, accurate religioseque adhaerendum esse, Caus. 13 quaest. 2 can. 4 *in Mutinen. Dispensationis Missarum die 24 Augusti 1844* §. *Verumtamen.*

8. Compertum hinc est, urgentem iustamque rationem exquiri, ut praestitutis in Beneficio qualitatibus derogetur: egestas in primis Patronorum, splendor divini cultus augendus, impensae in census Beneficiarii tuitionem et utilitatem, aliaeque huiusmodi causae in eum finem expenduntur *in Firmana Capellaniae die 19 Aprilis 1834* §. *Sed.*

9. Idcirco cum gravis non adesset causa, Sacra Congregatio denegavit dispensationem ab aetate et qualitate Sacerdotali Comiti Iosepho Guidelli decem annos nato per Patronum nominato, licet nemo extaret ex passive vocatis, cui praeiudicium inferri poterat; his enim in terminis proposito dubio: – I. An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris pro dispensatione aetatis et ordinis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, non expedire – *in Mutinen. Dispensationis et Reductionis Missarum die 23 Novembris 1844.*

10. Similiter quum Leopardus Montanius Capellaniam seu Abbatiam fundaverit in avito Sacello ad S. Augustinum Firmi adiecta lege, ut ad eam nominaretur ac praesentaretur Capellanus in ordine Sacerdotali ad nutum amovibilis, et quatenus adesset aliquis ex eius familia et descendentia, is – praeferatur et praeferri debeat omnibus aliis, et ad Capellaniam et Abbatiam nominatus et praesentatus intelligatur et sit quotiescumque ad Sacerdotium promoveatur, et non antea, nec alias, nec aliter etc.–, quumque anno 1833 facta vacua praedicta Capellaniae Comes Aloisius Sempronius, praesentato ad eam Stanislao filio annos sexdecim nato, postulaverit, ut dictus filius eamdem titulo administrationis retinere posset, contra Caietanus Paccaronius Clericus et inopia pressus iuspatronatus activum et passivum eiusdem Capellaniae praetenderet, Sacra Congregatio declaravit quidem, ius nominandi spectare ad Aloisium Sempronium, sed non propterea dispensationem aetatis concedere censuit, licet Archiepiscopus, exulante alterius praeiudicio, putaret, – facultatem concedi posse Stanislao filio Comitis Sempronii administrandi Capellaniam, donec in statu caelibi permanserit, cum onere tamen adimplendi Sacra a piissimo Auctore adiecta, et reservata pensione scutorum triginta quotannis persolvenda favore Caietani Paccaroni –, ex eo quod nulla iusta et gravis causa in medium proferretur; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione aetatis favore Stanislai Sempronii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Firmana Capellaniae die 19 Aprilis 1834.*

11. Quapropter nisi adsit causa canonica, Sacra Congregatio nec Patroni filio clerico novenni dispensationem indulget ad obtinendam Capellaniam mere laicalem et qualitatem sacerdotalem requirentem *in Maceraten. Dispensationis die 20 Septembris 1845 et die 8 Augusti 1846.*

12. Iamvero ultimo, quo anno 1657 decessit, nuncupativo testamento Borromaeus Accursius, ob peculiarem, quo erga suam Patriam Milodunum afficiebatur, amorem, quatuor in Ecclesia suo aere inibi extructa sub invocatione Deiparae sine labe originali Conceptae Capellanias mere laicales instituit. Harum patronatum activum seu ius nominandi contulit quatuor diversis personis eorumque heredibus et successoribus, cuique

nimirum Capellaniae suum assignans Patronum, hac tamen expressa conditione, ut Capellani eligendi esse deberent Sacerdotes bonis instructos moribus ex familiis Miloduni vel ex eodem loco originem ducentibus, et si tales non adessent, ipsa hereditas respectivis bonis gauderet ac onera impleri faceret per alium Sacerdotem. Praeter dictas Capellanias, ecclesiasticum Beneficium sub Rectoriae nomine eadem in Ecclesia erigi mandavit. Tandem tum Capellaniis, tum Rectoriae peculiaribus bonis attributis, in reliqua sua substantia universales heredes sibi nuncupavit memoratos Capellanos, quos tamen meros Administratores hereditatis declaravit, cuius fructus in pios usus dumtaxat erogari praecepit. Per obitum Sacerdotis Camilli Travaglini mense ianuario anni 1844 vacua remansit tertia ex recensitis Capellaniis, ad quam Eugenius Galli, qui huius patronatu ex Testatoris dispositione pollebat, nominavit filium suum Augustum puerum novennem et clericali tonsura insignitum, qui postulavit dispensationem super qualitate presbiterali. Verumtamen nominationi ac oblatae supplicationi obstiterunt ceteri Capellani una cum Virginia Ranaldi, unica superstite ex ea familia, ad quam Testator voluntatis suae executionem perpetuo demandavit, nec non duo Milodunenses Sacerdotes, unanimiter conclamantes, ex dispensatione iri pessumdatam tum Testatoris dispositionem, tum ius Oppidanis Sacerdotibus ex vocatione quaesitum. Hinc Accursiani Capellani duplici ex capite petitam dispensationem oppugnarunt, tum quia Testatoris voluntatem ipsa summopere everteret, qui actu Sacerdotes eligendos mandavit, tum quia alieno iuri quaesito maximam laesionem inferret, cum Patroni ex mandato Fundatoris Sacerdotes Milodunenses eligere deberent. Clericus Augustus Galli contra sustinuit, Capellanias non esse Sacerdotales,et Sacerdotes Milodunenses aliud non habere, nisi ius eventuale, non vero certo quaesitum. Idcirco pluries Sancta Sedes dispensationem iis etiam indulsit, qui non erant Patronorum filii, nec paupertate laborabant; quin imo duo, nempe Palmucci et Ranaldi, ad principes divitesque Oppidi familias pertinebant.

13. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione favore Augusti Galli in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Non adesse causam canonicam – *in Maceraten. Dispensationis die 20 Septembris 1845.*

14. Haud Gallius acquievit, sed novum certamen minime reformidans sui iuris iterum experiundi veniam petiit atque obtinuit. Hinc sollicitus fuit, ut copia ipsi fieret Accursianum Archivium perscrutandi, apud quod asservari autumabat dispensationum nonnulla exempla in antecessum aliis Capellanis ab Pontificibus concessa, ut inde et in praesenti casu proniores Emos Patres ad indulgendum haberet. Sed labor omnis in irritum cessit. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Maceraten. Dispensationis die 8 Augusti 1846.*

15. Quod si Ordinarius iustis de causis dispensationi faveat, etiam simplex Clericus annum agens decimum nonum praesentatus a Patrono sub spe futurae dispensationis ad Beneficium, quod ex lege fundationis requirebat Presbiteratum Ordinem aut saltem aetatem, qua infra annum a die provisionis ad illum promoveri posset, dispensationem obtinuit *in Romana Dispensationis die 12 Decembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

16. Enimvero – ad unam ex pluribus Capellaniis de iurepatronatus nobilis familiae ab Altemps erectis in Capella Beatae Mariae de Clementia sita in Ecclesia Sanctae Mariae Transtyberim, et iuxta legem fundationis requirentibus, quod Capellani omnes in Presbiteratus Ordine aut in tali aetate constituti sint, ut infra annum a die suae provisionis seu institutionis ad illum promoveri possint, Dominicus Alexander Sandolinus simplex Clericus annumque tantum agens decimum nonum menses novem diesque decem et octo a moderno Duce ab Altemps sub spe futurae dispensationis praesentari nuper obtinuit. Pro obtinenda postmodum eadem dispensatione Sanctissimo supplicavit, praecibusque huiusmodi ad Datariam, et ab ista ad Sacram Congregationem remissis pro informatione et voto, rescriptum de more fuit Emo Vicario, qui pro gratia dispensationis eumdem Sanctissimum consuli posse respondit –. Propo-

sito itaque dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia, facto verbo cum Sanctissimo – *in Romana Dispensationis die 12 Decembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

17. Idcirco licet Capellanus onus ferre teneretur celebrandi per se ipsum ac residendi et inserviendi Ecclesiae, praesentatus a Patrono in aetate viginti duorum annorum, attentis eius bonis moribus ac spe, se utilem Ecclesiae futurum Ministrum, dispensationem obtinuit cum lege, ut infra annum ad Subdiaconatus atque ad aetatem legitimam perventus ad Diaconatus et Presbiteratus Ordines se promoveri facere deberet, impletis interim per alium oneribus *in Papien. Dispensationis die 16 Septembris 1780.*

18. Iamvero Ludovicus Taberna Episcopus Laudensis anno 1615 iussit, perpetuam esse erigendam Capellaniam in Parochiali Ecclesia S. Victoris loci Landriani; ac voluit, quod reditus assignatae dotis essent – pro eleemosyna et mercede Capellani Sacerdotis, qui teneatur quotidie Missam unam per se ipsum et non per substitutum celebrare ad dictum Altare, et qui teneatur continuo in ipsa terra Landriani residere ac inservire Rectoribus dictae parochialis Ecclesiae in cantando Missam solemnem et vesperas ac alia divina officia diebus festis –. Vacante subinde Capellania, Patronus Laurentius Taberna sub reservatione reportandi Apostolicam dispensationem praesentavit Balthaxarem Volpi de loco Zemidae constitutum in aetate annorum viginti duorum et nondum clericali tonsura insignitum, quin ullus adesset, qui speciale ius vel vocationem haberet. Archiepiscopus suum votum his verbis aperuit: – Hinc censerem, posse praedictum Balthaxarem Volpi ex benignitate Apostolica de dicta perpetua Capellania provideri, et super defectu aetatis cum eo de gratia speciali opportune dispensari cum decreto, quod ante possessionem praedictae perpetuae Capellaniae dictus Volpi prima clericali tonsura sit initiatus, et cum decreto, quod idem Volpi se successive quamprimum ad minores nec non ad Subdiaconatus infra annum, atque cum ad aetatem legitimam pervenerit, ad Diaconatus et Presbiteratus sacros ordines se promoveri facere omnino teneatur, ac demum de idoneo substituto Sacerdote provideat; qui interim omnia onera eidem Capellaniae perpetuae adnexa debite et congrue sustineat et fideliter adimpleat –. Nam Testator non praescripserat, quod nominandus esset actu Sacerdos vel actu Clericus, et Orator bonis imbutus erat moribus, spemque praebebat, se utilem Ecclesiae futurum Ministrum. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit relaxanda supplicatio et respective concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, iuxta votum Archiepiscopi Episcopi Papiensis – *in Papien. Dispensationis die 16 Septembris 1780.*

19. Qua de re quum Patroni, de qualitate ignari residentialis Capellaniae, ad eam nominaverint laicum Petrum Schiavini annorum quatuordecim sub conditione assumendi clericatum, sed Canonici Cathedralis Ecclesiae Astensis ipsum in possessionem mittere dectrectaverint, eo quod Sacerdotalis esset Capellania, Sacra Congregatio, attentis redituum tenuitate Capituli et Patronorum consensu nec non Vicarii Capitularis precibus, proposito dubio: – II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative donec ad legitimam pervenerit aetatem – *in Asten. die 20 Septembris 1788.*

20. Quum itaque anno 1780 Capellaniam sacerdotalem in Ecclesia s. Catharinae virginis et martyris Alexandriae erectam obtinuerit Sacerdos Ioachim Montanari ex provisionali nominatione Lucae Angeli Bracci, quousque Clericus Ioseph filius annum decimum septimum agens ad Subdiaconatum ascenderet vel aetatis dispensationem assequeretur, cumque hic subinde annum decimum nonum cum dimidio attingens dispensationem efflagitaverit, Sacra Congregatio, attenta qualitate Clerici agnati, quem Fundator praedilexit, quin ullus eiusdem familiae concurreret Sacerdos, proposito dubio: – II. An sit locus dispensationi aetatis favore Clerici Iosephi Bracci in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Senogallien. Capellaniae die 17 Aprilis 1790.*

21. Unde Clericus ex descendentia cognatorum, licet gratiam Apostolicam obtinuerit

ac litem cum alio diu egerit, praepedire non potest veniam dispensationis aetatis Puero octenni ex descendentia agnatorum ad obtinendum Beneficium seu Capellaniam Sacerdotalem, si verba fundationis haud ferant admissionem agnatorum aeque ac cognatorum *in Salernitana Dispensationis die 19 Decembris 1750.*

22. Enimvero ut Andreae defuncti Fratris voluntatem exequerentur, Beneficium sive Capellaniam in Capella Familiae sita in Ecclesia parochiali Terrae Braciliani anno 1681 fundarunt Anna et Laura sorores Danieli. Iuspatronatus activum pro se suisque heredibus et successoribus etiam extraneis in infinitum reservarunt: et quoad passivum statuerunt, – quod praedicti eorum heredes et successores semper et in perpetuum praeferre debeant illos Sacerdotes de dicta Familia Danieli, quando tamen adessent; si autem non adessent de dicta Familia, tum eis liceat nominare et praesentare illum Sacerdotem dictis earum heredibus melius visum et placitum, dummodo non sit alienigena, sed civis dictae Terrae Braciliani –. Voluerunt etiam praedictae Sorores, – quod, quando forsan adessent duo vel plures de dicta earum Familia de Daniele, tunc et eo casu debeant praeferre illum, qui fuerit ipsis Sororibus in gradu magis coniunctus; et si omnes in pari gradu existerent, tunc remaneant in voluntate dictorum heredum et successorum eligere quem voluerint ex eis –. Demum eaedem edixerunt, – quod, quando forsan adesset aliquis de dicta eorum Familia de Daniele, qui ob paupertatem et defectum Patrimonii non posset ad Sacerdotium pervenire, tunc et eo casu heredes et successores ipsarum Sororum teneantur et debeant illum in dicto Beneficio nominare et praesentare etiam ad titulum Patrimonii –. Facta subinde vacatione praedicti Beneficii de mense aprilis 1746, Bernardus et Nicolaus fratres Melonii, asserentes sese mediatos heredes Annae Danieli, unius ex fundatricibus, praesentarunt Tarquinium Melonium unicum eo tempore Clericum in descendentia Danieli, qui etiam gratiam Apostolicam impetravit. Contra vero Agnellus Danieli, tamquam qualificatus ad formam fundationis; et licet laicus, sub spe tamen futuri clericatus, postulavit ab Archiepiscopo Salernitano, ut Beneficium sibi adiudicaretur. Controversia tamen sopita tandem extitit, cum Agnellus inde Matrimonium contraxit. At Patroni alii intra quadrimestre a die Matrimonii praedicti praesentarunt Dominicum Puerum octennem, qui veniam aetatis postulavit . Obstitit huic postulationi Tarquinius; qui enim contendit, verba – Sacerdotes de Familia – agnatis aeque ac cognatis esse communia in materia indifferenti iurispatronatus, licet adiectum fuerit nomen Familiae. Facta subinde distinctione de Familia taxative vel demonstrative vocata, sustinuit, plures adesse circumstantias, e quibus deducebat, eam fuisse mentem duarum Sororum, ut cognati aeque ac agnati admitterentur, quas inter plurimi faciendam esse femineam Fundatricum qualitatem, ex qua vix praesumendum erat, eas deflectere potuisse a proprio sexu. Addidit, praesentationem Dominici Pueri nullam fuisse, cum facta fuerit post litem diu actam inter ipsum et Agnellum. Dominicus contra negavit, ius ullum quaesitum fuisse Tarquinio ex praesentatione facta a Fratribus Melonii, qui neque heredes fuerunt Annae et Laurae Fundatricum, neque erant in possessione praesentandi. Quod si Tarquinius subsidiaria cognatorum vocatione niteretur, ita ut, agnatis deficientibus, admitti deberet, nullum ei hoc casu ius quaesitum fuisse disputavit Dominicus. Nam verba Fundatricum non ad tempus vacationis Beneficii, sed ad tempus praesentationis dirigebantur. Ceterum sustinuit etiam Dominicus, ne subsidiariam quidem vocationem, defectis agnatis, proponi posse a Tarquinio, cum Sorores Fundatrices repetito semper vocaverint ad Beneficium – Sacerdotes de Familia de Daniele –, quae cognominis expressio facit, ut neque in subsidium cognati admittuntur, sed soli agnati. Distinctionem autem illam de Familia taxative vel demonstrative vocata et expressa locum habere dixit, ubi verba fundationis dubia sint, secus ubi clara et aperta, ceu in casu, quae solos agnatos admittebant. Nec obesse addidit dispositionem Textus in cap. 1 et 2 ut lit. pend. in 6, quia cum nullum ius ad Capellaniam haberet Tarquinius, lis remanebat calumniosa, eoque amplius, quod Dominicus prosequeretur ius suum in statu et

terminis, quibus erat, antequam Agnellus Danieli contrahendo matrimonium sese a lite subduceret; et ideo non poterat repelli, ut ipse habebat Textus in Cap. 2 ut lit. pendent. in 6.

23. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Salernitana Dispensationis die 19 Decembris 1750.*

24. Quum enim contradictor nullum ius quaesitum habeat, licet sit Subdiaconus, indulgetur dispensatio Puero de genere Patronorum et de Familia et agnatione Fundatricis nec non in aetate septem annorum constituto, usquedum pervenerit ad legitimam aetatem *in Auximana Dispensationis die 19 Iulii 1777 et die 30 Maii 1778.*

25. Siquidem Lavinia Manzoni testamento, quod condidit anno 1700, mandavit erigi Beneficium in Auximana Cathedrali Ecclesia, onere adiecto tria celebrandi Sacra qualibet hebdomada, nec non interessendi choro praefatae Cathedralis Ecclesiae. Ius nominandi Beneficiatum post obitum eorum, quos Testatrix ipsa nominaverat, esse voluit in perpetuum ad libitum Nicolai Manzoni eiusdem Testatricis nepotis germanique fratris Bartholomaei et Ioannis eiusque descendentium in infinitum. Praecepit tamen, quod si ex descendentia praedicti Nicolai haud existeret filius habilis ad obtinendum dictum Beneficium, mandavit, ut praefatus Nicolaus nominare deberet unum ex filiis Annae Mariae Noni; et quod si nec ex descendentia dictae Annae Mariae Noni filius habilis adesset, nominare obstringeretur filium Magdalenae Manzoni. Quum itaque die 9 iunii 1776 Beneficium hoc vacaverit, Angelus et Lavinia frater et soror Manzoni sub spe obtinendae Apostolicae dispensationis nominarunt Franciscum Nicolaum Manzoni Angeli filium et respective Laviniae nepotem constitutum in aetate septem annorum et clericali tonsura nondum insignitum. Ast in contradictorem invenit Subdiaconum Iosephum Amboni praefatae Magdalenae nepotem autumantem, se unicum esse ad assequendum Beneficium qualificatum ex dictis tribus contemplatis familiis, illudque propterea sibi deberi contendentem praelative ad Franciscum Nicolaum Manzoni propter aetatem penitus incapacem. Uterque supplicationem porrexit in Dataria Apostolica. Unde ponderandum praecipue erat; primum, utrum onus impositum a Testatrice Nicolao Manzoni nominandi unum ex filiis Annae Mariae Noni et subinde Magdalenae protenderetur etiam ad ulteriores Patronos, ita ut moderni Beneficii Patroni unum ex filiis dictarum feminarum nominare compellerentur; secundum, utrum sub nomine filiorum comprehenderentur Nepotes, ita ut Ambonus tamquam Magdalenae nepos passive iuspatronatum sibi posset adscribere. At quoad primum, Sacrae Rotae Tribunal firmavit, onus impositum primo vocato tamquam personalissimum ad successores in activo patronatu repetitum non censeri, ut videre est in decis. 95 Recent. n. 1 part. 16. Ad alterum vero quod attinebat, licet sub nomine filiorum veniant Nepotes, iuxta censuram Textus in L. *Iusta* 201, et L. *Liberorum* 220 §. 1 ff. de verb. signif., et e converso Nepotes non comprehendi sub filiorum appellatione sanciverit Textus in. L. *Quod si Nepotes* 6 ff. de testam. tutel. et in §. fin. Instit. qui testam. tutor. dar. poss., attamen ad utramque conciliandam Iuris communis dispositionem subintrare videbatur distinctio, quod si res est de dispositione Ascendentis, et eo casu procedit dicta Lex *Iusta* et Lex *Liberorum;* si vero agitur de dispositione Transversalis, ut in casu contingebat, et tunc locum obtinet Lex *Quod si Nepotes,* et §. fin. Instit. Ponderandum itidem erat, Manzonum esse de genere Patronorum et de familia et agnatione Fundatricis.

26. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quae supplicatio sit signanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Signandam esse supplicationem Francisci Nicolai Manzoni, eique competere dispensationem usque dum ad legitimam aetatem pervenerit, adimpletis oneribus – *in Auximana Dispensationis die 19 Iulii 1777.*

27. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 19 iulii 1777 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Auximana Dispensationis die 30 Maii 1778.*

28. Qua de re quum Sacerdos Stephanus

Magnoni Capellaniam Sacerdotalem fundaverit cum lege residentiae et celebrandi Missam cum cantu singulis diebus Sabbati, quin alii substitui possent, in Ecclesia Parochiali Oppidi Palatii, quam obtinere deberent propinqui ipsius cum praelatione lineae masculinae, et si non adessent Sacerdotes propinqui, eam Sacerdotes loci assequerentur, hac tamen adiecta conditione, ut quavis alia carerent Capellania, exceptis Beneficiis simplicibus, quae a S. Sede obtineri solent, ac in eorum defectum eam etiam Sacerdotes, qui laicales Capellanias possidebant, singulis bienniis unus post alium iuxta antianitatem obtinerent, quumque facta eiusdem Capellaniae vacatione ipsam Stephanus Paolini, qua loci Sacerdos, etsi iamdiu Aesii commoraretur Capellani Curati munere fungens, ineunte mense Martio 1846 possessionem eius nancisci arbitratus fuerit, onerum implementum Patruis committens, nec eam dimittere voluerit, licet monitus ab Episcopo, imo a Summo Pontifice petierit sanationem et dispensationem, quam etiam propinqui dicti Fundatores imploraverint, scilicet Clericus Antonius Belfanti annorum novemdecim pauper, Clericus Ioannes Martelli inopia pariter pressus et in aetate quindecim annorum constitutus, nec non Caietanus Fattorini puer octennis nondum clericali tonsura insignitus, quibus tamen plures Sacerdotes obstabant, qui sibi exclusive competere autumabant possessionem Capellaniae ex defectu Sacerdotum a Fundatore descendentium, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione favore Stephani Paolini in casu? II. An et quomodo factus sit locus substitutioni favore Sacerdotum Terrae Palatii in casu? III. An et cuius favore ex Clericis a Testatore descendentibus consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione a qualitate Sacerdotali in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et Sacerdotem Paolini teneri ad restitutionem fructuum perceptorum ex bonis Capellaniae, detracta summa erogata pro eleemosyna Missarum aliisque oneribus. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative favore Belfanti – *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Augusti 1848.*

29. Clericali tonsura iam Caietanus Fattorini insignitus rursus institit, ut sibi concederetur dispensatio prae Antonio Belfanti. Nam ipse pertinebat ad agnationem vocatorum, quae praeferenda erat, cum Fundator mandaverit, ut linea masculina semper femininae praevalere deberet; ipsumque nomen gerebat familiae Fattorini, quam principe loco nominavit Fundator. Reproposito hinc dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, Affirmative favore Fattorini – *in Forosempronien. Capellaniae die 24 Augusti 1850.*

30. Vix cladem persentiit Belfantius novam audientiam postulavit, ac acriter potiorem Fattorini descendentiam impugnavit. Reproposito itaque dubio sub formula: – An sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes per Factorinium productis documentis authenticis comprobantibus veritatem schematis genealogici ab eodem exhibiti – *in Forosempronien. Capellaniae die 3 Iulii 1852.*

31. Etenim veniam aetatis Apostolica Sedes ex aequitate, cuius cultrix est, facile impertitur iis, qui de sanguine sunt, ut testificationem faciunt Vivianus de iurepatronat. lib. 6 cap. 6 n. 9, Corrad. in prax. Benef. lib. 4 cap. 9 n. 10, Narbonus de aetat. ann. 14 quaest. 54 n. 9, Pitonius discept. eccles. 13 n. 42 *in Asculana Capellaniarum super dispensatione die 22 Augusti 1750* §. *Auditus.*

Item *in Platien. Canonicatus die 30 Maii 1829* §. *Oratoris; in Camerinen. Capellaniae die 9 Maii 1840* §. *Tertio; in Mutinen. Dispensationis et Reductionis Missarum die 24 Augusti 1844* §. *Hisce.*

32. Haec itaque dispensationis gratia faciliter conceditur a Dataria Apostolica, si rationabilis adsit causa, in quarum numero ponunt Doctores consanguinitatem cum Fundatore, ceu tradunt Card. De Luca de iurepatronat. disc. 70 n. 17 et de fideicom. disc. 8 n. 18, Rota in decis. 482 part. 1 divers. n. 3, et in Recent. decis. 194 n. 1 part. 2 *in Firmana Beneficii die 13 Februarii 1819* §. *Xaverii.*

33. Amplia, dispensatio indulgetur etiam iis, qui affines sunt Fundatoribus *in Ariminen. Dispensationis die 20 Decembris 1834* §. *Quod.*

34. Idcirco multo magis indulgetur dispensatio a defectu aetatis iis, qui et passivo et activo patronatu potiuntur, ceu monent Card. De Luca de iurepatronatus disc. 70 n. 17, Pitonius de controv. patron. alleg. 1 n. 25 *in Firmana Capellaniae die 19 Aprilis 1834* §. *Ceterum*.

35. Hinc Sacra Congregatio indulsit dispensationem aetatis Clerico passive vocato et filio unius ex tribus Patronis, cum Fundator habilitatem quidem exquisierit, sed statum ac finem ascendendi ad Sacerdotium exoptaverit, quin propterea obstitisset, quod alter ex Patronis primum nominaverit, dein veniam retinendi Capellaniam in statu coniugali administrationis titulo efflagitaverit *in Signina Capellaniae die 20 Decembris 1823*.

36. Enimvero Ioannes Baptista Cenciarelli anno 1717 Capellaniam fundavit in Ecclesia Archipresbiterali Oppidi Gabiani, suisque filiis eorumque descendentibus tribuit ius nonominandi Capellanum in perpetuum vel ad nutum, addita declaratione, quod si ex eorumdem descendentia adesset habilis et idoneus ordinari posset eiusdem titulo. Ius itaque nominandi subinde pollebant Maximus Cenciarelli, qui eam olim possedit, sed ad statum coniugalem transiens amisit, Ioseph Cienciarelli, qui pariter Capellaniam obtinuit, illamque anno 1821 sponte dimisit, denique Dominicus Cenciarelli, qui Romae degebat. Vacante Capellania per dictam Iosephi dimissionem, Maximus nominavit Sacerdotem Iosephum Marcelli: sed mutato dein consilio, veniam petiit administrationis titulo eam in statu coniugali retinendi, quousque vel ipsius filius, vel quivis alius de familia habilis et idoneus extaret; eique morem gerens Sacerdos Marcelli, nominationi nuncium dedit. Interea Dominicus institit penes Curiam Signinam, ut filius eius Ioseph Clericus et Sacrario Lateranensis Basilicae addictus institueretur, qui tamen reiectus dispensationem efflagitavit a Summo Pontifice, cum nondum ad aetatem quatuordecim annorum pervenisset. Maximus autem inopia quidem premebatur, sed eadem inopiae causa concurrebat favore Iosephi Clerici Cenciarelli. Imo petitio Iosephi voluntati Fundatoris apprime respondebat, cum hic statuisset, ut pro familiae suae Clericis Capellania in ordinationis titulum valeret adhiberi. At ei contradicebat Sacerdos Marcelli, qui, antequam Dominicus pro eodem Clerico filio suo in Curia Signina instaret, ad Capellaniam fuerat a Maximo praesentatus: et quamquam suae praesentationi renuntiaverit, id tamen se fecisse asserebat favore Maximi tantum, cuius inopiae levamen afferre voluit. Hinc si conditio locum non haberet, abdicatio corruere videbatur. Nihili tamen facienda esse videbatur nominatio in Sacerdotem Marcelli collatam videbatur, quia Dominicus – nihil transeat – interposuit, et quia Maximus perperam asseruit, se unum esse Patronum, cum aderant etiam Iosephus et Dominicus, ideoque Marcellus vix unam e tribus vocibus obtinuit. Spernenda itaque erat renunciatio, ex eo etiam quod, cum renunciatio certae personae favorem respiceret, conditionem ecclesiasticis legibus penitus improbatam, et ab Episcopo nullatenus admittendam, continebat, uti in re notissima tradunt Engel lib. 1 Decret. tit. 9 n. 58, Pirhing eod. loc. n. 7, et Reiffenstuel ibid. n. 110.

37. Hisce hinc perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Maximi Cenciarelli in casu etc. *Et quatenus negative*. II. An danda sit institutio Presbitero Marcelli in casu etc. *Et quatenus negative*. III. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super defectu aetatis favore Clerici Iosephi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative – *in Signina Capellaniae die 20 Decembris 1823*.

38. Idcirco quum Cleopatra Tartaglia Capellaniam ad nutum amovibilem ac penitus exemptam a qualibet Ordinarii vel alterius Superioris ecclesiastici iurisdictione fundaverit, adiecta lege Capellano celebrandi Missas per se ipsum, ac in eam nominatus fuerit a Patronis Clericus Lactantius de Nobilibus Senensis aetatis annorum duodecim nepos Celiae Tartaglia neptis et donatariae universalis dictae fundatricis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative usque dum ad legitimam pervenerit aetatem, adimpletis oneribus – *in Cornetana die 17 Iunii 1775*.

39. Ubi enim agitur de passive vocato praesertim unico, ad exclusionem extranei, accedente Patronorum consensu, facile concedi solet dispensatio a Dataria Apostolica, ut testatur Corrad. in prax. dispens. lib. 4 c. 2 n. 8, et Pitonius in discept. eccles. 13 n. 14 *in Pisauren. Dispensationis die 31 Maii 1766* §. *Ceterum.*

Item *in Cornetana die 6 Maii 1775* §. *De; in Bononien. Dispensationis die 11 Ianuarii 1783* §. *Sustinent; in Urbevetana die 27 Novembris 1784* §. *Ad.*

40. Idcirco Patroni filio ac pronepoti fundatoris, cuius voluntas non adversatur, facillime indulgetur a Sancta Sede dispensatio super defectu aetatis, ut aliquid commodi retribuatur sanguini fundatoris, et seculares alliciantur ad Beneficiorum fundationem in augmentum divini cultus *in Tridentina Capellaniae die 29 Augusti 1761* §. *Nunc.*

Item *in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774* §. *Aetatis.*

41. Unde indulgetur dispensatio ipsius fundatricis filio in quarto aetatis anno constituto super defectu aetatis et pro Capellaniae collatione, postquam tamen is septimum suae aetatis annum compleverit et clericali charactere insignitus fuerit *in Calaguritana Dispensationis die 8 Augusti 1761.*

42. Siquidem Maria Magdalena de Algorri, ut piam exequeretur voluntatem Ioannis de Algorri sui genitoris, die 16 martii 1754 fundavit in parochiali Ecclesia Oppidi de Miravalles perpetuam Capellaniam, cuius possessori onus iniunxit celebrandi qualibet hebdomada unam Missam, et excipiendi in quatuor anni designatis festis sacramentales fidelium confessiones aut per se, aut per substitutum, quatenus non esset idoneus; eiusdemque Capellaniae vacationem indixit, postquam Capellanus perventus ad trigesimum aetatis annum sacros Ordines, ad trigesimum secundum vero Presbiteratum non suscepisset. Iuspatronatus sibi suisque descendentibus reservavit cum lege, ut iidem nominare deberent quemlibet de cognatione sui Genitoris, etiamsi Tonsuram non haberet, ut Curia ecclesiastica eidem Capellaniam adiudicaret, et post Tonsuram adeptam collationem et institutionem tribueret. Interim eadem Maria Magdalena nominavit Iosephum Aloisium Raimundum Larrea filium suum quartum annum agentem; ac declaravit, suam fuisse volontatem in fundatione, quod sui descendentes praesentari possent etiam in tenera aetate, quodque Capellani ante susceptum Presbiteratus Ordinem amplius non tenerentur per substitutum excipere sacramentales confessiones, ob sequutam quorumdam capitalium pro dote assignatorum evictionem. Nomine igitur eiusdem Aloisii expedita fuit dispensatio super defectu aetatis et pro eiusdem Capellaniae collatione, postquam tamen Orator septimum suae aetatis annum compleverit et clericali charactere rite insignitus fuerit, adimpletis interea Capellaniae oneribus per substitutum, et residualibus illius fructibus, erogatis in causam illius subventionis et subsidii. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit signanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Calaguritana Dispensationis die 8 Augusti 1761.*

43. Qua de re nominatio facta a Patrono Andrea Ferrerio ad Beneficium in personam fratris Ioannis Baptistae Sacerdotis bis reiecta, obstante voluntate Testatoris praescribentis, Beneficiatum originarium suae patriae esse debere, admissa tandem fuit ex gratia attenta paupertate, quae extrema dici poterat, ac nobilitate Oratoris, qui etiam gravabatur onere trium Sororum in miserabili statu existentium; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro gratia in forma commissoria – *in Taurinen. Commutationis voluntatis die 3 Augusti 1715 lib. 65 Decretorum.*

44. Quum itaque Laura Zaccone in testamento anni 1602 iussisset erigi Capellaniam in Ecclesia Cathedrali Cathacensi, reservato familiae Zaccone iurepatronatus activo et passivo, ac eius heres Ferdinandus Zaccone eam erigi curaverit cum conditione amovibilitatis, quin Testatrix id ullatenus demandasset, Sacra Congregatio, dempta conditione illa amovibilitatis, licet eamdem Ordinarius acceptaverat ac observantia confirmaverat, concessit dispensationem Carolo de Nobilibus unico ex linea feminina praefatae Laurae descendenti ac octavum dumtaxat annum agenti; his enim in terminis proposito dubio: – An et quo-

modo sit concedenda dispensatio in casu etc. –, responsum tulit: – Pro gratia expedienda per Literas Apostolicas, si Sanctissimo placuerit, dempta conditione amovibilitatis – *in Cathacen. Dispensationis die 25 Ianuarii 1738.*

45. Hinc Sacra Congregatio etiam Puero quadrimo passive vocato dispensationem aetatis concessit, licet Summus Pontifex dispensationem iam concesserat nominato a Patrono subingrediente *in Lucana Beneficii seu Capellaniae die 17 Maii 1749.*

46. Siquidem simplex Beneficium seu Capellaniam in Oratorio S. Augustini et Monicae Villae Fusciandori fundavit anno 1683 Sacerdos Eleoncrus Simonetti adiecta lege, ut nominatio alternatim ad maiorem natum filiorum Vincentii et Peregrini Simonetti pertineret, et semper unus idoneus ex familia Simonetti, alias extraneus nominaretur. Vacavit subinde dictum Beneficium: et cum praesentatio facienda esset a maiori natu ex descendentibus a Peregrino, hic nominavit fratrem suum P. Angelum Ordinis Carmelitarum, et quia obstabat Regularis professio, Rochus Simonetti natu maior ex descendentibus a Vincentio ratus, nullam esse nominationem factam a natu maiori ex descendentibus a Peregrino, Dominicum Simonetti fratris sui filium laicum nominavit sub spe habilitationem obtinendi, quod ut Dominicus obtineret, preces obtulit Summo Pontifici, quibus et leges fundationis et nullitatem nominationis factae a natu maiori ex descendentibus a Peregrino narravit, postulavitque, ut, postquam clericali tonsura initiatus esset, sibi vel uti nominato a Patrono subingrediente, vel etiam ex iure devoluto Beneficium conferretur. Annuit Summus Pontifex. Interim vero quadrimus Puer Hippolytus Simonetti descendens a Peregrino petiit a Summo Pontifice, ut in solatium annosi Proavi, atque studia et statum ecclesiasticum ingredi posset, dispensatio largiretur aetatis, ut Beneficium posset obtinere, – attento, quod nullus Clericus seu Presbiter aeque vel magis qualificatus, qui aspirare valeat, existeret –. Huius suplicationis relaxationi obstitit Dominicus: qui enim negavit, causas, quas proponebat Hippolytus, satis esse ad dispensationem obtinendam, praesertim in detrimentum suum, cui iam quaesitum ius erat ad Beneficium, ob praesentationem factam a Patrono subingrediente sub spe dispensationis defectus Clericatus, quam obtinuit. Proposito vero dubio: – An supplicatio Hippolyti Simonetti sit relaxanda in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Lucana Beneficii seu Capellaniae die 17 Maii 1749.*

47. Siquidem gratiam dispensationis, ubi praesertim nemo ex Patronis sive vocatis ad Beneficium vel etiam Canonicatum Cathedralis magis idoneus adspirat, a S. Sede indulgeri testatur Corrad. in prax. disp. lib. 1 cap. 6 *in Cathacen. Dispensationis die 11 Ianuarii 1738* §. *Si vero.*

Item *in Balneoregien. die 17 Decembris 1763* §. *Cum; in Civitatis Plebis et Perusina Canonicatus die 22 Februarii 1823* §. *Favet; in Ariminen. Dispensationis die 20 Decembris 1834* §. *Quod; in Mutinen. Dispensationis et Reductionis Missarum die 24 Augusti 1844* §. *Et; in Bononien. Electionis seu Praesentationis die 20 Novembris 1851* §. *Quin; in Ariminen. Iuris nominandi et dispensationis die 13 Martii 1852* §. *Pauca; in Verulana Dispensationis die 15 Martii 1856* §. *Cum.*

48. Unde Canonicus, dispensatus super aetate a Sede Apostolica, censetur etiam dispensatus ad percipiendas distributiones quotidianas, si inserviat a die notificationis dispensationis *in Patavina die 1 Ianuarii 1656 lib. 19 Decretorum pag. 553.*

49. Limita, exceptis tamen iis, quae sunt prohibitae a Testatoribus dari absentibus *in Patavina die 1 Ianuarii 1656 lib. 19 Decretorum pag. 553.*

50. Itaque passive vocato deneganda non est dispensatio aetatis, si nullum habeat competitorem *in Urbanien. Primiceriatus die 18 Februarii 1764* §. *Franciscus.*

Item *in Signina Capellaniae die 2 Augusti 1823* §. *Verum; in Bononien. Electionis seu Praesentationis die 20 Novembris 1851* §. *Quin.*

51. Idcirco quum Alexander Antonius Gentiloni e monte Philoptrano mandaverit erigi ex sua domo Ecclesiam nec non in ea Congregationem Presbiterorum, qui ei instar Canonicorum inservirent, atque decem Capellaniae laicales a quacumque ecclesiastica immunes ob id fuerint erectae, ad quas nominan-

di forent, qui aetatem 21 annorum agerent, cumque die 8 februarii 1765 ad secundam ex illis nominatus fuerit Antonius Maria Accorretti natus die 21 novembris 1748, qui erat sanguine coniunctus Capellaniarum conditori, imo ex familia iis ante alias dilecta, ius nominandi ad primam earum seu Archipresbiteratum habente, Sacra Congregatio dispensationem aetatis indulsit, licet ceteri Capellani obsisterent, ac Fundator edixerit, ut auferretur statim ius nominandi Patronis, si capaces non nominaverint, aliisque daretur, nec non auferretur quodcumque ius iis, qui contra leges nominati fuerint; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Auximana Dispensationis die 21 Iunii 1766.*

52. Unde quum non extarent Presbiteri contemplati a Blasio de Monaris fundatore Beneficii erecti in Eccesia Collegiata Centi, et Bartholomaeus de Monaris supplex petierit a Summo Pontifice nominandi unicum filium in undecimo aetatis anno constitutum, proposito dubio: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative usque dum Orator pervenerit ad legitimam aetatem, adimpletis interim per alium oneribus – *in Bononien. Dispensationis die 25 Ianuarii 1783.*

53. Quum itaque vacaverit Capellania Sacerdotalis instituta a Caesare Marocchi, et Marchio Hiacynthus Corelli pronepos eorum, qui primi a fundatore designati fuerant, habito tum a patruo Iulio, tum a fratre Philippo consensu, imploraverit a Summo Pontifice facultatem nominandi suum filium Iulium tredecim annos natum, ut media ad studia prosequenda habere posset, Sacra Congregatio, attenta praesumpta dicti fundatoris voluntate favore consanguineorum, proposito dubio: – II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione favore Iulii Corelli in casu? –, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative impletis interim per alium oneribus, docto, cum obligatione suscipiendi singulos sacros Ordines cum ad canonicam pro quolibet pervenerit aetatem sub poena caducitatis – *in Faventina Iuris nominandi et Dispensationis die 25 Ianuarii 1845.*

54. Unde inter aeque dispensatione indigentes Sacra Congregatio benignius se praebet erga illum, qui proximior ac magis dilectus fuit Fundatori *in Forosempronien. Capellaniae die 24 Augusti 1850* §. *Eamque.*

55. Quapropter ei concedenda est dispensatio aetatis ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Cathedrali inter plures eum petentes, cuius favore prae ceteris concurrunt passiva vocatio, paupertas saltem relativa, probatissimi mores, diligentia et assiduitas in studiis excolendis, peritia in Gregoriano cantu a Testatore expresse requisita, dispositio ad statum ecclesiasticum, Capituli et Episcopi votum; his enim in terminis proposito dubio: – An et cuius favore annuendum sit precibus pro dispensatione aetatis, et cui sit danda institutio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus favore Clerici Spani, facto verbo cum Sanctissimo; et amplius – *in Verulana Dispensationis et Institutionis die 15 Martii 1856.*

56. Itaque quum Hieronymus Pilla de Albertis fundaverit in Cathedrali Ecclesia quemdam Canonicatum subdiaconalem obtinendum ab descendentibus Hieronymi Pilla, licet non haberent decem annos, alias aetas sexaginta annorum necessaria esset, Angela eiusdem Fundatoris filia nominavit ad eum per Procuratorem Antonium Pillam Nicellum eius ex filio nepotem in anno suae aetatis septimo versantem, addita clausula, quod si nominatus dispensationem intra quadraginta dies haud assequi posset, tunc nominavit Sacerdotem Sampsonem Asinelli aetatis suae quadraginta quinque, qui gratiam dispensationis super defectu aetatis sexagenariae postulavit. Episcopus Oratoris precibus annuendum censuit, tum quia puer ille, si dispensaretur super aetate, dispensari quoque deberet super recitatione divini officii, sicque per annos quatuordecim Ecclesia defraudata maneret servitio unius Subdiaconi, quo maxime indigebat; tum etiam quia Pater dicti Pueri iam renunciaverat nomine filii infantis nominationi, tum pariter quia agebatur de Canonicatu tenui gravato onere sex Missarum in hebdomada praeter chori servitium, cuius fructus una cum incertis ascendebant ad dumtaxat scuta centum, tum quia Orator Sampson pollebat integritate morum et nobilitate na-

talium, nec non quarto affinitatis gradu cum praedefuncto filio fundatoris erat coniunctus, tum tandem quia affixis per quindecim dies publicis edictis, nemo ex descendentibus a fundatore vocatis comparuerat. Proposito itaque dubio: – An Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Placentina Dispensationis die 16 Martii 1709 lib. 59 Decretorum.*

57. Hinc Sacra Congregatio indulsit dispensationem ad obtinendum Beneficium ecclesiasticum adolescenti in miserabili statu degenti clericali tonsura aucto et bonis moribus instructo per longe maiorem Patronorum partem nominato, licet minor eorum pars alterum ex familia pariter Patronorum pauperem et idoneum, clericali tamen tonsura carentem, nominaverint *in Faventina Dispensationis die 4 Februarii 1843.*

58. Enimvero licet fundationis tabulae delitescerent, constabat tamen ex postremis statibus iurepatronatus Beneficii erecti in Ecclesia parochiali S. Apollinaris in Aureolo gavisam fuisse gentem Gunkedi. Facta hinc eius vacatione, Ioseph Gunkedi exposuit, septem ex Compatronis in votis esse, ut nominationem in ipsum iam clericali tonsura auctum, sed duodecimum vix annum ingressum, conferrent; ideoque dispensationis veniam efflagitavit. Episcopus retulit: – Ioseph Gunkedi, pro quo Apostolica flagitatur dispensatio, est bonis moribus praeditus, in christiana doctrina bene instructus, et ad familiam pertinet in miserabili statu degentem. Capitulum minime adversatur expetitae gratiae, bene vero et acriter duo ex Compatronis –, qui Antonium Gunkedi alterum ex familia Patronorum pauperem pariter bonisque moribus imbutum atque nominationis idoneum, cum in aetate quatuordecim annorum reperiretur, quin obesset, quod clericali tonsura careret, ex eo quod uti arctatus eam ante institutionem consequi merito poterat. Idcirco mordicus sustinuerunt, dispensationem Iosepho non esse concedendam in praeiudicium alterius iuris quaesiti, et nominationes in idoneum collatas potiores esse iis, quae favore inhabilis conferebantur, etsi numero plures. His tamen perpensis, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris super dispensatione aetatis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo – *In Faventina Dispensationis die 4 Februarii 1843.*

59. Qua de re quum Ecclesia Collegiata erecta fuerit in Cathedralem, nequit sane Clericus Hieronymus Victorii legitime nominatus a Patronis decimum nonum tamen annum agentem Canonicatum in ea assequi absque dispensatione Apostolica, sed attentis eius bonis moribus ac studiis nec non vocatione passiva ipsius, quin alius concurreret, qui haberet ius quaesitum, sive esset magis idoneus, proposito dubio: – II. An dispensatio sit relaxanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Balneoregien. die 14 Ianuarii 1764.*

60. Quum igitur omnes Patroni unanimiter unum passive vocatum aetatem pollentem quindecim annorum, et alium pariter passive vocatum vix vigesimum annum agentem, remotiorem tamen, maior eorumdem Patronorum pars secundo loco ad Capellaniam sacerdotalem praesentaverint, dispensatio ei concedenda est, qui maiorem habens aetatem iam ad Subdiaconatum promotus extat *in Collen. Capellaniae die 12 Decembris 1716 et die 24 Aprilis 1717 lib. 66 et 67 Decretorum.*

61. Enimvero – anno 1623 Raphael Renerius in Cathedrali Ecclesia Capellaniam sub titulo Nativitatis Beatae Virginis Mariae instituit cum iurepatronatus tam activo, quam passivo favore suae agnationis ita tamen, ut vocati ad iuspatronatus activum, et qui ipsis propinquiores essent, semper etiam in praesentationibus essent praeferendi (1). De anno 1715 per resignationem ultimi possessoris cum haec vacasset Capellania, ad eam omnes Patroni unanimiter Ioannem Renerium praesentarunt, et maior eorumdem Patronorum pars secundo loco etiam praesentavit Iacobum Renerium remotiorem dicto Ioanne, qui est de linea, ad quam iuspatronatus activum est delatum. Cum Ioannes de tempore praesen-

) Capellano autem sequentia onera praescripsit: – Tenga l' obbligo di celebrare la S. Messa ogni mattina, applicando il Sacrificio a pro dell' anima del Testatore, qual Sacrificio deva fare egli stesso ogni volta non abbia impedimento d' infermità, nella quale e non altrimenti deva e possa fare adempire per altri Sacerdoti –.

tationis esset annorum quindecim, Iacobus vero vix vigesimum excessisset, uterque Sanctissimo supplicavit pro dispensatione aetatis, ad effectum assequendi praefatam sacerdotalem Capellaniam, sed preces eorum ad hanc Sacram Congregationem ab Emo Pro-Datario remissae fuerunt; et datis Literis Episcopo pro informatione, inter cetera refert, ultimum possessorem fuisse praesentatum in aetate annorum viginti, et dispensationem obtinuisse cum clausa « dummodo infra annum ad sacros Ordines promoveatur », Iacobum post praesentationem diei 2 decembris elapsi anni fuisse ad Subdiaconatum promotum, subdidit tamen, « Clericum Ioannem capacem ad quodcumque Beneficium non curatum consequendum ratione studii et ingenii, in quibus, ut asserit Praeceptor Seminarii Alumnorum, in cuius disciplina etiam ambo supradicti concurrentes edocentur, aetatem superat et in explicatione Concilii Tridentini optime versatum se praebet et dicto Iacobo Oratori superiorem ». Quare monito dicti Ioannis Procuratore –, proposito dubio: ⊨ An et cui sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative favore Iacobi – *in Collen. Capellaniae die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum*:

62. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Collen. Capellaniae die 24 Aprilis 1717 lib. 67 Decretorum.*

63. Ceterum Sacra Congregatio dispensationem aetatis indulsit Puerulo nondum septenni nec sacro inuncto Chrismate Xaverio Grisei a Patronis intra quadrimestre praesentatus sub spe ac conditione futurae dispensationis, etiamsi secundo loco vocatus Sacerdos existeret, et qualitatem sacerdotalem ad obtinendum Beneficium ex fundatione et observantia bis centenaria requiri praetenderet; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An sit relaxanda supplicatio in casu? II. An et cui sit danda institutio in casu? –, responsum dedit: – Ad primum, Affirmative favore Xaverii Grisei; et amplius. Ad secundum, Affirmative favore eiusdem Grisei; et amplius – *in Firmana Beneficii die 13 Februarii 1819.*

64. Idcirco quum satis constaret, quod Puer Ioseph da Prato Liburnensis passiva potiretur vocatione, Sacra Congregatio dispensationem eidem indulsit, licet alii adessent subsidiarie vocati; his enim in terminis proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super defectu aetatis et clericatus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Liburnen. Dispensationis die 29 Augusti 1857.*

65. Unde quum Fundator non exquisierit habilitatem de tempore vacationis, Sacra Congregatio indulsit dispensationem filio ipsius Patroni in aetate duodecim annorum constituto ab eodem nominato sub conditione obtinendae Apostolicae dispensationis, licet adesset alius secundo loco passive vocatus *in Civitatis Castelli die 4 Februarii 1786.*

66. Siquidem Dominicus Sediari 1739 Capellaniam fundavit in Ecclesia S. Theresiae Civitatis Castelli, reservato iurepatronatus activo et passivo favore Ioannis Baptistae et Francisci Sediari fratris, adiecta tamen lege, quod, si quis ex descendentia dicti Ioannis Baptistae et Francisci Sediari haud extaret, qui capax esset nominationis, Patroni nominare obstringerentur unum ex descendentia Iosephi Buratti. Quum inde Capellania anno 1780 vacaverit, Floridus Sediari Patronus nullum reperiens in Sacris vel in aetate legitima constitutum in sua familia, ad eam Iosephum filium suum annorum duodecim nominavit, sub conditione obtinendae dispensationis Apostolicae. Obstitit Prior Ionnnes Buratti, qui tamen, de suis iuribus diffidens, mox litem abdicavit, ac *nihil transeat* antea oppositum lacerari consensit. Episcopus censuit, quod – posset Patronus praesentare ac nominare Iosephum Sediari adolescentem optimae spei, et omnibus tam morum, quam ingenii dotibus exornatum, ac inhabilem ex defectu aetatis sub conditione dispensationis, cum Fundator non exquisierit habilitatem de tempore vacationis Beneficii –. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Civitatis Castelli die 4 Februarii 1786.*

67. Nam cum res sit de filio Patroni in aetate etiam quinque annorum constituto, qui

recte descendit a Fundatoribus, quique est de linea praedilecta et primo loco in fundatione vocata, solet Sancta Sedes aetatis veniam indulgere ad obtinendum duos Canonicatus, licet lex utriusque fundationis requirat, ut – praesentandus sit actu Clericus et ad minimum septennis –, ac licet alius habilis secundo loco vocatus obsistat; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi aetatis in casu etc –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatuum die 7 Aprilis 1753.*

68. Reproposito dein dubio sub formula:– An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatuum die 21 iulii 1753* (1).

69. Unde conceditur etiam venia aetatis Puero secundo loco passive vocato, qui nondum undecimum annum implevit, quin obstet contradictio alterius sub conditione praesentati et passive ultimo loco vocati *in Cremonen. Dispensationis die 4 Martii et die 15 Aprilis 1758.*

70. Siquidem Andreas Rosa iussit erigi tria Beneficia simplicia in Ecclesia Parochiali Terrae Pomponisci, eorumque patronatum legavit Communitati eiusque Prioribus ea adiecta lege, ut praesentarentur Clerici originarii loci bonis imbuti moribus habiles ad recitandum Officium, et in eorum defectu Sacerdotes dictae Terrae, semper tamen praeferri deberent descendentes e domo Dovara, Septimii Brunelli, Coppi, et Fellini quatenus existerent. Cum anno 1756 alterum ex dictis Beneficiis vacaverit, Priores elegerunt Clericum Iosephum Carolum Brunellium, qui nondum undecimum aetatis annum impleverat, quique ob id aetatis veniam postulavit a Summo Pontifice. At obstitit Clericus Iacobus Antonius Magotti. Re comperta a Patronis, alium cumulative praesentarunt Clericum Hermenegildum Fellini, qui decimum tertium aetatis annum nondum compleverat, hac tamen conditione, ut nullum ius ad Beneficium ex ea praesentatione acquireret, nisi in casu, quo primus veniam aetatis a Sede Apostolica impetrare non posset, et hanc conditionem agnoverunt eiusdem Clerici Hermenelgildi Parentes. Cessit interim Clericus Magotti, dum Hermenegildus sese contradictorem praebuit. Clericus Brunellius vero sustinuit, sibi deberi veniam aetatis, cum Episcopus testaretur, quod ipse esset habilis ad recitandum Officium, quin obesset contradictio Clerici Fellini, cum eius praesentatio sub conditione facta fuerit, ac esset e Familia ultimo loco vocata. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio et respective relaxanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Cremonen. Dispensationis die 4 Martii 1758.*

71. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Cremonen. Dispensationis die 15 Aprilis 1758.*

72. Hinc Puero sexenni passive vocato pauperi et filio Patroni Sacra Congregatio indulsit dispensationem, usquequo ad legitimam aetatem perveniret pro suscipiendo Sacerdotio, adimpletis oneribus, cum Contradictores nullo prorsus iure potirentur *in Beneventana Dispensationis die 28 Augusti 1779.*

73. Enimvero mulier Cassandra Iansito de Martino testamento anni 1743 iussit, geminas erigendas esse Capellanias cum onere Missae quotidianae, et in Capellanum nominavit Sacerdotem Ignatium Pallante, eoque defuncto, illum Sacerdotem, qui ex familia praefati Ignatii et Bernardi fratris existeret, et quando non adesset, Gubernatores Montis Mortuorum alium nominare deberent; sed cum ex ea subinde Sacerdos adesset, is praeferri deberet, quia ita instituit ac fundavit. Anno 1775 decessit praefatus Ignatius: hinc ad vacantem Capellaniam Bernardus nominavit Nicolaum eius filium sexennem sub spe obtinendae Apostolicae dispensationis super defectu aetatis. Obstiterunt Canonicus Antonius et Felix fratres de Pallante iudicialiter contendentes, spectare Capellaniam ad Sacerdotes ipsorum Familiae, cum Fundatrix mandaverit, admittendum non esse, qui actu Sacerdos non reperitur. At Bernardus Pallante Pater probavit, Cu-

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Canonicatus* §. I, n. 92 ad 95, Tom. IV.

riam Beneventanam decidisse, – Capellaniam praedictam a quondam Cassandra Iansito fundatam spectavisse et spectare ad solos Sacerdotes dependentes ex dicto Bernardo Pallante, exclusis Sacerdotibus aliarum - linearum eiusdem Familiae Pallante. Probavit ipsius inopiam, et unum ex Administratoribus Montis Mortuorum consensum suum petitae gratiae praestitisse, posthabito dissensu alterius administratoris Felicis Pallante, veluti contradictoris in Causa Patris et Nicolai Filii. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative usquequo Orator ad legitimam aetatem pervenerit pro suscipiendo Sacerdotio, adimpletis oneribus – *in Beneventana Dispensationis die 28 Augusti 1779.*

74. Idcirco quum Patroni nominaverint ad Beneficium Sacerdotalem Clericum de cognatione Fundatoris annum agentem decimum nonum, quatenus dispensationem Apostolicam assequi posset, alias subsidiarie Sacerdos extraneus nominatus intelligeretur, Sacra Congregatio veniam indulsit super defectu aetatis, quin alterius oppositio obesset *in Parmen. Dispensationis die 7 Iunii et die 2 Augusti 1760.*

75. Siquidem Petrus de Notariis anno 1479 fundavit Beneficium in Ecclesia Cathedrali Parmensi cum reservatione iurispatronatus favore Agnatorum, et illis definientibus favore Massariorum Consortii praefatae Ecclesiae lege iniuncta, ut infra quindecim dies a die vacationis tenerentur praesentare unum Clericum aut Subdiaconum aut etiam Presbiterum de domo et progenie domus illorum de Notariis et de domo ipsius Petri potius quam alium Praesbiterum, qui non esset de domo praedicta. Sequuta inde vacatione, Massarii ad quos devolutum erat iuspatronatus, intra legitima tempora die 12 decembris 1759 praesentarunt – Alexandrum Bertoni Clericum tonsuratum Parmensem, quatenus tamen intra debitum tempus in fundatione statutum et praescriptum capax reddatur per dispensationem Apostolicam, attenta qualitate sacerdotali praedicta; sin minus et subordinate atque in subsidium M. R. D. Ioannem Baptistam Parmensem atque idoneum, ut dixerunt, ad illud obtinendum –. Praefatus Bertoni, qui natus die 16 octobris 1740 annum agebat decimum nonum, illico dispensationem super defectu aetatis ad Presbiteratus Ordinem assequendum postulavit a Summo Pontifice: sed contradixit Ioannes Baptista Pedana. Episcopus retulit, defectum aetatis dumtaxat obstare Clerico Bertoni, eumque a biennio operam cum plausu navare Theologiae scolasticae, et a femina eiusdem nominis de Notariis descendere: Sacerdotem autem Pedana longum extollere servitium praestitum Ecclesiae divi Petri, cuius choro erat addictus. His in facto positis, proposito dubio: – An sit signanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative – *in Parmen. Dispensationis die 7 Iunii 1760.*

76. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Parmen. Dispensationis die 2 Augusti 1760.*

77. Unde Sacra Congregatio concessit dispensationem passive vocato super defectu aetatis ad obtinendum Patrimonium sacrum, licet Patroni alium aetate requisita pollentem, secundo tamen loco vocatum ac extraneum, nominaverint, quique bonorum possessionem adierit *in Cingulana Patrimonii sacri die 10 Maii 1732.*

78. Siquidem in testamento, quod fecit anno 1624 Puccettus de Puccettis iussit, ex bonis suae hereditatis constitui Patrimonium sacrum assignandum adolescenti quartum decimum agenti aetatis annum, et ad sacrum Altaris ministerium, cum deinde licuisset, provehi cupienti. Hunc vero adolescentem eligi voluit ex descendentibus ab Octavio Ioanne et Antonio de Puccettis nec non filiis Ioannis Baptistae Braschi per lineam masculinam. Monuit insuper Officiales Congregationis S. Philippi Neriì, quibus attribuit ius eligendi, quod – ipsi semper respiciunt Iuvenem pauperiorem, qui habeat aetatem annorum quatuordecim; et casu, quo dictae lineae deficerent et descendentes ex praenominatis familiis, sive in eisdem familiis Iuvenes aetatis praedictae non essent, tunc et eo casu vult et mandat, ut Officiales praedicti omnes unanimiter, sive maior ipsorum pars, faciant Patrimonium pauperi Presbitero iuveni bonae vitae ac mo-

rum, et sit Cingulanus, qui propter suam paupertatem ad sacros Ordines defectu Patrimonii pervenire non possit cum conditionibus praedictis –. Praedicti Officiales die 9 ianuarii 1732 praefatum Patrimonium assignarunt Clerico Petro Angelo Torretano versanti in aetate a Testatore praestituta et pauperi, qui, Episcopo approbante, bonorum possessionem adiit, adiecta tamen clausula - sine praeiudicio habentium potiora et meliora iura –. De nullitate acceptae possessionis protestatus fuit Petrus Paulus de Puccettis, qui stirpe per fundatorem vocata erat oriundus, quique iam ante, sub finem scilicet mensis novembris, petierat a Summo Pontifice, ut idoneum reddere dignaretur ad assequendum dictum sacrum Patrimonium, tametsi quartum decimum aetatis annum nondum attingeret, quippe qui in lucem editus die 29 Iunii 1719. Praeterea, postquam dictus Petrus Angelus Torretanus possessionem adeptus fuerat, Pius de Puccettis Pater memorati Petri Pauli, citatis Officialibus praedictis, apud acta Curiae Episcopalis nominavit ad dictum Patrimonium Sacrum Bartholomaeum, alterum eius filium primogenitum, habentem duos et triginta annos, atque institit in eadem Curia, ut ille ad possessionem bonorum admitteretur, electo Petro Angelo Torretano. Haec autem Causa adhuc ibi pendebat indecisa.

79. Rebus sic stantibus, proposito dubio: - An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative – *in Cingulana Patrimonii Sacri die 10 Maii 1732.*

80. Nam dispensatio ad obtinendum Beneficium sacerdotale etiam simplici Clerico et vigesimum annum agenti, sed praelative vocato a Testatore, quatenus scilicet esset Sacerdos, concedenda est, licet Patroni secundo loco praesentaverint alium actu Sacerdotem *in Imolen. die 23 Maii 1722* (1).

81. Hinc Sacra Congregatio indulget dispensationem aetatis nedum Puero trimo passive vocato, quando nullus extet contradictor, sed etiam quando adsit substitutus habilis secundo loco vocatus ab ipso Fundatore, qui contradicit, si praesertim ille gravissima inopia prematur, et sit valde ab eodem Fundatore ob id praedilectus *in Asculana Capellaniarum super dispensatione die 22 Augusti 1750.*

82. Iamvero Armenius Broglia testamento anno 1641 condito Capellaniam fundavit in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis Oppidi Ophidae, cuius iuspatronatus reliquit heredibus suis et descendentibus in infinitum, cum lege nominandi idoneum ac proximiorem consanguineum ipsius Testatoris. Franciscus Antonius Broglia filius Gregorii fratris Armenii anno 1649 aliam Capellaniam in eadem Ecclesia fundavit; et ad eam vocavit unum de familia in aetate quatuordecim annorum constitutum, atque in eius defectu substituit filios Rochi Constantini. Utramque Capellaniam subinde possidebat Canonicus Ioseph Broglia, quo die 17 novembris 1749 defuncto, Nicolaus frater cum nullus ex familia sua esset, qui eligi posset, nisi Armenius filius Puer trium annorum, hunc nominavit ea tamen lege, ut veniam aetatis impetraret. At obstitit Clericus Franciscus Antonius Constantini descendens a Rocho et substitutus in testamento secundi fundatoris Francisci Antonii Broglia. Armenius vero contendit, nullam de Capellania fundata ab Armenio seniore quaestionem esse posse, cum ipse vocatus esset expresse in testamento statim ac natus fuit, et unius esset proximior de familia, solumque ei obesse posset aetas, cuius veniam implorabat. Ad aliam quod spectabat Capellaniam mens Francisci Antonii fundatoris clara erat, scilicet - non avendo avuto altro scopo, solo per sollevare dalle miserie la casa Broglia destituta d'ogni altro umano soccorso –, quae ratio et causa finalis optime conveniebat Armenio unico superstiti et vocato; ideoque Apostolica Sedes in hisce circumstantiis difficilis non est ad veniam aetatis impertiendam. Neque hanc dispensationem praepediri posse sustinuit a Clerico Francisco Antonio Constantini, licet substituto in testamento Fundatoris, quia cum extaret masculus agnatus prius vocatus et praedilectus, nullum ipse ius habere poterat, ut late disputat casus distinguendo Pitonius de controv. patron. allegat. 1 n. 28. Praesertim cum pendente termino quadrimestris, nulla habeatur ratio detrimenti eventualis, quod per concessionem gratiae evenire

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Beneficia*, §. XXI, n. 138 ad 143, Tom. III.

potest successive vocato, qui praepedire non potest dispensationem aetatis ei, qui antecedenter vocatus sit, cum ipse nullum habeat ius quaesitum, sed solam et meram spem. Episcopus retulit, Nicolaum eiusque filium Armenium iuniorem Puerum trimum unicos esse superstites ex familia Broglia, qui – nullos habent ex bonis patrimonialibus reditus, et maxima inopia premuntur, nisi de Bonis Beneficii vel Capellaniae provideantur ex Apostolica consueta benignitate; et Domus Broglia est de conspicuis familiis dictae Terrae –.

83. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis aetatis ad effectum, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative quoad utramque – *in Asculana Capellaniarum super dispensatione die 22 Augusti 1750.*

84. Quapropter multo magis Sacra Congregatio indulget dispensationem aetatis Puero primo loco passive vocato aetatem trium annorum cum dimidio agenti, si habilis secundo loco vocatus liti solemniter renunciaverit *in Neritonen. Abbatiae die 22 Martii et die 22 Novembris 1760.*

85. Iamvero Marcellus et Ioannes Carolus Massa Ecclesiam in Civitate Neriti fundarunt anno 1623 vigore Indulti Apostolici cum Beneficio Abbatia nuncupato, cuius patronatum activum et ius praesentandi, in defectum suorum descendentium, reservarunt favore Bartholomaei Massa ipsorum ex praedefuncto fratre nepotis illiusque descendentium de Primogenito in primogenitum adiecta lege, – quod Abbas praesentandus ad dictum Beneficium sit et esse debeat descendens a supradicto Ioanne Carolo et Bartholomaeo Massa et magis coniunctus ipsis fundatoribus: et in eventu, quod plures concurrentes in pari gradu adsint in dicta familia, tunc et eo casu maior aetate vel primus Clericus nominari debeat: et casu, quod non adsit Clericus capax descendens a praedictis Ioanne Carolo et Bartholomaeo Massa, praesentari debeat ex familia de Massa: et in eventum, quod nullus adsit de familia de Massa, eligi et nominari debeat aliquis ex descendentibus ex dicto Luca Ioanne Valentini, ut supra. Cum protestatione in principio medio et fine et in qualibet parte praesentis contractus, quod in omnibus servari debeat tenor et continentia praedicti Indulti Apostolici per Sanctissimum D. N. PP. Urbanum VIII super hoc ut supra expediti –. Sequuta exinde vacatione Abbatiae, Hieronymus Massa Baro Galugnani, qui erat Patronus de linea Bartholomaei, praesentavit in Curia Episcopali filium suum iuniorem in aetate annorum trium cum dimidio constitutum, sub spe obtinendae dispensationis Apostolicae super defectu aetatis. Comparuit quoque in eadem Curia Didacus ex altera familia Petri Massa Pro-Patrui Fundatorum, et tamquam passive vocatus in defectum Clericorum habilium de linea Bartholomaei, petiit institui ad eamdem Abbatiam, – dummodo praedictus Infans Bartholomaeus iunior Apostolicam dispensationem super aetate non obtineret –. Didacus itaque contendit, factum esse locum suae substitutioni ob incapacitatem Oratoris de tempore vacationis Beneficii et sequutae praesentationis; sibique ius quaesitum fuisse per comparitionem et oppositionem in tempore factam. Bartholomaeus contra sustinuit, spernendas esse oppositiones Didaci, quia Fundatores nullam praescripserunt qualitatem Clericatus et legitimae aetatis in praesentando, quo casu praescripta qualitas verificari debuisset de tempore vacationis vel praesentationis; sed illa requisita est a iure pro idoneitate Personae instituendae, et ideo satis erat verificari de tempore institutionis. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit relaxanda supplicatio et respective concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et exibeatur Indultum Apostolicum – *in Neritonen. Abbatiae die 22 Martii 1760.*

86. Territus autem Didacus gravi impensa quadraginta ducatorum aureorum de Camera, quae requirebatur pro habenda publica copia dicti Indulti ab Archivista Datariae Apostolicae, et forsan diffidens de suis iuribus super meritis Causae, liti solemniter renunciavit. Ursit igitur Bartholomaeus, Causam sui favore definiri. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Neritonen. Abbatiae die 22 Novembris 1760.*

87. Unde saepe concessa fuit dispensatio super qualitate Clericali Pueris etiam bimis trimis vel quadrimis, quando praesertim non

concurrunt alii passive vocati habentes qualitates requisitas *in Civitatis Castelli Capellaniarum die 25 Aprilis 1761* §. *Pro.*

Item *in Tridentina Capellaniae die 29 Augusti 1761* §. *Nunc; in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774* §. *Aetatis.*

88. Siquidem Sacra Congregatio indulsit dispensationem nedum Puero trimo in Aretina die 16 decembris 1747 lib. 97 Decretorum pag. 503 a tergo, sed et Puero bimo in Melevitana die 12 februarii 1735 lib. 85 Decretorum pag. 72 per summaria precum *in Neritonen. Abbatiae die 22 Novembris 1760* §. *Territus.*

89. Pia enim Mater Ecclesia, etiam iuxta verosimilem Testatorum voluntatem, nonnihil tribuendum censuit consanguineis eorum, qui bona sua Ecclesiae obtulerunt *in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774* §. *Aetatis.*

90. Quum itaque ageretur de Capellania mere laicali et ad nutum amovibilis, remoto Capellano, Sacra Congregatio indulsit dispensationem Puero in aetate constituto annorum duorum et mensium quinque et a Patre Patrono nominato *in Urbevetana die 11 Decembris 1784.*

91. Siquidem Dominicus Ciuchi testamento anni 1732 iussit, erigi cum consensu Ordinarii in rurali Ecclesia S. Mariae salutis Terrae Ficullis Capellaniam seu Officiaturam manualem Missarum, eamque a iurisdictione Ordinarii et reservationibus Apostolicis exemptam voluit; Capellanum, quem ad nutum fecit amovibilem, etiam sine causa, gravavit onere trium Missarum qualibet hebdomada. Eodem anno 1732 Capellania, accedente Ordinarii auctoritate, fuit instituta; eiusque patronatum subinde possidens Thomas Gatti mense aprilis anni 1780 ad Capellaniam praesentavit Clericum Aloisium Brecialdi, et ad ipsius vitam nominationem explevit. Verum advertentes tam Patronus, quam Clericus nominatus, vetitam esse ex Testatoris voluntate perpetuationem, unanimi consensu convenerunt, quod praesentatio nulla foret, quando alter ex filiis Thomae Gatti ad legitimam aetatem pervenisset, qua Capellaniam assequi posset, vel impetrasset dispensationem super defectu aetatis a Sede Apostolica. Post haec de mense octobri anni 1781 Thomas Patronus a Capellaniae possessione removit Clericum Brecialdi, et in illius locum suffecit proprium filium Franciscum Mariam in aetate tunc constitutum annorum duorum et mensium quinque, insuperque supplex adiit Summum Pontificem pro obtinenda aetatis dispensatione. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, adimpletis oneribus; et amplius – *in Urbevetana die 11 Decembris 1784.*

92. Qua de re quum Silvius de Sanctis anno 1774 iussisset fundari in Ecclesia rurali S. Magni Civitatis Frusinonis Capellaniam mere laicalem perpetuam et a quavis ecclesiastica auctoritate nec non reservationibus Apostolicis prorsus exemptam, adiecta simul lege nominandi Sacerdotes vel Clericos de familia Grappelli, quumque inde Ioannes Baptista Grappelli exposuerit, deesse in eius familia Sacerdotem vel Clericum, qui Capellaniam consequi posset, atque ob id efflagitaverit, vel quod sibi tribueretur facultas nominandi Nicolaum filium suum quinquennem, vel saltem usquequo ad legitimam perveniret aetatem, suspensa remaneret provisio Capellaniae, et reditus, satisfactis oneribus, erogarentur in meliorandis bonis, quae reparatione indigebant, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et ad quod tempus sit locus suspensioni nominationis Capellani ad effectum erogandi reditus Capellaniae in meliorandis bonis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative adimpletis oneribus, et ad mentem; et mens est, quod Patronus incumbat bonorum restaurationi. Ad secundum, provisum in primo – *in Verulana die 15 Ianuarii 1785.*

93. Idcirco quando nemini de genere vocatorum dici potest ius quaesitum, Sacra Congregatio indulget dispensationem aetatis etiam Puero quadrimo ab eiusdem Patre patrono nominato, non alteri duodecimum annum agenti, tametsi et ipse ceu passive vocatus, non tamen praesentatus, instet pro dispensatione aetatis *in Tridentina Capellaniae die 29 Augusti 1761.*

94. Enimvero Stephanus Panizza testamento anno 1699 condito iussit fundari Benefi-

cium canonice erigendum in Ecclesia parochiali S. Victoris Thaii, reservato iurepatronatus Petro Laurentio Panizza nepoti suo, cui substituit Seniorem de familia masculina Petri Panizza sui Genitoris. Ad assequutionem autem dicti Beneficii praesentari voluit primum Beneficiatum alterum ex filiis Iosephi Panizza filii sui subiungens: casu, quo non vellet aut nollet statum ecclesiasticum assumere, praefatus Petrus Laurentius posset praesentare unum ex filiis suis, et in eius defectu, unum semper de familia, si adesset; indulsitque celebrandi Missas per alium, donec ad aetatem viginti quinque annorum perveniret. Facta subinde vacatione, Thomas Panizza senior de familia ac Testatoris ex praefato Iosepho filio nepos die 28 ianuarii 1760 praesentavit Iosephum Thomam filium suum natum die 18 augusti 1756, sub spe tamen impetrandi Apostolicam dispensationem super defectu aetatis. Verum praesentationi sese opposuit Balthaxar quondam Matthaei Panizza duodecimum agens annum, sed clericali tonsura destitutus, qui contendit, Beneficium sibi, uti passive vocato a Testatore, conferendum esse, post susceptam primam tonsuram, ac postquam quoad aetatem ope vel similis dispensationis Apostolicae vel prorogationum indulgendarum ab Episcopo idoneus factus esset. Obstiterunt quoque Sacerdos Philippus et Petrus Antonius Panizza, cum in defectum aliorum habilium passive vocatorum idem Sacerdos Philippus Panizza postularetur ad Beneficium institui vigore suae passivae vocationis. Thomas vero contendit, dispensandum esse filium suum, quia Ioseph Balthaxar aeque impubes erat et incapax assequendi Beneficium; et Sacerdos Philippus suam non prosequebatur oppositionem. Quin imo, cum a Testatore praescripta non fuisset idoneitas de tempore vacationis, aut praesentationis, in facultate ipsius erat praesentare inhabilem sub conditione obtinendae dispensationis, postposito habili et idoneo de genere vocatorum, cum hic nullum ius quaesitum haberet. His igitur perpensis, propositis dubiis:–I. An sit locus dispensationi aetatis favore Iosephi Panizza? *Et quatenus negative.* II. An sit locus eidem dispensationi favore Baltha xaris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Tridentina Capellaniae die 29 Augusti 1761.*

95. Quin imo aliquando dispensationis loco Beneficiorum collationem maluit Sacra Congregatio suspendere, donec illam petentes ad legitimam aetatem pervenissent *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatus die 7 Aprilis 1753* §. *Neque.*

Item *in Callien. et Pergulana die 22 Februarii 1823* §. *Favet; in Ferrarien. Iurispatronatus die 1 Februarii 1840* §. *Sacra.*

96. Unde ipsis permissum est, ut interim, collatione suspensa, donec legitimam aetatem attigerint, reditus in proprium levamen, vel studiorum causam, oneribus satisfactis, insumerent, ut in Asculana dispensationis 20 maii 1760, et Sutrina Canonicatus 27 iunii 1829 *in Tusculana Dispensationis die 18 Decembris 1841* §. *Sane.*

97. Similiter quum Ioannes Baptista Mediolani Mansionariam codicillaribus tabulis diei 16 februarii 1726 in Cathedrali Ariminensi Ecclesia, dein in Canonicatum erectam, fundari mandaverit, et, facta eiusdem vacatione anno 1850, Iosephus Tacchi passive vocatus dispensationem petierit, sed Capitulum declaraverit, in postulante nullum pro Canonicatu obtinendo requisitum adesse, nam nec tonsura erat initiatus, nec aetatem habebat sufficientem ad se mancipandum Ecclesiae servitio, nec ad scientias addiscendas aptitudinem praeseferebat ob tenellam aetatem, idcirco Ecclesiae damnum proveniebat ex collatione Canonicatus Puero eiusmodi aetatis, et Patroni in diversas abirent sententias, proposito dubio: – II. An et quomodo sit annuendum precibus Iacobi Tacchi in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, consulendum Sanctissimo pro suspensione nominationis et administratione Canonicatus ad effectum, ut, deputato ecclesiastico Administratore et adimpletis omnibus oneribus, superextantes reditus erogentur in ecclesiasticam Pueri in seminario alendi educationem, usquedum ad aetatem annorum 21 pervenerit – *in Ariminen. Iuris nominandi et Dispensationis die 13 Martii 1852.*

98. Iamvero quum nemini de genere vocatorum dici possit ius quaesitum ratione sui actualis capacitatis, esse in facultate Patroni praesentare etiam incapacem, dummodo ante

institutionem fiat capax sive naturaliter, sive per dispensationem, communiter tradunt Card. De Luca de iurepatronatus disc. 70 n. 16 et 17, Pitonius discept. eccles. 13 n. 40, Rota in Tusculana Canonicatus 29 maii 1756 §. 6 ad 8 coram Stadion, et in Mediolanen. Beneficii 6 iunii 1757 §. 8 coram Decano *in Tridentina Capellaniae die 29 Augusti 1761 §. Nec.*

99. Quoties enim idoneitas non fuerit a Fundatore requisita relative ad tempus vacationis, sed praesentationis a Patronis infra legitimum terminum perficiendae, satis est, ut ea superveniat intra tempus a Patronis ad praesentandum assignatum *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768 §. Ubi.*

Item *in Civitatis Castelli die 21 Ianuarii 1786 §. Neque* (1).

100. Et sane ex causa inhabilitatis alterius praesentati nullum aliud ius praesentato quaesitum dicitur, nisi conditionatum et in potentia, quatenus nimirum illius inhabilitas firma remaneat ex Superioris reprobatione, ita docet Pitonius in discept. eccles. 13 n. 58: hinc in casu, quo habilitas tempore praesentationis, non autem tempore vacationis requiratur, negat ibidem idem Auctor, consanguineum aeque vocatum, qui sit habilis, sub obtentu praeiudicii suo iuri ex habilitate quaesito sese opponere posse dispensationi alterius vocati, qui sit inhabilis, ea ratione, quia, durante termino ad praesentandum, nullum ius quaesitum, sed tantum spem ac potentiam habet alter ex vocatis, et cum Patronus non cogatur praesentare habilem in principio quadrimestris, sed in eius arbitrio sit usque ad eiusdem postremum diem praesentationem differre, fas est citra alterius iniuriam intra dictum terminum habilitatem procurare *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846 §. Galgano.*

101. Nec ullum intercedit discrimen inter idoneum naturaliter et idoneum per dispensationem, ut notant Lotterius lib. 1 quaest. 40 n. 167, Pitonius de controv. patron. alleg. 100 n. 329, Rota in Orisingen. Canonicatus 10 maii 1715 §. Non subsistente coram Cerro *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768 §. Ubi.*

Item *in Civitatis Castelli die 21 Ianuarii 1786 §. Neque; in Tolentinaten. Dispensationis die 27 Iulii 1850 §. Quin; in Bononien. Electionis seu Praesentationis die 20 Novembris 1851 §. Quin.*

102. Omnis enim habilitas provenit ab eodem fonte, idest a Principe, qui potest lege sua inducere habilitatem et inhabilitatem *in Bononien. Electionis die 20 Novembris 1851 §. Quin.*

103. Immotum hinc de iure est, quod oppositores nequeant Beneficium praetendere, neque petitam dispensationen controvertere, ubi sint destituti praesentatione Patroni, cui licitum est idoneos postponere, et inhabilem de genere vocatorum praesentare sub conditione obtinendi dispensationem, ad tradita per Card. De Luca de iurepatronatus disc. 45 n. 7, et Rotam in Zamoren. seu Salamantina Capellaniae 23 ianuarii et 14 maii 1756 coram Stadion *in Tridentina Capellaniae die 29 Augusti 1761 §. Nec.*

Item *in Firmana Beneficii die 13 Februarii 1819 §. Xaverii.*

104. Quin imo cum nemo sit directe vocatus a Fundatore, sed omnes in pari gradu descendant a lineis passive vocatis, Sacra Congregatio dispensationem ad obtinendum Canonicatum indulget Puero decenni a Patronis sub conditione assequendi habilitatem nominato, licet Competitores sint aetate maiores, ex eo quod Patroni, postposito habili et capaci, possunt sub praedicta conditione praesentare inhabilem, si praesertim omnes vel defectu aetatis, vel Clericatus sint inhabiles *in Balneoregien. Canonicatus die 21 Iunii 1760* (2).

105. Idcirco cum Fundator indirecte et mediate, non vero directe et immediate propinquos ad Capellaniam vocaverit, et Patroni Puerum sexennem ac substitutive habilem nominaverint, si ille Causae renunciationem emittat, alteri adiudicanda est Capellania, quin obstet alter passive vocatus contradictor nominatione destitutus, licet Fundatori proximior existat *in Firmana Institutionis die 27 Iulii 1844 et die 5 Decembris 1846.*

106. Siquidem anno 1784 Sacerdos Petrus

(1) Felin. in Cap. *Cum se* de Rescriptis; Garz. de Benef. part. 7, cap. 1, a n. 32; Narbon de aetat. ann. 14 quaest. 54, n. 8; Lotter. de re Benef. lib. 2, quaest. 48, n. 92.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, n. 86 ad 91, Tom. IV.

Tecari et soror eius de Oppido *Monte Corsero* reciprocum testamentum condiderunt, quo circa usumfructum sese invicem heredibus institutis, quoad proprietatem statuerunt, ut Praepositus pro tempore Ecclesiae a S. Ioanne et Lucia nuncupatae nec non Sacerdos Seraphinus Garofali vel eius heredes Capellaniam erigendam curarent in Ara eiusdem Ecclesiae SS. Virgini Carmelitidi sacra. Primum Capellanum ipsi nominarunt Canonicum Dominicum Scarcarelli de Monte Sancto nepotem suum ex sorore Matthia, quae Nicolao Scarcarellio iam nupserat. Eo vero vita functo, iuspatronatus activum memoratis Praeposito et Garofali reliquerunt ea adiecta lege, ut fundatorum propinquos ex linea masculina et feminina praeferrent, iisque deficientibus civem excluso advena, dummodo hic non esset eorumdem propinquus, nominare deberent. Capellania erecta subinde extitit ex bonis tantum Petri testatoris, cum Soror superstes, immutata voluntate, aliter de sua substantia disposuit. In obitu primi Capellani praedicti Patroni rite praesentarunt Canonicum Blasium Palmieri *De Monte Corsero* descendentem a Marino Palmieri, materno fundatoris avo. Sed obstitit Canonicus Nicolaus Scarcarelli, defuncti Capellani nepos, liteque contestata, proposito dubio: – An et cui danda sit institutio seu immissio, ita ut sit relaxandum mandatum in casu? –, Sacrum Rotae Tribunal respondit: – Institutionem et immissionem dandam esse Canonico Blasio et esse relaxandum mandatum –, ceu videre est in Firmana Capellaniae 7 aprilis 1818 coram Martinez del Campo. Mense novembris 1842 Blasio demortuo, Praepositum Gigliesi et Iacobus ac Dominicus Garofali, unanimiter praesentaverunt Iacobum puerum fere sexennem filium Antonii Orlandi descendentis a Lucia sorore Capellani Blasii Palmieri, quae in Orlandorum domo nupserat. Qui si dispensationem ab aetate non obtinuisset a Sede Apostolica, iidem Patroni substitutive habili tempore nominaverunt Vincentium filium Petri Orlandi, Iacobi nominati consobrinum, annos tunc octodecim natum, reiecto alio puero annorum undecim filio Iosephi Orlandi, Iacobi itidem consobrino. Illico Iacobus dispensationem petiit. Nam pauper erat passive vocatus et praesentatus a legitimis Patronis; quin obesset, quod Canonicus Scarcarelli Fundatori proximior esset, cum sub nomine – parente – is de iure comprehendit agnatos cognatos affines et cuiusvis generis consanguineos. Idcirco cum Scarcarellius haud directe et immediate, sed indirecte et mediate vocatus esset, necessaria censebatur Patronorum nominatio, qua omnino destitutus existebat. Hinc sibi favore sustinuit memoratam S. Rotae decisionem. Nec impedimentum parare poterat Vincentius, cum substitutus nequeat praepedire instituto dispensationem. At post haec Iacobus Orlandi Causae renunciationem emisit. Hinc enixius Vincentius Orlandi in extrema degens paupertate Capellaniam sibi adiudicari efflagitavit. Proposito hinc dubio: – An et cui sit danda institutio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative favore Vincentii Orlandi – *in Firmana Institutionis die 27 Iulii 1844.*

107. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis et amplius – *in Firmana Institutionis die 5 Decembris 1846.*

108. Hinc Sacra Congregatio indulsit dispensationem ad obtinendam Capellaniam ecclesiasticam Puero sexenni passive vocato respective pauperi, quem Patronus nominare exoptabat, licet adesset alius aeque passive vocatus undecimum agens annum et clericali militiae mancipatus *in Camerinen. Capellaniae die 26 Aprilis 1828.*

109. Siquidem Franciscus Croce ultimo suo voluntatis elogio Capellaniam ecclesiasticam erigi iussit in Collegiata Ecclesia S. Martini Oppidi Caldarolae, lege indicta Rectori tot Sacra litandi, quot ferrent annui Capellaniae reditus ad rationem eleemosynae iuliorum trium pro singulis Missis. Ius nominandi tribuit Seniori Familiae Casini, qui habilem et idoneum eiusdem familiae, si adesset, nominare obstringeretur, alias extraneum bonis moribus imbutum. Quum subinde Capellania praedicta vacaverit, Felix Casini, utpote Senior Familiae, postulavit facultatem nominandi Ladislaum ex filio nepotem clericali nondum tonsura insignitum et suae aetatis sextum annum agentem. Hieronymus vero Casini ipsius Oratoris ex fratre

nepos praetendit Capellaniam competere Clerico Petro Casini eius filio uti natu maiori, cum annum undecimum suae aetatis ageret; ideoque in actis Cancellariae Episcopalis – nihil transeat – apposuit. Is enim, quum aeque ac Ladislaus cum Fundatore esset sanguine coniunctus, maior tamen natu et clericali militiae mancipatus, utpote dignior praeferri debebat. Contra Ladislaus respectiva laborabat paupertate, eumque Patronus nominare exoptabat, cuius favor plurimi esse faciendus videbatur. Propositis hinc dubiis: – I. An et cui concedenda sit dispensatio in casu etc. *Et quatenus favore Ladislai.* II. An et quomodo sit concedenda reductio Missasarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative deputato per Archiepiscopum ecclesiastico Administratore, qui, satisfactis tot Missis ad manualem, quot ad formam fundationis sunt celebrandae, superextantes reditus Ladislao consignet, donec ad legitimam aetatem perventus ad Sacerdotium ascendat, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, provisum in primo – *in Camerinen. Capellaniae die 26 Aprilis 1828.*

110. Imo valida et legitima censetur dispensatio aetatis a Summo Pontifice passive vocato et ab omnibus Patronis nominato concessa, antequam Sacra Congregatio mandaverit, ut Patronis novam explerent nominationem, quin obstet, quod alius pariter passive vocatus, haud tamen a Patronis nominatus, praetendat, se esse unicum qualificatum propter assertam aetatem, adeoque dispensationem illam vitio obreptionis vel subreptionis haud esse infectam *in Callien. et Pergulana die 24 Iulii 1824 et die 6 Augusti 1825.*

111. Iamvero Pius VI die 12 decembris 1786 praecepit, ut octo ex ditioribus Praebendis Collegiatae Ecclesiae S. Andreae Pergulae, dein anno 1817 in cathedralem cum Calliensi evectae, semper in futurum essent Presbiterales, Patronisque Dignitatum seu Canonicatuum prohibuit, ne unquam nominare valerent, nisi eos, – qui in Sacro Presbiteratus ordine, aut in eo sint initiati, ut infra annum ad illum commode promoveri possint; secus illorum nominatio nulla sit viribusque et effectu penitus vacuari mandamus –. Vacavit anno 1823 Dignitas Archipresbiteratus: omnes Patroni nominarunt Clericum Augustinum Luzi, Fundatoris consanguineum, qui tamen die 29 augusti 1804 in lucem editus ob defectum aetatis institutionem nunquam obtinuit, nec dispensationem petiit, illam vero Patroni pro eo efflagitarunt. Interea Clericus Thomas Gamberi, natus die 25 octobris 1801, Cathedralis Pergulanae Canonicus, Institutoris pariter consanguineus, quamvis a Patronis minime praesentatus, ab Sacra Congregatione imploravit, ut ipsi Archipresbiteralis Dignitas concederetur; quoniam etsi nondum compleverit vigesimum tertium annum, ceu opus esset iuxta aetatem Sacerdotii a Concilio Tridentino sess. 23 cap. 12 statutam, in proxima tamen ordinatione Subdiaconatu recepto, si Apostolica dispensatio accederet, ad Archipresbiteratum intra annum ascendere posset. Proposito vero dubio: – An et cuius favore sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in omnibus, et Episcopus praefigat terminum unius mensis Patronis ad explendam nominationem – *in Callien. et Pergulana die 24 Iulii 1824.*

112. Antequam praefatum Rescriptum ab Sacra Congregatione ederetur, nimirum die 4 iunii 1823 dispensationem a defectu aetatis et die 13 eiusdem mensis Bullas collationis a Dataria Apostolica obtinuerat Clericus Augustinus Luzi, quibus fretus possessionem iniverat Archipresbiteratus: ubi vero nuncium adversi Rescripti accepit, supplex Literarum Apostolicarum sanationem imploravit. Canonicus Gamberi a Summo Pontifice impetravit, ut cum clausula – de aperitione oris arbitrio – in Sacra Congregatione disputatio super executione praedictarum Literarum Apostolicarum institui posset. Plura quidem in medium protulit Canonicus Gamberi, ut ostenderet vitium obreptionis vel subreptionis, sed propositis dubiis: – I. An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. *Et quatenus recedendum a decisis.* III. An et cui sit danda institutio, vel potius manutentio in casu etc. IV. An cui a quo tempore et in qua summa a Clerico Luzi sint restituendi fru-

ctus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum tertium et quartum, provisum in primo – *in Callien. et Pergulana die 6 Augusti 1825.*

113. Patronus itaque recte procedit ad nominationem Capellani in pervigilio peremptionis termini, si nemo ex passive vocatis conditioni a Fundatore volitae parere possit, cum praesertim alter infantulus et alter vocatione passiva destitutus videatur, quin obstet recursus pendentia penes Sacram Congregationem ad effectum obtinendi dispensationem *in Tolentinaten. Dispensationis seu Nominationis die 27 Iulii 1850.*

114. Siquidem Coniuges Carolus Benaducci et Francisca Sparacciari communi testamento anno 1806 mandarunt, post utriusque obitum ex propriis bonis tres Capellanias esse erigendas, quarum ius nominandi reliquerunt Municipio Civitatis Tolentini et Praefecto ecclesiastico per Episcopum eligendo ea tamen lege, ut ad illas praeferrentur descendentes Nicolai Isopi Iosephi Andreae et Aloisii Benaducci nec non prognatis Ioannis Philippi Filoni, qui vero initiati esse deberent ad statum Ecclesiasticum, ea in aetate constituti, qua ordinari possent, vel proxima ad ordinationem in sacris, causa celebrandi Missam. Facta vacatione alterius ex tribus Capellaniis, Clericus Aloisius Firmani, qui, annum decimum tertium agens ac veluti descendens per feminam a gente Filonia, petiit die 30 Aprilis 1847 dispensationem super defectu aetatis. At fratres Pius ac Zenobius Benaducci locum gratiae haud esse posse contenderunt, ex eo quòd gens Filonia inter familias passive vocatas minime esset recensenda, cum eius auctrix Francisca Sparacciaria, post viri funus a communi voluntate recedens, substantiam suam Causae Piae ademit, illamque in fratrem suum per ultimam voluntatem contulisset. Idcirco Municipium repulit Aloisii petitionem; et, nullo habito respectu ad recursus pendentiam penes Sacram Congregationem, in pervigilio peremptionis termini in Capellanum Sacerdotem Nicolaum Sincini elegit. Tum Aloisius penes Curiam Episcopalem – nihil transeat – apposuit, quod etiam peregit Pius Benaducci, simul postulans sibi bonorum Capellaniae possessionem tribui, quoadusque infantulus eius filius Aloisius, veluti exclusivo iure ad Capellaniam vocatus, aetatem canonicam attingeret. Propositis vero dubiis: – I. An substineatur nominatio facta a Communitate in casu? *Et quatenus negative.* II. An et cuius favore sit consulendum Sanctissimo in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Tolentinaten. Dispensationis seu Nominationis die 27 Iulii 1850.*

115. Qua de re Patroni eligere ac praesentare posssunt extraneum secundo loco vocatum, si primo loco vocatus habilis non sit, quin obstet eiusdem – nihil transeat – appositum ac iis notificatum nec non pendentia recursus ad S. Sedem ad obtinendam dispensationem, cum praesertim ab ea fuerit reiectus *in Bononien. Electionis et Praesentationis die 29 Novembris 1851.*

116. Iamvero Ioannes Andreas Riccoboni testamento diei 9 septembris 1746 mandavit, erigi in Ecclesia olim Collegiali, dein Parochiali tantum Plebis Centensis duos Canonicatus, quorum ius nominandi attribuit Communitati seu Consiliariis praedictae Terrae Plebis, et passivam vocationem Agnatis masculis descendentibus ex familiis Iacobi Riccoboni et Antonii et Caesaris fratrum de Bondeis, hisque deficientibus, extraneis quibuscumque pro electorum arbitrio. Quum vacaverit alter ex iis, qui in Beneficia cum onere residentiae redacti fuerant, Vincentius Bondei, emissa die 27 februarii 1850 apud Curiam protestatione, quae audit – nihil transeat –, electoribus significavit, se Summo Pontifici apud Secretariam Brevium preces admovisse, ad effectum obtinendi dispensationem super defectu aetatis filio suo Ioanni vix tunc duodecim annos nato. Re itaque adhuc integra negativum Bondei precibus prodiit responsum. Quo vix cognito, electores nullo habito ad impedimentum – nihil transeat – respectu, die 8 iulii dicti anni Clericum Alexandrum Angelini novum Beneficii rectorem renunciarunt, quin scirent, quod Bondeius novas interposuerit preces penes Apostolicam Datariam: et Emus Ordinarius nominationem et praesentationem sub solitis reservativis clausulis admisit atque adprobavit. Bondeius autem, reiectus etiam a Dataria Apostolica,

tandem obtinuit, ut tota quaestio Sacrae Congregationi committeretur. Is quippe plura deduxit quoad suam passivam vocationem, iniuriosam extranei electionem, inhibitionem – nihil transeat, recursus adhuc pendentiam; sed proposito dubio: – An constet de legitima electione et praesentatione Alexandri Angelini, seu potius danda sit institutio Ioanni Bondei in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Bononien. Electionis seu Praesentationis die 29 Novembris 1851.*

117. Nec unquam concedi solet dispensatio in praeiudicium alterius praesentati et legitime iam instituti, ut de Patrono extra terminum edictorum comparente tradit Card. De Luca de iurepatronatus disc. 45 *in Civitatis Plebis et Perusina Canonicatus die 22 Februarii 1823* §. *At.*

118. Quin imo Patroni a Fundatore vocati, scientes vacationem Beneficii et publicationem edictorum, nec comparentes intra eorum terminum, vel saltem intra quadrimestre ante institutionem, censetur consentire praesentationi alterius Patroni, et pro illa vice iuri suo renunciare, ut tradit Lambertinius de iurepatronatus part. 2 lib. 2 quaest. 6 art. 7 *in Civitatis Plebis et Perusina Canonicatus die 22 Februarii 1823* §. *At.*

119. Hinc denegatur dispensatio aetatis ad obtinendum Canonicatum erectum in Ecclesia Cathedrali iuveni passive vocato et annum duodecimum nondum expletum agenti, si Patronus extraneum Sacerdotem loci civem secundo loco vocatum intra legitima tempora nominaverit ac in possessionem immissus fuerit, quin ulla oppositio intra tempus statutum facta esset *in Civitatis Plebis et Perusina Canonicatus die 22 Martii 1823.*

120. Siquidem Dominicus Felix Oddi Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Civitatis Plebis fundavit, cuius iuspatronatus activum ad proximiorem et seniorem de domo et familia eiusdem Felicis spectaret, et passivum ad omnes de domo et familia Fundatoris ex linea masculina et feminina descendentes pertineret; iisque deficientibus, ad omnes eiusdem Civitatis Plebis Incolas, exceptis omnino Advenis, devolveretur. Quum huiusmodi Canonicatus subinde vacaverit, Vincentius Bocci, uti proximus Fundatori et senior, cum neminem in familia et domo ex descendentibus dicti Fundatoris idoneum propter aetatem invenisset, Sacerdotem Philippum Principe a Familia extraneum nominavit. Vix die elapso, posteaquam ille in realem possessionem Canonicatus immissus fuerat, etiamsi facta fuisset publicatio eiusdem nominationis cum termino dierum quindecim ad opponendum, comparuit Ioseph Belli iunior patronus, qui, facta oppositione nominationi, iuvenem Aloisium Valentini adhuc secularem, qui nondum duodecimum expleverat annum, nominavit, utpote qui esset ex passive vocatis a Fundatore. Hic autem reiectus vi Decreti Pro-Vicarii Generalis ab institutione, dispensationem aetatis efflagitavit a Summo Pontifice, cum unicus esset de familia ad iuspatronatus passivum vocatus. At ei obstabat nedum defectus aetatis, sed et nominationis: e contra Philippus nominatus intra legitima tempora a Seniore de familia, cui a Fundatore ius praesentandi concessum fuerat, nullo opponente, Canonicatus possessionem nactus erat. Idcirco favebat Philippo ius iam quaesitum ex legitima praesentatione illiusque admissione cum sequuta possessione. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit concedenda dispensatio super aetate favore Aloisii Valentini in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sustineatur nominatio Sacerdotis Philippi Principe ad Canonicatum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative – *in Civitatis Plebis et Perusina Canonicatus die 22 Martii 1823.*

121. Itaque ius mere eventuale et in spe ineptum est ad impediendam dispensationem cum ad hunc effectum requiratur ius certum et actu quaesitum, ad tradita per Card. De Luca de iurepatronatus disc. 70 n. 17 *in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774* §. *Spernendam.*

122. Hinc multo magis id vim habet, cum Fundator non ad tempus vacationis, sed ad tempus praesentationis verba direxit: hoc enim diverso casu certi iuris est, nullum ius quaesitum fuisse intra quadrimestre spatium Patronis laicis indultum secundo loco vocatis, qui nequeunt sese con-

dictores constituere primo vocato veniam aetatis postulanti, ut tradiderunt Card. De Luca de iurepatronatus disc. 70 n. 17 et 18, disc. 82 n. 5, Carolus Antonius De Luca in observ. ad Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 6 §. 1 n. 8 et 9, et de linea legali lib. 1 art. 24 n. 11, Pitonius de controv. patron. alleg. 1 n. 23, discept. eccles. 13 n. 40, et in Parerg. n. 18 *in Salernitana Dispensationis die 19 Decembris 1750* §. *Quod.*

Item *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatuum die 7 Aprilis 1753* §. *Eoque; in Firmana Dispensationis die 30 Martii 1844* §. *In.*

123. Quum enim praelatio a Fundatoribus data sit Clericis descendentibus, Summus Pontifex concedendo veniam aetatis Clerico descendenti, utitur iure suo, neque ullam infert iniuriam alteri, qui non habet eam qualitatem descendentis, quam primo voluerunt Fundatores, ut disserunt Card. De Luca de iurepatronatus disc. 82 n. 5, Carolus Antonius De Luca de linea legali art. 22 n. 5, Pitonius de controv. patron. allegat. 100 n. 338 *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatuum die 7 Aprilis 1753* §. *Neque*

124. Eoque amplius quod pendente termino quadrimestris, nulla habetur ratio detrimenti eventualis, quod per concessionem gratiae evenire potest successive vocato, qui praepedire non potest dispensationem aetatis ei, qui antecedenter vocatus est, cum ipse nullum habeat ius quaesitum, sed solum et meram spem, ut observant Card. De Luca de iurepatronatus disc. 70 n. 16, et disc. 82 n. 5, Carolus Antonius De Luca de linea legali lib. 1 art. 24 n. 12, et in observ. ad Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 6 §. 11 a n. 9 *in Asculana Capellaniarum super dispensatione die 22 Augusti 1750* §. *Pari.*

Item *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatuum die 7 Aprilis 1753* §. *Eoque; in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768* §. *Asserit; in Faventina Dispensationis seu Nominationis die 18 Decembris 1847* §. *Quod.*

125. Dum enim de alterius praeiudicio sermo est, oportet, ut certum sit damnum, non quidem eventuale; quod proinde nihili faciendum est, ut docent Fargna de iurepatr. part. 2 can. 3 caus. 6 n. 7, Card. De Luca de iurepatr. disc. 70, Pitonius discept. eccles. 13 n. 41 et 42 *in Firmana Beneficii die 13 Februarii 1819* §. *Quin.*

126. Imo spernendae esse videntur oppositiones secundo loco vocati, quando Fundatores nullam praescripserint qualitatem Clericatus et legitimae aetatis in Praesentando, quo casu praescripta qualitas verificari deberet de tempore vacationis vel praesentationis, sed illa requisita est a iure pro idoneitate Personae instituendae, et ideo sufficit verificari de tempore institutionis, iuxta distinctionem, de qua Rota in Aretina Beneficii 20 iunii 1735 §. 4 coram Peralta, et in Placentina Beneficii 21 aprilis 1749 §. 13 coram Canilliac *in Neritonen. Abbatiae die 19 Aprilis 1760* §. *Et.*

127. Idcirco quum Clericus de una familia Patronorum decimum sextum annum agens a medietate eorum fuerit praesentatus, et alterius medietatis derogatione reportata praevia Apostolica dispensatione Beneficium actu Sacerdotale obtinuerit, frustra Sacerdos extraneus a nonnullis Compatronis nominatus et ab Episcopo institutus illud assequi contendit *in Lauretana Dispensationis die 6 Iunii et die 5 Septembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

128. Siquidem – ad simplicem Capellaniam seu Beneficium de iurepatronatus laicorum sub invocatione S. Antonii in Cathedrali Lauretana erectum praesentatus fuerat Septimius de Anticis Clericus Recinetensis, praevia tamen Apostolica dispensatione super defectu aetatis expresse concessa sub conditionali Decreto suscipiendi Sacros Ordines, quando ad aetatem legitimam pervenisset, quia ille vigesimum secundum tantum annum agebat, et iuxta fundationem eiusdem Beneficii actu Sacerdos esse debuisset. Quia vero in aetate quamvis legitima constitutus idem Septimius ad Sacerdotium tamen ascendere non curavit, propterea Iacobus Baverius Clericus Senogalliensis, in cuius familia pro quarta parte ius praesentandi residet, annum adhuc agens decimum sextum a medietate Patronorum praesentatus, et alterius medietatis derogatione reportata, illud a Sanctissimo impetravit sub spe obtinendae similis dispensationis, pro qua ad hanc Sacram Congregationem pro voto per Datariam postea remissus fuit, et dum illa

Ordinario pro informatione de more rescripserat, dicti Septimii primo provisi obitus interim supervenit. Accepta deind relatione Episcopi referentis, eumdem Clericum Iacobum Iosephum Baverium esse ex familia valde nobili, sed ob numerum filiorum et angustiam rei familiaris satis egene, sub die 16 iunii 1704 Sacra Congregatio pro gratia petitae dispensationis respondit. Cumque Ioseph Bonellus Clericus extraneus de eodem Beneficio veluti per obitum dicti Septimii vacante ab Ordinario provisus sese modo opponat, hinc EE. VV. deliberandum superest: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16 iunii 1704 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Lauretana Dispensationis die 6 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

129. Ioseph autem Nicolaus Bonellus Sacerdos Tolentinas ad nonnullorum Compatronorum praesentationem ad idem Beneficium ab Episcopo institutus audiri obtinuit. Reproposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 6 iunii 1705? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Lauretana Dispensationis die 5 Septembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

130. Unde manutenendus est in possessione Beneficii institutus ex praesentatione eius, qui in iurispatronatus activi et passivi quasi possessione reperitur, non vero dispensatio super defectu aetatis et clericatus ei concedenda est, qui iuspatronatus activum et passivum praetendit, quin illud in continenti, vel per publicum instrumentum vel per rem iudicatam demonstrare valeat, sed eidem reservatur ius agendi in petitorio, prout et quatenus de iure *in Praenestina Dispensationis et Institutionis die 27 Februarii die 24 Aprilis die 28 Augusti 1858 et die 29 Ianuarii 1859.*

131. Siquidem Imperius Pontiani Terrae S. Viti duas tantum habebat filias, quarum maior Matrimonio iuncta cuidam Septimio de Benedictis eiusdem Terrae, Iacopella, altera, nupta Sancti Ronci, Virginia appellabatur. In suo, quo Imperius decessit, testamento anno 1629 suorum bonorum heredes universales vocans Iacopellam eiusque filios de Benedictis, pium Missarum legatum instituit cum dote scutorum ter centum, et in Capellanum nominavit Sacerdotem Marianum de Benedictis, aliosque descendentes, qui forent de domo et origine Pontiani. Defuncto Testatore, heredes praedictae doti summam scutorum 117 addentes obtinuerunt, ut dictum Missarum legatum in titulum simplicis Beneficii erigeretur, et ius nominandi ac praesentandi sibi ipsis suisque heredibus et successoribus reservaretur. Vacata de mense augusti 1856 per obitum Sacerdotis Caroli Gentilezza Capellania praedicta, Carolus Maria Telli assertus Patronus, utpote heres familiae de Benedictis, proprium filium Clericum Iosephum Telli apud Apostolicam Datariam praesentavit, atque eius favore, nemine contradicente, Bullares Literae expeditae fuerunt septimo kalendis octobris eiusdem anni, quarum vi in formalem Beneficii possessionem eodem mense fuit immissus. Sed mense ianuario 1857 Hannibal Gentilezza Terrae S. Viti, qui mense iunio eiusdem anni 1857 clericali militiae nomen dedit, octo scilicet post menses ab accepta a Clerico Iosepho Telli Beneficii possessione, uti unice et passive vocatus descendens a familia Pontiani, petiit facultatem pro aperitione oris nec non dispensationem ab aetatis et clericatus defectu, cum in aetate duodecim annorum versaretur. Is quippe contendit, iuspatronatus passivum pertinere ad se ipsum, eum esset de origine Pontiani, ex eo quod heredes Imperii sibi et suis successoribus reservare non poterant. Id confirmavit duabus Curiae Praenestinae sententiis anno 1712 et 1792 latis; idcirco falsum exposuisse Summo Pontifici Iosephum Telli subdidit, cum dixerit, ad suam familiam spectare iuspatronatus Capellaniae, se unicum ex eadem familia Clericum ad illam nominari oportere. Contra Ioseph Telli Decreto erectionis adnixus uti heres familiae de Benedictis sibi competere iuspatronatus Capellaniae sustinuit. Accedebant etiam observantia centum et ultra annorum nec non tres sententiae favore praedictae familiae latis anno 1750 1765 et 1780. His interim perpensis, proposito dubio: – An manutenendus sit in possessione Capellaniae Clericus Ioseph Telli, seu potius consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione super defectu aetatis favore Hannibalis Gentilezza,

ita ut intret arbitrium pro aperitione oris in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et afferatur testamentum Imperii et actus erectionis Beneficii – *in Praenestina Dispensationis et Institutionis die 27 Februarii 1858.*

132. Mandatis Sacrae Congregationis impletis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative in omnibus ad secundam – *in Praenestina Dispensationis et Institutionis die 24 Aprilis 1858.*

133. Defensor Clerici Telli novae audientiae beneficium impetravit, atque prae primis monens, possessorium esse iudicium institutionis, sustinuit, in huiusmodi iudicio eum vincere, qui in iurispatronatus activi et passivi quasi possessione reperitur. Nam petitorium nunquam absorbet possessorium, nisi de proprietate in continenti vel per instrumentum publicum, vel per rem iudicatam, vel per confessionem partis constet. Atqui in ultima vacatione Beneficii anni 1792, acta acriter lite inter ipsam familiam Ronci Telli et familiam Gentilezza, per sententiam Iudicis ecclesiastici Urbis anni 1795 in gradu appellationis (in antea proportione Causae prorsus incognitam) definitive tandem vicit familia Ronci Telli eiusque praesentatus. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, manutenendum esse in possessione Clericum Iosephum Telli, salvo iure Hannibalis Gentilezza agendi in petitorio, prout et quatenus de iure – *in Praenestina Dispensationis et Institutionis die 28 Augusti 1858.*

134. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel potius in secundo loco decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Praenestina Dispensationis et Institutionis die 29 Ianuarii 1859* (1).

135. Itaque licet Senior Familiae de Leither, cui Franciscus et Ioannes Georgeus fratres de Leither ius nominandi ad Beneficium ab ipsis fundatum in Parochiali Ecclesia S. Andreae loci Clausensis reliquerant adiecta conditione, ut unus e propinquis proximior de consanguinitate Leitheriana praesentaretur, nominaverit anno 1736 Dionysium Stickeler, Presbiterum et iuris utriusque Doctorem, Sacra Congregatio dispensationem concessit Francisco Antonio de Leither aetatem novem annorum agenti per Patrem Ioannem Venerandum ac respectivum fratrem minorem dicti Senioris nominato, tum quia ille deciderat a iure nominandi, cum extraneum et extra terminum in fundatione assignatum praesentaverat, tum quia idem pro ea vice iam ipsi cesserat ius nominandi; his quippe in terminis proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis aetatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Brixinen. Dispensationis die 15 Martii 1738.*

136. Hinc Puer passive vocatus pauper et quindecim annos natus dispensationem ad obtinendam Capellaniam seu Beneficium ecclesiasticum assequitur, licet Patronus, qui ea vice iure nominandi haud pollebat, Sacerdotem praesentaverit, ac licet ex lege fundationis is nominari deberet, qui intra biennium ad Sacerdotium ascendere teneretur *in Tusculana Dispensationis die 18 Decembris 1841.*

137. Siquidem Coniuges Blasius Testa et Caecilia Ambrogioni die 2 ianuarii 1756 instituerunt Capellaniam seu Beneficium ecclesiasticum ad Aram S. Caroli Borromaei in parochiali Ecclesia Arcis Papae: ius nominandi tribuit filiabus alterna vice exercendum incipiendo a Catharina secunda eorum filia, postquam Sancta Capellanum nominaret, et sic per turnum in infinitum, ea tamen adiecta lege, ut propinqui proximiores, si adessent, nominari deberent; sed quando nemo existeret, vel plures pari gradu invenirentur, magis idoneus esset nominandus, qui intra biennium ad Sacerdotium ascendere valeat. Facta Beneficii vacatione die 19 maii 1841, Ioannes Baptista Gabrielli quindecim annos natus passive vocatus et pauper petiit dispensationem, ut in Seminario Tusculano studiis vacare posset. Aliae autem

(1) Acta subinde huiusmodi Causa in petitorio, Sacra Congregatio die 9 augusti 1862 et die 26 septembris 1863 decidit, – pertinere ius patronatus passivum descendentibus ex familia de Fontianis ad formam testamenti –.

preces oblatae sunt a Iosepho Botti altero ex descendentibus Catharinae, qui dum sibi ius nominandi asserebat vigore alternativae, postremam nominationem sese explevisse denuntiabat favore Sacerdotis Andreae Botti propinqui sui. In facto tamen erat, quod postrema nominatio expleta non fuisset a linea Sanctae, quum, attenta vacatione Capellaniae apud S. Sedem, Summus Pontifex pro ea vice derogando iuripatronatus ipse eam contulerit, quin provisio Apostolica turnum consummaret, sed alternativam inter Patronos integram relinqueret. Episcopus Oratorem pauperem bonis moribus imbutum ac Ecclesiae utilem fore renuncians, censuit eum dispensatione dignum, ut extraneo praeferretur. Tres Patroni nepotes Sanctae ad Capellaniae possessionem dictum Ioannem vocabant, tres alii pariter Sanctae nepotes rem EE. PP. iudicio remiserunt. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus – *in Tusculana Dispensationis die 18 Decembris 1841.*

138. Quapropter quum Nicolaus Sparacciari tamquam natu maior inter fratres ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Tolentini institutum a Victoria Carboni nominaverit Clericum Caesarem Sparacciari vigesimum annum agentem, qui supplicationem pro aetatis venia a Summo Pontifice signari obtinuit, et Sacerdos Philippus Sonni, obtenta nominatione a Caietano dicti Nicolai fratris, provisionem Apostolicam cum derogatione medietatis vocum efflagitaverit, Sacra Congregatio merito censuit, relaxandam esse supplicationem praefati Clerici Sparacciari, qui erat fundatrici consaguineus ac de eadem familia Sparacciari, nec non a vero Patrono nominatus, quin obesset ultimus status, quo omnes fratres Sparacciari ad nominationem admissi fuerant, sine tamen praeiudicio iurium, ex eo quod ex fundatione natu maior semper praeferri debebat; his enim in terminis proposito dubio: – An et quae supplicatio sit relaxanda in casu etc. –, praefata Sacra Congregatio responsum tulit: – Relaxandam esse supplicationem Clerici Caesaris Sparacciari – *in Tolentina Canonicatus die 20 Ianuarii 1770.*

139. Unde Sacra Congregatio gratiam dispensationis, quae dicitur – perinde valere – indulsit Alexandro Gallo super aetatis defectu ad retinendum Beneficium sacerdotale, attenta eiusdem bona fide, qua ignorans onus Sacerdotii eidem Beneficio annexum, illud tamquam clericale a Sede Apostolica obtinuit, nec non attestatione Episcopi de praecedenti observantia, qua eiusdem Praedecessores in statu solius Clericatus illud sunt assequuti nullo existente Contradictore; his enim in terminis proposito dubio: – An Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit – Affirmative adimpletis oneribus, et dummodo adveniente tempore promoveri se faciat ad sacros Ordines – *in Parmen. Dispensationis die 12 Aprilis 1710 lib. 60 Decretorum.*

140. Hinc et laicus a Patrono nominatus, dummodo idoneus fieret infra tempus legitimum et sub spe futurae dispensationis, dispensationem aetatis assequitur ad obtinendum Beneficium, cui sacer Ordo est adnexus, nec non gratiam, quam vocant – pro praesentato –, licet Patronus mox nominationem revocaverit ac alium actu Sacerdotem simoniace nominaverit *in Fossanen. Beneficii die 15 Aprilis* 1741.

141. Iamvero secuta sub die 10 februarii 1738 per obitum Iuvenalis Ronchi vacatione simplicis Beneficii in Cathedrali Ecclesia erecti, Petrinus Ronchus eadem die coram Vicario Generali Fossanensi personaliter constitutus ad illud nominavit Ioannem Baptistam Soda suum ex filio nepotem in statu laicali constitutum, – dummodo infra tempus Patronis laicis concessum idoneus quoad scientiam et aetatem reperiatur et prima clericatus tonsura condecoretur –: cumque ex lege fundationis qualitas Ordinis sacri in eo, qui praesentandus erat requireretur, eumdem Ioannem Baptistam ad maiorem cautelam praesentavit – sub spe futurae dispensationis a S. Sede infra tempus statutum obtinendae –. Praesentationem eiusmodi per Vicarium Generalem admissam et acceptatam memoratus Petrinus insequenti die 11 eiusdem mensis februarii revocavit in personam Sacerdotis Francisci Iuvenalis Soda, qui dicebatur eidem Petrino pollicitus exolvere nedum sumptus pro funere et tumulatione dicti Presbiteri Iuve-

nalis Ronchi Beneficiati tunc defuncti et filii eiusdem Petrini necessarios, verum etiam debita ab ipso Iuvenali contracta, uti inter ceteros Testes sub iurisiurandi religione deposuit Sacerdos Gabriel Blanginus. Id vix rescivit Ioannes Baptista Soda, illico petiit a Summo Pontifice tum gratiam, quam vocant – pro praesentato – tum et dispensationem super defectu aetatis ad sacrum Ordinem suscipiendum necessariae. At supplicationi huic a Summo Pontifice admissae et signatae obstitit dictus Franciscus Iuvenalis, similique porrecta supplicatione – pro praesentato – sub obtentu, quod Ioannes Baptista nondum esset Clericus, proindeque ab assecutione controversi Beneficii reiiciendus, Apostolicas literas ad normam enunciatae supplicationis obtinuit expediri. His autem perpensis, proposito dubio: – An supplicatio a Sanctitate sua signata sit relaxanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Fossanen. Beneficii die 15 Aprilis 1741.*

142. Dispensatio enim impetrari debet intra tempus datum ad praesentandum, ut monent Corradus in prax. dispens. lib. 4 cap. 6 n. 24, Pitonius discept. eccles. 24 n. 40, et de controv. patron. alleg. 81 n. 4, Rota in Maioricen. Beneficii die 13 aprilis 1742 §. 10 coram Card. Millino, et in Oxomen. Capellaniae 29 Aprilis 1748 §. fin. coram Vicecomite *in Faventina Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Episcopus.*

143. Limita, si praesentatio facta fuerit triduo ante finem quadrimestris, nec ullus idoneus interesse habens interea comparuerit ad opponendum in termino praefinito vel ante dispensationem obtentam per signaturam supplicationis, quo enim casu superventa, re integra, dispensatio ad tempus habile retrotrahitur, ut dixit Rota in decis. *147* n. 7 et 8 coram Card. Tanara *in Faventina Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Minusque.*

144. Idcirco difficultas non obtenti intra quadrimestre Apostolici Indulti evanescere videtur, ubi advertatur, quod sufficiat, ut intra illud tempus efflagitetur, ut tradit Fargna de iurepatronatus part. 6 can. 9 cas. 1 n. 45, Corradus in prax. disp. lib. 4 cap. 6 a n. 4, et Pitonius discept. eccles. 13 n. 43 *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846* §. *Diluit.*

145. Hinc eo vel magis id locum habet, si ex oppositione alterius factum fuerit, ut quis dispensationem intra quadrimestre assequi non potuerit, quod sibi obesse non debet, ad Textum in L. *Quibus diebus* ff. de condit. et demonstrat. et Piton. loc. cit. *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846* §. *Diluit.*

146. Idcirco indulgetur dispensatio aetatis Puero sexenni de genere vocatorum a Patrono praesentato, licet alter habilis pariter passive vocatus, sed in subsidium ab eodem Patrono nominatus, quatenus ab eo dispensatio non impetraretur, quin obesset, quod dispensationem obtinuerit, elapso quadrimestre a die vacationis *in Faventina Beneficii die 3 Iulii 1762.*

147. Enimvero testamento, quod condidit anno 1709 Iulius Severoli praecepit, ut in parochiali Ecclesia S. Bernardi Civitatis Faventiae ad Altare S. Bernardi ecclesiasticum erigeretur Beneficium: et iuspatronatus eiusdem reliquit genti Cariariae, adiecta lege praesentandi in futuris vacationibus – primo loco Clericum suae familiae de Cariariis, quatenus adsit; sin minus secundo loco Clericum ex aliqua familia de Severolis huius Civitatis, et si in dictis familiis de Cariaris et DD. de Severolis nullus Clericus adsit, nec ullus, qui intra tempus a iure concessum ad praesentandum clericari possit, tunc et eo casu voluit –, esse locum sortitioni inter Clericos Civitatis Faventiae certo modo faciendae, declaratione apposita, quod sub nomine Clericorum ex familiis de Carariis et de Severolis Presbiteri etiam comprehenderentur, secus autem, ubi ageretur de Clericis Faventinis sorte extrahendis. Beneficium praedictum, iuxta voluntatem pii fundatoris erectum, vacavit die 17 augusti 1761: et Valerius Marradi, heres Gentis Cariariae illiusque patronus, die 14 decembris eiusdem anni praesentavit in Curia Episcopali Faventina Ludovicum Severoli Puerum sexennem, sub conditione impetrandi dispensationem Apostolicam: et in subsidium, quatenus a Ludovico dispensatio non impetraretur, nominavit Archidiaconum Alexandrum Severoli. Praesentationem admisit Vicarius Generalis cum termino novem dierum interesse habentibus praefinito ad opponendum, sed in statuto termino nullam Archi-

diaconus vel quivis alius dedit oppositionem. Ludovicus itaque in Dataria dispensationem obtinuit. Tunc primum experrectus Archidiaconus obstitit relaxationi supplicationis. Contendit enim, se uti qualificatum ex lege fundationis habere ius quaesitum ex oppositione iam facta penes Datariam; purificatam esse conditionem suae nominationis, cum Ludovicus, elapso vacationis quadrimestre a die 17 decembris, dispensationem impetraverit solum die 21 ianuarii, licet illam impetrare debuisset intra tempus datum ad praesentandum. Contra Ludovicus substinuit, nullum ius quaesitum fuisse Archidiacono, quia nec vocatio Personarum contemplatarum directa erat et immediata, sed pendebat a Patroni praesentatione, nec vocatae erant Personae certis qualitatibus praeditae, imo nec qualitas clericalis actu requirebatur, cum fundator vocaverit ex familiis contemplatis Clericum vel eum, – qui intra tempus a iure concessum ad praesentandum clericari possit –. Nec obstare subdidit, quod dispensatio fuerit obtenta post elapsum quadrimestre; quia nec prius impetrari poterat, ob praesentationem factam triduo ante finem quadrimestris, nec ullus idoneus de genere vocatorum interea comparuerat, vel in termino novem dierum per Vicarium Generalem praefinito ad opponendum, vel ante dispensationem a Ludovico obtentam per signaturam supplicationis, quo casu superventa, re integra, dispensatio ad tempus habile retrotrahitur.

148. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quae supplicatio sit relaxanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse relaxandam supplicationem Ludovici – *in Faventina Beneficii die 3 Iulii 1762.*

149. Imo passive vocatus in aetate octodecim annorum constitutus et nominatus a Patre patrono dispensationem assequitur ad obtinendum Beneficium Sacerdotale, licet dispensationem petierit post lapsum quadrimestris, et contra alius ab eodem Patre nominatus, quatenus is dispensationem assequi non posset, instet, ut ipse istituatur, ex eo etiam quod ex lege fundationis, non extante Sacerdote de familia vocata, Presbiter designati loci nominari debeat *in Barchinonen. Dispensationis die 30 Ianuarii 1740.*

150. Siquidem iussit Llopis in testamentariis tabulis anno 1716 conditis simplex fundari Beneficium in Parochiali Ecclesia SS.Bartholomaei et Theclae Villae de Sitges cum lege, ut ad illud nominaretur descendens ex familia Llopis, qui esset Sacerdos, alias praesentaretur Sacerdos aliquis, qui natus esset in dicta Villa de Sitges. Facta subinde vacatione, Franciscus Llopis Patronus, ad consulendum summae rerum egestati, in qua se constitutum asserebat, cum nullus actu Sacerdos ex familia Testatoris existeret, die 27 aprilis anni 1737 ad dictum Beneficium praesentavit Clericum Emmanuelem Llopis ipsius filium in aetate octodecim annorum constitutum sub spe obtinendi Apostolicam dispensationem super defectu aetatis et respective Ordinis Sacerdotalis. Si vero praefatam dispensationem assequi is non posset, praesentavit Ioannem Selva Presbiterum naturalem Parochiae de Sitges. Neglexit Emmanuel Apostolicam dispensationem intra consuetum quadrimestris terminum impetrare: cumque pro ea subinde supplicaverit, contradictorem se praebuit antedictus Ioannes Selva propugnans, sibi veluti praesentato in casu, quo ab Emmanuele enunciata dispensatio intra quadrimestre non obtineretur, controversii Beneficii institutionem deberi; primo quia nulla iusta ac rationabilis concurrebat causa, ob quam Summus Pontifex trahi merito posset ad concessionem petitae gratiae, cui magnopere adversabatur mens Testatoris Sacerdotalem qualitatem in Rectore Beneficii a se fundati enixe admodum exoptantis; secundo quia eadem dispensatio sero nimis ab Emmanuele postulabatur, utpote nedum post lapsum quadrimestris, imo vero tunc solum eius fuerat instituta petitio, postquam ipse Ioannes cepit coram Ordinario pro assequenda Beneficii collatione urgere; et tertio demum, quia cum ipse fuerit legitime a Patrono praesentatus, et ab eodem Fundatore in casu, quo non extaret Sacerdos ex linea tam masculina, quam feminina Testatoris, ad controversum Beneficium passive vocatus, ius inde sibi in hoc Beneficio quaesitum nequaquam debebat Pontificia dispensatione auferri.

151. Proposito vero dubio: – An sit signanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et

amplius – *in Barchinonen. Dispensationis die 30 Ianuarii* 1740.

152. Qua de re cum Fundator mandaverit, ut Patroni nominarent ad Canonicatum descendentes ex designata familia, in eorumque defectu alios magis idoneos praeferendos vocaverit, et minor Patronorum pars Galganum Ceccherini undecim vix annos natum passive vocatum relative pauperem nominaverit et nondum clericali tonsura donatum, qui dispensationem seu administrationem a Summo Pontifice imploravit, Sacra Congregatio dispensationem eidem indulsit, licet maior Patronorum pars Sacerdotem Augustinum Iacopini extraneum, nullum tamen ius quaesitum habentem, praesentaverit, ac licet ille nominationem haud reportaverit expresse sub conditione obtinendae Apostolicae dispensationis, cum Summo Pontifici nominationem illam tantum exhibuerit ad effectum assequendi dictam dispensationem seu administrationem, atque licet demum ex huius oppositione intra quadrimestre eam assequi non potuerit; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione aetatis favore Galgani Ceccherini in casu etc. *seu potius* II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro Canonicatus suspensione et administratione favore eiusdem Galgani Ceccherini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *In Sutrina Dispensationis die 24 Ianuarii 1846.*

153. Hinc Patronus validam perficit nominationem, expleto etiam quadrimestre, si res sit de Capellania mere laicali, nec non pendente etiam recursu illius, qui praetendit, sed non habet praelationem, quique propterea dispensationem assequi non valet *in Ariminen. Capellaniae die 12 Martii 1774* (1).

154. Ceterum haud indulgetur dispensatio ad obtinendum Beneficium Sacerdotale filio pauperi Patroni decimum annum agenti et Canonicalem Praebendam ac alium Beneficium possidenti, quum alter Patronus Sacerdotem ad formam fundationis nominaverit, licet ille de sanguine Fundatoris esset, non tamen passive vocatus, hic extraneus omnino *in Urbevetana Dispensationis die 22 maii 1830.*

155. Enimvero Comes Vincentius Saracinelli nominavit ad Beneficium Sacerdotale, in Ecclesia S. Laurentii Villae Canalis a Bernardino Saracinelli anno 1590 fundatum, Hieronymum annos decem iam natum et clericali militiae mancipatum, qui ex Apostolicae Sedis dispensatione, praeter Canonicalem Praebendam in Ecclesia Collegiata Oppidi Cryptarum Castrensium erectam, simplex etiam Beneficium possidebat, quorum reditus, subductis oneribus, vix scutata septuaginta quolibet anno attingebant. Quum reditus Beneficii, de quo agebatur, vim scutatorum septem quotannis non excedere perhiberetur, et Patronus gravis premeretur rei familiaris angustia, enixis precibus dispensationem efflagitavit. At cum pari iure gauderet Comes Carolus frater Vincentii designavit sacerdotem sibi benevisum Lauretum Armoni, qui praeferendus videbatur. Nam licet Clericus Hieronymus ex fundatorum genere descenderet, haud passive gaudebat patronatu et media tantum patronalium vocum parte aeque ac Sacerdos Lauretus praeditus erat: hinc Lauretus, uti magis dignus et praerogativa Sacerdotali a Fundatore praestituta donatus, praeferendus esse videbatur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super defectu aetatis ac super pluralitate Beneficiorum favore Clerici Hieronymi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Urbevetana Dispensationis die 22 Maii 1830.*

156. Unde nec indulgetur dispensatio ad obtinendum Canonicatum erectum in Collegiata Ecclesia Puero ab eius Patre tantum nominato, quum ceteri Patroni, post transactionem legitime initam, qua habilis nominari deberet, et in eiusdem defectum extraneus, Sacerdotem nominaverint *in Aretina Dispensationis die 15 Martii 1775* (2).

157. Siquidem iure agere videtur Patronus, quod deficiente capacitate primo loco vocatorum eligit capacem ex fundatione civem, cui legitimum ius illico quaesitum est, ut petitam postea ab incapace dispensationem

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellania*, §. IV, n. 124 ad 128, Tom. V.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Canonicatus*, §. I, n. 104 ad 107, Tom. IV.

impugnet; nec expectandum a Patrono, quod aliquis beneficio Principis capax fiat, ut interim excludatur is, qui ex eadem fundatione vocationem et capacitatem electori repraesentat, et cui ius tempore electionis, quod habet, auferendum non est, ad tradita per Pitonium in Parerg. n. 17 *in Eugubina Dispensationis die 18 Februarii 1764* §. *Contra.*

158. Maxime dum agitur de qualitate non requisita a iure, sed ab homine, quae inspicitur tempore vacationis, vel saltem praesentationis, quin propterea concedenda sit dispensatio, ceu tradit Rota in Comen. Iurispatronatus 22 iunii 1744 §. 4 coram de Vays et 14 iulii 1745 coram eodem, et Pitonius in Parerg. n. 14 *in Eugubina Dispensationis die 18 Februarii 1764* §. *Maxime* (1).

Item *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768* §. *Clariora.*

159. Qua de re quum ex Fundatoris voluntate ad Capellaniam vocati fuissent prius proximiores de agnatione, qui tempore collationis habitum clericalem susciperent, eisque deficientibus proximiores de cognatione, agnatus ab eius Patre nominatus supplicavit Summo Pontifici pro dispensatione circa defectum aetatis, contradicente autem Cognato, qui legitima aetate praeditus erat. Sacra Congregatio censuit, concedendam non esse dispensationem *in Cremonen. Capellaniae die 8 Iulii et die 9 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum* (2).

160. Idcirco cum idoneitas ex fundatione requiratur tempore vacationis, idoneitas postea superventa attendi non debet in praeiudicium alterius expresse vocati, quique ipsomet vacationis die habilis repertus est, certumque ac validum ius sibi comparavit, ad tradita per Corradum prax. dispens. lib. 2 Cap. 10 n. 85, Rotam in Placentina Beneficii 21 aprilis 1745 §. 12 coram Conilliac *in Perusina Capellaniae die 14 Maii 1774* §. *Nec.*

161. Patronus enim nunquam potest Fundatoris voluntatem pessumdare, neque alteri expresse vocato praeiudicium inferre, ceu tradunt Lotterius de re Benef. lib. 2 quaest. 38 n. 26, Rota in Gerunden. Beneficii 4 februarii 1752 coram Caprara *in Perusina Capellaniae die 14 Maii 1774* §. *Nec.*

162. Quum igitur Testator in omnibus tempore vacationis Capellaniae mere laicalis requisiverit aetatem quatuordecim annorum ac prima rudimenta linguae latinae, alias Patronus nominare deberet, quem dignum existimaret, haud indulgetur dispensatio Puero septenni de genere vocatorum, licet nullus existat contradictor, sed imo omnes interesse habentes assentiantur *in Pisauren. Dispensationis die 21 Iunii 1766.*

163. Siquidem Dominicus Bonazzoli testamento anno 1720 condito iussit institui Capellaniam mere laicalem, qua Clericus pauper promoveri posset ad sacros Ordines. Ius nominandi dedit Episcopis, et, Sede vacante, etiam Vicariis Pisaurensibus lege tamen adiecta, ut nominare semper deberent unum ex filiis masculis ipsius Testatoris heredum, quando inter eos Persona capax existeret, quae ad Sacerdotium promoveri posset; et si inter eosdem plures essent capaces, eo in casu Episcopus eum eligere teneretur, quem vitae integritate ex conscientia magis habilem censeret, licet aetate minor is esset. Descendentes ex feminis exclusit. Si nominatus ex familiis heredum, postquam pervenisset ad aetatem pro Subdiaconatu sive pro Sacerdotio idoneam, ad eos ordines ascendere non curasset, voluit, ut a iure caderet, atque Episcopus alium ex heredibus nominaret. Declaravit autem, eum ex filiis heredum esse capacem nominationis, qui tempore vacationis haberet annum saltem quartum decimum, ac de primis rudimentis linguae latinae instructus reperiretur, alias qui haud talis inveniretur, hac vice a nominatione sit exclusus; ac Episcopus Sacerdotem vel Clericum nominare deberet, quem virtute ac vitae integritate dignum censebit. Quum itaque die 26 aprilis 1765 vacaverit huiusmodi Capellania, Laurentius Bonazzoli Puer septennis dispensationem petiit aiens, Capellaniam esse mere laicalem, se esse ex Patre Angelo nepotem Bertini Bonazzoli unius ex primis heredibus iam in nono aetatis anno versari, de sui ingenii perspicacia de indole de moribus ac de pri-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Attentata*, n. 57 ad 64, Tom. II; et in Verb. *Canonicatus*, §. I, n. 96 et 97, Tom. IV.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, §. I, n. 99 ad 103, Tom. IV.

mis rudimentis linguae latinae, quae iam ediscebat, luculenta testimonia habere, adeo ut spes esset nec dubia, quod cum ad aetatem annorum quatuordecim veniret in maioribus, quam Testator voluit, studiis iam valde profecerit; nullum esse ex aliis vocatum, qui idoneus esset, qui peteret, qui contradiceret, imo assentiri omnes, quorum intererat. Episcopus vero ius suum propugnavit acerrime, cum non ageretur de venia concedenda ob impedimentum legis, sed ob voluntatis obstaculum. Idcirco, cum tempore vacationis Laurentius in solo septimo aetatis anno esset, ius nominandi ita in Episcopum recidisse videbatur, ut ille incapax expectandus non esset, qui literas nesciebat; nam tantummodo mense septembri Praeceptor de eo testabatur, quod ad scholam accederet ac legere et scribere inciperet.

164. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Pisauren. Dispensationis die 21 Iunii 1766.*

165. Unde quum Testatrix Anna Felix Evangelisti Canonicatum fundaverit in Ecclesia Collegiata S. Medardi Oppidi Rocchae Contradae adiecta lege, ut in successivis vacationibus nominaretur Sacerdos vel Clericus de Familia Bruni, – purchè vi sia capace di servire al coro –, et quatenus non adesset, Patroni nominare deberent intra sex menses descendentes ab Elisabeta filia Lucae Angeli et uxore Medardi Angeli, Sacra Congregatio censuit, concedendam non esse dispensationem Clerico Iosepho Bruni in aetate annorum duodecim constituto a Patronis nominato sub conditione reportandi veniam Apostolicam, ex eo quod Sacerdos Franciscus Angeli per lineam femineam a supradicto Luca Angeli descendens ac unice qualificatus tempore vacationis seu praesentationis iam literas Apostolicas pro collatione Canonicatus impetraverat, quin obesset, quod nominatus haud fuerit a Patronis; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi aetatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Senogallien. Canonicatus die 14 Maii 1768.*

166. Necessaria enim non est nominatio, cum unicus adsit qualificatus inter invitatos, ad tradita per Rotam in Asten. Beneficii 1 februarii 1737 coram Sanctissimo, et in Monasterien. Canonicatus 20 iunii 1752 §. 12 coram Vicecomite *in Senogallien. Canonicatus die 14 maii 1768* §. *Contendit.*

167. Siquidem qualificatum tamquam a fundatore vocatum nulla indigere nominatione tradunt Lotterius de re Benef. quaest. 38 n. 26 et quaest. 51 n. 39, Rota coram Falconerio de iurepatronatus decis. 60 n. 1 *in Aesina Capellaniae die 20 iunii 1767* §. *Nil.*

168. Quapropter danda non est institutio Clerico passive vocato decimum octavum annum agenti et pauperi nominato a Patronis ad Cappellaniam mere laicalem, dein in Canonicatum legitime erectam, cum Fundator qualitatem sacerdotalem tempore vacationis exquisierit, ei tamen dispensatio indulgetur, ex eo praesertim quod nullius interveniat praeiudicium, licet Episcopus et Capitulum adversentur, ob Populi numerositatem et ob Presbiterorum in Capitulo paucitatem; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An sit danda institutio Clerico Marcello Tomassetti in casu? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit concedenda eidem dispensatio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative usque dum Orator ad canonicam pro sacro Presbiteratus ordine aetatem pervenerit, impletis interim per alium Missarum oneribus, facto verbo cum Sanctissimo – *In Aesina Institutionis seu Dispensationis die 26 septembris 1857.*

169. Nam si Fundator ad tempus vacationis Beneficii verba direxerit, illum vocando, qui eo tempore habilis esset, tunc ius acquiritur posteriori vocato, si primo vocatus habilis non sit: hoc enim casu, qui secundo loco vocatus est, ius habet praepediendi veniam aetatis primo vocato, ut explicat alios referens et declarans Pitonius de controv. patron. allegat. 1 n. 23, et discept. eccles. 13 n. 39, et in Parerg. ad discept. n. 17 *in Salernitana Dispensationis die 19 decembris 1750* §. *Quod.*

Item *in Monasterien. et Osnabrugen. Canonicatuum die 7 aprilis 1753* §. *Eoque; in Platien. Canonicatus die 30 maii 1829*

§. *Tandem; in Faventina Dispensationis seu Nominationis die 18 decembris 1847* §. *Quod.*

170. Quin imo in casu etiam, quo agatur de iurepatronatus passivo favore plurium coaequaliter et simultanee vocatorum, iure praesentatus habilis resistit, ne inhabili concedatur dispensatio *in Perusina Capellaniae die 14 Maii 1774* §. *Praesentis.*

Item *in Montis Falisci Canonicatus die 28 Martii 1857* §. *Post haec.*

171. Siquidem Sacra Congregatio nunquam aetatis defectus dispensare solet,in praeiudicium habilis, uti tradit Fagnan. de iurepatronat. part. 2 cap. 2 cas. 6 n. 3 *in Pisauren. Legati et Patrimonii Sacri die 26 Martii 1836* §. *Minus.*

Item *in Montis Falisci Canonicatus die 28 Martii 1857* §. *Post haec.*

172. Unde si talis dispensatio ab inhabili referatur, quin in supplici libello circumstantiam competitoris habilis enarraverit, etiamsi id fieri contingat ex ignorantia inculpabili. Ut ut bona fide, gratia obtenta nullitatis vitio laborat, uti monet Fargna de iurepatronat. part. 2 cap. 3 cas. 6 n. 2 *in Montis Falisci Canonicatus die 28 Martii 1857* §. *Post haec.*

173. Idcirco dispensatio haud concedenda est, quando in descendentia a Fundatoribus passive vocata unus sit habilis, ex eo quod eidem Capellania mere laicalis adiudicanda est, quamvis a Patronis non fuerit nominatus *in Firmana Capellaniae die 2 Augusti 1856.*

174. Siquidem Innocentius Rochi et Catharina Luciani Coniuges ultimo voluntatis elogio die 4 septembris 1732 Capellaniam mere laicalem instituendam curarunt, cuius dote duo Capellani amovibiles substentari deberent, qui Missam celebrarent diebus lunae mercurii et veneris singulis hebdomadis. Ius nominandi attribuit Nicolao et Severino fratribus eorumque filiis masculis in infinitum, iisque deficientibus, masculis ex feminis. Ius autem passivum detulit descendentibus a praedictis Nicolao et Severino Luciani; et quando in eorumdem linea non adessent Sacerdotes, Clerici, qui essent capaces suscipiendi sacrum Subdiaconatus ordinem, possent ad eam promoveri patrimonio praedictae Capellaniae. Quum inde clericus Rochus Luciani, ex Curiae sententia ob desertionem vestium clericalium pravosque mores, privatus fuisset, alter Capellanus Sacerdos Ioseph Luciani adstipulante consensu maioris partis Patronorum postulavit, ut, deficiente altero in linea Luciani Sacerdote, integre Capellaniae fructibus frui sibi liceret, novi Capellani nominatione suspensa. Accesserunt preces alterius Patroni Petri Luciani poscentis, ut, praevia dispensatione super clericatus defectu, in Capellanum nominaretur eius filius novem ante menses natus, vel ut, idoneo Capellaniae deputato Administratore, superextantes, adimpletis oneribus, reditus in sui levamen et filioli institutionem erogarentur. Horum precibus obstitit Clericus Titus Castellani, qui, cum per feminam licet, a familia Luciani descenderet, Capellaniam sibi vindicabat. Nam quoad Presbiterum Iosephum Luciani et filium Petri Luciani obstabat incompatibilitas et dispositio Fundatorum, quin obesset praetensum ius quaesitum, quum quidquid esset prae iure activo, in facto erat, quod ad ius passivum Fundatores vocaverint descendentiam Nicolai et Severini. Idcirco cum ipse unus in praefata descendentia habilis esset, eidem Capellania adiudicanda erat, quamvis a Patronis nominatus non fuisset: nam etiam in vocatione mediata nominationis defectus passive vocato, qui competitorem aeque vocatum non habet, praeiudicium inferre nequit, ubi ille se opponit, quae quidem oppositio, assimilatur praesentationi iuxta ea, quae docet Pitonius de controv. patron. alleg. 1 n. 4 et 5. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et cuius precibus sit annuendum, seu potius adiudicanda sit Capellania Clerico Tito Castellani in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Firmana Capellaniae die 2 Augusti 1856.*

175. Si enim adsint qualificati et passive vocati, pro iis est signanda supplicatio, ut ad rem Rota in Colonien. Abbatissatus 25 aprilis 1757 §. fin. coram Frangipane *in Aesina Capellaniae die 20 Iunii 1767* §. *Denique.*

176. Idcirco denegatur dispensatio super defectu aetatis in praeiudicium habilis, qui

contradicat *in Perusina Capellaniae die 14 Maii 1774* §. *Praesentis.*

Item *in Pisauren. Legati et Patrimonii sacri die 26 Martii 1836* §. *Minus* (1).

177. Dispensatio enim nunquam conceditur in praeiudicium iuris quaesiti alteri de genere vocatorum, ut firmant Pitonius de controv. patron. alleg. 85 n. 12, Rota coram Molin. tom. 4 decis. 1124 n. 24 *in Anconitana Capellaniae die 12 Iulii 1762* §. *Praeterea.*

Item *in Aesina Capellaniae die 20 Iunii 1767* §. *Denique; in Faventina Dispensationis die 17 Decembris 1842* §. *Adversus; in Bononien. Electionis seu Praesentationis die 20 Novembris 1851* §. *Quod.*

178. Siquidem dispensatio nunquam in tertii praeiudicium vergere debet *in Firmana Capellaniae die 18 Ianuarii 1832* §. *Denique.*

Item *in Faventina Dispensationis seu nominationis die 18 Decembris 1847* §. *Quod* (2).

179. Unde Summus Pontifex iuri alteri quaesito ac praesertim vocatorum ad Beneficia derogare non solet, uti monet Rota in decis. 575 et 596 coram Caprara *in Praenestina Capellaniae die 23 Maii 1857* §. *Sed potiori.*

180. Caute procedendum propterea est in hisce dispensationibus concedendis, dum per dispensationem secundo loco vocati excluduntur, qui et ita excludentur semper, cum difficillimum sit, quod ex descendentibus tum ex masculis, tum ex feminis plurium familiarum, non reperiatur, qui dispensationem petere possit, atque interim dispensationis exitus a capacibus vocatis expectari debeat *in Eugubina Dispensationis die 18 Februarii 1764* §. *Certe.*

Item *in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774* §. *Aetatis.*

181. Id praesertim vim obtinet, si praesumpta vel manifesta Fundatoris voluntas accedat, qui, attenta incapacitate omnium descendentium ex quatuor familiis primo loco vocatis ascendendi ad Sacerdotium intra annum, alios secundo loco omnino substituit; his enim in terminis Sacra Congregatio dispensationem ad obtinendum Canonicatuum in Ecclesia Collegiata denegavit Uberto Sigismondi decimum nonum annum agenti ex praedictis familiis descendenti, cum Patroni alium secundo loco vocatum nominaverint, licet Ubertus duobus ante annis praefatis Patronis inhibuisset, ne quidquam in sui detrimentum interea fieret. Proposito quippe dubio: – I. An sit locus dispensationi aetatis necessariae ad Sacerdotium, ita ut in assecutione unius ex Canonicatibus ex dispositione Gabrielis Trianguli erectis in Ecclesia Collegiata S. Christinae sit a Capitulo praeferendus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Eugubina Dispensationis die 18 Februarii 1764.*

182. Vulgatum enim est, in Beneficiis substitutionem censeri semper vulgarem, ac proinde substitutum in casu voluntatis censeri etiam debere substitutum in casu incapacitatis, seu si capax institutus renuncietur, iuxta traditum per Rotam in Compostellana Parochialis 14 ianuarii 1765 §. 6 Coram Herreros *in Fanen. Capellaniae die 26 Augusti 1769* §. *Nec.*

Item *in Pisauren. Legati et Patrimonii sacri die 26 Martii 1836* §. *Dicent.*

183. Nec igitur ad praescriptam idoneitatem supplendam suffragari potest Apostolica dispensatio, quae ex praesumpta Testatorum voluntate, tamquam extraordinarium remedium, nunquam concedi debet in damnum secundo loco vocatorum, ceu tradit Rota in decis. 159 coram Lancetta n. 4, et in Melevitana Beneficii super restitutione in integrum 27 aprilis 1722 §. Nec coram Gamaches *in Verulana Archidiaconatus die 30 Ianuarii 1768* §. *Nec.*

Item *in Pisauren. Legati et Patrimonii sacri die 26 Martii 1836* §. *Dicent.*

184. Quare in praeiudicium remotioris iam praesentati et qualificati, dispensationem proximiori denegandam censuit Sacra Congregatio in Boianen. 16 iulii 1695, prout refert Monacellius in form. legal. pract. part. 3

(1) Piton. Alleg. 1 de controv. patron. n. 1; Vivian. de iurepatronat. lib. 12, cap. 5, n. 39; Rot. in decis. 63 part 12 Recent. n. 11 et 12.

(2) L. *Rescripta* Cod. de prec. Imper.; Lotter. de re Benef. lib. 2, quaest. 57, n. 2; Amostaz de caus. piis lib. 1, cap. 17, n. 8,

tit. 2 form. 7 n. 11 *in Aretina Dispensationis die 20 Augusti 1774 §. Aetatis.*

185. Unde quum Marcus Antonius Rocca duo reliquerit subsidia ad alendos in scientiis duos adolescentes de certo genere descendentes, hac expresse adiecta declaratione, quod si uno eodemque tempore filii masculi ex filiis, vel ex filiabus feminae Victoriae Sororis dicti Testatoris praedefunctae descendentes extarent, qui qualitates designatas haberent, illi prius scilicet masculi ex masculis, et deinde masculi ex feminis omnibus aliis praeferrentur, ad unum ex praedictis subsidiis per nominationem Exequutorum testamentariorum suffectus fuit Iacobus Antonius Rocca, qui ceteris pollebat qualitatibus, solumque aetatis requisitae defectum patiebatur. Cum autem dispensationem super huiusmodi defectu petierit, comparuit Ioannes Baptista Benegosius ab Exequutoribus testamentariis nominatus et per lineam a dicta Victoria Testatoris Sorore descendens ad impediendam Rocca Oratoris admissionem. Proposito hinc dubio: – An sit locus dispensationi favore Iacobi Antonii Rocca, ita ut eidem sit dandum subsidium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Romana seu Ianuen. Legati die 9 Ianuarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

186. Quum itaque Ioannes Ambrosius Caccia Episcopus Castrensis Capellaniam fundaverit in Ecclesia S. Gaudentii Civitatis Novariae eiusque iuspatronatus reliquerit ad Primogenitos Iulii Caesaris Caccia Pronepotis, cumque lis subinde super successione ad Primogenituram inter duas lineas superstites a Testatore vocatas indecisa penderet, Aloisius Caccia praesentavit ipsius natum Iosephum Clericum aetatis annorum octo et sex mensium, Dominicus Caccia vero praesentavit Deodatum eius filium aetatis annorum quindecim, qui se opposuit Iosepho postulans sibi adiudicari Capellaniam, uti in pari gradu cum eodem existenti et nulla indigenti dispensatione, quia ex lege fundationis aetas a Sacro Concilio sancita requirebatur. Insurrexit pariter Petrus Paulus frater Dominici, sed in gradu remotiori. Proposito hinc dubio: – An sit locus dispensationi super defectu aetatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Novarien. Dispensationis die 13 Augusti 1707 lib. 57 Decretorum.*

187. Qua de re quum Sacerdos Ughi Capellaniam de iurepatronatus laicali fundaverit, et Paulus Ughi in aetate annorum decem constitutus ad eam nominatus nulla adiecta conditione de obtinenda Apostolica dispensatione hanc petierit, sed obstiterit Sacerdos Iacobus Bacci aeque passive vocatus ac unice forsan qualificatus, ex eo quod Fundator mandaverat praeferri – il più idoneo e capace a concorrere a detta Capellania, e non altrimenti –, proposito dubio: – An sit relaxanda supplicatio et respective concedenda dispensatio in casu –, Sacra Congregatio die 30 iulii 1774 respondit: - Negative –; dein reproposito dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 30 iulii 1774? –, Sacra Congregatio die 8 iulii 1775 responsum dedit: - Praevio recessu a decisis, relaxandam esse supplicationem –. Demum vero reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In primo loco decisis, et Partes utantur iure suo coram Ordinario – *in Perusina Capellaniae die 2 martii 1776.*

188. Hinc haud indulgetur dispensatio ad obtinendam dignitatem Praeposituraе adolescenti quindecim annos nato, cum extent passive vocati habiles et idonei, ideoque locus est novae nominationi, ac is institui debet, qui maiorem vocum partem obtinuerit *in Regien. Praeposituraе die 18 Septembris 1841 die 4 Iunii 1842 die 24 Augusti 1844 et die 7 Iunii 1845.*

189. Iamvero quum vacaverit Praepositura Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai Civitatis Regii Lepidi, Comitissa Leonori Cassoli Lorenzetti ex genere Zoboli eiusdem fundatore derivans veniam petiit dispensationis favore Nepotis Ferdinandi annos nati fere quindecim, exponens nominationi suae et alteram accedere compatroni Ioannis Baptistae Cagliari ac alteram Episcopi, cui ex donatione vox pertinebat Leonelli de Zobolis, dummodo tamen praefata Ecclesia S. Nicolai Episcopali iurisdictioni subiiceretur, et cura animarum a Praeposito secerneretur. Comparuit subinde et Comes Ioannes Bernieri in Parmensi Cathedrali Canonicus et Sacerdos Hercules Be-

naglia Regiensis, qui ambo nedum activo, quippe descendentes de vocatis Familiis Zoboli, sed et passivo ex Literis Alexandri VI potiri contestabantur, atque institutionem quisque a Summo Pontifice sui favore flagitabant. Propositis interim dubiis: – I. An heredibus et descendentibus a Fundatoribus Zoboli competat iuspatronatus passivum super Praepositura, ita ut et cuius favore sit danda institutio in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo super dispensatione Ferdinandi Cassoli in casu? –, Sacra Congregatio die 18 septembris 1841 respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et coadiuventur probationes praesertim quoad descendentiam Oratorum a stipitibus in Apostolicis Literis designatis, nec non super adimplemento conditionis quoad secundam dotationem –. His adamussim impletis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 4 iunii 1842 respondit: – Ad primum, Affirmative quoad primam partem; quoad secundam, esse locum novae nominationi per Compatronos –. Novae audientiae beneficium mox petiit obtinuitque Cassolius, quem ceteri libenter sequuti sunt in novo experimento, quo propitiorem Sacrae Congregationis resolutionem sibi praestolabantur. Hinc institit denuo in non sequuta impletione conditionis augmenti dotis, cuius intuitu ab Alexandro VI passivum iuspatronatus concedebatur. Probare subinde contendit, duas saltem ex tribus, qui tunc aderant, Patronorum vocibus pro se pugnare; ideoque institutionem sibi prae ceteris dandam esse arguit, quippe is erat ex lege instituendus, cui potior vocum quota suffragabatur. Imo etiamsi iurispatronatus passivi existentia admitteretur, quippe inter passive vocatos, ubi mediata, ut in themate, intercederet vocatio, Patronorum ius erat, quem maluerant, eligere et gratificari. Sustinuit demum, Sacerdotalem qualitatem inconsulto a Guidettio proclamari, cum nil aliud in Praeposito pro tempore praesentando voluerit Fundator, quam ut esset persona idonea. Contra pro iurepatronatus passivo sarto tectoque pugnarunt rursus et Guidettus, defuncto Benaglia, suffectus, et Bernierius, qui etiam advertit, Patronorum voces, quae ex adverso afferebantur, etiamsi probarentur vi iurispatronatus expletae, nullo in pretio haberi posse, quia Patroni extra terminum praescriptum nominarunt. Repropositis autem dubiis sub formula: – I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio die 24 augusti 1844 respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes per arbores genealogicas –. Huiusmodi probationibus in medium itaque allatis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et esse explendas nominationes intra quadrimestre sive favore Bernieri sive favore Guidetti, ita ut ei detur institutio, qui maiorem nominationum partem obtinuerit – *in Regien. Praeposituraе die 7 Iunii 1845.*

190. Idcirco quum Felix Rainaldi laicus triginta annos agens a fratre suo nominatus possessionem Capellaniae, quam laicalem praetendebat, nullo Episcopi Decreto auctorante, per acta civilis Tabellionis adeptus fuerit, et contra Catharina Moderati Pomponi Hermenegilda Bornioli et Helena Spera iuspatronatus sibi asserentes, Silvium Paolini novennem Catharinae filium, qui mox Breve Apostolicum dispensationis obtinuit, nominaverint, proposito dubio: – An adiudicanda sit Capellania favore Felicis Rainaldi, seu potius exequendum sit Breve Apostolicum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus, et esse locum novae nominationi per fratres Rainaldi ad formam fundationis – *in Aprutina Capellaniae die 2 Augusti 1856.*

191. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Aprutina Capellaniae die 18 Decembris 1858.*

192. Unde Capellania laicalis et Sacerdotalis concedenda non est Clerico passive vocato, cum Patroni ad formam fundationis nominaverint Sacerdotem extraneum amovibilem, donec inter descendentes a Fundatore designatos Presbiter extet, iamque ille iverit in Capellaniae possessionem *in Verulana Capellaniae die 21 Ianuarii 1826.*

193. Iamvero Sacerdos Paulinus Giorgi Capellaniam laicalem fundavit, et Sacerdotem

Toti primum Capellanum nominavit; eoque defuncto, mandavit, ut Capellanus eligeretur inter omnes Sacerdotes descendentes ab Ignatio Rota Paulino Mariani ac Thoma Mariani, et si plures adessent Sacerdotes, ille eligeretur, qui primus ab Episcopo fuerit ordinatus, quando autem nemo inter praedictas familias existeret Sacerdos, praefati descendentes eligere deberent Sacerdotem sibi benevisum, qui tamen Capellaniam dimittere teneretur, vix aliquis ex praedictis familiis existeret Sacerdos, quin ullus unquam huiusmodi voluntatem derogare valeret. Obiit die 17 novembris 1824 Capellanus Toti a Fundatore nominatus, et descendentes ex designatis Familiis, cum nullus inter ipsos adesset Sacerdos, Capellanum amovibilem elegerunt Sacerdotem Ioannem Venditti, qui statim in possessionem ivit bonorum Capellaniae. Tunc autem Ioannes Baptista clericus, e Paulino Mariani descendens, annos sexdecim natus, bonis imbutus moribus, dispositionem ad statum ecclesiasticum ostendens, ac pauper postulavit dispensationem et reductionem Missarum, ut studiis vacare et ad Sacerdotium ascendere posset. At obstabat ius quaesitum nominantium, quod suum sortitum erat effectum, obstabat acceptatio Sacerdotis Venditti, qui intra terminum praescriptum Capellaniam adiit vi nominationis factae a maiori parte Patronorum, quorum duo exorabant, ut Sacerdos Venditti Capellaniam obtinere perseveraret, alias gratia tribueretur Clerico Thomae Cascioni, qui Romae studiis incumbebat et gravissima paupertate premebatur, dum Iosephus clerici Ioannis Baptistae pater alia laicali Capellania fruebatur, quae satis erat ad eius familiam honeste substentandam. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Clerico Ioanni Baptistae Mariani concedenda sit Capellania Giorgi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo reducendum sit onus Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Verulana Capellaniae die 21 Ianuarii 1826.*

194. Quapropter si nedum expressa obstet iuris canonici dispositio, sed et expressa Fundatoris voluntas, cum praesertim ipse ab initio extraneum ad Primiceriatum nominaverit, denegatur dispensatio ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Puerelo septenni, licet nullum habeat Contradictorem de familia vocata, et inter consanguineos Fundatoris recenseatur *in Nullius Guastallae Canonicatus die 31 Maii 1794* (1).

195. Hinc negata fuit dispensatio super qualitate sacerdotali et defectu aetatis ad obtinendum Beneficium ex lege Fundatoris conferendum Sacerdoti *in Bononien. Dispensationis die 16 Iulii 1695 lib. 45 Decretorum.*

196. Nam dispensatio super qualitate sacerdotali tribui solet, cum qualitas ista exigitur ex dispositione iuris, et dummodo Clericus, cui beneficium confertur, eam habeat aetatem, ut intra annum ad requisitum Ordinem promoveri queat, ad tradita per Rot. in decis. 6 n. 17 coram Malvasia. Secus vero obtinet, ubi ex praecepto hominis institutionis vel nominationis tempore certa exigitur qualitas ac praerogativa *in Viterbien. Nominationis ac Institutionis die 12 Martii 1853* §. *Nec pariter.*

197. Unde Sacra Congregatio haud concessit Clerico vigesimum annum agenti dispensationem ad obtinendam Capellaniam cum onere adnexo celebrandi Missas per se ipsum nec non recitandi horas canonicas diebus festis de praecepto, licet unanimiter Canonici Patroni eum bonis praeditum qualitatibus nominaverint, cum etiam alius actu Sacerdos, publicis evulgatis edictis, ad eamdem assequendam comparuerit *in Sabinen. Dispensationis die 16 Maii 1739.*

198. Iamvero in testamento anno 1730 condito Marcus Antonius Cerbellius sex in Collegiata Ecclesia Collis Veteris iussit fundari Capellanias, reservatoque, deficientibus Successoribus masculis sui Heredis, iure nominandi ad dictas Capellanias favore Capituli eiusdem Collegiatae, conditionibus tamen adiectis, ut propinquos proximiores ipsius tam ex linea paterna, quam materna praeferri deberent, nec non Capellani omnes per se ipsos Missam celebrare ac diebus festis de praecepto horas canonicas recitare tenerentur. Delato iam dudum praedictae nominationis

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonicatus*, §. I, n. 108 ad 111, Tom. IV.

iure ad Capitulum et sequuta exinde vacatione unius ex enunciatis Capellaniis, eiusdem Capituli iussu affixa fuerunt Edicta, quibus vacatio dictae Capellaniae publice denunciabatur: cumque adspirantes comparuerint Sacerdos Antonius Bucciottus et tres Clerici, nimirum Sanctes Pierangeli eiusdem Collegiatae Sacrista, Iosephus Marubius, et Dominicus Cornacchioni, postremus iste obtinuit omnibus Canonicorum suffragiis in Capellanum eligi. Quum is in vigesimo tantum aetatis anno constitutus reperiretur, supplicavit Summo Pontifici pro derogatione oneri celebrandi Missam per se ipsum, donec ipse ad aetatem, qua posset ad Presbiteratum promoveri, perveniret. Verumtamen eius precibus sese opposuit memoratus Antonius Bucciottus contendens, sibi veluti actu Presbitero debitam fuisse electionem in Capellanum. Episcopus retulit, antedictis sex Capellanis fuisse a Testatore constitutam congruam dotem annuorum scutorum quadraginta pro unoquoque, ex fructibus tot locorum Montium percipiendam, successu autem temporis fructus huiusmodi adeo decrevisse, ut in praesens singuli Capellani vix scuta viginti perciperent, quae iuxta morem Diaecesis non exhibebant titulum idoneum pro sacris Ordinibus suscipiendis; Capitulum consuevisse Clericos minores aetate, qui Missarum oneribus per alios facerent satis, ad dictas Capellanias nominare, sed eiusmodi consuetudinem statim ac ea sibi perspecta fuit improbasse. Quibus expositis, votum suum in haec verba protulit: – Ego perpendens libertatem Capituli Patroni nominandi quemcumque alium Sacerdotem exterum, Oratoris honestam et admodum civilem natalium conditionem, assiduam etiam ipsius assistentiam humanis literis et sacris ministeriis, nec non frequentiam Sacramentorum, prout a pluribus fide dignis audivi, petitam gratiam impartiri posse censerem, dummodo Orator, cum primum ad aetatem legitimam pervenerit, ad Sacros Ordines promoveatur, et interim per alium Missarum oneri satisfaciat –.

199. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit locus dispensationi per Clericum Cornacchioni petitae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Sabinen. Dispensationis die 16 Maii 1739* (1).

§. V.

DISPENSATIO SEU INDULTUM ASSEQUENDI VEL RETINENDI BENEFICIUM SEU CAPELLANIAM

1. Ex dispensatione id unum consequi videtur ad tradita per Card. De Luca in disc. 80 n. 1 de iurepatronatus, ut capax ad Beneficium reddatur, qui secus non esset, minime ut aeque dignus ac idoneus fiat ac ceteri, qui dispensatione non indigent *in Regien. Praeposituraе die 4 Iunii 1842* §. *De dispensatione*.

2. Unde in compostulantium dispensationem concursu, is est praeferendus, qui potioribus qualitatibus commendatur, quippe quia dignioribus Beneficia tribuenda sunt *in Derthonen. Dispensationis die 22 maii 1841* §. *Praeterea*.

Item *in Forosempronien. Capellaniae die 29 Iulii 1848* §. *Quamobrem*.

3. Idcirco qui aetate maior est et in clericali statu antiquior, praelationem mereri monet Panimolla in decis. 101 annot. 1 n. 12, Rota in Volaterrana Beneficii 7 iunii 1709 §. Ast coram Ansaldo: nec omittendum, huiusmodi in casibus inquiri etiam quinam ex concurrentibus recursum ad Sacram Congregationem habuerit; quia praeventio valde aestimari solet in dispensationibus concedendis pari etiam merito concurrente, iuxta Regulam 54 de Regulis iuris in 6, nempe qui prior in tempore potior est in iure *in*

(1) Reliqua prostant in Verb. *Canonicatus*, §. 1, Tom. IV.

Callien. et Pergulana die 14 Iunii 1824 §. *Haec.*

Item *in Forosempronien. Capellaniae die 29 Iulii 1848* §. *Quamobrem.*

4. Nec dubium, quin legitima censeatur ac sit dispensatio seu commissio a Nuncio Apostolico ei relaxata, qui ex soluto et soluta natus est, ad effectum suscipiendi sacros Ordines ac obtinendi Beneficia ecclesiastica, cum is huiusmodi haberet facultates a Summo Pontifice *in Veneta seu Arben. Dispensationis die 27 Aprilis 1709 lib. 59 Decretorum.*

5. Siquidem – in facultatibus recognitis et collationatis in Secretaria Brevium, quae a Sede Apostolica Nuncio apud Venetos attribui consueverunt extat illa: « et prorsus cum quibuscumque aliis Clericis et Personis ecclesiasticis super quacumque irregularitate ex delicto proveniente per eos, non tamen occasione homicidii voluntarii haeresis et laesae Maiestatis etc. dispensandi ». Et infra: « Similiter patientes defectum natalium legitimandi et sine praeiudicio venientium ab intestato natalibus restituendi ». Porro de anno 1703 ad preces Marini Bizzae Clerici Arbensis in minoribus Ordinibus constituti et natalium defectum ex soluto et soluta patientis, Nuncius Apostolicus tunc temporis Indultum seu Commissionem extradidit directam Episcopo Arbensi sive eius Vicario in hunc tenorem: « Ut eumdem Marinum supplicantem, qui ut etiam asserit defectum natalium ex soluto et soluta genitus, petitque legitimare et sine praeiudicio venientium ab intestato natalibus restituere de benignitate Apostolica dignaremur, ita ut defectu huiusmodi non obstante nec non Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, si alias idoneus repertus fuerit et reliqua requisita habuerit, ad omnes etiam sacros et Presbiteratus Ordines promoveri et promotus in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, et quaecumque et qualiacumque Beneficia ecclesiastica sine tamen cura, etiam Canonicatus et Praebendas, exceptis primis Dignitatibus in Cathedralibus et Metropolitanis ac Collegiatis Ecclesiis fuerint, si alias ei canonice conferantur, aut ipse eligatur praesentetur aut alias assumatur ad ea, ut instituatur in eis recipere etc. retinere libere et licite possit et valeat. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati paternitati vestrae, Pater Episcope, sive discretioni tuae Vicarii praedicta Apostolica Auctoritate nobis concessa, quam virtute officii nostri fungimur in hac parte, per praesentes committimus, quod si est ita et consideratis diligenter circumstantiis universis, quae serio idoneitatem praedicti supplicantis fuerint attendendae, si paternae incontinentiae imitator non sit, sub bonae conversationis et famae ac vitae aliaque merita sibi suffragentur, super quo conscientiam vestram oneramus, ipsum supplicantem ad huiusmodi legitimationem et reconciliationis gratiam obtinendam, sine praeiudicio tamen venientium ab intestato admittat seu admittas, secumque iuxta praenarratam petitionem auctoritate praedicta dispenset seu dispenses », quemadmodum latius ex copia dictae Commissionis ab Episcopo Arbensi transmissa. In vim cuius Indulti seu Commissionis idem Episcopus dictum Franciscum ad sacros Ordines promovit: sed dubitans subinde, an Nuncius talem facultatem concedere potuisset, ut illegitimus ad sacros Ordines promoveretur, pro securitate gestorum humiliter recurrit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione –.

6. Proposito hinc dubio: – An constet de legitima dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Veneta seu Arben. Dispensationis die 27 Aprilis 1709 lib 59 Decretorum.*

7. Quum autem quis ex illegitimo natus Matrimonio et ignarus de sua origine falsam habuerit fidem legitimitatis a Parocho, sed exin ab amico de suo natale monitus dispensationem a S. Poenitentiaria, sicut de re occulta, assequutus fuerit, sacros Ordines susceperit, et Parochiam obtinuerit, re tamen ad forum contentiosum delata a praedicto Parocho, a Curia Episcopali ab Ordinum exercitio suspensus fuerit, Sacra Congregatio, ex eo quod Episcopus retulit, incertum esse, an unquam petita fuerit praefata dispensatio, indulsit eidem dispensationem ad cautelam, atque mandavit, ut Ordinarius procederet prout de iure contra Parochum *in Adiacen. Dispensationis die 26 Ianuarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

8. Iamvero – supplicatio extitit in Dataria ab Emo Pro-Datario ad hanc Sacram Congregationem remissa pro parte Ioannis Demetrii Giacomini Rectoris Parochialis Ecclesiae Sanctae Luciae loci Bogognoni huius Diaecesis exponentis, quod alias Franciscus Quilichini Giacomini et Maria de Paulis eiusdem Diaecesis in tertio gradu affines sub spe dispensationis Apostolicae aliquo temporis spatio in figura Matrimonii vixissent, ex quo dictus Orator natus est, quique post dictorum Genitorum obitum in pupillari aetate existens ad Civitatem Ianuensem ductus fuerit, ubi lapsu viginti annorum et ultra commoratus literarum studiis operam navaverit, et deinde praevia fide legitimitatis suorum natalium a proprio Oratoris Parocho expedita ad omnes etiam sacros Ordines promoveri curaverit, sed de illegitimitate natalium huiusmodi a quodam Amico certior factus obtinuerit a sacro Poenitentiariae Officio secum dispensari ad omnes etiam sacros et Presbiteratus Ordines, qua dispensatione obtenta ad dictos sacros et Presbiteratus Ordines rite promoveri se fecerit, subinde vero de Parochiali Ecclesia praedicta ordinaria auctoritate provisus fuerit, et pro istius canonica retentione a praedicto Poenitentiariae Ofcio, uti de re occulta, secum etiam indulgeri et dispensari meruerit, iniuncta Oratori obligatione erogandi certam eleemosynam in piam causam convertendam, quam Orator prompte et fideliter erogaverit; nuper vero post lapsum quatuordecim annorum, a quo Sacerdotali militiae adscribi se fecit et a novennio, quo de dicta Parochiali Ecclesia provisus fuit, impedimento illegitimitatis huiusmodi a dicto suo Parocho promulgato et re ad forum contentiosum Curiae Episcopalis Adiacensis deducta, fuit ab eadem Orator ab exercitio suorum Ordinum suspensus, ut a Sanctissimo D. N. absolutionis et dispensationis gratiam in praemissis obtinere valeret.

9. Episcopus desuper informare requisitus refert, assertum Matrimonium nunquam fuisse celebratum, sed Oratoris Genitores per decennium vixisse in incestu usque ad ipsius Sponsi obitum, incertumque adhuc esse, an unquam petita fuerit suprarelata Apostolica dispensatio. Verum nihilominus esse affirmat, fidem legitimitatis ipsius Oratoris confectam fuisse a Parocho exhibitam in actis suae Cancellariae: subdit tamen, ipsummet Parochum nuper examinatum deposuisse de eius falsitate, nec non in libro Parochiali sub anno 1669 die 15 novembris perlegi adnotatum Baptismum Oratoris in hunc tenorem: « Gio. Demetrio figlio di detto Francesco e di Maria sua pretesa Moglie ». De Oratoris vero illegitimitate publicum in eius patria pervagari rumorem, subdit informans, atque eiusdem bonam fidem tutam non diiudicat ex eo potissimum, quod per binas vices Patriam repetens Orator ipse, occasione deserviendi pro substituto praedictum Parochum sibi coniunctum, pertractaverit dictum librum, ex quo cognoscere potuit propriorum natalium conditionem, nisi forte ex dispensatione obtenta a S. Poenitentiaria, inquit Relator, bonam fidem suffragetur. Haec autem omnia Informans patere testatur ex actis constructis in eius Cancellaria, fusius in eiusdem relatione in Summario danda. Hinc EE. VV. ex deducendis ab Oratore resolvere dignabuntur: – An Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad cautelam, et Ordinarius procedat prout de iure contra Parochum – *in Adiacen. Dispensationis die 26 Ianuarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

10. Quin imo quum satis constet, quod erronea sit descriptio in libris Baptismatum per Parochum facta circa alicuius illegitimitatem, eadem corrigenda nec Orator dispensatione indiget, ut Clericali militiae adscribatur *in Tudertina Legitimitatis die 16 Ianuarii 1717 lib. 67 Decretorum.*

11. Enimvero – constante Matrimonio inter Margaritam Mattioli et Dominicum pariter Mattioli die 17 iunii 1684 natus est Felix Antonius Mattioli, in libro Baptismatum descriptus filius dictae Margaritae « et ex Patre incerto »; cumque dictus Felix Antonius erroneam talem descriptionem praetendat, ex mandato huius Sacrae Congregationis formiter tres Testes examinati fuerunt, qui uno ore deponunt, Dominicum virum dictae Margaritae per Oratorem pro filio habuisse, et talem ab omnibus Civibus Tuderti communiter existimari. Primus autem dictorum Testium sequentia etiam deponit super primo articulo:

« Et habito con detta Margarita sua Moglie nell'anno 1683 anco delli mesi di settembre ed ottobre »; quibus in mensibus Oratorem, natum sequenti mense iunii, conceptum fuisse deducitur. Vicarius autem Generalis Emi Gualterii tunc Episcopi in sua informationis epistola data die 15 februarii 1710 haec refert: « Quo vero ad suppositum errorem in Parocho super descriptione Oratoris inter natos illegitimos, licet dictus Dominicus Mattioli tunc inter vivos connumeraretur, affirmare mihi fas est, aliquam iustam causam Parocho huiusmodi adnotationem faciendi adstitisse, quia ab eodem mihi asseritur, in actu praesentationis Infantis ad Baptismalem Fontem interrogatam ab ipso Obstetricem, quam tantummodo cum quadam alia Muliercula ibidem interesse vidit, quisnam esset illius Infantis Pater, responsum dedisse, nesciri, nec non quia sibi constabat, Virum non solum cum Uxore non convivere, verum etiam ab hac Civitate et tota Diaecesi, ubi Uxor continuam ducebat moram illo tempore, sicuti de praesenti abesse, et insuper quia ab aliquibus ex huius Civitatis Incolis Mulier praedicta uti publice prostituta, ab aliis saltem in servando Coniugi fidem valde suspecta habebatur ». Hinc cum dictus Felix Antonius Mattioli clericali militiae adscribi cupiat, humillime ab EE. VV. exorat declarari: – An descriptio in libris Baptismatum sit corrigenda, et Orator indigeat dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Tudertina Legitimitatis die 16 Ianuarii 1717 lib. 67 Decretorum.*

12. At formula dispensationis quoad Beneficia, loquendo de illis, qui a Parentibus Mahomettanis ortum habuerant, impressa est apud Corradum in prax. dispens. lib. 3 cap. 7 n. 5 *in Melevitana die 13 Augusti 1718* §. *Quoad.*

13. Natus tamen a parentibus Turcis et ex dispensatione Sacerdotio iam initiatus, nulla videtur esse necessaria dispensatio quoad consequenda Beneficia, ceu tradit Ricciul. de Neophit. cap. 4; quandoquidem his in terminis proposito dubio: – II. An indigeat nova provisione Beneficiorum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Melevitana die 13 Augusti 1718.*

14. Quin imo si quis fuerit dispensatus a Summo Pontifice ab irregularitate partiali proveniente ex aliquo corporis defectu seu defectu virtutis visivae in oculo Canonis, qui enormem deformitatem haud constituit, ad effectum suscipiendi sacros Ordines usque ad Presbiteratum, nullatenus indiget nova dispensatione ad obtinenda Beneficia ecclesiastica etiam curata et Canonicatus et Dignitates etiam in Cathedrali *in Lucana Dispensationis die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

15. Siquidem – Ioannes Vincentius Bottinius clericus in minoribus, cupiens ad Sacerdotium ascendere, et patiens citra eius culpam defectum virtutis visivae in oculo Canonis, obtinuit a Sanctissimo Literas dispensationis directas Emo Episcopo sub his verbis: « Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus inspecto prius per te ipsum et diligenter considerato oculi huiusmodi defectu, si talis non sit, nec ex eo tanta proveniat deformitas, ut scandalum generet in Populo aut divinis praestet impedimentum, super quo conscientiam tuam oneramus, cum eodem Ioanne Vincentio super defectu huiusmodi, ita ut illo non obstante ad reliquos sacros Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus ordines praedictos, servatis servandis, promoveri libere et licite possit et valeat, auctoritate nostra Apostolica arbitrio tuo dispenses », harum Literarum vigore Orator promotus fuit ab Emo Episcopo ad Subdiaconatus ordinem cum spe de proximo ceteros alios assequendi. Cum autem exorta fuerit dubitatio, an taliter dispensatus indigeat alia dispensatione quoad Beneficia et Dignitates etiam in Cathedrali Ecclesia, sive quia regulare est, quod dispensatus ad Ordines non censeatur dispensatus ad Beneficia, sive quia in orbato oculo Canonis duplex concurrat impedimentum, aliud inhabilitans a ministerio Altaris et ab exercitio Ordinis sacri, et aliud proveniens a deformitate, quae inhabilitare videtur ad omnes Ordines, et consequenter ad Beneficia, ut ex Can. *Non confidat* 50 dist. deducitur in decis. 625 coram Seraphino. At e converso contendente Oratore, regulam praefatam, quod di-

spensatus ad Ordines non videatur dispensatus ad Beneficia procedere in irregularitate totali et absoluta proveniente ex delicto, non autem in partiali proveniente ex aliquo corporis defectu, qui utpote causa partialis nequit ad omnia inhabilitare, ut ait Castropal. part. 6 tract. 19 de censur disc. 5 punct. 5 n. 6, Giballin. de irregularit. cap. 2 part. 1 n. 4 et 5. Deformitatem vero inhabilitantem ad omnia, quam enormem vocat Ardiaconus in Can. *Si evangelica* 55 dist., et super qua Papa dispensare non solet, ut testatur Corradus in prax. disp. lib. 3 cap. 6 n. 23, non verificari de qualibet macula aut defectu, sed in eo, cui erutus sit oculus cum magna effossione, ut est casus in dicto Can. *Si evangelica*, vel in corpore vitiatis, qui patiuntur defectum in magnis membris, nempe in brachio manu et similibus, iuxta distinctionem Geminian. et Turrecramat. ibidem, quam quidem enormem deformitatem exclusam in praesenti casu penitus remanere ex ipsa collatione Subdiaconatus per Emum Episcopum Oratori iam facta in executionem praecedentis dispensationis sic, ut supra qualificatae et restrictae ad casum modicae deformitatis. Hinc ad tollendum omne dubium instetit Orator apud hanc Sacram Congregationem pro opportuna declaratione, et allatis desuper duabus infrascriptis resolutionibus eiusdem Sacrae Cogregationis, dictum fuit, ut Causa describeretur in folio.

16. Tenor resolutionum Sacrae Congregationis. Ariminen. die 16 martii 1619. Congregatio censuit, Oratorem oculo dextero, ut proponitur, orbatum si ex dispensatione Apostolica Missam celebret, ex hoc capite non indigere alia dispensatione ad obtinenda Beneficia ecclesiastica etiam curam animarum habentia. Die 26 aprilis 1659 lib. 21 Decretorum fol. 624. Sacra Congregatio etc. saepius censuit et conset, et praesertim in Nuscana idest Ariminen. 16 martii 1619, Clericum oculo dextero orbatum, si ex dispensatione Apostolica Missam celebret, ex hoc capite non indigere alia dispensatione ad obtinenda Beneficia ecclesiastica etiam cum cura animarum. Quare tam ex his, quam ex aliis ab Oratore deducendis, non gravabuntur EE. VV. decernere: – An Orator nova dispensatione indigeat quoad Beneficia etiam curata et Canonicatus et Dignitates etiam in Cathedrali? –, Sacra Congregatio respondit: - Non indigere - *in Lucana Dispensationis die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

17. Amplia, Sacra Congregatio ei etiam dispensationem indulsit, qui erat utroque oculo orbatus ab infantia, ad primam tamen tonsuram tantum ad effectum obtinendi pensiones *in Parisien. die 14 Iunii 1670 lib. 26 Decretorum pag. 356.*

18. Imo dispensatus fuit unimanus natus et utroque genitali orbatus pro conservanda voce ad primam pariter tonsuram tantum et ad Beneficia simplicia non habentia annexum Ordinem sacrum *in Interamnen. die 3 Augusti 1669 lib. 26 Decretorum pag. 268.*

19. Diffamatio autem orta ex indiciis commissi delicti sufficienter non purgatur per torturam tolleratam a diffamato, qui propterea remanet irregularis *in Asculana Irrelaritatis die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

20. Idcirco indiget dispensatione ad Ordines et Beneficia *in Monopolitana Irregularitatis die 26 Novembris 1689 lib. 39 Decretorum pag. 373.*

Item *in Asculana Irregularitatis die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

21. Quin imo ob huiusmodi diffamationem negata fuit petita dispensatio *in Asculana Irregularitatis die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

22. Unde qui in poenam relegationis triennalis fuit damnatus, deindeque dispensatione obtenta ab irregularitate, ut ad sacros Ordines promoveri posset, Beneficium assequutus, illudque per sex annos retinuit ac Missam celebravit, non indiget dispensatione, nisi ad Beneficium, quae, cum postea bonum de se specimen dederit, concedenda est *in Nepesina Irregularitatis die 23 Iulii 1707 lib. 57 Decretorum.*

23. Siquidem – Cum Ioannes Felix Pellonus de Castro S. Eliae anno 1689 fuisset inquisitus coram Thesaurario Generali R. C. A. specialiter deputato a s. m. Innocentio XI, ex eo quod uti Notarius scripsisset seu authenticasset quasdam attestationes factas contra Capitaneum Franciscum de Platis affectuarium eiusdem Castri ad instantiam

illius populi acriter urgentis pro dicti afflictuarii remotione ob gravia delicta, quae illi affigebantur; cumque eaedem attestationes detectae fuissent insubsistentes et calumniosae, fuit dictus Ioannes Felix damnatus in poenam triennalis relegationis ad Civitatem Vetulam, quam quidem poenam a Thesaurario successore, antequam praescriptum tempus laberetur, sibi remitti obtinuit. At cupiens subinde praefatus Pellonus ad sacros Ordines promoveri, de voto huius Sacrae Congregationis assequutus fuit a s. m. Innocentio XII dispensationem ab irregularitate ex causa praedicta contracta directa in forma commissoria praedefuncto Episcopo Nepesino per haec verba: « Super irregularitate per eum praemissorum occasione quomodolibet contracta, ita ut illa et iisdem praemissis minime obstantibus etc. clericali charactere, quo alias rite insignitus fuit, ac susceptis per eum pariter alias rite quatuor minoribus Ordinibus uti, nec non ad sacros Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus Ordines promoveri etc. gratis dispenses ». Vigore cuius facultatis ab eodem Episcopo, praevia dispensatione, ordinatus fuit Pellonus ad tres omnes sacros Ordines ad titulum Capellaniae de iurepatronatus laicale, et sic ordinatus per sex annos Beneficium praefatum possedit ac Missam celebravit. Accidit deinde, ut anno 1695 antedictus Pellonus vendiderit cum pacto redimendi quamdam propriam mansionem, super qua eius Avus legaverat onus decem Missarum annuarum, quamobrem Vicario Generali Nepesino autumante, illum incurrisse in excommunicationem latam contra alienantes bona ecclesiastica, et ratione celebrationis etiam irregularitatem, Orator ipse, redempta dicta mansione, adiit Sacram Poenitentiariam pro absolutione, unde prodiit Rescriptum: « Ex deductis non indigere, sed ad consolationem Oratoris datur ad cautelam », cuius vigore a Poenitentiario Basilicae Vaticanae fuit absolutus. At nihilominus iterum Orator renovavit super praemissis recursum ad sacram Poenitentiariam, unde sub die 21 octobris 1701 rescriptum fuit: « Posse Oratorem eius consulto acquiescere, et Episcopo Nepesino secundum ea, quae proponuntur, declarare Oratorem irregularitatem non contraxisse ». Interea vero Pellonus, ut idemmet asserit, inductus fuit a praememorato Vicario subscribere supplicem libellum eidem praedefuncto Episcopo Nepesino directum, in quo sub narrativa, quod ipse esset suspensus causa incapacitatis Beneficii, ut supra obtenti, Beneficium ipsum dimisit in manibus eiusdem Episcopi, adeo ut, Beneficio et Patrimonio carens, remanserit a iure suspensus. Porro in hac suspensione per triennium perseveravit Orator donec, constituto sibi patrimonio, redintegratus fuit ad Sacra peragenda.

24. Nuper vero modernus Episcopus animadvertens, Pellonum fuisse promotum ad sacros Ordines ad titulum Beneficii, pro cuius assequutione Apostolicam dispensationem minime impetraverat, dictumque Beneficium per sex circiter annos retinuisse, eidem interdixit Missae celebrationem. Hinc Pellonus recursum habuit ad SS. D. N. precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, super quibus expetita de more informatione et voto Episcopi, hic sane edisserens totam praenarratam facti seriem, ac transmittens exemplar Brevis enunciatae dispensationis, nec non Rescripta S. Poenitentiariae, censet, Oratorem ex praeadducta causa relegationis irregularitatem incurrisse, ideoque indiguisse dispensatione non solum quoad Ordines, sed etiam quoad Beneficia, nihilominus existimet, illum gratia dignum, cum post praedicta semper bonum de se specimen dederit, nec quidquam aliud adversus ipsum deductum fuerit. Quapropter Orator humiliter declarari postulat: – I. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative.* II. An sit concedenda dispensatio etiam ad effectum assequendi Beneficia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In casu, de quo agitur, non indigere dispensatione, nisi ad Beneficium, et esse concedendam – *in Nepesina Irregularitatis die 23 Iulii 1707 lib. 57 Decretorum.*

25. Hinc filius eius, qui interfecit unum ex Sacerdotibus, Capitulum constituentibus Ecclesiae, in qua ipsemet occisor obtinebat tria iurapatronatus super tribus Capellaniis ibidem erectis, aliique dein descendentes obtinuerunt quidem rehabilitationem ad unam dumtaxat Capellaniam tunc vacantem, non vero ad omnes in perpetuum, licet inter

utramque familiam occisi et occisoris pax et coniunctio iam intercesserat atque maxima premerentur inopia *in Marsicana Dispensationis die 9 iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

26. Iamvero – possidet familia de Berardis in Ecclesia Receptitia Sanctae Maria Novae Terrae Gioiae tria iurapatronatus laicalia, Missarum oneribus obnoxia, duo nempe ex dispositione Vespasiani de Berardis de annis 1651 et 1689 respectíve, tertium vero ex fundatione Nicolai germani fratris dicti Vespasiani de anno 1656 cum institutione Episcopi. Cum autem de anno 1669 Ioseph de Berardis homicidium admisisset in personam Sulpitii Mascitelli unius ex Sacerdotibus Capitulum constituentibus in antedicta Ecclesia Receptitia, fuit exinde declaratus excommunicatus, subindeque pace obtenta a consaguineis occisi absolutus vigore Brevis sacrae Penitentiariae de anno 1672, hac tamen conditione specialiter adiecta, « quod nequaquam absolutio prosit, quominus si ipse aliquod feudum seu iuspatronatus ab Ecclesia, in qua dictus Sacerdos forsan intitulatus erat, obtinet, ipse eiusque heredes perpetuo illis sint privati, et ne minus vindictae, quam excessus memoriae prorogentur, ipse eiusque liberi propter hoc inhabiles censentur ad Beneficia ecclesiastica obtinenda, nisi cum illis fuerit super hoc misericorditer dispensatum ». Porro occasione vacationis per obitum Sacerdotis Dominici nuper sequutae unius ex memoratis Capellaniis in Altari Sanctissimi Rosarii, humillimas fuderunt preces Sanctissimo D. N. ad Sacram Congregationem remissas Aegidius eiusque heredes minores filii Nicolai iunioris nati ex Iosepho occisore et Margarita Mascitelli nepte ex fratre Sulpitii occisi coniugibus, pro gratia dispensationis seu rehabilitationis tum activae, tum passivae ad omnia praemissa tria iurapatronatus non solum istorum favore, sed etiam suorum successorum in infinitum, cuiusmodi praesentatus de anno 1695 ad eamdem Capellaniam modo vacantem rehabilitatus fuit a s. m. Innocentio XII, praevio voto huius Sacrae Congregationis, praefatus Sacerdos Dominicus filius eiusdem Iosephi occisoris; et quidem Oratores gratiam non desperant nedum motivo pacis et coniunctionis hinc inde inter heredes occisoris et occisi iamdiu sequutae, verum etiam eorum maximae inopiae, qui pro ascensu ad sacros Ordines nullum Patrimonium possident, praeter memorata iurapatronatus. Episcopus desuper informans praenarrata comprobando censet, pauperum Oratorum precibus indulgendum etiam quoad Capellanias in posterum vacaturas sine praeiudicio eas obtinentium et respective Compatronorum. Relata huiusmodi instantia per Summarium sub die 7 maii 1707 rescriptum extitit: « Recurrant in casibus particularibus ». Quocirca Oratores ipsi preces renovantes pro admissione ad praememoratam Capellaniam vacantem aliasque vacaturas, illud pariter exorant perpendi, quod ipsi fuerunt inhabilitati ad institutionem dumtaxat passivam, non autem ad praesentationem activam –.

27. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Si Sanctissimo D. N. placuerit, per suas Literas Apostolicas in forma Brevis Ordinario Marsicano committi posse, ut, veris existentibus narratis, Aegidium Oratorem ad Capellaniam vacantem tantum obtinendam pro suo arbitrio et conscientia gratis habilitet – *in Marsicana Dispensationis die 9 Iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

28. Sacra Congregatio vero declaravit, dispensatione non indigere pro consequendo Beneficio Filium eius, qui dum Regii Fiscalis Advocati munere fungeretur, nomine Regii consilii intimavit Episcopo discessum nedum a Civitate, sed a tota Insula *in Maioricen. die 22 Septembris 1696 lib. 46 Decretorum.*

29. Siquidem – sequuta vacatione cuiusdam ecclesiastici Beneficii iurispatronatus eorum familiae, Hieronymus et fratres de Costa alterum ex eisdem fratribus coram Episcopo praesentarunt, qui tamen eamdem praesentationem admittere recusavit eo sub praetextu, quod Didacus Hieronymus eorum Pater, dum munere Regii Fiscalis Advocati fungebatur, praeceptum eidem Episcopo intimasset de discendendo nedum a Civitate, sed etiam ab universa Insula Maioricensi, ob gravissimas controversias iurisdictionales tunc exortas inter ipsum Episcopum ex una et Conservatorem Ordinum Militarium ac D. Gerardum Dezcallar equitem a Calatrava ex altera, adeoque illis obstare dispositionem Clemen-

tinae primae de poenis, inhabilitantis ad consequenda Beneficia ecclesiastica etiam filios et nepotes illorum, qui Episcopos a propria Sede ausi sunt eiicere. E converso autem contendentibus iisdem filiis Oratoribus praefatam Clementinae dispositionem eis non adversari, tum ex quo eorum Pater non fuit principalis auctor, sed simplex, ratione officii, necessarius executor dicti praecepti emanati a Regio consilio, tum ex eo quia illud nullum habuit effectum, ob superventam intra breve tempus eius revocationem, tum denique quia eorum Pater, morti proximus, plenariam absolutionem ab eodem Episcopo consecutus fuit. Idcirco datae fuerunt literae ad Epipum, qui, post distincte narratam totius facti seriem, votis Oratorum annui posse censet, his verbis; « Nos vero Suae Sanctitati et EE. VV. exemplo libenter huiusmodi iniurias remittimus, et dispensationem ab Oratoribus imploratam consequi aequo animo desideramus, dum ea indigent, quia puberes utroque orbati parente et opibus non abunduanter reperiuntur, bene tamen educati virtute et literis incumbentes versantur, sed oportet publica aliqua satisfactione eam obtinere ad publicam sedandam offensam, et perniciosum exemplum eradicandum ». Quare ipsis Oratoribus informantibus, propositis dubiis: – I. An ipsi indigeant aliqua dispensatione? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo dispensatio sit concedenda? –, Sacra Congregatio respondit: – Non indigere in casu, de quo agitur – *in Maioricen. die 22 Septembris 1696 lib. 46 Decretorum.*

30. At quum in concursu ad vacantem Paraeciam S. Ioannis in Villa Musciani, ob resignationem Pauli Berardi, accessissent Petrus Giacobetti nepos resignantis in tertio consanguinitatis gradu et Parochus in Villa *Macantone,* sed ei obstabat constitutio S. Pii V *Quantae Ecclesiae* vetans, ne Consanguineis resignantium conferatur Beneficium resignatum, nec non subdiaconus Emilianus Grassi, cui aetas viginti quatuor annorum impedimento erat, quominus Paraeciam consequeretur secundum dispositionem iuris in Cap. *In cunctis* §. Inferiora de electione, proposito dubio: - An et cui sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative favore Subdiaconi Grassi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo - *in Nucerina Dispensationis 10 Aprilis 1802*

31. Itaque licet quis non sit nativus seu originarius loci ad formam fundationis, sed sedula frugique administratione instructus bonisque moribus imbutus paupertate laborat, facultatem obtinet assequendi Capellaniam mere laicalem ea tamen lege, ut eam dimittere teneatur quandocumque adsit aliquis Sacerdos, qui habeat conditiones a Fundatrice requisitas, quae vero lex, iusta intercedente causa, subinde deletur cum obligatione explendi reparationes et melioramenta in fundis Capellaniae *in Assisien. Capellaniae die 9 Septembris 1843 et die 23 Novembris 1844.*

32. Siquidem Catharina Pallereggi Capellaniam mere laicalem de iurepatronatus familiae Bini ad Aram divi Antonii Patavini Vallisfabricae instituit, his adiectis legibus, ut nominandus foret nativus seu originarius Vallisfabricae, ut Capellanus electus resideret in dicto Oppido et per se ipsum Missarum celebrationi satisfaceret, alias in poenam caducitatis et privationis incidere deberet. Quum vacaverit huiusmodi Capellania, Matthaeum Piccinini Bictonii in eadem Assisiensi Diaecesi natum et Parochum seu Vicarium Abbatiae Vallisfabricae nominavit Pyrrhus Bini patronus. Is autem, cum esset ex familia Capuccinorum, post facultatem in seculo perpetuo permanendi, Beneficium Curatum ex peculiari venia in titulum sacri Patrimonii, nec non parvum aliud in supplementum suae substentationis iam obtinuerat. Petiit itaque facultatem assequendi etiam praedictam Capellaniam mere laicalem: sed precibus obstitit Hieronymus Callisti modernus Podii Parochus, ortus tamen Vallisfabricae, qui contestabatur, posse optime per se ipsum Missarum celebrationi satisfacere ob magnam suae Paraeciae propinquitatem, quique simul declarabat, nolle se in praefato Oppido residere. Episcopus Matthaeo Piccinini favit, cum deficeret Sacerdos in loco originarius, qui residere vellet, ac adesset utilitas ipsius piae institutionis, quam et Patronus sibi adpromittebat ex sedula frugique administratione Oratoris, quem facto constabat et aliorum, quae retinebat, Beneficiorum fundos diligentissime as-

servare et meliorare, quod sane singulari cura Capellaniae pro tempore Rectori commendatum voluit Fundatrix. Insuper praeter paupertatem, qua laborabat Orator eiusque familia, concurrebant probati ipsius mores ac vitae ratio. Nec aderat incompatibilitas ratione pluralitatis, cum ageretur de Capellania mere laicali. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi cauto tamen, ut Capellaniam dimittat quandocumque adsit aliquis Sacerdos, qui habeat conditiones a Fundatrice requisitas – *in Assisien. Capellaniae die 9 Septembnis 1843.*

33. Quum vero sumptus ad reparationem domus colonicae ac plantationem pertingerent summam scutorum 145 et obulos 9, at reditus non excederent annua scuta 22, ex quibus dempto onere Cathedratici et quatuor supra centum Missarum quibuslibet annis, nempe circiter scuta 16, parum eruebatur superesse Rectori, hinc idem Piccininius institit, ut ab resolutione edita deleretur modus adiectus, cui assensum libenter praestabat Patronus et favebat Episcopus, cum in utilitatem ipsius Capellaniae vergeret. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit delendus modus adiectus resolutioni diei 9 septembris anni 1843 in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative cum obligatione explendi intra terminum ab Episcopo praefigendum reparationes et melioramenta, iuxta peritiam iussu Episcopi confectam – *in Assisien. Capellaniae die 3 Novembris 1844.*

34. Qua de re quum Petrus Stecconi fundaverit in Ecclesia Collegiata S. Bartholomaei Busseti duo Beneficia seu Legata, adiecta lege residentiae et servitii choralis nec non eadem conferendi Clericis seu Sacerdotibus, qui ibidem nati ac educati fuerint, quumque Patronus Ioseph Stecconi ad unum ex illis nominaverit Clericum Domninum Stecconi eius consobrinum natum in Villa S. Andreae sub Parochia Busseti, qui propterea habilitationem postulavit, cuius tamen favore notabat Episcopus illius consanguinitatem cum Fundatore, optimos mores, originem a Busseto, gravem paupertatem, et defectum aliorum Clericorum Busseti, qui ei valerent aequiparari, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro gratia habilitationis Clerici Domnini ad obtinendum legatum, de quo agitur, in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sint ei concedendi fructus eiusdem Legati a die vacationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative – *in Burgi S. Domnini Legati die 19 Augusti 1797.*

35. Unde Sacra Congregatio indulsit dispensationem super qualitate Sacerdotali filio Patroni Vincentii Vincimala, qui aetatem quatuor annorum agens iam reportaverat a Summo Pontifice dispensationem super defectu aetatis, cum esset de sanguine Fundatoris, et Pater subventione indigebat, ut illum ad studia literarum educare posset, nam Episcopus testabatur, quod status suae nobilis familiae, natorum multiplicitas, non levia infortunia, et bonorum inter fratres divisiones, illum notabiliter deteriorem effecerunt –; his quippe in terminis proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative usque dum ad legitimam aetatem pervenerit, adimpletis oneribus; et amplius: – *in Cremonen. Dispensationis die 20 Ianuarii 1776.*

36. Quum itaque Margarita Paulina Capellaniam mere laicalem fundaverit adiecta lege, ut ad eam Sacerdos vel proximus ad Sacerdotium nominaretur, et subinde Nepos Fundatricis annum decimum nonum agens nominationem ad eam obtinuerit, propositis dubiis: – I. An ad obtinendam Capellaniam seu Legatum, de quo agitur, requiratur Sacerdotium vel proximitas Sacerdotio? *Et quatenus affirmative.* II. An cum Oratore sit dispensandum? –, Sacra Congregatio respondit: – Esse dispensationem concedendam – *in Civitatis Plebis Capellaniae die 25 Ianuarii 1631.*

37. Haud vero indulgetur dispensatio et habilitatio ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, si Concilium Tridentinum et lex fundationis cum aliorum praeiudicio adversetur *in Tusculana Dispensationis die 8 Augusti 1801.*

38. Siquidem Bonifacius Crispi Canonicatum erigi mandavit in Ecclesia Cathedrali

Tusculana adiecta lege, ut indigenis praelatio daretur, nec quisquam praesentari deberet, nisi esset Sacerdos ac Theologus. Vacante subinde Canonicatu praedicto, Ioanna Altobelli Urr patrona praesentavit Clericum Petoni, qui in aetate decem et octo annorum versabatur. Idcirco Petonius postulavit dispensationem habilitationemque a fundationis legibus. Capitulum vero et Ordinarius acriter obstiterunt, cum et sanctio Concilii Tridentini in cap. 12 sess. 24 de reformatione et Fundatoris voluntas adversarentur; ac insuper praeiudicium octo Sacerdotibus, qui omnes satis idonei et habiles erant, inferretur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione et habilitatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Tusculana Dispensationis die 8 Augusti 1801.*

39. Idcirco quum Hieronymus Cantarellius mandaverit erigi Beneficium ecclesiasticum in Ecclesia S. Prosperi adiecta lege, ut nominatus ex designatis familiis Sacerdos esset, in Civitate Regii resideret nec non domum ipsius Fundatoris inhabitaret, alias Sacerdos constitutus in aetate quinquaginta annorum vir nobilis et oriundus praedictae Civitatis nominaretur, quumque subinde Patronus nominaverit Gasparem Vigaranum Mutinensem unum de familiis a Fundatore contemplatis in Urbe degentem causa studiorum, qui postulavit dispensationem suscipiendi Sacerdotium infra annum celebrandi per alium nec non exemptionem ab onere inhabitandi praedictam domum, ut posset perficere sua studia, quae ab anno citra cum dimidio in Urbe inceperat, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et servetur mens Testatoris – *in Regien. Dispensationis die 24 Maii 1710 lib. 60 Decretorum.*

40. Similiter quum Pasquinus de Baccis anno 1669 Beneficium seu Capellaniam fundaverit in Ecclesia parochiali S. Laurentii loci Hortinovi, cuius patronatum passivum pluribus substitutive attribuit, si habiles tempore vacationis existerent; et in omnium defectum mandavit, – ut eligatur alia persona idonea, quae tamen sit de praesenti loco Hortinovi et constituta in sacris Ordinibus, sive Sacerdos etc. –, quumque subinde asserti Patroni ad eam nominaverint Clericum Ioannem Gregorium de Blancis duobus minoribus Ordinibus insignitum et in aetate annorum viginti duorum sub conditione, ut intra legitima tempora susciperet Ordinem sacrum, qui illico dispensationem postulavit, nullis tum existentibus ex designatis familiis, sed contra obstiterit Sacerdos Ioannes Baptista de Felicibus a praetenso Patrono proximiori eius, qui Capellaniae dotem auxerat, nominatus, quique exhibuit Literas Apostolicas provisionis factae cum derogatione medietatis vocum, non tamen exequutas, ob non expressionem in eis factam, ipsum possidere aliud Beneficium sub eodem tecto, ac idcirco pendens extabat in Dataria eius altera supplicatio pro gratia – perinde valere –, proposito dubio: – An sit locus gratiae dispensationis ad effectum obtinendi provisionem Beneficii pro Gregorio de Blancis praesentato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 10 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

41. Unde reportandum est Breve Apostolicum dispensationis a defectu aetatis et clericatus concessae Puero annorum quinque primo loco passive vocato, quatenus vero habilis esset, quin supplicatio sit signanda, cum Patronus iuxta leges fundationis alium idoneum per posterius vocatum iam praesentaverat *in Piscien. Beneficii super dispensatione die 21 Maii die 23 Iulii 1803 et die 28 Iulii 1804.*

42. Iamvero postremis testamenti tabulis scriptis anno 1610 Vincentius Gialdini fundavit simplex Beneficium in Ecclesia S. Mariae Magdalenae Civitatis Pisciensis, cuius patronatum activum attribuit maiori nato ex descendentibus sororum Elisabeth Paulae et Catharinae, et quoad passivum statuit, ut primum eligeretur in Capellanum unus ex domo Gialdini, et si idoneus non extaret, unus ex dictarum sororum descendentibus, alias ille, quem Patroni vellent. Vacavit die 5 novembris anni 1801 huiusmodi Beneficium, et tum maior natus ex descendentibus sororum fundatoris erat eques Ludovicus Cecchi, qui die 26 sequentis decembris praesentavit Sacerdotem Aloisium Cecchi filium suum et in Cathedrali Pisciensi Canonicum. At obstitit Aloisius Gialdini, qui postulavit suspensio-

nem nominationis, quousque a S. Sede impetraret dispensationem ab aetate et clericatu pro filio suo Vincentio Gialdini puero annorum quinque, ut hic Canonico Cecchi posterius vocato praeferri posset. Quamquam hic solicitus fuerit, ut in Dataria Apostolica protestationem cum clausula – nihil transeat – die 6 februarii 1802 interposuisset, attamen die 7 martii minime citato Presbitero Cecchi Breve Dispensationis impetravit puer Vincentius Gialdini, – tamquam (ut ex ipso Breve) a tuo Genitore moderno unico dictae Capellaniae Patrono praesentatus –. Cum vero id, quod Summo Pontifici exposuit, longe abesset a fundatione, hinc ne impetratum Breve obreptionis argueretur, iterum Summo Pontifici snpplicavit pro gratia – perinde valere –. Tum Presbiter Cecchi, validius sese opponens, postulavit, ut Breve tamquam obreptitium et subreptitium reportaretur. Contra Gialdinius institit poscere, ut, lacerato – nihil transeat – a Presbytero Cecchi apposito, signanda esset supplicatio pro habilitatione ex defectu aetatis et clericatus. Cecchius itaque contendit, Breve esse subreptitium et obreptitium, cum Gialdinius reticuisset, quod de Familia Gialdini vocati erant tantum idonei, quodque iisdem deficientibus deferebatur passiva vocatio ad descendentes ex Sororibus Testatoris, quod tandem iam erat praesentatus Presbiter Cecchi; et falso quoque narravisset, se praesentatum esse a Patre suo – tamquam unico moderno Patrono –. Nam ex fundatione addicebatur Patronatus ad maiorem natum ex sororum Elisabethae Paulae et Catharinae descendentibus. Idcirco dispensatio concedi non poterat, cum is ius quaesitum ex praesentatione haberet, et iusta dispensationis causa nullatenus existeret. Gialdinius contra sustinuit, habilem per posterius vocatum non posse impedire, quominus ipse qui prius vocatus erat, dispensationem obtineret.

43. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Breve sit reportandum in casu etc. II. An supplicatio sit signanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Piscien. Beneficii super dispensatione die 21 Maii 1803.*

44. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Piscien. Beneficii die 23 Iulii 1803.*

45. Interim adhuc instante Gialdinio, Emus Praefectus ei potestatem fecit, ut rursus iurium suorum faceret periculum. Repropositis vero dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius; et ad D. Secretarium ad mentem – *in Piscien. Beneficii die 28 Iulii 1804.*

46. Nemini igitur concedenda est dispensatio super qualitate sacerdotali vel pluralitate et incompatibilitate Beneficiorum, quum Patroni hinc inde nominaverint inhabilem vel incapacem ad onera Capellaniae per se ipsum explenda ad formam fundationis *in Fesulana Dispensationis die 22 Decembris 1838 et die 22 Iunii 1839.*

47. Enimvero supremis tabulis die 17 septembris 1699 exaratis Antonius Fidanza Bartoli Capellaniam in Ecclesia S. Stephani a Luculena fundavit, oneribus Rectori pro tempore adiectis celebrandi per se ipsum tres Missas singulis Hebdomadis, residendi penes dictam Ecclesiam parochialem, coadiuvandi Parochum in ecclesiasticis functionibus, administrandi Sacramenta, nec non docendi Pueros prima literarum rudimenta, mercede soluta. Ius autem nominandi familiae Bartoli, eaque extincta, Dominico Baldinotti eiusque filiis ac descendentibus masculis attribuit. Quum anno 1837 suo extiterit viduata Rectore praefata Capellania, pars Patronorum ex Baldinotti Dominico descendentium, extincta iamdiu Bartoli descendentia, ad eam nominavit praesentavitque Sacerdotem Antonium Rossi Parochi eiusdem Ecclesiae S. Stephani ad Luculena, ubi erecta erat Capellania, altera eorum pars clericum Paschalem Bicocchi viginti et octo annos natum. Hinc uterque dispensatione indigebat, alius super qualitate Sacerdotali, alter super pluralitate et incompatibilitate Beneficiorum. Licet autem Episcopus pauco praeditum ingenio et vix ad studia initiatum renuntiabat Paschalem, hic tamen plura exhibuit testimonia, quibus ostendebatur, ipsum sufficienti potiri scientia, praeter morum probitatem ab ipso Episcopo ac omnibus commendatam. Idcirco enixe contendit, sibi conceden-

dam esse dispensationem, si qua indigeret, cum infra annum ad Sacerdotium adscendere posset, quoties Capellania actu Sacerdotalis haud esset, ex eo etiam quod ipse titulo patrimonii sacri careret, dum Parochus reditibus Paraeciae fruebatur. Contra Parochus sustinuit, sibi indulgendam esse dispensationem, ob Ecclesiae utilitatem, cum ita alium assumeret Sacerdotem, qui secum inhabitaret. His interim perpensis, proposito dubio: – An et cuius favore sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo, qui, peracto prius experimento Clerici Bicocchi coram Tribus Examinatoribus, referat, an sufficienti saltem scientia praeditus sit ad excipiendas confessiones – *in Fesulana Dispensationis die 22 Decembris 1838.*

48. Sollicitus fuit Fesulanus Antistes iussa exequi, factoque revera periculo ad formam praestitutam, Examinatores unanimiter inhabilem Clericum Bicocchi ad excipiendas confessiones renuntiarunt. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et esse locum nominationi a Patronis faciendae intra quadrimestre – *in Fesulana Dispensationis die 22 Iunii 1839.*

49. Qua de re cum leges fundationis ex diametro adversarentur, Sacra Congregatio non modo renuit concedere facultatem retinendi Capellanias in statu clericali, sed imo mandavit, ut Clericis praefigeretur congruus terminus ad effectum se idoneos reddendi ad suscipiendos sacros Ordines *in Auximana Capellaniarum die 2 Iunii 1804.*

50. Siquidem Alexander Gentiloni anno 1702 fundari mandavit Congregationem Presbiterorum, qui instar Canonicorum in Ecclesia S. Mariae Angelorum suo aere construenda sacras functiones et chori servitium perageret. Singulis Capellaniis mere laicalibus nomen et patronatum constituit dotemque assignavit adiecta lege, ut eligendus esset Clericus, vel clericatum intra tres menses sumere deberet, vigesimum primum annum ageret, et ad legitimam perventus aetatem ordine sacerdotali insigniri teneretur. Praeterea Capellanis graviter defendit, ne has leges in discrimen adducerent, aliter quisque Capellania privatus intelligeretur. Altera ex his Capellaniis subinde possidebat ab anno 1788 Clericus Philippus Gentiloni, alteram ab anno 1780 Clericus Carolus Gentiloni. Neuter in tam longo temporis spatio sacros Ordines suscepit, cum Emus Episcopus Auximanus eosdem ad promotionem in sacris Ordinibus contendentes reiicere putaverit. Promotor Fiscalis citavit dictos Clericos – ad videndum praefigi terminum ad docendum de dispensatione Apostolica, vel de causis legitimis super defectu sacerdotalitatis, alias declarari vacantem Capellaniam aut alio nomine Beneficium per eum possessum, nec non ad constituendum legitimum Procuratorem –. Tum Clerici Gentiloni postularunt dispensationem pro retinenda Capellania in statu Clericali. Emus Episcopus Sacerdotales esse censuit Capellanias, et praefatos Clericos, pluribus contra eosdem in medium adductis, indignos existimavit, ut ad sacros Ordines promoveri possent. Contra Defensor Clericorum sustinuit, Capellanias esse clericales, vel saltem non actu, sed habitu sacerdotales. Quod si ipsi sacros Ordines non susceperint, non id dolo fecerunt et mala fide, cum excusari possent ab exemplis eorum, qui Capellanias in statu Clericali retinuerunt: potissimum cum instetissent apud Curiam ecclesiasticam, ut Ordines consequerentur, et Curia illa tulerit, ut per tantum temporis spatium Capellanias retinerent, quin Ordines susceperint. Adlaboravit inde praefatus Defensor, ut allatis monumentis purgaret praeteritae vitae rationem a Clericis Gentiloni exercitam, eosque dignos ostenderet, ut Ordinibus sacris inaugurarentur.

51. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Capellaniae retineri possint in statu Clericali, seu potius an et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam pro congruo termino ab Emo praefiniendo Clericis Gentiloni ad effectum se idoneos reddendi ad suscipiendos sacros Ordines – *in Auximana Capellaniarum die 2 Iunii 1804.*

52. Unde si quis subreptitie obtinuerit Literas Apostolicas, locus non est earumdem exequutioni, sed potius indulgetur Clerico ex familia Patroni dispensatio, donec ad legiti-

mam aetatem pervenerit, non autem retinendi in statu clericali Capellaniam mere laicalem, sed actu vel habitu Sacerdotalem *in Sabinen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 14 Ianuarii 1804.*

53. Iamvero Theresia Cicalotti mandavit, ut post sui obitum heredes fundarent duas Capellanias mere laicales liberas et independentes a qualibet auctoritate ingerentia et facto cuiuscumque Superioris ecclesiastici in Oppido Forani, quarum ius nominandi attribuit Biagio Scarinci eius heredibus ac successoribus, qui, si non extaret Sacerdos originarius loci, in subsidium nominare deberent Sacerdotem advenam. Ad unam ex hisce Capellaniis ipsa Fundatrix nominavit unum ex filiis Silvestri Bartoli, cum tempore habili foret Sacerdos, ac interim per alium onera impleret, scilicet celebrationem Missarum servitium chori ac interventum processionibus aliisque functionibus ecclesiasticis. Vacavit die 10 decembris 1797 altera ex praefatis Capellaniis per triginta menses, cum Patronus Bernardinus Scarinci nonnisi ad diem 28 aprilis 1802 Clericum Blasium Scarinci nominaverit, qui dispensationem postulalavit, ut posset eam retinere usque dum ad sacros Ordines promoveretur. Interea vero Archipresbiter Forani Gaspar Sabutii eam pro devoluto a Dataria Apostolica impetravit die 7 iunii 1802, qui propterea exequutionem urgebat Literarum Apostolicarum, dum consentirent cum veritate eorum, quae Summo Pontifici narrata fuere. Contra Clericus Scarinci arguit Literas Apostolicas, cum nunquam praefata Capellania, prout narratum erat, fuerit Beneficium ecclesiasticum. Hinc cum ipse esset ex familia Patroni concedenda videbatur dispensatio, si eam retinere non poterat in statu clericali. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Literae Apostolicae sint exequendae in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An Capellania retineri possit in statu clericali, seu potius sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, donec ad legitimam aetatem pervenerit – *in Sabinen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 14 Ianuarii 1804.*

54. Quapropter Sacra Congregatio postquam declaraverit, Capellaniam ecclesiasticam non posse retineri in statu coniugali a Francisco Alphonso Perez, licet Fundator id permiserit, post tamen expletam erectionem, merito iussit, nec ipsi concedendam esse dispensationem ad eumdem effectum retentionis, sed tantummodo permisit, ut eam retinere posset ex novo titulo administrationis, non vero ex priori titulo Beneficii; his enim in terminis proposito dubiis: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad eumdem effectum retentionis? III. An potius consulendum sit Sanctissimo pro gratia, ut dictus Franciscus Alphonsus possit Capellaniam retinere non ex eodem priori titulo Beneficii, sed ex novo titulo administrationis laicalis, cum facultate percipiendi fructus et adimplendi onera Missarum per alium, donec aliquis ex eius filiis possit eam obtinere in titulum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative – *in Senogallien. Capellaniae die 17 Novembvis 1731.*

55. Quin imo cum ipse Fundator Beneficii ecclesiastici post expletam erectionem petierit, ut, si durante fratris descendentia nemo ex ea reperiatur aptus ad Beneficium assequendum, quando eius vacatio contigerit, tunc minime deberet nominari extraneus, sed suspensa collatione, possent descendentes adscribere sibi ipsis suosque facere proventus omnes Beneficii, subeundo tamen onus duodecim Missarum quotannis ab aliquo Sacerdote celebrandarum, usque dum aliquis de familia fieret idoneus obtinendo Beneficio, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro nunc Negative, sed habebitur ratio in futuris vacationibus; et amplius – *in Comen. Beneficii die 27 Februarii 1734.*

56. Hinc Sacra Congregatio nec etiam in limine fundationis approbare solet, quod tribuatur facultas retinendi Beneficium ecclesiasticum in statu coniugali, quasi possidendo titulum Beneficii *in Segovien. Capellaniae die 17 Novembris 1731* §. *Ceterum.*

57. Siquidem – Sacra Congregatio commisit Episcopo, ut ad erectionem praefati Beneficii deveniat omnesque supradictas con-

ditiones approbet atque confirmet modificata tamen ea conditione, in qua dicitur, quod Primogenitus frui possit Beneficio etiam in statu laicali et coniugali in hunc modum, videlicet quod Primogenitus frui possit fructibus Beneficii vacantis, quousque superveniat alius capax de familia, satisfactis interim oneribus Missarum per Capellanum ab eo eligendum – *in Derthonen. die 19 Augusti 1730 lib. 80 Decretorum pag. 224.*

58. Idcirco Sacra Congregatio renuit concedere Clerico, qui nuptias inire exoptabat, facultatem convertendi in proprios usus Beneficii reditus, suspensa eiusdem collatione, ex eo quod tenues erant ipsius patrimonii vires, cum praesertim alter Patronus ad illud obtinendum instaret, quoties vacaverit *in Firmana Dispensationis die 22 Novembris 1828.*

59. Siquidem Seraphinus Christiani patronus proprium filium Dominicum nominavit ad Beneficium in Ecclesia S. Michaelis Oppidi S. Elpidii ad mare erectum, sed cum nuptias inire cuperet reique familiaris inopia premeretur, anno 1797 a s. m. Pio VI facultatem obtinuit, ut, suspensa Beneficii collatione, reditus omnes in proprios usus converteret. E vivis erepto Dominico, eius filius Albertus clericali tonsura initiatus ad nominationem Patruorum Stephani et Antonii canonicam Beneficii institutionem anno 1816 nactus est. Cum vero et ipse Matrimonium contrahere exoptaret, supplex adiit Summum Pontificem postulavitque, ut, quum per ineundas nuptias vacaverit Beneficium, suspensa remaneret illius collatio, et eidem Alberto donec vixerit, tribuerentur annui bonorum reditus. Huic gratiae ut viam sterneret, protulit assensum tam patrui Antonii, quam fratris Christiani, narravitque, sibi adeo tenues suppetere patrimonii vires, ut sine hac Apostolicae Sedis indulgentia propriam familiam alere prohiberetur. At supplicem interim libellum Sacrae Congregationi porrexerat Maria Anna Apolloni Christiani, quo affirmabat, virum suum Stephanum, dum Albertum nominaverat, sibi reservasse aliquam pensionem super Beneficii fructibus Apostolica auctoritate confirmandam, sed in facto erat, in Literis Apostolicis nullum Alberto impositum fuisse pensionis onus; hinc conquerebatur etiam, eumdem Albertum, initis consiliis cum patruo Antonio, promissis non stetisse, se gravi inopia laborare, postulabatque praeterea, ut, divisis Beneficii fructibus, eorum pars Oratrici concederetur, sin minus ut Beneficium, cum per Matrimonium Alberti vacaverit, eius filio Seraphino conferretur, concessa etiam eidem dispensatio aetatis, si, antequam ipse decimum quartum annum attingeret, vacatio obtigerit. Seraphinus enim clericali militia initiatus erat et ad legitimam aetatem iamiam perventurus, cui propterea tamquam unico ex Patronorum familia descendenti, qui ad Beneficium contendere valeret, iactura inferretur per dispensationem, quam efflagitabat Albertus. Accedebat, quod nedum Albertus duodecim annis, sed etiam eius Pater quadraginta annis Beneficii fructus perceperit; ideoque aequitati consonum erat, ut Seraphino Beneficium impertiretur.

60. His autem perpensis, propositis dubiis: – I. An et in qua summa Albertus Christiani teneatur solvere pensionem familiae Stephani Christiani in casu etc. II. An et quomodo sit annuendum precibus Alberti Christiani in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An cum vacaverit Beneficium sit danda canonica institutio Clerico Seraphino Christiani in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, providebitur cum vacaverit – *in Firmana Dispensationis die 22 Novembris 1828.*

61. Quum itaque satis constaret de ecclesiastica qualitate Capellaniae nec iusta adesset causa, Sacra Congregatio renuit concedere Clerico Ioanni Calcagna facultatem retinendi eam in statu coniugali, quem assumere decreverat, licet eiusdem petitioni faverent Patroni et Vicarius Capitularis atque Parochus de ipsius paupertate amplissimum testimonium perhiberet; his enim in terminis proposito dubio: – I. An sit concedendum indultum retinendi Capellaniam, de qua agitur, in statu coniugali? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Fulginaten. Capellaniae die 17 Septembris 1796.*

62. Hinc Sacra Congregatio nedum renuit Patronis concedere veniam dividendi inter se bona

Capellaniarum eaque separatim administrandi ac possidendi praestita cautione pro oneribus adimplendis, sed cum Ioannes Baptista Molella unus ex Patronis clericali quidem tonsura insignitus, matrimonio tamen copulatus, fructus Capellaniarum percepisset, propositis dubiis: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione et condonatione fructuum perceptorum a Ioanne Baptista Molella in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro retentione Capellaniarum in statu coniugali favore eiusdem Ioannis Baptistae Molella in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum dilata; et attenta instantia Clerici Molella dentur urgentiores, audito Procuratore Fiscali in scriptis, interim Episcopus moneat Ioannem Baptistam, ut consulat conscientiae suae – *in Alatrina Capellaniae die 22 Novembris 1834.*

63. Ceterum Sacra Congregatio haud quidem retentionem Beneficii in statu coniugali, sed tantummodo eiusdem suspensionem et absolutionem indulsit Petro Corradini patrono, qui a quadriennio ad statum coniugalem transierat, cum nisi omnino pauper, dives certe secundum Testes non erat, et ex superextantibus ipsis fructibus fundum melioraverat; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus retentioni Beneficii in statu coniugali, seu potius suspensioni nominationis et illius administrationi in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative primam partem, Affirmative ad secundam, deputato ecclesiastico Administratore, qui, adimpletis oneribus, superextantes reditus Oratori consignet, donec aliquis ex passive vocatis idoneus superveniat – Ad secundum, Affirmative – *in Fanen. Beneficii die 15 Iulii 1797.*

64. Indubitatum enim est, posse Summum Pontificem indulgere etiam, ut Beneficium ecclesiasticum a Clerico coniugato retineatur, quemadmodum deducitur ex Cap. *Ioannes* de cleric. coniug., ibique Glossa verb. ecclesiasticum, Ioann. Andr. Imola et alii, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 42 n. 18, Hoieda de incompatib. Benef. lib. 2 cap. 24 n. 77, Paris. de resignat. Benef. lib. 4 cap. 22 n. 28 *in Segovien. Capellaniae die 17 Novembris 1731* §. *Denique.*

65. Qua de re si quis gratiam obtinuerit retinendi Beneficium in statu etiam coniugali absque vitio subreptionis et obreptionis, nedum danda est exequutio Literis Apostolicis, sed et condonantur fructus percepti ante exequutionem, licet Patroni vacuum putantes Beneficium alium praesentaverint *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et Condonationis fructuum die 3 Martii et die 2 Iunii 1860.*

66. Enimvero Clericus Mutius Cartoni vix obtinuit Beneficium nuncupatum Thomae Sergentilis, statim petiit ac nactus est die 3 decembris 1852 gratiam retinendi istud ad sui vitam in habitu laicali ac etiam in statu coniugali, sed Literas Apostolicas non exhibuit Ordinario Auximano, nisi ineunte mense augusti 1857, cum scilicèt Patroni, vacuum exinde putantes Beneficium, praesentarunt in Curia Aloisium Fidium, qui eas obreptitias et subreptitias esse contendit. Contra Cartonius Literas Apostolicas a quavis obreptionis et subreptionis labe immunes defendit; ideoque fructus licite percepisse a die impetrationis, ex eo etiam quod bona fide illos perceperat. Hinc Sacra Congregatio, postquam declaraverit, non intrare arbitrium pro aperitione oris, sed dandam esse exequutionem Literis Apostolicis, proposito dubio: – II. An sit locus condonationi fructuum Beneficii hactenus decursorum favore Mutii Cartoni in casu? –, Sacra Congregatio die 17 septembris 1859 – quoad secundum distulit resolutionem et causam reproponi iussit, vocata ad Causam R. C. Spoliorum, et post exequutionem Literarum Apostolicarum –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 3 martii 1860 respondit: – Ad secundum, Affirmative –. Demum reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in decisis; et amplius – *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et Condonationis fructuum die 2 Iunii 1860* (1).

(1) Reliqua habes in Verb. *Aperitio oris*, n. 111 ad 127, Tom. II.

67. Unde attentis gravissima Patroni paupertate et expensis ab eodem perlatis nedum ipsi, sed et eius demortui Viduae indulgetur ad decennium reductio Missarum et suspensio nominationis ad Capellaniam, licet alius praetensus Patronus rite nominatns et praesentatus intra legitima tempora institutionem obtinuerit *in Mandalen. Prorogationis Indulti die 18 Decembris 1858.*

68. Siquidem Francisca Theophili die 5 novembris 1767 Capellaniam ecclesiasticam erigi mandavit in Ecclesia parochiali Nerulae cum onere adsistendi divinis functionibus et celebrandi quinque Missas in singulas hebdomadas, cuius patronatum reservatum voluit Valentino Clementi eiusque Filiis heredibus ac successoribus in infinitum, addita diserte facultate nominandi etiam Clericum. Inde caducitatis a iurepatronatus poenam inflixit Capellano Clementi per codicillos, si conditionibus in testamento praescriptis factum satis minime fuisset. Ultimus huiusce Capellaniae Rector fuit Franciscus Orlandi Sapienza, qui Capellaniae nuncium mittere constituit hac conditione, ut Augustinus Clementi Capellaniae Patronus quinquaginta scutorum summam, quam ipse in domo Beneficiali reficienda sumpserat, sibi rependeret, idemque Patronus ab Sacra Congregatione indultum retinendi in statu laicali dimittendam Capellaniam exposceret. Hinc Sacra Congregatio, auditis interesse habentibus et habita ratione gravissimae paupertatis, qua laborabat Orator, sub die 12 augusti 1857 rescripsit: – Vigore etc. praevia dimissione tituli enunciatae Capellaniae a Sacerdote Francisco Orlandi Sapienza facienda, pro gratia suspensionis nominationis ac reductionis Missarum ad unam qualibet hebdomada, deputato tamen idoneo ecclesiastico etc., qui, impletis oneribus, residuales reditus tradat Oratori titulo alimentorum, arbitrio et conscientiae Episcopi docto etc. ad decennium –. At vero miserrimo Oratori parum superfuit temporis, quo gratia frueretur; die namque undecima novembris eiusdem anni diem supremum obiit. Cum autem a defuncto Oratore scutata quinquaginta Capellano persoluta fuissent, itemque expensae pro Decreti executione in scutatis 10. 78, aliaeque non tenues ab eodem perlatae essent, Rosa demortui vidua Romana eiusdem heres intestata, ob omnimodae cognationis et agnationis ab eo relictae defectum, ad se unice pervenisse contendens, supplex Sacram Congregationem mense aprilis adiit, ut Rescriptum favore demortui mariti impertitum sibi ad decennium prorogaretur. Postulavit insuper, ut nulla haberetur ratio Bullarum institutionis in eo temporis intervallo a Mandalensi Curia expeditarum favore Sacerdotis Alexandri Teophili. Is enim, asserto caducitatis casu, ex praesentatione Laurentii Theophili, edictis ad valvas Curiae Episcopalis et Ecclesiae Parochialis Nerulae affixis, quibus omnes interesse habentes ad contradicendum, praestituto tempore invitabantur, quo inutiliter elapso, institutionem die 9 aprilis obtinuit. Alexander itaque contendit, revera Decretum caducitatis fuisse prolatum, ac rite fuisse institutum, a conciliatione tamen ob Viduae paupertatem non abhorrere. At Vidua sustinuit, sibi competere iuspatronatus utpote hereditarium, ideoque nullam fuisse nominationem ac institutionem Alexandri, et haudquaquam poenam caducitatis incurrisse familiam Clementi, quin obesset, quod vertente quadrimestri Vidua non comparuisset. Ipsa enim rerum canonicarum ignara Romae degebat, ubi edicta non fuerunt affixa, nec ipsa monita fuerat. In facto erat gravis et summa rerum egestas Viduae suaeque familiae tribus filiis masculis et tribus feminis gravatae. Hinc respuit sibi propositam conciliationem, cum iustitia ac aequitas eidem faveret.

69. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus prorogationi indulti 12 augusti 1857 favore Oratricis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad formam indulti, facto verbo cum Sanctissimo – *in Mandalen. Prorogationis Indulti die 18 Decembris 1858.*

70. Idcirco cum ageretur de Beneficio laicali et Clericus graves pertulerit expensas ad instaurandos eiusdem fundos nec alter Patronus capax illud obtinendi adesset, Sacra Congregatio ei concessit suspensionem nominationis ad decennium; ac inde gratiam ed aliud decennium prorogavit, ut in statu coniugali fructus percipere posset, quin tamen reductionem Missarum indulgere censuerit *in Guastallen. Indulti die 20 Ianuarii 1838 et die 1 Aprilis 1840.*

71. Siquidem Sacerdos Franciscus Villanova ex Oppido *Reggiolo* Beneficium laicale institui mandavit testamento anni 1697 cum onere binae Missae singulis hebdomadis, cuius patronatum activum et passivum reliquit Laurentio Veneri eiusque heredibus in infinitum, qui ipsum Beneficium conferre deberent Sacerdoti, quin Curia Romana vel Episcopalis ius in eo praetendere posset. Sacerdos Fridericus Romanini heres ab intestato praedicti Laurentii anno 1738 activae et passivae nominationis ius Caietano Scaravelli eiusque masculis et descendentibus donavit, ac dein postremis tabulis anno 1745 Missarum onus ad unam tantummodo hebdomadalem suo arbitrio reduxit, quas ubique possessor celebrare posset. Anno 1745 Beneficii possessionem nactus est Sacerdos Ioannes Scaravelli, anno 1800 Sacerdos Ferdinandus Scaravelli, anno 1817 dicti Ferdinandi ex fratre nepos Ioannes Baptista Scaravelli, qui uxoratus erat et ultimus ex masculina familiae suae linea descendebat. Hic scilicet, antequam anno 1829 diem obiret supremum, Clericum Marcum Manfredini ex sorore nepotem suum successorem nominavit; qui die 1 septembris 1832 a Sacra Congregatione sequens obtinuit Rescriptum: – Celebratis decem Missis pro omnibus omissionibus, pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritum, nec non pro gratia suspensionis nominationis ad decennium, arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo –, qui hanc resolutionem benigne approbavit et confirmavit. Renovavit inde Manfredinius preces, ut gratiam praedictam ad vitam vel saltem ad aliud decennium obtineret, ut utilissimum sibi Matrimonium conciliaret. Capellania seu Beneficium erat laicale, et Orator non tenues expensas ad eius fundos instaurandos perpessus erat; nec alius extabat, cui praeiudicium inferri poterat. Episcopus censuit, non esse gratiam concedendam ante elapsum decennium, cum posthac alius passive vocatus idoneus esse poterat, quam concedi posse, si nemo exinde extiterit, cui ius competeret illam obtinendi. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu? III. An et quomodo in posterum sit providendum quoad Missarum celebrationem in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Orator recurrat elapso decennio, iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative celebratis tribus Missis lectis. Ad tertium, Affirmative celebratione duarum Missarum quavis hebdomada ad formam testamenti Francisci Villanova diei 29 ianuarii 1697 – *in Guastallen. Indulti die 20 Ianuarii 1838.*

72. Preces reiteravit Manfredinius, cum iam esset uxoratus et nemo adesse posset, qui capax Beneficium assequi valeret. Petiit etiam Missarum reductionem, cum graves expensas ad meliorandos Beneficii fundos pertulisset. Oratoris votis obsecundavit etiam Episcopus, ob rationes, quas Manfredinius protulit. Repropositis itaque dubiis sub formula: – I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis super primo dubio in casu? II. An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris super reductione Missarum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, praevio recessu a decisis, esse consulendum Sanctissimo pro prorogatione Indulti suspensionis ad aliud decennium ad formam praecedentis et ab ultimo die expiraturi Indulti. Ad secundum, Negative in omnibus – *In Guastallen. Indulti die 1 Aprilis 1840* (1).

(1) Reliqua prostant in Verb. *Beneficia*, §. IV, Tom. III; in Verb. *Capellania*, §. III, Tom. V.

§. VI.

DISPENSATIO AB INCOMPATIBILITATE ET PLURALITATE BENEFICIORUM

1. Circumspecta Summorum Pontificum providentia dispensare super incompatibilium retentione Beneficiorum non solet, nisi concurrentibus causis relatis a Rigantio in comment. ad Reg. 1 Cancellar. §. 8 n. 40, et a Ferrario in Biblioth. can. verb. *Beneficium* art. 6 n. 41, scilicet concurrente necessitate Ecclesiae, magna illius utilitate, et evidenti meritorum praerogativa *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771* §. *Circumspecta.*

2. Idcirco dispensatio ad duo Beneficia incompatibilia haud conceditur, nisi adsit necessitas vel Ecclesiae utilitas aut meritorum praerogativa *in Papien. die 19 Februarii 1791* §. *Quoties.*

Item *in Lucana Incompatibilitatis die 23 Aprilis 1831* §. *Si Eñi.*

3. Unde necessariam esse prioris Beneficii mentionem putant Doctores in Cap. *Si motu proprio,* et Cap. *Non potest* de Praebendis, ac praesertim Rigantius ad Reg. 57 Cancellariae tom. 4 n. 82 *in Papien. die 19 Februarii 1791* §. *Opus.*

4. Qua de re, iusta non extante causa, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, Christophorum Ernestum de Guttembergh Monachum Abbatiae Fuldensis haud posse simul retinere Praeposituram in Cella una cum Abbatia Monasterii S. Michaelis Bambergensis, proposito dubio: – II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Bambergen. seu Nullius Fulden. Incompatibilitatis die 23 Februarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

5. Hinc Sacra Congregatio postquam declaravit, Vicariam perpetuam in Cathedrali Casertae erectam incompatibilem esse cum Canonicatu, dispensationem denegavit Francisco Farina, ex eo quod, dum ipse redituum tenuitatem asserebat, Capitulum ostendit, praefatam Vicariam congruam habere ad formam Constitutionis 67 S. Pii V, et Episcopus retulit, eumdem provisum fuisse cum Decreto, ut dimitteret Vicariam, de satis pingui Canonicatu annui reditus ducatorum centum et octo, comprehensis distributionibus, non autem aliis incertis; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit locus Indulto Apostolico dictam Vicariam una cum Canonicatu retinendi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Casertana Indulti die 8 Augusti 1716 lib. 66 Decretorum.*

6. Idcirco Sacra Congregatio renuit concedere Roderico a Moura Zelles facultatem possidendi cum Canonicatu in Metropolitana Ecclesia Bracharensi Parochialem et Abbatialem Ecclesiam S. Petri sita in Suburbiis eiusdem Civitatis, licet sustinuisset, recensendum se fore inter sublimes et literatas Personas, cum doceret, se genitum ex Comite de Santiago in Aula Regis Lusitani munus maximi hospitatoris exercente, atque in supremo intimoque Regio Consilio Iudice, consanguinitatis vinculo adstrictum cl. me. Cardinali de Sousa, habere Patruum D. Marchionem de Fronteiera, qui maritimae expeditioni a Lusitaniae Rege in Turcas Corcyrae insultantes transmissae feliciter praefuit, se autem per undecim totos annos incubuisse studiis Iuris Canonici in Conimbricensi Universitate, Lauream Doctoralem in ea fuisse consequutum, tenues esse Canonicatus et Parochiae fructus, et utrique deserviri posse absque divini cultus et animarum detrimento, sed contra Clerici Diaecesis Bracharensis contendebant, tantum non esse doctrinae excellentiam in Roderico, ut gratia dispensationis indulgeri mereretur, quin ipse oneribus utriusque Beneficii satisfacere posset, tum ob distantiam per mille ferme passus Ecclesiae parochialis a Metropolitana, tum ob ingentem numerum bis mille circiter animarum sub illa Paraecia degentium; his enim in terminis proposito dubio: – An dispensatio pro retentione Canonicatus Ecclesiae Bracharen-

sis cum parochiali Ecclesia, de qua agitur, sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Bracharen. Dispensationis die 17 Aprilis 1734.*

7. Quin imo Sacra Congregatio nec Nicolao Tarra inter RR. PP. DD. utriusque Signaturae Referendarios, adscripto dispensationem indulgere censuit possidendi Parochialem Ecclesiam nuncupatam S. Antonii Magni in Civitate Panormitana existentem cum Canonicatu, quem in Cathedrali obtinebat, licet Episcopus testaretur, facile posse Oratorem utriusque Ecclesiae onera implere; his enim in terminis proposito dubio: – An sit relaxanda supplicatio super Indulto, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Panormitana Indulti die 13 Aprilis 1737.*

8. Qua de re si Fundator verbis expressis iure ac merito incompatibilitatem constituerit, haud indulgetur dispensatio, licet quis a Patronis nominatus nactus fuerit possessionem, cum sibi faveret compatibilitas onerum observantia fundationi proxima et Episcopi iudicium, quin tamen fructus interim perceptos restituere teneatur *in Maceraten. Dispensationis die 19 Maii 1787 et die 12 Iulii 1788.*

9. Siquidem instituit anno 1697 Borromaeus Accursi in Terra Montis Milonis quatuor laicales Capellanias et unum Rectoratum in Ecclesia a se extructa in dicta Terra sub titulo Immaculatae Conceptionis; et expresse cavit, ne quis aliquam ex dictis Capellaniis aut Rectoratum possidere posset et insimul frui aut altera ex eisdem Capellaniis, aut ulla ex iis, quae erectae erant in alia Ecclesia S. Blasii, idque ut frequentior esset in eadem Terra Sacerdotum numerus. Exinde Antonius Assorti Canonicus Ecclesiae S. Blasii ad Rectoratum antedictae Ecclesiae Immaculatae Conceptionis ab Exequutoribus testamentariis aliisque Patronis nominatus fuit, nactusque est eius Rectoratus possessionem. Petiit itaque, assentientibus Patronis, dispensationem. At licet favebant Canonico Assorti compatibilitas onerum Rectoratus Immaculatae Conceptionis cum oneribus Canonicatus divi Blasii Montis Milonis, tenuitas redituum Canonicatus, observantia fundationi proxima et iudicium Episcopi; ei tamen non obscura adversabatur mens Fundatoris. Nam generalis illa ratio augendi in Oppido Sacerdotum numerum, – quae Fundatorem impulit ad statuendam incompatibilitatem, non minus aptatur Capellaniis S. Blasii, quam Praepositurae –, ut in simillimo casu dixit Sacrae Rotae Auditorium in Maceraten. Rectoriae 14 aprilis 1738 coram Elephantutio. Potissima enim incompatibilitatis ratio est Fundatoris voluntas. Proposito interim dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 martii 1787 respondit: – Iterum proponatur –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Maceraten. Dispensationis die 19 Maii 1787.*

10. Ad instantiam Milonensis Communitatis et Cleri additum etiam fuit dubium super restitutione fructuum, quos eousque fere per triennium Canonicus Assorti ex Rectoratu perceperat, quosque restituendos esse Communitas et Clerus sustinuerunt a die captae possessionis. Propositis autem dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. *Et quatenus in decisis.* II. An cui et a quo tempore sint restituendi fructus Rectoratus, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Negative in omnibus – *in Maceraten. Dispensationis die 12 Iulii 1788.*

11. Unde Sacra Congregatio indulsit quidem retentionem Vice–Curae cum Canonicatu, sed mox cum resciverit, unam eamdemque personam non posse utrique muneri satisfacere, recessit a decisis ac dispensationem denegavit *in Comen. die 18 Septembris 1723 et die 8 Iulii 1724.*

12. Iamvero Sacerdos Antonius Cantoni nominari obtinuit a Communitate locorum Bioggii et Gaggi Ditionis Helveticae ad officium Vice–Curati amovibilis in Ecclesia S. Mauritii, cumque subinde idem Sacerdos fuerit a Sede Apostolica provisus de Canonicatu in Ecclesia Collegiata S. Ioannis Baptistae de Agno, Summo Pontifici supplicavit pro retentione Vice–Curae et Canonicatus. Episcopus retulit, modicos esse reditus utriusque, et unam eamdemque personam bene posse

utrique muneri satisfacere. Hinc Sacra Congregatio remisit arbitrio et conscientiae Ordinarii concessionem praefatae retentionis, et Ordinarius licentiam concessit exercendi dictam Vicariam ad annum. Supplex interea libellus nomine Communitatis Sacrae Congregationi exhibitus est, in quo asserebatur, impractibile esse, quod una eademque persona utrique muneri satisfaceret, signanter quoad horam celebrationis Missae, ex quo Cantonus satisfacere debebat interessentiae in Ecclesia S. Ioannis Baptistae, iuxta sui Canonicatus obligationem; idque etiam Vicarius Foraneus confirmabat. Qua de re Sacra Congregatio die 18 septembris 1723 rescripsit: – Praevio recessu a decisis, non posse Cantonum insimul retinere Canonicatum et Vice-Curam –. Cantonus itaque contendit, instantiam non promoveri a Communitate, sed a quibusdam particularibus, assumpto nomine Communitatis, nec ipsam oriri a bono zelo, sed a vindicta, cum longam is litem in Tribunali Rotae habuisset, in qua victor evasit. Plura etiam cumulavit ad effectum suadendi compatibilitatem. Proposito vero dubio: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – Standum esse in secundo loco decisis, et amplius – *in Comen. die 8 Iulii 1724.*

13. Nam Sacra Congregatio, ob redituum tenuitatem tam Canonicatuum, quam Parochialium Ecclesiarum, et commoditatem utriusque inserviendi, permittit quidem, ut quis utrumque huiusmodi Beneficium assequi valeat; sed mutatis rerum circumstantiis et Paraeciis congruis auctis reditibus, Indultum hoc, quod decem supra novem Paraecias comprehendit, ad binas tantum urbanas Paraecias coercetur *in S. Miniatis die 19 Maii 1832.*

14. Siquidem anno 1586 - Sacra Congregatio Concilii censuit, stante tenuitate tam Canonicatuum, quam Parochialium Ecclesiarum et commoditate utriusque inserviendi permitti posse, ut unam ex Parochialibus intra fines Praepositurae S. Martini existentibus simul cum Canonicatu eiusdem Ecclesiae quis obtineat –, ceu videre est in lib. 4 Decretorum pag. 118. Evecta subinde Collegiata Ecclesia Civitatis S. Miniatis in Cathedralem, proposito dubio: – An, stante praenarrata erectione eius Ecclesiae Collegiatae in Cathedralem, antedictum Indultum illis suffragetur? –, Sacra Congregatio die 13 decembris 1659 respondit: – Suffragari –. Quum autem decem supra novem essent Paraeciae, quae in huiusmodi privilegio comprehenderentur, et Parochi Canonicatus obtinentes, ob locorum distantiam utriusque Ecclesiae, oneribus satisfacere haud facile possent, iamque iidem congruis praediti reditibus, Capitulum petiit, ut Indultum assequendi una cum Canonicatu Paraecialia Beneficia dicto anno 1586 concessum ad binas tantum urbanas Paraecias cohiberetur. Episcopus petitioni Capituli adhaesit (1). Etenim pro Parochialibus Ecclesiis extra Civitatem S. Miniatis positis, si iam desierit illiusmodi Indulti causa, ea scilicet redituum tenuitas, haud certe dubitandum, quin et ipsum oporteret desinere privilegium, quemadmodum cessante causa, cessat effectus. His itaque perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo sit coercendum Indultum anno 1586 Canonicis concessum pro compatibilitate Beneficiorum Parochialium in casu etc. –, Sacra Congre-

(1) Hisce quippe verbis ac rationibus Episcopus votis Canonicorum favit: – Estinte ora quasi tutte le famiglie de' Fondatori, e passate le Prebende in estranei, ed alcune anche in famiglie, che abitano nelle vicine Città, nasce timore di vedere troppo frequentemente preferito alla Prebenda Canonicale uno dei Parrochi del distretto, alcuni dei quali hanno la residenza più miglia distante da questa Città, e per ovviare a questo pericolo s'implora dal Capitolo l'accennata limitazione del privilegio. Per verità governare una distinta Parrocchia e ritenere una Prebenda Canonicale rende difficile il disimpegno dell'uno e l'altro officio. D'altronde le Parrocchie di questo antico distretto sono oggi tutte sufficientemente provvedute di rendite, e le meno onerate per i bisogni popolani. Le sole Parrocchie della Città possono dirsi le meno provviste, e dall'altro canto alcune Prebende Canonicali sono anche si tenui, che senza far capitale delle Parrocchie non si potrebbero qualche volta conferire decorosamente. Sicchè la unione di Canonico e Parroco della Città nel soggetto medesimo secondo la costumanza concorre nel Clero ad una cosa anche più stabile ed edificante, essendovi pure annessa una certa publica idea di patrio decoro. Per tali ragioni sarei del sottomesso parere, che venissero esaudite le suppliche del Capitolo per la limitazione del privilegio suddetto alle sole due Parrocchie di questa Città, e non per le altre, perchè le cangiate circostanze hanno escluso e tolto di mezzo il titolo della primitiva concessione –.

gatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative in omnibus, iuxta votum Episcopi – *in S. Miniatis die 19 Maii 1832.*

15. Hinc Sacra Congregatio denegavit Canonico Villano dispensationem retinendi Parochialem cum Canonicatu, censuit tamen attentis rerum circumstantiis, posse Sanctissimum adire pro gratia *in Pistorien. die 14 Aprilis 1646 lib. 18 Decretorum pag. 87.*

16. Amplia, etiamsi Parochialis esset in eadem Ecclesia Canonicatus, et testatus fuisset Episcopus, reditus utriusque esse satis tenues, et provisum posse utrique oneri commode satisfacere, Sacerdotes tamen loci exposuerint, reditus annuos Parochiae esse scutorum sexaginta, et comprehensis aliis excedere annua scuta octoginta *in Polignanen. Dispensationis die 8 Augusti 1716 die 19 Iunii 1717 lib. 66 et 67 Decretorum.*

17. Unde Canonicus Cathedralis indiget dispensatione Apostolica etiam pro consequenda Capellania residentiali extra Cathedralem cum onere celebrandi per se ipsum certum numerum Missarum ad praescriptum altare, cessante legitimo impedimento, quin etiam praefatae dispensationi locus sit, nisi prius audiantur interesse habentes *in Tirasonen. Capellaniae die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

18. Siquidem – ad altare S. Catharinae in Ecclesia Collegiata de Borgia erecta fuit quaedam Capellania pro Clericis Testatori magis coniunctis cum onere, sunt verba fundationis, « che il Chierico che averà detta Cappellania o servizio abbia da risedere nella Città di Borgia e dire cento Messe ogni anno perpetuamente a intenzione del Fondatore, le quali debba celebrare per se medesimo, non essendo legittimamente impedito per malatia, o per qualsivoglia altra causa, che impedisca la residenza ». In ultima vacatione provisus fuit de hac Capellania uti unus ex vocatis a Fundatore Petrus Lazzarus Canonicus Cathedralis Tirasonensis, qui proinde supponens in eo verificari casum legitimi impedimenti a Fundatore exceptum ob residentiam, quam tenetur facere in Ecclesia Cathedrali, supplex petiit ab hac Sacra Congregatione declarari, se vel nulla indigere dispensatione pro assequenda dicta Capellania, vel in omnem casum eamdem dispensationem sibi non posse denegari cum obligatione vel celebrandi Missas per se ipsum in dicta Ecclesia Cathedrali, vel illas celebrari faciendi per alium in praefata Capella S. Catharinae per Fundatorem designata; cumque auditus desuper Episcopus referat, exposita veritati niti, et utramque residentiam nullo modo coniungi posse, hinc eodem Oratore instante et informante EE. VV. declarare dignabuntur: – I. An Orator indigeat dispensatione pro assequenda Capellania, de qua agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo eadem dispensatio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, pro meliori informatione, auditis interesse habentibus – *in Tirasonen. Capellaniae die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

19. Imo revocatur Indultum retinendi ad decennium Archidiaconatum extra locum residentiae cum Canonicatu, si vitio subreptionis vel obreptionis infectum esse videatur; ac suspensa illius nominatione, deputatur Administrator, qui domos colonicas instauret, cuncta onera impleat, et quidquid erit reliqui ex annuis fructibus eroget in dissolvenda debita et in meliorationem fundorum, nec non tabulae pictae ab Ecclesia abstractae sumptibus huiusmodi Indultarii restituantur *in Faventina Indulti die 24 Ianuarii 1829.*

20. Enimvero Leo X Archidiaconatum, secundam in Faventina Cathedrali Ecclesia S. Petri Dignitatem, anno 1517 erexit, eiusque patronatum fratribus de Severolis, qui tenuem suppeditarunt dotem, attribuit. Hinc Archidiaconatum perenniter possederunt descendentes ex familia de Severolis. Anno 1800 ad illum nominatus fuit Leopoldus Severoli, qui volvente anno 1816 Romam petiit ac inter Romanae Curiae Praelatos fuit cooptatus, et Assessor A. C. renuntiatus. Quoniam vero tribus post annis Canonicatus Coadiutoriam in Lateranensi Basilica impetraverat, die 7 septembris 1819 facultatem obtinuit possidendi Archidiaconatum, – durante dumtaxat officio Coadiutoris, et non ultra –. Sed paullo post, nimirum die 13 novembris 1819, ab Sacra Congregatione eidem concessum fuit indultum – ad sexennium arbitrio et conscientiae Episcopi, onerata, si tamdiu –.

Ad exitum properante hoc Rescripto et vita functo Coadiuto, R. P. D. Leopoldus Severoli exposuit Summo Pontifici, ex fundatione Archidiaconatus liquescere, se tamquam inter Romanae Curiae Praesules adscitum lege residentiae non esse obstrictum, ac propterea praefatum Archidiaconatum in Oratore esse compatibilem cum Canonicatu Lateranensis Basilicae: ac subdidit, neminem adesse ex familia Severoli, qui illum assequi posset, eiusque familiam bonorum angustiis, ob notissimas superiorum temporum vicissitudines, premi. Qua de re Summus Pontifex die 9 septembris 1825 per Emum Card. supplicum libellorum Secretarium, – attentis expositis, Oratoris precibus benigne indulsit ad decennium, servata tamen in omnibus alterius concessionis forma et dispositione, contrariis quibuscumque non obstantibus –. Verum Capitulum Vexillarius Faventinus Civitatis et Episcopus sustinuerunt, praefatum Rescriptum anni 1825 obreptionis et subreptionis vitio esse infectum, cum falso expositum fuerit, neminem existere ex agnatione de Severolis, qui vel nominaret, vel idoneus esset ad Archidiaconatum assequendum, cum Pater Praesulis Leopoldi senior esset ex descendentibus Severoli, et Canonicus Romualdus Severoli, Leopoldi patruus, contendere posset ad eiusdem Praebendae possessionem. Dein retulerunt, cl. me. Cardinalem Gabrielem Antonium Severoli anno 1780, quo praefatam Praebendam possidebat, Indulto Apostolico suffultum super Archidiaconatus bonis tot census creasse, quot summam scutorum 3000 conficiunt, ut Ecclesiam et Aedes S. Bernardi reficeret, adiecta tamen lege quolibet anno centum deponendi scutata usque ad integram debiti extinctionem, ex eiusdem Praebendae reditibus detrahenda. At nec Praesul Leopoldus, nec alius quisquam ullum unquam explevit depositum, imo Leopoldus, ut suis opitularetur indigentiis die 27 aprilis 1818 aliud scutorum 1700 super Archidiaconatus bonis contraxit debitum: et licet ad tramites Apostolici Rescripti quotannis deponere obstringeretur scutata centum multiplico per Administratorem Stanislaum Cosinti ab R. P. D. Auditore Sanctissimi designatum conferenda usque ad integram memorati debiti extinctionem sub poenis contra ecclesiastica bona alienantes in casu contraventionis omnino incurrendis, nihilominus statutam summam nunquam deposuit. Tum narrarunt, praedia Archidiaconatus haud recte excoli, et colonicas domos instaurationibus indigere, et quasdam fatiscere, ac proinde imminere periculum, ne Praebenda omnino deperiret. Tandem eumdem incusarunt, duas pictas Tabulas Ecclesiae S. Bernardi Romam asportasse, illarumque venditionem postulasse, ut nomina Archidiaconatus dissolverentur.

21. Praesul Leopoldus accusationes omnes in se impactas diluere conatus est. Contendit enim, nihil veri reticuisse, nihil falsi Summo Pontifici anno 1825 exposuisse, cum ipsum Apostolicarum Literarum exemplar oculis Summi Pontificis subiecisset, ut ipsi clarius innotescerent fundationis leges et descendentium ex familia Severoli iura ac privilegia, quae inter illud etiam recensebatur: – Nisi Archidiaconus pro tempore existens sit de familia praedicta (nempe Severoli), qui, ut aliqua ampliori praerogativa potiatur, per triennium in Romana Curia non solum pro una vice, sed etiam iteratis vicibus residere valeat –. Nec mendacii redargui se posse putavit Leopoldus, propterea quod exposuerit Summo Pontifici, neminem existere ex familia de Severolis, qui vel nominaret, vel idoneus esset: nam Canonicus Romualdus Severoli haud originem ducebat ex familia illius, penes quem tum residebat ius nominandi, nec idoneus erat, cum Canonicatu in eadem Ecclesia frueretur. Addidit, causam finalem, qua Summus Pontifex indultum concessit, fuisse rei familiaris angustias, quibus Orator eiusque Domus ob notissimas superiorum temporum vicissitudines premebantur. Quod vero pertinebat ad deposita pro extinguendis censibus a Card. Gabriele Severoli creatis, plura in medium protulit, ut ostenderet, eadem statis temporibus expleta fuisse. Ipse autem scuta mille iam persolverat, et reliqua scutata septingenta statutis temporibus se in posterum adamussim soluturum pollicebatur. Domus colonicae instaurationes, quae necessitatem praeseferebant, superioribus annis absolutas fuisse dixit, quae autem supererant, vix summam attingere scutatorum quinquaginta supra bis centum, prolata fabri murarii relatione, o-

stendere nisus est. Quoad pictas praeterea Tabulas fasces submisit Sapientissimo EE. PP. iudicio, licet advertere censuit, illis Ecclesiam non indigere, imo eidem fore inutiles.

22. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit revocandum Rescriptum diei 9 septembris 1825 in casu? II. An et quomodo a Praesule Leopoldo sint explenda deposita pro extinctione Censuum in casu? III. An et quomodo sint restaurandae domus colonicae in casu? IV. An tabulae pictae sint collocandae in Ecclesia S. Bernardi in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, consulendum Sanctissimo pro revocatione Rescripti, et ad mentem. Mens est, ut, suspenso interim iure nominationis, Episcopus Virum ecclesiasticum deputet, qui illico administrationem bonorum Archidiaconatus suscipiat, domos colonicas instauret, cuncta onera impleat, et quidquid erit reliqui ex annuis fructibus eroget in dissolvenda debita, quae Archidiaconatui imminent, et in meliorationem fundorum, cum obligatione reddendi rationem quotannis Episcopo. Ad secundum, supplicandum Sanctissimo, ut suppleantur per Administratorem ex fructibus Archidiaconatus. Ad tertium, provisum in primo. Ad quartum, restituantur omnino sumptibus Praesulis Severoli ad formam Rescripti Emi Camerarii - *in Faventina Indulti die 24 Ianuarii 1829.*

23. Attentis vero redituum tenuitate favorabili voto Episcopi et consensu Patronorum, Sacra Congregatio facultatem indulsit Sacerdoti Sebastiano Bertarelli possidendi simul Archipresbiteratum cum cura animarum S. Stephani Terrae Vallis Montanae et Beneficium erectum in Ecclesia diruti Castri Plumbinariae, quum praesertim eiusdem indoles longique temporis observantia Missarum onus atque tempus et locum celebrationis excludere viderentur; his enim in terminis Sacra Congregatio, postquam declaravit, celebrandas esse Missas singulis diebus Dominicis et festis de praecepto, et celebrationem expleri debere a Rectore per se ipsum, proposito dubio: - III. An sit locus dispensationi in casu etc. –, responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative – *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771.*

24. Quum itaque Sacerdos Ioannes Salvi iam Canonicatum possideret in Ecclesia Collegiata S. Ioannis Baptistae Terrae Campaneani, nominatus a Patronis utpote de genere vocatorum ad Beneficium in eadem Ecclesia erectum cum onere interessendi choro omnibus festis mobilibus, petierit dispensationem ea tamen conditione, ut alius Presbiter oneri choralis servitii cum congrua mercedis assignatione satisfaceret, proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative arbitrio Episcopi, dummodo chori servitium detrimentum non patiatur - *in Nepesina die 8 Iulii 1786.*

25. Hinc Sacra Congregatio indulsit Dominico Antonio Moschetti retinendi ad triennium Canonicatum cum Capellania, quae pariter personalem residentiam requirebat; nam patrimonialibus bonis carebat et octuagenarium patrem viduamque defuncti fratris nepotesque alere tenebatur *in Firmana die 18 Iulii 1807.*

26. Qua de re si Capellania ecclesiastica sit erecta sub eodem tecto, Canonicus dispensatione indiget ad eam obtinendam, quam Sacra Congregatio indulsit Sacerdoti Carolo Cecconi Oppidi Trevi Sublacensis Collegiatae Ecclesiae Canonico, quum, subductis oneribus, omnes utriusque Beneficii reditus simul iuncti summam constituerent scutatorum 81. 40, licet Episcopus testaretur, Oratorem praeter fructus Canonicatus aliunde habere congruam alimoniam; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative quatenus Capellania S. Dominici sit erecta sub eodem tecto Canonicatus ab Oratore possessi –*in Nullius Sublacen. die 31 Iulii 1819.*

27. Quod si interesse habentes ac praesertim Fundatoris voluntas obsisterent, Sacra Congregatio renuit concedere dispensationem ad retinenda duo Beneficia residentialia, licet paupertas Oratoris et frequentis eius familiae causa existerent, ac unum ex dictis Beneficiis esset ad nutum amovibile *in Alexandrina Canonicatus die 15 Septembris 1787 et die 29 Augusti 1789.*

28. Iamvero Canonicatum possidens in

parochiali Ecclesia Oppidi Cerioli assumptus fuit anno 1787 Sacerdos Petrus Maria Scotti in amovibilem Rectorem Paraeciae contermini Oppidi Capsinae Grossae. Ex fundatione autem Canonicatus incumbebat ei onus celebrandi - Missas quatuor singula hebdomada ad Altare Sanctarum Luciae Agathae et Apolloniae existens in dicta parochiali Ecclesia per se et personaliter et non per alium, excepto casu infirmitatis et alterius legitimi et canonici impedimenti –, nec non interessendi parochialibus functionibus aliisque designatis festivitatibus, sub poena tradendi pro qualibet omissione – libram unam cerae albae Societati Sanctissimi Sacramenti in dicta Parochiali erectae –. Indultum itaque postulavit retinendi Canonicatum cum Rectoratu et adimplendi illius onera per alium. Favit Vicarius Capitularis: sed obstiterunt Parochus Clerus et Populus Cerioli; illi enim per Indultum spem amittebant obtinendi Canonicatum; hic privaretur – subsidio et commodo, quo gaudere posset, si Beneficiatus praesens in confessionibus excipiendis et cathechizandis rudibus se exerceret. Petitioni Oratoris enixe etiam resistebat Testatoris voluntas. Proposita hinc per Summaria precum instantia, reiecta fuit die 15 septembris 1787 per Rescriptum: - Lectum –. Pontificium subinde adiit solium Orator, additaque paupertatis et frequentis eius Familiae causa, temporarium postulavit Indultum, quousque de altero provideretur Beneficio. Favit eidem Episcopus. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia Beneficia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Alexandrina Canonicatus die 29 Augusti 1789.*

29. Idcirco Sacra Congregatio postquam declaraverit, incompatibile esse cum parochiali Ecclesia oppidi de Riclinghausen Beneficium erectum in dicta Ecclesia, indicto onere residentiae celebrandi quatuor Missas singulis hebdomadis per se ipsum interessendi divinis officiis, nec non prohibitione obtinendi aliud Beneficium, atque praecepto, praevio iuramento, observandi quascumque leges fundationis, etiam dispensationem denegavit Sacerdoti Ioanni Friderico Vveber, licet is contenderet, patronatum spectare ad familiam ipsius, et reditus utriusque Beneficii esse exiguos, sed contra Patroni acriter sustinebant, reditus Beneficii satis esse ad commodam sustentationem cuiusque Sacerdotis, nec non idoneis proventibus instructam esse praefatam Ecclesiam parochialem; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad effectum retentionis utriusque Beneficii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Negative; et amplius – *in Colonien. Beneficii die 6 Februarii 1734.*

30. Nedum imo Beneficiorum incompatibilitas, sed etiam simplicium Beneficiorum pluralitas, quae per Canones bene multos improbata reperitur a variis veteribus Conciliis per diversas aetates habitis, quarum seriem late recenset Thomasinius de nov. et veter. Eccles. disciplin. cap. 1 ad 10, sequiori pariter aevo prohibita fuit ab Innocentio III in celebri eius Constitutione relata inter Decretales Cap. *De multa* de praebendis, et recentius a sacra Tridentina Synodo sess. 7 cap. 4 de reformatione, ubi innovata fuere iampridem sancita per sacros Canones et praesertim a laudata Constitutione Innocentii III. Quia vero praefatus Pontifex sapienter animadvertit, nullam pene legem esse probe adeo constitutam, cuius aliquando dispensationem impartiri non deceat, ideo in postrema eiusdem Constitutionis parte ita se declaravit: – Circa sublimes tamen et literatas personas, quae maioribus sunt Beneficiis honorandae, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari – *in Bracharen. Dispensationis die 17 Aprilis 1745* §. *Beneficiorum.*

31. Hinc et divus Thomas in lib. 9 art. 152 tradit: – Sunt quaedam actiones, quae absolute consideratae deformitatem vel inordinationem quamdam important, quae tamen aliquibus circumstantiis obvenientibus bonae efficiuntur. In numero harum actionum videtur esse habere plures Praebendas; cum hoc, quod est habere plures Praebendas plurimas in se inordinationes contineat, utpote quod non est possibile, aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est Praebendatus, cum Praebendae videantur esse ordinatae, quasi quaedam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam in

aliquibus defraudatio voluntatum Testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiae contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset. Sequitur etiam inaequalitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, et alius nec unum habere potest. Et multa alia huiusmodi, quae de facili patent. Unde non potest contineri inter indifferentes actiones, multo minus inter eas, quae sunt secundum se bonae, ut dare eleemosynam, et eiusmodi. Quamvis vero has inordinationes pluralitas Praebendarum contineat; tamen aliae circumstantiae possunt supervenire, ita honestantes actum, quod praedictae inordinationes totaliter evacuentur: ut puta, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis eius obsequii, ut posset plus servire Ecclesiae, vel tantundem absens, quam alias praesens, et si quae alia sunt huiusmodi – *in Bracharen. Dispensationis die 17 Aprilis 1734* §. *Ad.*

32. Itaque Ioannes Andreas et cum illo plures alii Canonistae scribentes in citatum Cap. *De multa* de praebendis inquiunt, triplicem esse posse rationem concedendi huiusmodi dispensationes, nimirum necessitatem, utilitatem, et evidentem meritorum praerogativam *in Bracharen. Dispensationis die 17 Aprilis 1734* §. *Ad.*

Item *in Tridentina die 20 Septembris 1788* §. *Beneficiorum.*

33. Siquidem causae huiusmodi desumuntur ex Can. *Tali* 17 caus. 1 quaest. 1, ubi recensentur in haec verba: – Nisi forte eos, aut maxima Ecclesiae utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum praerogativa commendet – *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771* §. *Circumspecta.*

34. Quod si duo Beneficia satis non sint ad congruam alimoniam suppeditandam, etiam Episcopus dispensationem indulgere potest: nam Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in cap. 17 sess. 24 de reformatione non derogavisse facultati Episcopis competenti ex dispositione iuris communis dispensandi super duobus Beneficiis dissimilibus sub eodem tecto, cum primum non sit sufficiens ad congruam sustentationem *in Forolivien. die 4 Decembris 1591 lib. 7 Decretorum pag. 28.*

Item *in Nepesina die 11 Ianuarii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 2; in Alexandrina die 17 Iunii 1630.*

35. Amplia, idque habere locum censuit Sacra Congregatio, etiamsi alterum ex Beneficiis sit iurispatronatus laicorum *in Placentina anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 113.*

36. Episcopus vero nequit conferre ultra duo Beneficia, etiamsi utraque non praebeant congruam alimoniam; propositis enim dubiis: – Utrum, si unum Beneficium simplex non sufficiat nec duo, possit conferre tria et quatuor *a)* donec sufficiant, et ad hoc quod Beneficium simplex dicatur sufficere, si computanda sunt omnia emolumenta, quae ratione illius quis potest lucrari? et si Beneficium *b)* quod dicatur sufficiens ad titulum sacrorum Ordinum, an iudicetur etiam sufficiens ad hoc, quod illud habens non possit alium obtinere? –, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum: Ad *a)* censuit, non posse ab Ordinario conferri ultra duo. Ad *b)* respondit: Exprimatur, quae ratio dubitandi adsit – *in Valentina lib. 2 Decretorum pag. 40 a tergo.*

37. Unde Sacra Congregatio respondit, – Episcopum habenti unum simplex Beneficium non sufficiens ad illius sustentationem posse aliud simile conferre, sed non posse plura quamvis simplicia usque ad eius sufficientem sustentationem eidem conferre – *in Aquilana die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum. pag. 653.*

38. Itaque Sacra Congregatio censuit, non prohibere Episcopum instituere ad Beneficium obtinentem duo alia simplicia, sed ipsum institutum postea non posse illud una cum duobus aliis prius obtentis, utcumque ad conservationem insufficientibus, retinere absque nova provisione vel dispensatione Apostolica *in Caietana die 27 Iulii 1606.*

39. Etenim – Sacra Congregatio Concilii censuit, non posse absque provisione Sedis Apostolicae tertium Beneficium simplex retinere, quamvis duo priora sint ad obtinentis sustentationem insufficientia – *in Anagnina relata sub die 4 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 653.*

40. Nec aliter iudicandum est quoad Beneficia iurispatronatus laicorum. Enimvero – Sacra Congregatio Concilii respondit, idem quod superius de Beneficiis liberis iudicandum esse de Beneficiis iurispatronatus laicorum – *in Aquilana die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 653.*

41. Hinc Sacra Congregatio censuit, non posse ab Episcopo permitti absque dispensatione Apostolica retentionem trium Beneficiorum simplicium de iurepatronatus Laicorum sub eodem tecto non existentium et quorum reditus non sufficiant ad congruam conservationem; proposito enim dubio: – I. An ab Episcopo absque dispensatione Apostolica possit permitti retentio trium Beneficiorum simplicium de iurepatronatus laicorum sub eodem tecto non existentium, et quorum reditus non sufficiant ad congruam substentationem? –, Sacra Cougregatio respondit: – Ad primum, Episcopum permittere non posse – *in Curzolen. die 13 Maii 1651 lib. 19 Decretorum pag. 126.*

42. Qua de re cum - dubitatum fuerit, an habens duo Beneficia simplicia tertium de iurepatronatus ad praesentationem Patronorum auctoritate ordinaria assequi et retineri possit absque dispensatione Apostolica? Sacra Congregatio Concilii censuit, tertium Beneficium simplex, etiamsi de iurepatronatus non posse retineri cum aliis absque Sedis Apostolicae dispensatione - *in Bovinen. relata sub die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 654.*

43. Quin imo proposito dubio: – III. An praesumpta dispensatio, in qua fundatur regula de triennali, habeat locum contra Decreta Sacri Concilii Tridentini Cap. 4 sess. 7 Cap. 17 sess. 24 et Cap. 15 sess. 25 de reformatione, itaut possidentes Beneficia contra dispositionem dictorum Decretorum ex tali praesumpta dispensatione suam possessionem tueri valeant? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, non habere locum contra supradicta Concilii Decreta; qua declaratione ad Sanctissimum relata, Sanctitas Sua dixit, bene S. Congregationem censuisse, atque ita exequendam esse – *in Aquilana die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 653.*

44. Idcirco obtinens Beneficium ecclesiasticum, sufficiens ad honeste sustentandum, fuit institutus ab Episcopo ad aliud Beneficium iurispatronatus ad praesentationem Patroni laici, et utrumque Beneficium retinuit, eorumque fructus percepit per duos annos absque Apostolica dispensatione; quaeritur, quodnam ex dictis Beneficiis vacaverit? –, Sacra Congregatio respondit: – Utrumque ipso iure vacasse. Nam Sacra Congregatio censuit: – Obtinentem plura Beneficia incompatibilia non posse se iuvare regula de triennali – *in Leodien. die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 653 a tergo.*

45. Unde Concilium Tridentinum in cap. 17 sess. 24 de reformatione, qua parte prohibet retentionem aut collationem plurium Beneficiorum uni eidemque personae, habet locum etiam in Beneficiis, quae sunt de iurepatronatus laicorum, in quibus non fit collatio, sed institutio, quae est actus necessarius, non voluntarius. Siquidem – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, Decretum Concilii Tridentini sess. 24 cap. 17 de reformatione habere locum etiam in Beneficiis, quae sunt de iurepatronatus laicorum, vel Clericorum, in quibus non fit collatio, sed institutio, quae est actus necessarius, non voluntarius – *in Nullius die 16 Ianuarii 1596 lib. 8 Decretorum pag. 160 a tergo.*

Item *in Ianuen. anno 1604 lib. 10 Decretorum pag. 79.*

46. Proposito hinc dubio: – An Cap. 17 sess. 24 de reformatione, ubi disponitur, quod unicum tantum Beneficium singulis Personis conferatur, habeat locum in Beneficiis Iurispatronatus, in quibus non fit collatio, sed institutio –, Sacra Congregatio respondit: – Habere locum etiam in Beneficiis iurispatronatus – *in Dubium die 20 Iulii 1619 lib. 12 Decretorum pag. 17.*

47. Quin imo comprehendit etiam Parochialem habitu tantum et non actu. Enimvero – quia non obstante Decreto Concilii sess. 24 Cap. 17 nonnulli contendunt retinere in Diaecesi Ulixbonensi duas Parochiales Ecclesias seu Cathedralem et Parochialem sub praetextu, quod altera ex Parochialibus non habet curam in actu, quia Parochiani recesserunt ad habitandum in vicinis Parochiis, et Rm̃us Archiepiscopus Ulixbonensis intellexit, quod Sacra Congregatio Concilii declaravit, quid huiusmodi casu agendum et iudicandum sit, supplicat sibi mandari copiam Decreti seu resolutionis super hoc articulo factae, quae in iudicio fidem faciat. Sanctissimus D. N., audita relatione S. Congregationis, declaravit, hanc quoque Parochialem, quae habitu tantum, et non actu cu-

ram habet, comprehendi verbis cap. 17 sess. 24 – *in Ulixbonen. lib. 2 Decretorum pag. 45.*

48. Limita, non tamen comprehendit terrulas Beneficiales seu Legata pia, Missas, divina officia, aliave onera annexa habentia, et in titulum conferri solita, sive uni sive pluribus ad praesentationem heredum. Enimvero, – Sacra Congregatio Concilii censuit, Decreto Cap. 17 sess. 24 non comprehendi terrulas beneficiales seu pia Legata cum onere Missarum aliave divina officia celebrandi, quae nec ecclesiasticam nec aliquam habent denominationem, conferri tamen consueverunt in titulum simplicis Beneficii uni vel pluribus Presbiteris ad praesentationem Heredum sive Patronorum, et singula duorum aut trium aureorum valorem non excedant – *in Signina mense Iunii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 270 a tergo.*

Item *in Squillacen. mense Septembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 40 a tergo; in Bitecten. die 6 Decembris 1721.*

49. Idcirco licet Canonicus Hieronymus Ammone decem etiam Beneficia laicalia possideret, dispensatione haud indigere censuit Sacra Congregatio ad obtinendum Beneficium S. Ioannis, cum Canonicatus tenuis esset reditus *in Surrentina Beneficiorum die 28 Aprilis et die 30 Iunii 1759.*

50. Alias enim, his tantum exceptis, absque dispensatione Apostolica non possunt retineri plura Beneficia simplicia etiam de iurepatronatus existentia. Siquidem, – Sacra Congregatio censuit, neminem posse absque dispensatione Apostolica plura Beneficia simplicia etiam de iurepatronatus sub eodem tecto existentia simul retinere, exceptis Beneficiis seu Legatis Piis, Altare seu Capellam non habentibus – *in Neocastren. die 28 Aprilis 1629 lib. 14 Decretorum pag. 83.*

51. Qua de re – Ioannes Hyacinthus Fralla provisus ab Ordinario de tribus Beneficiis simplicibus de iurepatronatus tenuis reditus ad necessariam sustentationem insufficientis, humiliter petit declarare: – An absque dispensatione Apostolica possit illa retinere? –, Sacra Congregatio respondit, non posse absque dispensatione Apostolica retinere – *in Alexanen. die 14 Novembris 1654 lib. 19 Decretorum pag. 425.*

52. Hinc multo minus parochialis Ecclesia de iurepatronatus regio cum quatuor Beneficiis retineri potest absque dispensatione Apostolica, etiamsi possessor sit Sacerdos ordinis militaris S. Iacobi de Spatha, et omnium reditus non sufficerent ad huiusmodi possessoris substentationem. Siquidem – in libello remisso Andreas Franchus Professus militiae S. Iacobi de Spatha, qui ultra Ecclesiam Parochialem de iurepatronatus Regio, quam possidet a pluribus annis, obtinet etiam quatuor Beneficia simplicia valoris scutorum sexcentum, ex quibus attenta illius qualitate vix decenter sustentari posse asserit. Modo quaerit, an tuta conscientia absque dispensatione Apostolica dictam Parochialem et Beneficia possit retinere, praesertim ex eo quod S. Concilium non habeat locum in Ordinibus militaribus?, Sacra Congregatio respondit, non posse absque dispensatione Apostolica – *in Portugallen. die 16 Ianuarii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 574 a tergo.*

53. Idcirco si retinentur duo Beneficia sufficientia absque dispensatione Apostolica, utraque vacant ipso iure, etiamsi alterum sit de iurepatronatus *in Nullius die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 653.*

54. Hinc obtinens Beneficium simplex etiam de iurepatronatus, si provideatur de Ecclesia Parochiali sive Beneficio curato ad illius sustentationem sufficienti, vacat simplex, etiamsi ad illius titulum sit ordinatus. Siquidem – quaerit Episcopus, si obtinens Beneficium simplex de iurepatronatus laicorum, ad cuius titulum fuit ordinatus, provideatur de alio Beneficio curato ad illius congruam substentationem sufficienti cum pacifica possessione et fructuum perceptione, an in quem ex dispositione Sacri Concilii dicatur praedictum Beneficium vacare ipso iure, absque alia sententia privationis. Sacra Congregatio Concilii, secundum ea, quae proponuntur, censuit praedictum Beneficium, etiamsi ad illius titulum obtinens fuerit ordinatus, vacare ipso iure absque alia sententia privationis – *in Fesulana die 19 Decembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 565 a tergo.*

55. Quapropter primum obtinens Beneficium sive liberae collationis sive de iurepatronatus ad sui sustentationem sufficiens, non potest retinere secundum de iurepatronatus absque dispensatione Apostolica, quavis con-

suetudine in contrarium non obstante *in Bitecten. 6 Decembris 1721.*

56. Hinc unum Beneficium sufficiens habenti si Episcopus conferat aliud sufficiens, habita pacifica possessione secundi, vacat primum; alias utrumque vacat, si eadem simul retinere praesumat. Siquidem – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, obtinenti Beneficium sufficiens posse aliud conferri; sed, adepta pacifica possessione secundi, vacare primum ipso iure: quod si utrumque retinere perrexerit, utrumque vacare – *in Caurien. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 14.*

Item *in Dubium die 23 Aprilis 1616 lib. 11 Decretorum pag. 176.*

57. Quare multo minus indulgetur dispensatio ad retinendum duo Beneficia, cum Fundator edixerit, ut teneretur renunciare Beneficium, si alterum adipiscatur, et alius possessor capax existat de familia ipsius Fundatoris, quin obstet, quod secundi Beneficii seu Canonicatus reditus viginti ducatos auri de Camera non excedant *in Comen. Indulti die 26 Februarii 1707 lib. 57 Decretorum.*

58. Enimvero – in Ecclesia Parochiali loci Bellasii Comensis Diaecesis fundatum est Beneficium de iurepatronatus familiae Auregiae, in cuius quidem fundatione id cautum perlegitur: « che il Benefiziato essendo provisto d' altro Benefizio sufficiente per vivere sia tenuto rinunciarlo liberamente a compatroni quella volta, che vi sia altro ecclesiastico non Beneficiato della Famiglia Auregia ». Provisus de huiusmodi Beneficio multis ab hinc annis iam fuit Ascanius Auregius, qui, adhuc illius possessionem retinens, institutionem pariter et possessionem nuper nactus fuit Canonicatus et Praebendae de laicorum iurepatronatus in Collegiata Ecclesia S. Ioannis Baptistae de Morbinio in Valletillina eiusdem Diaecesis. At vero ad sese tuto confovendum in utriusque Beneficii possessione, veritus, ne provisio praedicta et inde sequuta viribus subsistant, supplex adiit Sanctissimum D. N. pro indulto utrumque retinendi, precibus autem ad hanc Sacram Congregationem remissis, exquisita fuit Episcopi relatio, qui, exposita confirmando, transmittit supra exaratam fundationis particulam subdens, primo dictum Beneficium loci Bellasii nullam, praeterquam duabus anni festis diebus, personalem requirere residentiam, censetque, Oratori precibus annuendum, quod nempe fructus praefati Canonicatus et Praebendae, deductis Missarum aliisque oneribus, viginti ducatos auri de camera annuatim non excedant, neutiquam sufficientes ad congruam Canonici sustentationem, eo vel addito, quod nullus in praesentiarum Ecclesiasticus extet de familia Auregia a Fundatore praedilecta. Hinc est, quod auditis Patronis, iuxta demandata huius Sacrae Congregationis sub die 13 Martii et 19 iunii 1706, fuit cum illorum Procuratore concordatum infrascriptum dubium, oppositumque per eumdem, actu reperiri capacem dicti Beneficii Benedictum nepotem ex filio Fundatoris, quod nihilominus ex adverso non obstare ad indulti consequutionem praetenditur, saltem ex praedicti Canonicatus insufficientia proventuum –.

59. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum Indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative quoad Indultum, et partes utantur iure suo coram Ordinario; et amplius – *in Comen. Indulti die 26 Februarii 1707 lib. 57 Decretorum.*

60. Beneficiatus vero non indiget dispensatione si possidet duo Beneficia, quorum singula satis non sunt ad eius congruam sustentationem, nec existant sub eodem tecto *in Sabinen. die 26 Novembris 1791.*

61. Siquidem possidens Sacerdos Ioannes Santoboni ecclesiasticum Beneficium, quod ab onere coadiuvandi in animarum cura Archipresbiterum parochialis Ecclesiae Podii Moiani vocabatur coadiutoria, annui reditus scutorum 29. 30, ecclesiasticam pariter anno 1790 obtinuit Capellaniam a cognomine Fundatricis nuncupatam Pellenza scutorum 39. 66 cum annuo onere Missarum 75 in rurali eiusdem Oppidi Ecclesia S. Sebastiani. Per utrumque Beneficium provisus congrua, quae ad Sabinensem taxam scutorum erat quadraginta, Patrimonium sacrum renunciavit Francisco Santoboni eius nepoti. In hac tamen admittenda renunciatione, ei Emus Sabinensis Episcopus praescripsit, quod – pro habilitatione ad retinendam simul Capellaniam, quae dicitur Pellenza, recursum habeat ad Sedem Apostolicam –. At Ministri Datariae censue-

runt, Apostolica Oratorem non indigere dispensatione, quia satis non erant singula Beneficia ad congruam Beneficiati sustentationem, et quia non erant sub eodem tecto. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia Beneficia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: –Non indigere – *in Sabinen. die 26 Novembris 1791.*

62. Hinc obtinens duo Beneficia, alterum ducatorum vigintiquinque et alterum quadraginta, non dicitur obtinere ultra sufficientiam; his enim in terminis, – Sacra Congregatio Concilii censuit, suppositos reditus non esse ultra sufficientiam – *in Mediolanen. lib. 2 Decretorum pag. 197 a tergo* (1).

63. Proposito itaque dubio: – I. An dispositio Concilii Cap. 17 sess. 24 de reformatione, quod obtinenti Beneficium sufficiens ad se honeste sustentandum possit aliud simplex Beneficium conferri, intelligatur de sufficientia, detractis oneribus Missarum pensionis decimarum et similium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, intelligi debere, deductis oneribus supradictis – *in Nullius die 19 Martii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 168 a tergo.*

64. Quum igitur Sacerdos Laurentius Ugolinus, possidens Beneficium simplex reditus scutorum 4. 50 circiter cum onere Missarum 18, obtinuisset Capellaniam reditus scutorum 15 cum onere Missarum duarum hebdomadalium, et Episcopus renueret eum instituere, quod Orator non posset duo Beneficia uniformia sub eodem tecto absque dispensatione retinere, Sacra Congregatio declaravit, Oratorem non indigere dispensatione *in Assisien. die 14 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

65. Nec indiget dispensatione ad retinenda plura Beneficia, quae residentiam non exquirunt, quaeque reditus excedunt congruam substentationem, si illa omnia nominatim et expresse collata fuerunt a Sede Apostolica, etiamsi facta non fuerit expressa derogatio Decreti Concilii in cap. 17 sess. 24 de reformatione, nec reservatio conditionis in eo contentae *in Tholosana Beneficiorum die 15 Iunii 1658 lib. 21 Decretorum pag. 281 a tergo.*

66. Unde Sacra Congregatio nedum indulsit passive vocato et a Patronis nominato facultatem obtinendi duo simplicia Beneficia sub eodem tecto, sed et approbavit concordiam cum alio subsidiarie vocato inita *in Tridentina die 29 Novembris 1788.*

67. Iamvero duo in parochiali Ecclesia Thaii Vallis Annaniae de patronatu familiae Panizza simplicia erant Beneficia, quorum uni hebdomadales incumbebant Missae tres, alteri quatuor. Idem autem utrique celebrationis onus ad Altare S. Victoris feria tertia. Primum possidens, praesentatus fuit Sacerdos Ioseph Panizza ad secundum. Ei, ob incompatibilitatem duplicis Sacri feria tertia, Sacerdos restitit Udalricus Barbacovi, qui subsidiariam passivi patronatus vocationem habebat. Rem tamen composuit transactio, quam Tridentinus Vicarius Generalis composuit. Haec porro erant eius capita: I. consensum praestitit Barbacovius institutioni Sacerdotis Panizza ad secundum Beneficium, ob tenuitatem primi; 2. ei cessit Panizza tanquam suo Substituto ius celebrandi alterum e duobus Sacris feria tertia; 3. eleemosynam pro hac celebratione pollicitus est obulorum quadraginta monetae Romanae pro quolibet Sacro; 4. pro faciliori eius exactione ius cessit exigendi conventam summam a Livellariis Beneficii; 5. onus assumpsit impetrandi communi sumptu Apostolicam concordiae approbationem; 6. aeque inter se acti iudicii expensas partiti sunt; 7. intacta voluerunt super utroque Beneficio aliorum iura. Huic concordiae favit Episcopus. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad duo Beneficia simplicia sub eodem tecto in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit approbanda concordia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Tridentina die 29 Novembris 1788.*

68. Idcirco locus est executioni Literarum Apostolicarum, quibus concessa fuit Puero quinquenni facultas possidendi tria Beneficia sub

(1) Siquidem in libello Orator Ioannes Baptista, qui praefata duo Beneficia obtinuerat, sic concludebat, ut *loc. cit.* – ibi – Sicchè il povero Prete con questi sessantacinque ducati delli due Beneficii appena può vivere, stando massime in Milano, dove è gran carestia d' ogni cosa –.

obtutu, quod a maiori Patronorum parte, vel saltem medietate fuerit praesentatus, cum reapse id verificetur attento praesertim ultimo statu, quo hereditarium, non vero gentilitium iuspatronatus censebatur, quin obsit propterea contradictio aliorum Patronorum, quorum unus a minori Patronorum parte, vel saltem medietate praesentatus postulat facultatem retinendi praedicta Beneficia in statu seculari *in Forolivien. Executionis Literarum Apostolicarum die 14 Decembris 1844 et die 2 Augusti 1845.*

69. Enimvero potiebatur a seculo iurepatronatus super tribus Beneficiis Forolivii existentibus sub titulo S. Mennae S. Bernardini et S. Antonii de Bursano gens Pontirolia, cuius masculina linea cum exaruisset anno 1803, pertransiit illud pacifice in tres superstites feminas, Corneliam nempe, quae in vota concesserat Comitis Mangelli, Claram, quae nupserat Comiti Gaddio, et Franciscam nuptui traditam Comiti Castellini. Supererat at vero, cum eorum vacatio contigit anno 1838, Clara Gaddia dumtaxat ex una, ex altera Petrus et Philippus Mangelli, ex praedefuncta Cornelia derivantes: ac prima quidem Marchionem Albicinium quinquennem vix puerum praesentavit, Mangellii alter Petrus in fratrem Philippum nominationem contulit, hic pro sui institutione Episcopum iuxta Canonum tramites est deprecatus. Pro Albicinio interim preces datae fuerunt ad Datariam Apostolicam, ut eum super medietate vocum et aetatis defectu dispensaret. Frustra itaque obsistentibus Comitibus Mangelliis, favorabiles Apostolicas Literas retulit die 6 augusti 1838, ac praesertim sub obtutu, – quod ad eadem Beneficia, ut praefertur, vacantia a dilectis etiam filiis hodiernis illorum Patronis seu illorum maiori parte vel saltem medietate fuerit praesentatus –, quarum Literarum executor delegatus est Vicarius Generalis Forolivіensis. Graviter coram illo disputatum est circa expositas causas, veritati congruerent nec ne, inter Albicinium et Fratres Mangellios huic contradicentes, dum Literarum executioni manus apponeret. Siquidem Mangellii contendebant, iuspatronatus in themate utpote gentilitium computandum esse in capita sic, ut binae ex tribus partibus penes ipsos prostarent, triens tantummodo penes Gaddiam; ac proinde falso Albicinium asseruisse a maiori Patronorum parte, vel saltem medietate fuisse praesentatum. Ex adverso instabat Albicinius, iuspatronatus censendum hereditarium, proindeque a quota hereditatis dimetitum, pro duabus ex tribus partibus penes Gaddiam superesse, quae Pontiroliae gentis heres extitit pro triente sub anno 1803, pro altero vero ut instituta heres a sorore Francisca vel pro medietate saltem, ubi ipsius primitiva portio tantum cum illa Mangelliorum voluerit comparari. Vicarius Generalis deductis hinc inde de iurispatronatus indole monumentis suppletoriis, nam fundationis tabulas temporum longinquitas deperdidit, iuspatronatus gentilitium seu familiare esse censuit iudicavitque, – non fieri locum executioni Literarum Apostolicarum, de quibus agitur, et proinde instantiam D. Marchionis Aloisii reiiciendam fore et esse –. Non ita vero sentiit S. Rotae Auditorium: hac enim revocata Vicarii Generalis sententia, Apostolicas Literas executioni demandandas esse firmavit duplici sententia, qua plena emersit res iudicata. Ast huiusce pondus universum subvertit mox Supremum Signaturae Tribunal, quum, petentibus Mangelliis, universa eousque acta coram Sacra Rota mandaverit circumscribi, rata a Delegato Iudice, prout in casu erat Vicarius Generalis, ad Ordinarium perperam provocatum fuisse. Quaestio hinc ex integro delata est ad Sacram Congregationem a Summo Pontifice ad preces Marchionis Albicini novum Causae Iudicem postulantis, – ut cognoscat atque definiat, an Literae Apostolicae sint exequendae, an vero sententia praedicta confirmationem mereatur; quamobrem eidem Congregationi facultates tribuit necessarias et opportunas, contrariis quibuscumque non obstantibus –. Additum est dubium super venia retinendi Beneficia in habitu laicali favore Philippi Mangellii, siquidem ille hoc petiit, quatenus maiori Patronorum voce honestatus iudicaretur.

70. Albicinius contendit, in praesenti possessorio iudicio attendi oportere dumtaxat ultimum statum, reiectis ad separatam iudicii sedem altioribus indaginibus super petitorio; et ex ultimo statu iuspatronatus apparere et esse hereditarium. Contra Mangellii sustinuerunt, in casu id locum habere non

posse, cum ex asserta reiudicata, sin minus partis confessione iuspatronatus gentilitium censeri deberet. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus executioni Literarum Apostolicarum, seu potius sit confirmanda sententia Vicarii Foroliviensis delegati Apostolici in casu? *Et quatenus negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* II. An et quomodo sit annuendum precibus super dispensatione retinendi Beneficia in habitu seculari in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, provisum in primo. Quoad provisionem ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro deputatione Administratoris ad effectum colligendi reditus, eosque deinde tradendi, cui de iure – *in Forolivien. Executionis Literarum Apostolicarum die 14 Decembris 1844.*

71. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio die 19 aprilis 1845 respondit: – Ad primum et secundum, dilata ad sequentem omnino et infallanter: –. Ceterum repropositis praefatis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio iterum die 7 iunii 1845 respondit: – Dilata ad primam post proximam omnino et infallanter –. Demum in acri Partium conflictu repropositis iisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Forolivien. Executionis Literarum Apostolicarum die 2 Augusti 1845.*

72. Imo Sacra Congregatio etiam filio bimo Patroni gravi pressi paupertate indulsit, ut Episcopus deputaret Administratorem ecclesiasticum trium Beneficiorum, qui, satisfactis oneribus, residuum eidem consignaret, usque dum nominatus ad legitimam aetatem perveniret *in Asculana Dispensationis die 20 Maii 1786.*

73. Enimvero ad vacantia per obitum Emidii Luciani tria Beneficia simplicia, quorum duo patronatui familiae Luciani, tertium R. Camerae Apostolicae pro medietate et pro medietate altera eiusdem familiae Luciani suberant, modernus Patronus Ioseph Luciani uti et R. P. D. Thesaurarius, sub spe dispensationis Apostolicae super infantili aetate, praesentarunt bimum Patroni filium Gasparem. Quoniam autem expensae pro Bullarum expeditione super dictae aetatis dispensatione nimium Patrono prae sua paupertate molestae essent, ut testabatur Asculanus Episcopus, qui luculentum perhibebat de nobilitate simul et paupertate familiae testimonium, quique eiusdem instantiae impensissime favebat, hinc concedi sibi administrationem postulavit redituum praedictorum Beneficiorum tamdiu duraturam, quamdiu filius ad annos quatuordecim, aetatem scilicet ad assequenda Beneficia etiam laicalis iurispatronatus necessariam, pervenerit, adimpletis per alium oneribus, quae iisdem incumbebant. Obstare quidem videbatur, quod de uniendis agebatur in uno individuo tribus Beneficiis, sed testis erat Episcopus, non desiderari in casu legitimas indulgentiae causas: – Id quod promereri videtur, attenta domus paupertate, aucta insuper tam a morte fratris, quam etiam a lethali morbo ipsius Oratoris, quia eo perductus est, ut necesse fuerit ob profligatam ex passo morbo valetudinem quaestuosum officium dimittere, ex quo indigenti domui non levé obveniebat emolumentum –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro concessione administrationis redituum trium Beneficiorum, quousque nominatus perveniat ad annos quatuordecim in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo, ut, attenta paupertate Oratoris, committatur Episcopo deputatio Administratoris ecclesiastici trium Beneficiorum, qui, satisfactis oneribus, residuum Oratori consignet, usque dum nominatus ad legitimam aetatem pervenerit – *in Asculana Dispensationis die 20 Maii 1786.*

74. Similiter Sacra Congregatio indulsit facultatem obtinendi tertium Beneficium ad decennium Prospero Dotti Praeposito Ecclesiae S. Andreae de Cennano, ut stabiliter praefatam Ecclesiam eiusque aedes restauraret, cum ex fructibus alterius simplicis Beneficii et reditibus Praeposituae annua scuta octoginta quidem haberet ab oneribus immunia, sed gravatus esset inopia Parentum, qui, dum erant ingravescenti aetate et sorores in florida iuven-

ta, subsidium requirebant *in Fesulana die 8 Martii 1806.*

75. Unde quum Antonius Ghilarducci primum anno 1805 Sub-Custodis munus, et biennio transacto unius ex Capellaniis choralibus obtinuerit Coadiutoriam in Lucensi Collegiata et Parochiali Ecclesia S. Michaelis, ac dein provectus aetate annorum sexaginta quinque pluribusque obrutus infirmitatibus optaverit curam animarum deserere simulque Capellaniam choralem pro sua sustentatione retinere, adeoque petierit facultatem curam, non vero Capellaniam dimittendi, sed Decanus Canonici et Archiepiscopus adversarentur ea ratione ducti, quod duo illa Officia tam arcte coniuncta essent, ut unum sine altero retineri nequaquam posset, Sacra Congregatio, quum de unione dictorum Officiorum haudquaquam constaret, propositis dubiis: – I. An officium Sub – Custodis sit inseparabiliter coniunctum Capellaniae chorali, ita ut unum sine altero dimitti nequeat in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dismembratione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, provisum in primo – *in Lucana die 25 Maii 1822.*

76. Quum autem nominatio ad Beneficium non sustineatur, nominatus frustra petit dispensationem ad effectum retinendi plura Beneficia; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An sit servanda nominatio Capituli Lateranensis favore Crescentini Agostini, ita ut sit manutenendus in possessione in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primum dubium.* III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad retinendum Beneficium, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad tertium, provisum in primo – *in Urbinaten. Beneficii die 10 Ianuarii 1846.*

§. VII.

DISPENSATIO AB IRREGULARITATE ORTA EX DEFECTU ANIMI

1. Neminem latet Neophytos, idest recenter ad fidem conversos, ab ipsis Catholicae Ecclesiae primordiis inter Sanctuarii Ministros minime potuisse cooptari *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783 §. Neminem.*

2. Siquidem Apostolus Paulus in Epist. I ad Timotheum 3 vetuit in Episcopum ordinari Neophytum, – ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli –. In Can. 80, qui Apostolici dicuntur, habetur: – Eum, qui ex vita gentili accesserit et baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non est aequum protinus Episcopum fieri; iniquum est, qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum Magister, nisi forte hoc divina gratia fiat –. Idipsum confirmatur in Can. 10 Concilii Sardicensis anni 345, in quo statuitur: – Conveniens non est, nec ratio vel disciplina patitur, ut temere vel leviter ordinentur aut Episcopus, aut Presbiter, aut Diaconus, qui Neophytus est ... sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita et merita fuerint comprobata – *in. Adrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783 §. Neminem.*

3. Unde dispensationem a publica irregularitate unus concedere potest Summus Pontifex ex Cap. *Veniens,* Cap. *Cum lata,* et Cap. *Innotuit nobis* de eo, qui furt. ordin. suscept. *in Nolana Irregularitatis die 6 Decembris 1794 §. Deliberandum.*

Item *in Acheruntina Privationis Paraeciae die 22 Septembris 1855 §. Nec minus.*

4. Hanc enim dispensandi potestatem omnes in Summo Pontifice admittunt, teste Mar. soc. in Cap. *Ad audientiam* de homicid. *in Mutinen. Irregularitatis die 24 Ianuarii 1795 §. Voluntarie.*

5. Iamvero constans est Theologorum Canonistarumque sententia, Romanum Pontifi-

cem dispensare posse in irregularitate, quae ex iure ecclesiastico fluit *in Pisana die 25 Ianuarii 1823 §. His.*

6. Nisi tamen graves concurrant causae, haud indulgetur dispensatio ab irregularitate *in Marsicana Dispensationis ab irregularitate die 30 Augusti 1788 §. De.*

7. Qua de re semper inquirendum est, an iusta ac rationabilis concurrat causa, ut sit Summo Pontifici pro dispensatione consulendum *in Pisana die 25 Ianuarii 1823 §. His.*

8. Hinc ex generali regula compertum est, dispensationes non concedi, nisi evidens adsit necessitas vel utilitas Ecclesiae *in Pisana die 25 Ianuarii 1823 §. His.*

9. Quum itaque a quinque annis ab Iudaeis natus optimis moribus esset imbutus et a duobus annis commoraretur in Seminario, unde is utilis Ecclesiae videbatur, Sacra Congregatio censuit esse locum dispensationi ab Irregularitate arbitrio Episcopi, ut ecclesiasticae militiae nomen dare posset *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783.*

10. Siquidem Gregorius Donato, in Civitate Rhodigii ex parentibus Iudaeis natus, quinque ab annis sacro regenerationis lavacro Venetiis ablutus, a duobus annis in Seminario Andrionsi commorabatur. Cum autem ecclesiasticae militiae nomen dare cuperet, et in vigesimo secundo aetatis anno esset constitutus, nec non optimis moribus imbutus, pietate Sacramentorum frequentia et Religionis fervore praestans, supplex imploravit dispensationem ab Irregularitate. Proposito hinc dubio: – II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, constare de Irregularitate, respondit: – Ad secundum, Affirmative; nempe esse locum dispensationi arbitrio Episcopi – *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783.*

11. Ne dubium enim quidem, quod Neophyti semper cum cautela et delectu ad Ordines fuerint admissi, nec unquam inter sacros Ecclesiae Ministros sint cooptati, nisi antea certum suae vitae testimonium dederint; sed quantum vero temporis decurrere debeat, ut hoc testimonium praebeant, non una est Doctorum sententia, cum alii unum annum satis esse putent, alii biennium requirant, alii censeant debere labi decennium, ac demum Covarravias, Gibellin. de Irregularitate cap. 3 quaest. 3, Corradus in praxi dispens. lib. 3 cap. 7 n. 2 et 3, Suarez de censuris disp. 43 sect. 3 consult. 2 n. 6 sustineant, quod cum nullum a iure tempus praefinitum sit, id relinquendum esse arbitrio Episcopi, cuius est iudicare de virtute et firmitate eorum, qui ad fidem conversi sunt, ut illis ecclesiastica ministeria tuto committi possint *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783 §. Verum.*

12. Idcirco si tempus huiusmodi effluxerit, ut certum suae vitae testimonium dederit, nec dispensatione ullatenus indiget; quandoquidem cum Ioannes Baptista Simon Viver ortus a Patre et Matre Turcis in infantili aetate sacro regenerationis lavacro ablutus, indeque ab Episcopo Melevitano ad Presbiteratus ordinem promotus et Beneficio ecclesiastico provisus, et a Dataria Apostolica aliud Beneficium assequutus, postulaverit absolutionem cum rehabilitatione ad Ordines et nova Beneficiorum provisione, propositis dubiis: – I. An Orator indigeat absolutione cum rehabilitatione ad Ordines? II. An indigeat nova provisione Beneficiorum? *Et quatenus affirmative.* III. An eidem indulgenda sit absolutio cum rehabilitatione ad Ordines cum nova Beneficiorum provisione? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, provisum in duobus praecedentibus dubiis – *in Melevitana die 13 Augusti 1718.*

13. Similiter cum in Pragen. Franciscus Bolouski, a Parentibus Iudaeis originem ducens, sed in aetate duorum annorum ad fidem catholicam perventus, et a Capitulo Pragensi ad Beneficium cum cura animarum nominatus, petierit dispensationem ab Irregularitate, Sacra Congregatio die 12 maii 1759 respondit: – Non indigere dispensatione – *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783 §. In.*

14. Qua de re cum Episcopus Ordines conferre renueret descendentibus ab Indis, seu ut vocabant, ab mulatis, Sacra Congregatio censuit, – supplicandum esse Sanctissimo, quatenus Indiarum Episcopus animadvertat, Indos et Nigros omnesque ab eis Paternam vel Maternam lineam descendentes nullo iure ab

Ordinum aliorumque Sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo cetera per Sacros Canones requisita habeant – *in Charchien. die 13 Februarii 1683 lib. 33 Decretorum pag. 19.*

15. Unde consona est Canonistarum opinio, et praesertim Covarruv. in Clement. *Si furiosus* part. 1 §. 2 n. 8 conclus. 3, Sanchez in Summ. lib. 2 cap. 28 n. 11, et Gonzalez ad Cap. *Eam te* de rescriptis a n. 7 ad 11, qui tuentur, quod ad fidem conversi, si diu catholica Religione sint conversati bonisque moribus et ecclesiasticis disciplinis imbuti a sacris Ordinibus Praebendis ceterisque Ecclesiae Dignitatibus non sint repellendi *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783* §. *Consonq.*

16. Imo nec defuerunt Doctores, quos inter Abbas in Cap. *Ad decorem* n. 4 de instit., Salorzan. de Iure Indiarum tom. 2 lib. 3 cap. 19 n. 3, Pegas de competentia inter Archiepiscopum et Nuntium part. 3 cap. 1 §. 6 n. 16, qui irritas esse putarunt Synodales Constitutiones, in quibus ab Ordinibus et Beneficiis arcentur Neophyti et ab ipsis descendentes *in Andrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783* §. *Consona.*

17. Idcirco ad hunc effectum nec Synodales Constitutiones ullatenus obstant; quandoquidem cum Franciscus Gomez de Britto reclamasset adversus Archiepiscopum, qui detrectabat eidem conferre Ordines, quia a Mauris trahebat originem, asserens, hoc vetitum esse suis Synodalibus Constitutionibus, et supplex instetisset praefatus Franciscus pro facultate recipiendi Ordines a quocumque Episcopo, proposito dubio: – An Oratoris precibus sit annuendum? –, Sacra Congregatio respondit: – In casu, de quo agitur, Constitutiones Synodales non obstare – *die 13 Ianuarii 1685 lib. 35 Decretorum pag. 28.*

18. Si quis autem ad Subdiaconatus ordinem promotus fuerit per mensem ante aetatem a Sacro Concilio praescriptam, quin etiam satis constaret, quod sacro Chrismate fuisset inunctus, Sacra Congregatio, praevia Confirmatione sub conditione, eidem indulget absolutionem a suspensione et dispensatione quoad Irregularitatem ad cautelam *in Ordinis Capuccinorum seu Anglonen. Dispensationis die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

19. Enimvero – iam usque de anno 1708 recursum habuit ad Sanctissimum D. N. precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis Fr. Sylvester de Tursio Diaecesis Anglonensis Capuccinus professus et in Ordine Diaconali constitutus exponens, sese ad Subdiaconatus ordinem iam antea inauguratum fuisse ante aetatem legitimam et non suscepto Confirmationis Sacramento: exoravit proinde a quacumque censura absolvi et secum in praemissis dispensari. Requisitus informare desuper Procurator generalis Capuccinorum in Curia retulit, ex binis epistolis eiusdem Fr. Sylvestri sibi datis ad ipsius informantis requisitionem id responsum se accepisse, quod ipse Fr. Sylvester scrupulo agitetur, an sacro Chrismate sit revera inunctus, quodque a Parentibus, quibus caret, nequeat de veritate certificari, nec non quod Subdiaconatum susceperit ab Episcopo Potentino iam defuncto per mensem ante aetatem a Sacro Concilio praescriptam, ac deinde ad Diaconatus ordinem initiatus fuerit ab item defuncto Episcopo Acernensi in aetate legitima, sed adhuc ad Presbiteratum non ascenderit, certificans ulterius, nunquam publice eorumdem Ordinum munia se exercuisse. Retulit insuper idem Procurator generalis, quod ex literis responsivis hac de re acceptis a P. Provinciali de partibus nihil amplius recenseatur, quam commendationes ad favorem Oratoris pro resolutione Causae, adhaerendo in hoc ipsimet Oratori, subdendo dumtaxat ipse Provincialis, se non posse concedere Dimissorias Oratori, nisi post acceptum huius Sacrae Congregationis oraculum, ac nuper exhibuit attestationem eiusdem Provincialis fidem facientis, nunquam Oratorem exercuisse Diaconatus ordinem. Exquisiti itidem fuerunt informare Vicarii Capitulares Potentinus et Acernensis, quorum primus retulit, Oratorem initiatum fuisse ab Episcopo de Rubeis praeviis Dimissoriis illius Provincialis expeditis sub die 2 aprilis 1704 et cum similibus Dimissoriis sub datum diei 6 decembris eiusdem anni ad Subdiaconatus ordinem ab eodem Episcopo promotum: neutiquam vero constare, inquit, de ceteris requisitis, cum Fratres Capuccini ea relinquere soleant in

manibus suorum Superiorum, ac ideo ob illorum deficientiam recognosci non potuisse, an promotus fuerit per mensem ante praescriptum tempus et Chrismate non delibutus. Alter vero Vicarius Capitularis Acernensis recensuit, ex regesto Curiae Episcopalis constare dictum Fr. Sylvestrem, praeviis Literis Dimissoriis sui Superioris, Diaconatum suscepisse a b. m. Episcopo Ventriglia de anno 1707. Requisita insuper fuit informatio Ordinarii Anglonensis, ut diligentias faceret pro reperiendis partitis Baptismatis et Confirmationis, quas facile esset reperire in Oppido Tursii, in quo Orator natus est, qui sane transmisit authenticam partitam dumtaxat Baptismi ab Oratore suscepti sub die 20 ianuarii 1684; eam vero Confirmationis, diligentiis adhibitis in libro Confirmatorum, non fuisse repertam, ait. Verum subdidit, quod interrogati Cives et Coniuncti ipsius Oratoris responderint, nullum eorum vidisse eum confirmatum. Illud tamen addidit, quod in libro quodam memoriae Genitoris eiusdem Oratoris reperta fuerit adnotatio, quod Orator fuisset confirmatus ab Episcopo Consentino Anglonensi, de qua adnotatione transmisit ad hanc Sacram Congregationem attestationem factam a Sacerdote Leone Orlando fratre germano ipsius Oratoris–.

20. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevia Confirmatione sub conditione, pro absolutione a suspensione et dispensatione quoad Irregularitatem ad cautelam – *in Ordinis Capuccinorum seu Anglonen. Dispensationis die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

21. Similiter quum Innocentius Zappia monasticam professionem emiserit in Ordine S. Basilii Magni, nullaque praemissa disquisitione, utrum Confirmationis Sacramento munitus esset, bona fide et citra contemptum dein primam Tonsuram et minores Ordines a proprio Abbate Regulari susceperit; sed cum iam ad vigesimum aetatis annum perventus post sedulam perquisitionem novisset, se eo Confirmationis Sacramento carere, dubium inde subortum est, an legitime Tonsuram et Ordines suscepisset, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevia Confirmatione, in reliquis ad D. Secretarium ad mentem (1) – *in Ordinis S. Basilii Magni die 6 Maii 1775.*

22. Qua de re licet plures Doctores affirment ac tueantur, nullam suspensionem neque irregularitatem incurri et contrahi, qui non praemissa Confirmatione Ordines suscipiunt, melius tamen alii putant, irregulares esse sacro Chrismate nondum inunctos, ob claram expressamque prohibitionem ac inidoneitatem iis a Sacro Concilio Tridentino indictam in sess. 23 cap. 4 *in Ordinis S. Basilii Magni die 8 Aprilis 1775* §. *In* §. *Hinc* §. *Contra.*

23. At iuxta sententiam Ancharani firmantis, sub censura Decretalis Alexandri III Cap. *In quibusdam* de poenis non comprehendi filios aliosque Occisoris posteros ante patratum delictum natos, dispensatione non indigent huiusmodi filii, qui nati fuerint ante homicidium *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *At et die 30 Iulii 1735* §. *Ex.*

24. Unde filius homicidae adhuc viventis, natus ante patratum delictum, dispensatione non indiget. Siquidem – quia Parochus cuiusdam loci interfuerat Matrimonio contracto inter vilis conditionis Mulierem et Baronem, qui licet nullum penitus ius in et super Ecclesia parochiali haberet, attamen iurisdictionis exercitio, inter plures condominos per turnum diviso, nonnullis anni mensibus in dicto loco fruebatur, dicti Baronis filius ex alia Uxore tunc praemortua susceptus Parochum praefatum occidit. Huius homicidae hactenus viventis filius ante patratum delictum natus ad Sacros Ordines promoveri desiderabat; quocirca preces obtulit Sacrae Poenitentiariae, quibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, decernendum proponitur: – I. An praefatum homicidium obstet Oratori,

(1) Mens est, ut detur secreto absolutio ad cautelam, facto verbo cum Sanctissimo, factaque de praemissis relationem Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua sacrae Congregationis sententiam approbavit. Proindeque inspecta relatione Procuratoris generalis, supradictum clericum Innocentium Zappia absolvit, et super Irregularitate praemissa de causa contracta dispensavit ad cautelam die 10 Maii 1775, *ceu videre est in lib. 125 Decretorum pag. 240.*

quominus ordinari valeat? *Et quatenus affirmative.* II. An cum eo sit dispensandum?–, Sacra Congregatio respondit: – Oratorem non indigere dispensatione – *in Dubium Dispensationis die 2 Augusti 1677 lib. 27 Decretorum pag. 455.*

25. Similiter quum constaret ex documentis exhibitis, quod Ioannes Baptista Sanità Sacerdotem Petrum Philippum germanum interfecisset anno 1728 et Alphonsum eiusdem filium in lucem edidisset die 2 iulii 1727, qui, in aetate octo ferme annorum constitutus ac exoptans prima tonsura initiari ac obtinere Beneficium de iurepatronatus descendentium ex familia Sanità olim possessum a praefato Petro Philippo suo Patruo, petiit ab Sacra Congregatione declarari, num, ut optata assequeretur, Apostolica dispensatione indigeret, eamque, si necessaria diiudicaretur, humillime imploravit; propositis hinc dubiis: – I. An Alphonsus Nicolaus Sanità indigeat dispensatione pro suscipiendis Ordinibus nec non pro assequendo Beneficio, de quo agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dicta suspensione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Sulmonen. Dispensationis die 30 Iulii 1735.*

26. Quin imo filius eius, qui patravit homicidium, natus post huiusmodi crimen, non indiget dispensatione, quoties, lapso interim viginti annorum spatio, ecclesiasticae militiae adscribi valeat, licet eiusdem Pater fuerit absolutus a Sacra Poenitentiaria cum Decreto, quod nullus eius filius ad minores et sacros Ordines promoveretur *in Tranen. die 8 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

27. Iamvero – cum Nicolaus de Benedictis detexisset, quod Sacerdos Leonardus Antonius Ricco honori cuiusdam Puellae annorum quindecim cognatae suae insidiabatur, eamque per fenestram nocturno tempore extra domum adduxerat, raptum huiusmodi prohibere curavit, ideoque dictus Leonardus parvum sclopum in ipsum explosit, ex cuius ictu aliquot eius capilli igeis globulis assumpti fuerunt, qua de causa praedictus Nicolaus, ad propriae vitae honorisque defensionem in eumdem Sacerdotem Leonardum aggressorem nudato ense irruit, et illum pluribus illatis vulneribus interfecit. Absolutionem deinde a Sacra Poenitentiaria obtinuisse dicitur, cum Decreto tamen, quod nullus eius filius ad minores et sacros Ordines promoveretur. Cumque ille de tempore homicidii nullum haberet filium, et modo alter ex eius filiis ecclesiasticae militiae adscribi cupiat, ideo apud eamdem Sacram Poenitentiariam pro Decreti praedicti relaxatione instetit, quae Sanctissimo supplicandum esse respondit. Precibus itaque Sanctissimo porrectis, sed huic Sacrae Congregationi remissis, illa pro consueta informatione rescripsit Episcopo, qui praenarrata omnia quoad delicti circumstantias comprobans, refert, quod homicidium ab annis viginti circiter sequutum fuit, ita ut eius memoria pene obliterata remanserit, quodque dictus Nicolaus occisor sub Decreto supra relato absolutus asseritur. Nunc itaque EE. VV. decernant: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Non indigere dispensatione – *in Tranen. die 8 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

28. Nam et irregularitas ex infamia facti contracta – tollitur absque dispensatione per eam vitae emendationem, quae maculas priores non solum coram Deo, sed etiam in opinionem hominum deterserit, ita ut sinistrae famae successerit bona existimatio –, prout his verbis notat Habert. Theol. moral. dispensat. ad Ord. part. 3 cap. 5 §. 8 *in Feretrana Irregularitatis die 15 Martii 1794 §. Cum.*

29. Itaque Parochus, qui licet uti complex parricidii accusatus, non tamen ob id damnatus, sed uti aliis criminibus affectus damnatus ad poenam carceris per quinquennium a Iudice laico, unde infamia facti orta erat, tandem post lapsum undecim annorum et constantem vitae emendationem, iunctis etiam precibus Ordinarii ob extremam illius paupertatem, dispensationem ab irregularitate assequi valuit *in Suessana Irregularitatis die 14 Decembris 1816 et die 21 Februarii 1818.*

30. Iamvero labente anno 1807 parricidium inter noctis tenebras patratum est in Villa vulgo *di Fontadarina;* et incola eius Villae Ianuarius Resta fuit eius facinoris victima. Cum primariis reis Matthaeio et Hieronymo Resta, uti complex criminis, accusa-

tus quoque fuit Sacerdos Ioannes Baptista Messa, tunc eius loci Parochus. Traductus ergo in carceres exaratoque Neapoli processu a seculari Potestate die 8 martii 1808 sententia prodiit, qua non uti complex parricidii, sed uti pluribus affectus criminibus (1) damnatus fuit ad poenam carceris per quinquennium et ad expensas iudiciales: unde tamquam indignus quoque renunciatus est parochialis muneris, et fuit proinde ab Episcopo Paraecia privatus. Poena exinde carceris soluta, composito Fisco et Parte, dispensationem ab irregularitate flagitavit. Vicarius Capitularis testatus est, Oratorem emendationis signa exhibuisse, nec scandalum oriri, si venia indulgeretur, peractis tamen saltem per duos menses exercitiis spiritualibus. Advertebatur vero, nullam quidem Iudicem laicum in eum iurisdictionem habuisse, nullamque iuridicam in reum probationem ex actis irritis demetiri posse, iuxta obviam sententiam, de qua Rota in decis. 380 n. 8 coram Ansaldo, sed infamia facti, quae ex vulgata criminis opinione oritur, et irregularitatem secumfert ex doctrina Sacrae Congregationis in Lucen. Dispensationis 19 decembris 1789, gravissimam saltem inducere videbatur suspicionem incusatae complicitatis, praecipue cum fuerit – convinto di seduzioni praticate – apud Tribunalis Ministros, ne rei detegerentur. Damnatus insuper erat pro aliis criminibus, et praecipue – di pratiche di vita scandalosa ed impudenti –, quas Orator clarius suis precibus in specie enumeravit, nimirum evictum fuisse illicitum commercium, quod habebat cum femina eius Villae, in qua curam animarum regebat; tum rursus – di esser pubblico bestemmiatore, ubriacone, apportatore di armi proibite –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 decembris 1816 responsum dedit: – Negative –. At inde ipse Vicarius Capitularis, attentis indubiis emendationis signis in Conventu Capuccinorum cum omnium admiratione exhibitis nec non extrema, in qua versabatur, paupertate, veniam dispensationis impense flagitavit. Unde reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, peractis exercitiis spiritualibus in Domo religiosa pro tempore arbitrio Vicarii Capitularis – *in Suessana Irregularitatis die 21 Februarii 1818.*

31. Attentis igitur bonis Oratoris qualitatibus nec non inopia Sacerdotum, indulgetur ei, qui infamia iuris vel facti propter homicidium infectus videtur, dispensatio ab irregularitate post decennium a die patrati criminis, ad effectum amplectendi statum ecclesiasticum *in Lucen. Dispensationis ab irregularitate die 19 Decembris 1789.*

32. Siquidem per inquisitionem laici Tribunalis Lucensis damnatus cum aliis fuit anno 1779 Ioseph Gonzalez uti reus homicidii ad exilium et expensas processus. Sententiam vero revocavit superior Iudex quoad exilium, solutisque expensis, plene inquisitus satisfecit Fisco. Petiit inde dispensationem ab irregularitate, ut statum ecclesiasticum amplecti posset. Episcopus retulit, Oratorem aetatem triginta annorum agentem bona vita ac moribus pollere, propter suam mansuetudinem in colloquiis, quae de praefato homicidio passim in viciniis habebantur, insontem habere, propterea nullam pati infamiam; Paraeciam, ad cuius ministerium adscribi intendebat, Sacerdotum inopia laborare, et per consequens Ecclesiae utilitati proficere, eumque gratia dignum censuit. Absolutus tamen non fuerat ex capite innocentiae, passusque erat condemnationem in expensas. Ceterum sive irregularitas procederet ex infamia iuris, sive ex infamia facti, ex personalibus

(1) Crimina haec in praefata sententia recensebantur, scilicet – non convinto dell' intelligenza ed inerenza diretta nel parricidio in persona di Gennaro Resta, del quale delitto viene egli accusato, ma convinto cioè 1. di pratiche di vita scandalosa ed impudenti; 2. di asportazione di schioppo nel corso della notte in compagnia di uomini screditati, uniti insieme per andar suonando e cantando nelle pubbliche strade del comune, di cui era Parroco; 3. di seduzioni praticate presso un subalterno della corte locale, nonchè pagamento di denaro, ad oggetto di occultare il vero, e di procurare l' impunità de' colpevoli del suddetto parricidio –.

Oratoris qualitatibus et ex inopia Sacerdotum post lapsum decem annorum a die patrati criminis, gratia dignus videbatur. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Lucen. Dispensationis ab irregularitate die 19 Decembris 1789.*

33. Hinc multo magis locus fuit dispensationi ab irregularitate ex infamia iuris contracta favore Presbiteri, qui sacrilegi furti accusatus poenam ergastuli ad septennium passus est, sed exin de eius innocentia dubitari vix poterat, unde ex ipsius rehabilitatione nullum scandalum oriebatur, imo a bonis expectabatur aliqua Oratoris famae compensatio *in Firmana Irregularitatis die 6 Augusti 1808.*

34. Enimvero sacrilegum furtum Calicis argentei cum patena et Pixidis patratum fuit anno 1801 damno Sodalitii Sanctissimi Sacramenti Oppidi Montis Giberti. Suspicio maleficii cecidit super Aloisio Pinello, multis praeiudiciis iam noto. De cuius hominis carceratione sollicitus fuit Presbiter Aloisius Rinaldi, qui rem Sodalitii curabat. At Pinellius in carcerem detrusus indicare promisit criminis auctores et socios, si ipse a poena impunis abiret. Qua impunitate obtenta, accusavit Presbiterum Rinaldi, qua complicem furti, atque illius accusatio duobus Testibus fiscalibus confirmata est. Qua ex re Presbitero Rinaldi in vincula coniecto nihil profuit Testes suae probitatis atque accusantium pessimae famae producere, quin a Sacra Consulta damnaretur ergastulo ad septennium, quam poenam omnino luit. Sed Mulier quaedam Theresia Amici, cui explorati erant auctores furti, cum ei mors instaret, fassa est, Presbiterum Rinaldi falso imputati criminis fuisse accusatum. Absoluta hinc poena, imploravit Rinaldius dispensationem ab irregularitate, ob infamiam contractam; eique suffragatus est Emus Archiepiscopus, qui affirmavit, – ex concedenda rehabilatione non modo nullum scandalum inde oriri, sed a bonis ipsis expectari aliquam Oratoris famae compensationem, qui insuper cum vix liber evasit ultro sacris exercitiis in religiosa Domo strictae observantiae per dies quindecim exemplariter vacavit –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Firmana Irregularitatis die 6 Augusti 1808.*

35. Quum itaque Sacerdos Ioseph Cataneus, ad triremes damnatus et transmissus ob armorum delationem absque eo quod remigaverit, supplicavisset pro rehabilitatione ad Ordines, Sacra Congregatio, si Summo Pontifici placeret, mandavit, ut, quando constaret, quod non remigasset, gratis absolveretur et per Literas Apostolicas ad exercitium suorum Ordinum rehabilitaretur ac restitueretur *in Comen. Dispensationis die 14 Martii 1671 lib. 27 Decretorum.*

36. Hinc censuit Sacra Congregatio, sublata macula infamiae, concedendam esse absolutionem ab Irregularitate, in quam quis incurrerat, si Summus Pontifex annueret, ita tamen, ut assignaret dotem ducatorum centum Ecclesiae parochiali eiusdem loci *in Plocen. die 17 Martii 1646.*

37. Immo quum Hyacinthus Theti exposuisset, qualiter praecedentibus solitis publicationibus et nullo opponente promotum fuisse ad Subdiaconatum, inde vero pro reliquis Ordinibus recipiendis occasione denunciationum revelatum fuisse, quod ipse interfecerit Franciscam Pizzoniam, Sacra Congregatio, cum constaret de eiusdem bona vita et fama, proposito dubio: – An Orator indigeat dispensatione? –, respondit: – Negative quoad forum externum, et quoad forum internum, consulat conscientiae suae – *in Mileten. Irregularitatis die 10 Novembris 1674.*

38. Quum autem quidam Sacerdos propter homicidium fuerit inquisitus, sed sustinendo in constitutis torturam damnatus tantum extiterit ad exilium, Sacra Congregatio, eo quod infamiam et indicia per torturam in negativa sufficienter haud purgaverat, proposito dubio: – An sit infamia notatus et irregularis dici possit et dispensationem mereatur? –, respondit: – Non esse dispensandum – *in Asculana Irregularitatis die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

39. Oportet igitur, ut in facto sit detersio sinistrae famae; alias enim necessaria est dispensatio ab irregularitate ex infamia orta. Idcirco si quis accusatus de homicidio absolu-

tus fuerit cum clausula, – nisi nova superveniant indicia –, et adhuc publica vigeat diffamatio, dispensatione indiget, quae tamen ex gratia indulgetur. Quandoquidem Episcopus negavit Dimissorias ad Presbiteratum Petro Iacobo Caprioli Diacono, qui cum quodam Clerico homicidio fuit accusatus, sed inde absolutus cum clausula,– nisi nova superveniant indicia –. Nihilominus vigebat publica adhuc fama, quod ille revera deliquerit, nec argumenta sufficientia de eius vita et moribus praebuit. Propositis itaque dubiis – I. An ipse indigeat dispensatione super nota infamiae? II. An ei sit concedenda dispensatio? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, indigere. Ad secundum, Affirmative – *in Vigilien. Dimissorialium die 23 Septembris 1673.*

40. Idcirco Clericus, qui homicidium casuale patraverat et absolutus cum clausula de se repraesentando – novis supervenientibus indiciis –, licet praeditus esset bonis moribus ac necessarius et utilis Ecclesiae Parochiali, ob idque Archiepiscopus faveret, dispensationem ab irregularitate assequi non valuit, nisi aboleto praecepto de se repraesentando *in Ianuen. Irregularitatis die 11 Maii et die 14 Decembris 1793.*

41. Enimvero Familiae Marenco ex Oppido Usciniae famulatus gratia addictus erat Antonius Petronari, quum die 23 aprilis 1790 postquam Clerico Andreae Marenco coenam ministraverat, ballistam igneam in eius aedibus repertam arripuit, ut in illius explosione suam experiretur peritiam. Ignorans Clericus, an ballista ignea pulvere tormentario plumbeisque glandulis praeparata esset, Famulum statim monuit, ut ab ancipiti cessaret experimento, cumque nihil profuisset consilium, ad vitandum tandem quodcumque infortunium, ballistam ab eius manibus eripere tentavit. Vix autem illam tetigit Clericus, repente explosus est ictus in infelicem Famulum, qui post quatriduum ab accepto vulnere occubuit. Instaurato processu, Clericum ab omni culpa immunem agnovit Fiscus, proindeque definitiva sententia die 21 februarii 1791 Archiepiscopalis Curia illius dimissionem decrevit, – facta prius promissione et praestita fideiussione de se personaliter praesentando, novis supervenientibus indiciis. Petiit itaque Clericus dispensationem, cui Archiepiscopus favit, ob Oratoris probitatem morum nec non necessitatem atque utilitatem Paraeciae loci Usciniae, quae Sacerdotibus indigebat. Proposito autem dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 maii 1793 responsum tulit: – Aboleto praecepto de se repraesentando, recurrat –. Docuit inde Clericus de abolitione dicti praecepti. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Ianuen. Irregularitatis die 14 Decembris 1793.*

42. Quum igitur Parochus Franciscus Vasoli, haud quidem avarus in distribuendis eleemosynis, sed illicitam exercuerit negotiationem animalium ex superextantibus Paraeciae reditibus et patrimonialibus, quumque ob id in censuras inciderit ac etiam in Irregularitatem, ex eo quod administrationem proprii Ordinis explevit sub censuris, adeoque dispensationem petierit, Sacra Congregatio, licet Sacra Poenitentiaria in foro conscientiae tantum absolutionem et dispensationem ab Irregularitate impertiisset, sub lege erogandi quidquid in negotiis lucratus fuisset, ac subinde id confirmasset, id addens, quod – ad quietem porro conscientiae suae tam pro praeterito, quam pro futuro recurrat ad Sacram Congregationem Concilii –, dum Orator praecisam de sociali lucro non haberet memoriam, proposito dubio: – III. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab Irregularitate in casu etc. –, demandata prius erogatione scutorum ter centum in Christi pauperes utriusque Paraeciae administratae, respondit: – Ad tertium, Affirmative – *in Capuana die 20 Februarii 1796.*

43. Quod si emendatio de facto non constet, sed eam tantum Episcopus speret, locus non est dispensationi ab irregularitate *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 31 Iulii 1751 et die 8 Iulii 1752.*

44. Siquidem quum sententia lata die 4 mense septembris anno 1750 eiectus fuerit uti incorrigibilis ab Ordine Minorum S. Francisci de Paula Sacerdos Ioannes Pellegrini natus Podenzanae ac postulaverit inde ab Episcopo, ut constitutionem Patrimonii Sacri, quam ad congrue substentandam vitam obti-

nuerat ab aliena pietate, approbaret, quod factum fuit ab dicto Episcopo, qui ei prohibuit, ne Sacra faceret, non impetrata prius dispensatione ab Irregularitate seu suspensione, quam incurrunt eiecti ex Decreto Sacrae Congregationis apud Fagnanum in Cap. *Ne Religiosi* n. 71 de Regularibus, cumque ob id Ioannes dispensationem imploraverit, quod infamia illa facti, quae oritur ex eiectione, purgatur emendatione morum, quam Episcopus sperabat ac censebat, eum non invenire alios Ordines Regulares, qui vellent eumdem recipere, et ideo dispensationi locus sit, dum nulla alia obsit causa ex Sanchez cons. moral. lib. 7 cap. 1 dub. 24 n. 2 et 3, Donat. de Regul. tom. 1 tract. 8 de eiectis a claustr. quaest. 44, Navarr. in Summ. Bullar. part. 2 comment. 64 n. 17, Pignatell. consult. 85 n. 13 tom. 1, Pascucc. ad eumdem tom 2 in compen. de Regular. pag. 165, proposito tamen dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 31 iulii 1751 respondit: – Negative –, ac exin reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 8 Iulii 1752.*

45. Unde nec obsesso a Daemone, licet a biennio liberatus, dispensatio ad suscipiendos sacros Ordines est concedenda. Iamvero Frater Mansuetus de Panormio Clericus Ordinis Minorum de observantia reformata S. Francisci eiusdem Provinciae exponens Sacrae Poenitentiariae, se per aliquod tempus a Daemone obsessum iam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit secum dispensari super irregularitate exinde contracta, ad effectum suscipiendi sacros Ordines. At Sacra Poenitentiaria, audito Procuratore generali, qui ita retulit: « l' esposto dell' Oratore è vero, come appare da una fede autentica sottoscritta da Religiosi degni di fede, e confermata da quel suo Superiore provinciale, onde si potrà aggraziare, se tanto parerà a Sua Beatitudine », instantiam remisit ad Sacram Congregationem, cui proinde supplicatur declarare: – An petita dispensatio sit concedenda? –, hinc Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Panormitana Dispensationis die 10 Aprilis 1683.*

46. Similiter quum Hieronymus Antonius Bonacina Clericus Mediolanensis et constitutus in aetate annorum trium supra viginti exoptasset sacris Ordinibus initiari supplicavissetque pro dispensatione ab Irregularitate contracta, ex quo quatuor ab illinc annis fuerat energumenus sive arreptitius vel a Daemone obsessus, duo enim iam elapsi erant, quorum decursu, nullam, Deo dante, passus erat a Daemone vexationem, proposito dubio: – II. An ei sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, pro nunc Negative – *in Mediolanen. die 2 Decembris 1724.*

47. At Subdiaconus, qui in amentia ter Missas celebraverat ac inde militiae seculari nomen dederat, primum absolutionem a censuris obtinuit, ac inde post lapsum sexdecim annorum, attentis eius bonis moribus et mentis sanitate, dispensationem ab irregularitate assequutus est *in Forolivien. die 27 Aprilis 1816.*

48. Siquidem Franciscus Raminghi Foroliviensis Subdiaconus amentia potius captus, quam ex malitia Missam ter celebravit, dein militiae seculari nomen, inconsulto Patre, dedit. Anno 1800 Romam petiit, et reassumpta veste clericali absolutionem a censuris obtinuit, dummodo ad obedientiam sui Ordinarii rediret. Anno 1806 dispensationem ab irregularitate postulavit, sed Sacra Congregatio eiusdem preces reiecit; nihilominus vitam duxit ecclesiastico viro dignam, et Sacrario Ecclesiae Archiconfraternitatis SS. Stigmatum sese addixit anno 1807, in quo adhuc permanebat, et testimonium habebat Sodalium Sacristae et Parochi de optima vitae ratione et diligentia. Hisce testimoniis fretus Subdiaconus Raminghi preces pro dispensatione ab irregularitate renovavit. Nam de eius resipiscentia satis constare videbatur, cum ab illinc sexdecim annis post impetratam a Sacra Poenitentiaria absolutionem semper optimam vivendi rationem tenuit. Sane Antecessor Episcopus Foroliviensis usque ab anno 1806, quo dispensationem postulavit, non repugnabat, si eum a dementia certus esse posset. Inde experimentum aliorum annorum septem superadditum est, in quibus is semper fuit apud se, impigre et diligenter servitium in Sacrario Ecclesiae SS. Stigmatum praestitit, Pa-

raeciae diebus Dominicis frequens fuit, ut Pueros in cathechismo institueret. Modernus Episcopus non renuebat dispensationi, si constaret de bonis moribus, qui per optimos Testes probabantur. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 februarii 1816 responsum tulit: – Dilata, et audiatur Emus Urbis Vicarius –. Hinc Emus Vicarius indubie constare dixit, Oratorem - novem circiter ab hinc annis in Sacrario Ecclesiae SS. Stigmatum clerici munus obeuntem, bonis ecclesiasticisque moribus praeditum esse, atque ab omni praeiudicio immunem reperiri, nullum insuper praefato tempore amentiae signum dedisse, adeo ut probabilis sit coniectura, in mentis, qua nunc gaudet, sanitate perduraturum. Quapropter praeter irregularitatem, in quam incurrit, ex Missis tempore amentiae celebratis, ex nomine militiae dato, et ex amentia, nullum aliud impedimentum eidem obstare videtur, quo ab aliis sacris Ordinibus suscipiendis arceri possit. A dicta autem irregularitate dispensari posse non dubitarem, cum ex dictis bene mente convaluerit –. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Forolivien. Dispensationis ab irregularitate die 27 Aprilis 1816.*

49. Hinc et irregularitatem in bello iusto defensivo contractam facilius dispensationem mereri docet Card. Petra in Commentar. ad Constit. unic. Gregorii VII n. 12 et 13, et Thomassinius de nova et veteri Ecclesiae disciplina part. 2 lib. 1 cap. 75 n. 2 testatur, Pium II irregularitatis dispensationem indulsisse Monacis Presbiteris et Clericis, qui anno 1459 bellum in Africa gesserant contra Mauros, et Lusitaniae Regi Altaserrem obsidenti adfuerat *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Irregularitatem.*

40. Qua de re quum quidam Sacerdos sese Batavis vendidisset pro maritimo servitio, et inde egestate pressus arma sumpsisset et in Indiis militiam exercuisset, ideoque quaesiverit dispensationem, quatenus esset irregularis, proposito dubio: – II. An cum eo sit dispensandum? –, Sacra Congregatio respondit: – Esse dispensandum – *in Salisburgen. Irregularitatis die 14 Maii 1689 lib. 39 Decretorum pag. 161.*

51. Unde concessa est dispensatio ab irregularitate Clerico, qui vi coactus fuerat arma sumere et cum hoste congredi, quin sciret, an aliquem occidisset vel sauciasset, etiamsi valde parum intelligeret linguam latinam, sed necessitas augendi Ministrorum numerum urgeret *in Aretina die 18 Martii 1815.*

52. Siquidem Clericus Donatus Romani miles conscriptus vi coactus fuit arma sumere, in bellum ire, cum hoste congredi, licet nesciret, an in aestu conflictus aliquem sauciaverit, vel interfecerit. In patriam reversus, cum ad Ecclesiae servitium redire vellet, postulavit dispensationem ab irregularitate. Episcopus testatus est de optimis moribus ante et postquam servitio militari addictus esset. Sed in literis parum profecisse dixit, ut ne vix quidem latinam linguam intelligeret, ita ut si promoveretur modicam consequi posset utilitatem Ecclesia, licet urgeret necessitas augendi Ministrorum numerum. Proposito itaque dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Aretina die 18 Martii 1815.*

53. Quin imo Sacra Congregatio, licet pluries denegaverit dispensationem Diacono et Canonico Ecclesiae Cathedralis, qui seculari militiae nomen dederat et arma tulerat, quin unquam aliquem interfecisset, iuxta ipsius iuramentum praestitum coram Episcopo, tandem post lapsum fere quinque annorum eam indulsit *in Ipren. Irregularitatis die 21 Maii die 17 Decembris 1701 die 30 Septembris 1702 et die 13 Ianuarii 1703 lib. 51, 52 et 53 Decretorum.*

54. Iamvero Henricus Bossaert in sacro Diaconatus ordine constitutus et Canonicus Ecclesiae Cathedralis Iprensis alias seculari militiae nomen dedit ac arma tulit pro servitio Regis catholici in Germania inferiori, se immiscendo in variis bellicis expeditionibus, in quibus, ut moris est, homicidia furta rapinae incendia aliaque huiusmodi sequuta fuerant, absque eo quod quemquam interfecerit vel mutilaverit, et deinde forsan in suis Ordinibus, non

tamen in contemptum clavium, se exercuit. Episcopus retulit, Oratorem ex levitate animi praedicta perpetrasse, sed metu irregularitatis incurrendae sclopum semper in aerem explosisse, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum esse, neminem occidisse mutilasse aut etiam laesisse, et a tempore, quo arma tulit, nunquam Altari ministrasse, nec ulla sui Ordinis functiones exercuisse, quod iuramento declaravit coram eodem Episcopo. Testatus est insuper, illum a tribus annis ad meliorem frugem reversum poenitentiae signa dedisse, et ab anno commoratum esse in Seminario, in quo etiam de praesenti reperiebatur, spiritualibus exercitiis ac studiis vacando, proindeque eumdem petita gratia dignum censuit. Sacra Congregatio tamen duabus vicibus die 21 maii et 17 decembris 1701 instantiam reiecit, dein 30 septembris 1702 rescripsit: – Expectet –. Tandem post lapsum fere quinque annorum supplex Orator rediit. Propositis hinc dubiis: – I. An indigeat dispensatione? *Et quatenus affirmative.* II. An sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad utrumque – *in Ipren. Irregularitatis die 13 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum.*

55. Animadvertendum tamen est, quod Militi seculari non prodest dispensatio obtenta cum clausula, nemine tamen interfecto aut mutilato, ut adscribi valeat militiae clericali, si ex eius mandato alter fures apprehendit, qui postea per Iudices ultima supplicii poena fuerint affecti *in Bisuntina die 22 Aprilis 1719.*

56. Iamvero Clemens Ioseph Pollet de Chintre cupiens adscribi militiae clericali petiit et obtinuit a Sede Apostolica dispensationem ab irregularitate, quam incurrerat, ex eo quod militiae seculari nomen dederat, ea adiecta clausula, nemine tamen interfecto aut mutilato. Quia vero occasione, qua ipse erat dux seu officialis subalternus cohortis Militum praesidiariorum in quadam arce, habuit in mandatis a suo Superiore, ut quosdam insequeretur, qui ad furandum illuc advenerant, alteri mandavit Officiali, ut haec adimpleret, et hic eos insecutus apprehendit et ad carceres publicos duxit, et capti subinde per Iudices Regios damnati fuerunt et ultima supplicii poena affecti, dubitavit, an dispensatio obtenta sibi prodesset. Videbatur quidem, quod ea ipsi proficua esse deberet; sed ad Textum in Cap. *Sicut* §. Clericos irregularitas contrahitur aut facto aut praecepto aut consilio, adeoque eadem verius illi prodesse non poterat. Proposito hinc dubio: – An Oratori suffragetur obtenta dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Bisuntina die 22 Aprilis 1719.*

57. Alias etiam Sacerdos, qui armatos direxerat hortatusque erat contra latrones eorumque duci veneni propinationem laudaverat et probaverat et ignorantia sacrorum Canonum Missam celebraverat, primum absolutionem a censuris, peractis exercitiis spiritualibus, obtinuit, dein etiam dispensationem ab irregularitate, attentis prius bonis moribus et impensa Episcopi commendatione, assequutus est *in Marsicen. Irregularitatis die 18 Martii 1815.*

58. Enimvero Sacerdos Michael Angelus Franchini in tumultu anni 1814, cum latrones illi, qui appellabantur *Briganti,* grassarentur honestos homines et Oppida caede incendiis rapinis conturbarent, ipse domum munivit armatis, qui, ut latrones repellerent, missilia ignea exploserunt, id quod ipse, non fecit, sed armatos direxit hortatusque est ad pugnam, et pulverem globulosque seu, ut vocant *la munizione,* distribuit. Rursus alio die cum Rusticis armatis egressus est obviam latronibus, et pluries ballistam igneam explosit, quin tamen aliquem occiderit vel mutilaverit. Tandem eius Frater, qui pharmaciam faciebat, venenum propinavit Duci latronum, ipso Sacerdote Franchinio plaudente et probante, quamquam affirmaret, veneficium huiusmodi patraturum fuisse eius Fratrem, licet ipse dissentiret. Nihilominus Franchinius Missam celebravit ea ductus opinione, se non incidisse in irregularitatem, ex eo quod arma sumpserit in sui defensionem. Episcopus retulit, – Concubinam flagiosi viri scelestorum Principis fuisse peremptam, quumque haud sint interesse habentes, nulla sequuta est compositio cum Parte nec etiam cum Fisco, qui veneficium patratum non crimini adscripsit, sed beneficium maximum Regno collatum iudicavit. Orator vero ipse bonis moribus ornatus, bona

fama apud Clerum et Populum pollet. Consilium datum pro veneficio est occultum. Censeo ergo, eius rehabilitationem nullum scandalum ingerere posse, et cum Oratore praedicto, qui ob sacrorum Canonum imperitiam in praedicta crimina impegit, misericorditer agendum –. Sacra Congregatio autem die 17 septembris 1814 rescripsit: – Expectet, et se recipiat per duos menses in aliqua religiosa Domo, et redeat commendatus ab Episcopo, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, attento veneficii crimine –. Et die 24 eiusdem mensis septembris – Sanctissimus benigne annuit pro gratia absolutionis a censuris ex causa veneficii, firma remanente, quoad dispensationem ab irregularitate, resolutione Sacrae Congregationis Concilii –. His itaque impletis, rediit Orator impense ab Episcopo commendatus, cum decem saltem menses elapsi essent, ex quo ab Sacris arceretur, et post expleta sexaginta dierum exercitia alii quatuor menses effluxi essent in expectatione gratiae imploratae. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Marsicen. Irregularitatis die 18 Martii 1815.*

59. Unde is, qui militares copias secutus erat et imperium militibus dederat, ut hostes aggrederentur, ac bis oblatum sibi singulare certamen acceptaverat, quum inde non dubia signa constantis emendationis exhibuerit, poenitentiam peregerit, bono exemplo esset omnibus, sacris disciplinis incumberet, et idoneus Ordinibus suscipiendis censeretur, dispensationem ab irregularitate obtinuit *in Veronen. Irregularitatis die 16 Februarii 1805.*

60. Enimvero in bellorum tumultu, quibus Italia iactata erat, Augustinus Refondini militares copias sequutus, praesens fuit cum bellicum cecinit, et ipse imperium militibus dedit, ut hostes aggrederentur. Incertus erat, num in aestu pugnae aliquem saucium occisumque dimiserit. Hoc tamen fatebatur, extra pugnam bis oblatum sibi singulare certamen acceptasse, et semel leve vulnus provocanti inflixisse, qui brevi convaluit, et pace facta nunquam querelam ad Fiscum detulit. Inde totus mutatus ab illo, qui antea fuerat, et vigesimum quintum annum agens, dispensationem ab irregularitate postulavit, ut ad sacros Ordines promoveri posset. Episcopus retulit: – Post quinquennium ad propriam familiam reversus Orator, militari onere iam soluto, humanarum literarum et philosophiae studium iampridem interceptum denuo suscipiens, praevia non dubia signa evidentis emendationis, peracta de erroribus salutari poenitentia, universali admirabili exemplo et Populi aedificatione, ecclesiasticam disciplinam constanti eius animo cum Sacramentorum frequentia amplexus est, ita ut pluribus abhinc mensibus ad Theologiae moralis et dogmaticae studium sedulo incumbens, ad sacros suscipiendos Ordines plenissime habilis et perdiligenti examine idoneus repertus sine dubio admittendus quamprimum attestor, quatenus de huius Sacrae Congregationis Concilii benignitate id concedere visum fuerit –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Veronen. Irregularitatis die 16 Februarii 1805.*

61. Imo Sacra Congregatio, postquam bis negaverit dispensationem Praeposito et domino loci, iure feudi, qui verbis necem minantibus praeceperat, ut eius subditi aliquot praetensos facinorosos persequerentur, hique unum ex illis interfecerunt, tandem mandavit, ut is supplicaret, concordato prius Fisco *in Derthonen. Irregularitatis die 2 Maii die 3 Octobris 1711 et die 17 Iunii 1713 lib. 61 et 63 Decretorum.*

62. Siquidem cum ad locum Alberiae accesserit Dominicus Ridella cum duobus Sociis, Sacerdos Dominicus Bozzini Praepositus Alberiae, ad quem pertinebat iure feudi iurisdictio temporalis eiusdem loci, die 10 martii 1709 convocavit plures eius subditos, ut armati carceribus mancipassent dictos praetensos facinorosos, eosque verbis necem minantibus persequerentur, quos inter convocatos extitit Sacerdos Ioannes Dominicus Bozzinus nepos dicti Praepositi, qui ex fenestra Domi Capellani Varni, ubi tamen non erat Praepositus, ictum sclopi explosit, prout alii Canonici egerunt, exindeque vulneratus Ridella obiit. Praepositus, licet contenderet, se in irregularitatem non incidisse, ad cautelam tamen gratiam dispensationis implo-

ravit. Proposito vero dubio: – II. An sit dispensandus ?–, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, eum incurrisse irregularitatem, die 2 maii 1711 respondit: – Ad secundum, Negative –. Novis inde adductis iuribus, reproposito dubio sub formula: –. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 2 maii 1711 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 octobris 1711 respondit: – In decisis –. Demum reproposito dubio sub eadem formula, responsum tulit: – Ad secundum, dilata; et supplicet, concordato Fisco – *in Derthonen. Irregularitatis die 17 Iunii 1713.*

63. Unde attentis necessitate et utilitate Ecclesiae probatissimis moribus et animi benignitate concessa est dispensatio ab irregularitate ei, qui in trigesimo aetatis anno versabatur, quique militibus praeceperat, vel potius assensum praebuerat, ut transfugam occideret *in Ovetana Irregularitatis die 11 Iulii et die 19 Decembris 1818.*

64. Enimvero saeviente in Hispania bello Cohors a nationalibus instituta fuit, cuius munus esset, milites, qui a Patria defecissent, colligendi revocandique ad officium. Huius agminis dux, nomine *Sargente comandante,* factus est quidam Caietanus Alvarezius de la Campa Ovetanae Diaecesis, qui cum antea inter Monachos Cistercienses accenseri expostulasset, temporum circumstantiis impeditus, ad defensionem patriae ab iniustis invasoribus aggressae militiae suum dedit nomen. Dum igitur munere suo fungeretur, ductus fuit ad illum transfuga quidam, clamante Populo eiusque mortem petente, ne periculum esset novae transmigrationis ad hostes, neve impunitatis spe ceteri ad id crimen patrandum allicerentur. Hisce vocibus clamoribusque permotus Alvarezius consensum suum praebuit, ut infelix ille morti traderetur, quod illico absque iudicii forma, ne militari quidem, exequutum fuit. Bello interim ad finem perducto rebusque compositis, iterum suum desiderium aperuit Alvarezius ad Monachos redeundi, quod cum ob aetatem minime illi concessum fuisset, inter seculares Clericos cooptari posse visum est; quapropter dispensationem ab irregularitate postulavit. Episcopus narravit, eum interfectum fuisse in loco deserto, hora noctis intempesta, ita ut, quamvis publice constaret de hominis illius occisione, ignoratum fuerit et erat, quis eum occiderit aut occidi mandaverit, quin imo huius facinoris praemium et laudem apud belli duces alter tulit. Praeterea testatus est, quod Oratoris vita et mores probatissimi erunt et fuerunt, poenitentiam et confessionem generalem peregit, statim ac a militia recessit; dignum propterea eum iudicavit, cui a Summo Pontifice benigne ac misericorditer provideretur. Proposito interim dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 iulii 1818 responsum tulit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro nova informatione, et referat de aetate Oratoris eiusque idoneitate quoad scientiam, nec non de Ecclesiae utilitate et necessitate –. Episcopus retulit, Oratorem mitissimo esse animo, in trigesimo primo aetatis suae anno versari, sufficienti scientiae gradu ad sacros Ordines non carere, Ecclesiae necessitatem in summo consistere, ac de ipsius promotione ad clericalem statum non mediocrem utilitatem reportaturam. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, peractis exercitiis spiritualibus in Domo religiosa et pro tempore arbitrio designandis, per Breve – *in Oveten. Irregularitatis die 19 Decembris 1818.*

65. Hinc et Capitulum Ecclesiae Zagabriensis, iuxta leges Regni, si ageretur de bello pro Catholicae fidei, et patriae defensione, mittebat Milites, quibus praeerat aliquis de gremio Capituli; cum autem eam ob causam anno 1685 praefatum Capitulum milites misisset, iisque praeesset Archidiaconus, hic Vexilliferum Turcam necavit, dum se ab exercitu croatio opprimi credebat. Proposito hinc dubio:-II. An cum eo sit dispensandum?–, Sacra Congregatio respondit: – Esse dispensandum – *in Zagabrien. Dispensationis super Irregularitate die 17 Novembris 1685 lib. 35 Decretorum pag. 451.*

66. Amplia, Sacra Congregatio dispensationem ab irregularitate indulsit Carolo Dominico Iutz Svittensi in Helvetiis septuagenario, qui per multos annos in Senatu Patriae ius dixerat, ad effectum suscipiendi sacros Ordines, emisso tamen per Rosam ipsius uxorem quinquagenariam voto perpetuae continentiae nec non permanentiae in aliqua reli-

giosa domo usque ad obitum viri; his enim in terminis proposito dubio : – An et quomodo, praevia Apostolica dispensatione ab irregularitate, sit concedendum Carolo Dominico Iutz, ut ascendere possit ad sacros Ordines in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit : – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab Irregularitate et pro facultate in casu, de quo agitur, ascendendi ad sacros Ordines, emisso per Rosam voto perpetuae continentiae nec non permanentiae usque ad obitum Viri in aliqua religiosa domo sub approbatione Emi Archiepiscopi – *in Costantien. die 31 Maii 1766.*

67. Imo, qui plura exercuit gubernia in Ditione ecclesiastica, cum tantum assereret, se nunquam in Causa sanguinis immiscuisse, dispensationem ad cautelam ad effectum suscipiendi sacros Ordines obtinuit, sed quum mox satis luculenter probaverit, se nullum actum in Causa sanguinis egisse, Sacra Congregatio declaravit, eumdem dispensatione non indigere *in S. Severini Irregularitatis die 2 Iunii 1703 lib. 53 Decretorum.*

68. Siquidem – cum Marcus Antonius Lazzarellus minoribus tantum Ordinibus initiatus nonnulla gubernia in Ditione ecclesiastica exercuerit absque eo quod, ut inquit, in Causis sanguinis ullo pacto se immiscuerit, ex postea provisus de Canonicatu in Cathedrali Ecclesia S. Severini, instetit Episcopo pro collatione Subdiaconatus, istoque renuente dictum Ordinem eidem conferre, sub fundamento irregularitatis incursae ob praedictum exercitium Gubernationis, preces porrexit ad hanc Sacram Congregationem supplicando declarari, se non incurrisse in irregularitatem; remissisque ad eumdem Episcopum pro informatione, iste retulit, quod Orator plura gubernia et consequenter criminales iudicaturas exercuit, asserit autem, se ignorare, an in huiusmodi exercitio processum aut actum aliquem in Causa sanguinis egerit, et existimat, ex sola assumptione Officii Iudicis criminalis Oratorem saltem praesumptive irregularem effectum fuisse, proindeque ad cautelam cum eo esse dispensandum. Proposita igitur summarie istantia in Congregatione habita die 3 martii, responsum extitit : « Esse dispensandum ad cautelam ». At non acquiescens idem Canonicus, ad evitandas graves expensas expeditionis, iterum ad EE.VV. supplex redit putans, nulla indigere dispensatione, et ad hunc effectum exhibet nonnullas attestationes, ex quibus habetur, ipsum nunquam in dictis Causis se immiscuisse, nec non aliam, ex qua resultat, duos provisos extitisse de Archidiaconatu in eadem Ecclesia Cathedrali absque ulla prorsus dispensatione Apostolica et similiter sacros Ordines suscepisse, licet antea huiusmodi gubernia exercuerint; quibus attentis una cum iurata declaratione ipsiusmet Canonici Oratoris, EE. VV. respondere dignabuntur: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, non indigere – *in S. Severini Irregularitatis die 2 Iunii 1703 lib. 53 Decretorum.*

69. Quum autem Clericus Petrus de Larriantegui Colon Toletanae Dioecesis in Aula Matritensi evectus ad munus Regii Auditoratus, requirentis Causarum criminalium cognitionem, obtinuisset a s. m. Innocentio XII Breve praeservativum ab irregularitate ad triennium, – dummodo tamen a sententia in Causa sanguinis per te ipsum ferenda omnino abstineas –; ac exinde assumptus in eadem Curia ad exercendum munus, ut aiebant, *d' Alcado,* in quo Tribunali, et in illo Auditoratus sententiae sanguinis seu mortis poenam importantes collegialiter pronunciabantur hoc pacto, videlicet unusquisque ex dictis Iudicibus proposita Causa suum ferebat votum, et Secretarius, votorum pluralitate attenta, Decretum extendebat, quod prompte executioni demandabatur, absque eo quod Iudices ullam formarent sententiam aut Decretum subscriberent, hinc Orator petiit declarari, an in huiusmodi Causis votum suum ferre posset vigore praefati Brevis Pontificii absque incursu in irregularitatem. Propositis tamen dubiis: – I. An vigore praedicti Brevis Innocentii XII tuta conscientia et absque incursu in irregularitatem possit Orator modo supra enunciato consulere et votum ferre in Causis sanguinis et mortis poenam importantibus? *Et quatenus negative.* II. An dispensatio sit concedenda? –, Sacra Congregatio respondit: – Pro meliori informatione, et ad mentem – *in Toletana die 4 Februarii 1702 lib. 52 Decretorum.*

70. At Clericus Aeneas Gaeta, qui Notarii

criminalis munere viginti annos functus erat, quin tamen sanguinis sententiam dixerit, vel ad eam aliquo modo operam dederit, nec non bigamus existebat, dispensationem ab irregularitate assequi non valuit, ad effectum adipiscendi Canonicatum de iurepatronatus activo et passivo Familiae Gaeta, cum praesertim praefatam dispensationem intra tempus legitimum sibi assignatum non obtinuisset *in Pisana die 22 Februarii 1823* (1).

71. Hinc multo magis denegatur Parocho dispensatio ab irregularitate, cum nedum ex defectu lenitatis, sed etiam ex delicto inciderit in irregularitatem, unde postquam pluries reiectae fuerint eius preces, vix tandem indulgetur eidem rehabilitatio ad Ordinem tantum, non vero ad Paraeciam, etiamsi cuncta concurrere videantur, quae plenariam rehabilitationem suadere possunt *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817.*

72. Siquidem in Castrum Ploraci advenerunt quidam ignoti homines baculis falcibusque armati, qui cum recusassent exhibere commeatum, immo pugnassent cum militibus civicis, unus ex his sauciatur et captus ad Xenedochium traductus est, ut vulneri curatio adhiberetur. Cum lethaliter aegrotaret, ei praesto fuit Parochus eiusdem Castri Marius Mannucci, qui hominis vulnerati sacramentalem excepit confessionem. Post, infirmum adiit Inspector, quem vocabant *della Polizia,* eumdem frustra interrogavit de nomine cognomine patria; nam aegrotus altum tenuit silentium. Itaque Inspector callidum et fraudolentum cepit consilium, scilicet duos apud lectum Infirmi vesperescente caelo occultavit Testes, qui facile audirent, quae Infirmus diceret. Deinde induxit Parochum Mannucci interrogantem, qui, licet conscius paratae fraudis, Inspectori tamen morem gessit, nullum ratus exinde malum nec sibi, nec Infirmo obventurum. Factis interrogatoriis, infirmus nihil doli subvertens aperte fassus est, se vocari Dominicum Marocchi, esse patria Cingulanum, et cum italici Gubernii Satellitibus (vulgo *Gendarmi*) rem habuisse. Quae omnia Testes occulti retulerunt Inspectori *della polizia,* qui, ut convaluit Infirmus Marocchi, eum apprehendit, et Maceratam vinctum apud tribunal militare traduxit, ubi paullo post vocati fuere tum Plebanus Mannucci, tum Testes illi, quos Inspector occultaverat, ut iterum referrent coram *il Brigadiere de' Gendarmi,* qui munus *del Cancelliere del Relatore* obibat, de his, quae a Marocchio audierant. Criminali hinc instituto iudicio ex aliis inductis Testibus convictus capite damnatus est, tamquam reus – di resistenza a publici funzionarii in Villa di Torre, di opposizione eguale in Pioraco, e di complotto con suono di campana a martello nella Parrocchia di Torrigiano –, atque die 17 augusti 1809 extremum supplicium subivit. Nihilominus Parochus Mannucci Sacris semper operatus est, nec putavit se irregularitate innodatum, ex eo quod contra damnatum Marocchium testis interfuerat. Tandem aliorum monitis excitatus die 10 iunii 1815 dispensationem ab irregularitate postulavit. Vicarius Capitularis retulit, quod – nec laudabile illius vitae genus, nec tam bonis fuisse praeditum moribus a nonnullis fide dignis – acceperit: verum inde die 2 iulii 1815 monuit, quod – duo integerrimi Sacerdotes Paraeciae Oratoris proximiores de eius resipiscentia et de probato vivendi instituto, notabili ab hinc tempore suscepto, testantur –. Hinc Sacra Congregatio die 22 iulii 1815 rescripsit: – Lectum, et Ordinarius procedat, prout de iure, proviso Paraeciae de idoneo Oeconomo –. Mox Parorochianis pro Mannuccio gratiam exbrantibus, die 15 sequentis mensis novembris rescriptum est: – In decretis sub die 22 iulii proximi praeteriti –. Novis precibus rediit Mannuccius: et Vicarius Capitularis testatus est de Oratoris obedientia eiusque susceptae emendationis et poenitentiae signis, de exercitiis spiritualibus per dies quindecim humiliter ab eo peractis, qui etiam – laudabili vitae instituto morumque gravitate Clero simul et Populo bonis praeluxit exemplis –. Ideirco Oratoris rehabilitationem nullius fore scandali, sed potius ad pia Populi vota explenda conferre existimavit. Praeterea Orator in Coenobium S. Bonaventurae Urbis ad dies duodecim sese ultro recepisse probavit;

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Bigamus,* n. 34 ad 37, Tom. III.

nihilominus cum annus nondum lapsus esset a reiectis primum precibus, dimissus fuit die 27 aprilis 1816 Rescripto:– Expectet –.Paupertate laborans Mannuccius novis precibus adiit Sacram Congregationem, et die 25 maii 1816 rescriptum fuit: – In decretis sub die 27 aprilis proximi praeteriti –. Iterum pro absolutione et rehabilitatione ad parochialia munia supplicavit Plebanus; sed reproposita instantia die 13 iulii 1816, eodem Rescripto dimissa est: – In decretis sub die 22 iulii elapsi anni –.

73. Demum ad Summi Pontificis pedes confugit Mannuccius. Precibus Pontificia manu remissis – a Monsignor Secretario del Concilio, che ne parli –, ex audientia Sanctissimi die 30 septembris 1816, referente Secretario, Rescriptum prodiit: – Pro gratia dispensationis et rehabilitationis iuxta petita, arbitrio et conscientiae Vicarii Capitularis, dummodo tamen celebret Romae tantum –. Exinde ad Sacram Congregationem Mannuccius renovavit preces pro impetranda plenaria rehabilitatione ad Ordinem et Paraeciam. Orator enim animadvertit, Summum Pontificem ab irregularitate iam dispensasse, et ob id dispensationem ad Urbem Romae cohibuisse, ne in Camerinensi Archidiaecesi scandalum oriretur: at scandalum omne abesse videbatur, cum in facto essent emendatio vitae, extrema, qua laborabat, paupertas, nec non septennium iam elapsum a commisso crimine, ex eo etiam quod ipse sponte a parochialibus muniis exercendis sese abstinuit, non vero per suspensionem privatus. Unde cum in Paraecia Oeconomum Curatum retineret, eidem stipendium suppeditare debebat, ut fere nihil ex reditibus parochialibus perciperet, et ex eleemosyna Missarum vivere deberet. Quin imo sustinuit, dubium saltem esse, contractam ab ipso fuisse irregularitatem. Nam inspecta sententia criminali, se ne remotam quidem causam dedisse contendit, ut Marocchius poena capitis mulctaretur, si eum in Xenodochio interrogavit. Is quippe ex aliis delictis et ex aliis Testibus convictus fuit, non vero ex eo quod in lecto decumbens fassus erat nomen patriam et rem habuisse cum Satellitibus, cum id satis ad eius condemnationem haud esse poterat. Praeterea ex Testibus probavit, se nunquam interfuisse iudicio criminali, sed tantum confirmasse, quae a Marocchio resciverat. Nec ipse voluntarie, sed coacte ad ferendum testimonium compulsus fuerat, ex imperio publicae potestatis, cui parendum illis temporibus erat, ne aliquid gravius eveniret; non de crimine sententia sanguinis digno testimonium tulerat, sed de patria nomine et de re, ex qua reus ad poenam ultimi supplicii damnari non poterat, cum nil aliud a Marocchio audivisse affirmavit, *che aveva avuto che fare coi Gendarmi.* Videbatur tamen Mannuccius irregularitatem contraxisse ex delicto, quia operam dederat rei illicitae seu fraudi, cum facilius Marocchius eidem tamquam suo Confessario rem confideret; ex defectu etiam lenitatis, quia adfuerat tamquam Testis Fiscalis in iudicio capitali, nec non ex celebratione Sacri, postquam dederat causam supplicio a Marocchio passo.

74. His utrinque perpensis proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro plenaria rehabilitatione ad Ordinem et ad Paraeciam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative quoad Ordinem tantum – *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817.*

75. Itaque anno 1807 turba Latronum armatorum per agrum Terrae Accepturae excurrens, omnia caede incendiis rapinis vastans, die 18 iunii repressa est et fugata a militia civica illius Oppidi. Quod cum delatum esset illius habitatoribus, simul narratum est, Latrones illos, ubi se in fugam coniecerunt, plura reliquisse spolia ex rapinis cumulata. Nocte igitur insequenti Subdiaconus Ioseph Abbate una cum aliis tribus sociis ad eum locum sese contulerunt, ut, si quae invenissent derelicta, sibi applicaret. Hac tamen spe frustrati invenerunt tres Latrones dormientes. Hinc contentio orta est, utrum illos occidere deberent nec ne, qua quidem in contentione tacitus se continuit Subdiaconus Abbate neque suasit, neque impedivit deliberationem, quam ceteri ceperunt, advocandi scilicet Legionarios milites, qui advenientes unum ex Latronibus (nam alii duo e somno expergefacti profugerunt) statim militari exequutione interfecerunt. Huius occisioni interfuit Subdiaconus Abbate sclopo armatus, sed nullam in ea partem habuit, immo recusavit tradere balli-

stam igneam uni ex praesentibus, qui in Latronem mortis sententiam pandiderat. Inde vero cum ad Diaconatus Ordinem promoveri cuperet, dispensationem ab irregularitate imploravit. Vicarius Capitularis testatus est, Oratorem bonis moribus esse imbutum, Ecclesiae servitio assiduum, poenitentiam egisse, iamque ab octo mensibus, quibus immorabatur in Monasterio Patrum Conventualium bonae vitae monumenta praestitisse, in Subdiaconatus Ordine per quatuor annos totidemque menses permansisse. Unde contra spiritum lenitatis quidem in supramemorata contentione tacitus se gessit et occisioni interfuit, atque dedit operae rei illicitae, cum accessisset, ut spolia a Latronibus derelicta sibi applicaret, et curiositate motus, ut occisionem videret; sed boni Oratoris mores, assiduum Ecclesiae servitium, commendatio Seniorum Capituli Cathedralis Ecclesiae, poenitentia peracta per octo menses in Religiosa domo, dispensationem suadere videbantur. Proposito tamen dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et ad mentem – *in Tricarien. Irregularitatis die 17 Septembris 1814.*

76. Quum autem Sacerdos Bernardus Evangelista obtinuisset Indultum exercendi medicam artem in Civitate S. Germani – per annum tantum, si tamdiu penuria Medicorum perduraverit –, sed ille elapso etiam dicto anno medicinam exercuerit falsa deceptus opinione, quod clausula praefati Indulti intelligenda esset in latiori sensu pro Indulti prorogatione, quousque penuria Medicorum perdurasset, proposito dubio: - II. An sit locus dispensationi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, esse dispensandum ad cautelam – *in Nullius Montis Casini die 12 Decembris 1761.*

77. Similiter dispensatus fuit ad cautelam Sacerdos ab irregularitate forsan contracta ob confectionem et distributionem medicinalium vulgo *confezioni di Giacinto* etc. Episcopo testante, parum peritum esse in eisdem conficiendis *in Camerinen. Irregularitatis et Indulti die 28 Februarii 1693 lib. 43 Decretorum.*

§. VIII.

DISPENSATIO AB IRREGULARITATE ORTA EX DEFECTU CORPORIS

1. Divino praecepto in veteri Testamento corpore vitiati a Sacerdotali officio arcebantur, ceu videre est in Levit. XX, 18 et 19: verum cum morte Christi praecepta omnia caeremonialia finem habuerint, idcirco haec quoque lex desiit obligare, et in ipso Ecclesiae initio non attento, an promovendi ad Sacerdotium vel Episcopatum aliquo corporis vitio obnoxii essent, solum quaerebatur, quod apti fierent ad Sanctuarii ministerium ac virtutibus pollerent et omnibus qualitatibus, quibus verbo et exemplo praeesse possent gregi ipsorum curae commisso, ut ad rem Thomassinius de veter. et nov. Eccles. disciplina part. 2 lib. 1 a n. 2 ad 6; et in Can. 76, qui appellatur Apostolorum, habetur: – Si quis vel oculo orbatus vel foemore oblaesus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animae inquinatio – *in Treviren. Irregularitatis die 22 Ianuarii 1774* §. *Divino.*

2. Quidquid tamen sit de veteri Ecclesiae disciplina, certum est ex pluribus Summorum Pontificum responsis compertum hodie fieri, ab Altaris ministerio arceri, qui aliquo corporis vitio laborant, ceu videre est in Can. *Illiteratos* dist. 36, et in Cap. *Presbiterum* de Clerico aegrotante *in Treviren. Irregularitatis die 22 Ianuarii 1774* §. *Quidquid.*

3. Verum si defectus talis sit, ut non impediat, quominus Sacerdos Missam celebrare valeat, nec scandalum generet aut deformitatem, tunc celebratio permittitur et dispensatio indulgetur. Siquidem in Cap. *De Presbitero* de corpore vitiatis agebatur de

Presbitero, qui in duello partem digiti amiserat, et requisitus Alexander III, an dictus Presbiter posset in suo Ordine ministrare, respondit: – De Presbitero Campaniae, qui duellum sponte obtulit et oblatum suscepit, et in eo partem digiti amisit, respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes post peractam poenitentiam cum eo misericorditer agere et permittere in suo Ordine ministrare, licet eius excessus gravis admodum extitisset –. Et in Cap. *Thomas* eod. tit. cum quidam Monachus ex percussione cuiusdam barrae ferreae pollicis ungulam amisisset et dispensationem postulasset, ut ad sacros Ordines promoveri posset, Honorius III respondit: – Thomas Monachus proposuit, quod cum in annis puerilibus esset constitutus quaedam barra ferrea super dexterae suae pollicem fortuito casu cadens ungulam avulsit ab eo. Quocirca mandamus, quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens et aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis – *in Treviren. Irregularitatis die 22 Ianuarii 1774* §. *Verum.*

4. Hinc et Sacra Congregatio concessit dispensationem ab irregularitate Sacerdoti, qui sinistro pollice carebat *in Carducen. die 14 Ianuarii 1663 lib. 28 Decretorum pag. 3.*

5. Siquidem ubi res fuit de casuali defectu et de Sacerdote iam promoto non semel, sed pluries Sacra Congregatio dispensationem indulsit: exemplum est in Baren. 16 decembris 1673 et praesertim in Mutinen. 24 maii 1734, in qua Sacerdoti tribus digitis carenti pollice indice et medio fuit dispensatio concessa ea tamen lege, ut tantum in Oratorio privato, vel in publica Ecclesia, hora tamen a Populo minus frequentata celebraret *in Comen. Irregularitatis die 8 Aprilis 1775* §. *Verum.*

Item *in Cameracen. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1821* §. *His; in Catanien. Irregularitatis die 8 Augusti 1829* §. *Verum.*

6. Quinimo in Samogiaten. 15 martii 1738 concessa fuit dispensatio Vicario Curato, cui unice superfuerat digitus pollex, ita tamen, ut in Ecclesiis minus frequentatis Sacrum perageret *in Cameracen. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1821* §. *His.*

Item *in Catanien. Irregularitatis die 8 Augusti 1829* §. *Verum.*

7. Unde in Lunen. Sacerdos Thomas Bianchi ex apopletico morbo non poterat calicem sumere nec manum ori admotum tenere, nisi pollicem ab indice disiungeret: petiit proinde dispensationem, ut in celebratione Missae ope sinistrae manus uti posset, quam quidem concessit Sacra Congregatio die 20 augusti 1769, et Sanctissimus die 28 eiusdem mensis adprobavit, ut in lib. 119 Decretorum pag. 243 *in Treviren. Irregularitatis die 22 Ianuarii 1774* §. *Plura.*

8. Qua de re Sacerdos inopia pressus, quum per accidens partem pollicis et indicis nec non extremitatem digiti medii amiserit, sed facto experimento absque indecentia et sine scandalo Calicem et Hostiam elevare et frangere poterat, dispensationem obtinuit arbitrio et conscientiae Episcopi *in Treviren. Irregularitatis die 26 Februarii 1774.*

9. Enimvero ex improviso ictu decidentis mallei cuiusdam Fabri ferrarii Sacerdos Ioannes Baptista Iovant talem passus est laesionem in dextera manu, ut non solum partem pollicis et indicis, sed etiam extremitatem digiti medii amiserit. Cum tamen ope digiti medii et articulo pollicis posset sine deformitate aut periculo sacram Hostiam tenere ac frangere et Calicem contrectare, supplex petiit dispensationem ab irregularitate, ut et Missam celebrare et Sacramenta administrare valeret, aliaque omnia exequi, quae Vice-Curati officium concernebant. Hanc autem dispensationem, quo facilius assequeretur, facultatem postulavit utendi in rebus divinis peragendis auxilio sinistrae manus, quatenus cum dextera in aliquo deficere comperiretur. Extremam exposuit egestatem, ita ut non haberet, unde vivere, nec Matri viduae ac senio confectae, nec Fratri et Sorori posset alimenta praebere. Officialis Trevirensis, facto experimento coram caeremoniarum Magistro, retulit, Oratorem absque indecentia et sine scandalo Calicem et sacram Hostiam elevare ipsamque frangere posse; eumque dignum Apostolica dispensatione censuit, cum valde tenue Beneficium possideret, ratione

cuius omni hebdomada quatuor Missas celebrare tenebatur. His itaque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro gratia arbitrio et conscientiae Ordinarii, facto verbo cum Sanctissimo – *in Treviren. Irregularitatis die 26 Februarii 1774.*

10. Imo Canonicus, qui licitae venationi vacans ex disruptione igneae ballistae universos sinistrae manus digitos amiserat, attentis eius bonis moribus egestate ac morali certitudine ex Magistri Caeremoniarum et Vicarii Capitularis testimonio, quod Sacrificii functiones sine periculo et scandalo explere posset, dispensationem ab irregularitate obtinuit, dummodo tamen celebraret hora a Populo minus frequentata *in Gerunden. Dispensationis ab irregularitate die 24 Maii 1788.*

11. Iamvero dum mense ianuario anni 1782 Sacerdos Caietanus Falbo, Collegiatae Ecclesiae Cacurri Canonicus, licitae vacabat et ab ipso Episcopo permissae venationi, universos sinistrae manus digitos ex igneae ballistae disruptione amisit. Hinc EE. PP. exoravit pro dispensatione a contracta irregularitate. Bonis praeditus erat moribus, iugiterque choro et sacris functionibus interessebat, gravi laborabat egestate, neque ex tenui Canonicatus fructu par erat alendae grandaevae eius Matris Fratriae viduae Sororibus Nepotibusque; ac moralem tandem Magistri caeremoniarum et Vicarii Capitularis testimonio dabat certitudinem, quod Sacrificii functiones sine periculo et scandalo expleret. Proposito itaque dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, dummodo celebret hora a Populo minus frequentata - *in Gerunden. Dispensationis ab irregularitate die 24 Maii 1788.*

12. Nam Sacra Congregatio semper usa est regula in concedendis dispensationibus super defectu corporis, ut eas facilius indulserit, ubi res erat de dispensando Sacerdote iam promoto, quam ubi agitur de Clerico promovendo *in Comen. Irregularitatis die 8 Aprilis 1775* §. *Verum* §. *Haec.*

Item *in Neapolitana Irregularitatis die 17 Septembris 1814* §. *Verum; in Cameracen. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1821* §. *His; in Firmana Irregularitatis die 24 Maii 1823* §. *Dispensatio; in Baionen. die 20 Martii 1824* §. *Regulam; in Catanien. Irregularitatis die 8 Augusti 1829* §. *Ne; in Lisbonen. Irregularitatis die 24 Iulii 1830* §. *Quamquam; in Derthonen. Dispensationis die 2 Martii 1844* §. *Porro.*

13. Quamvis vero difficile voti compotes fiant promovendi, qui irregularitate laborant, attamen non desunt exempla huiusmodi concessionum ab Apostolica Sede factarum, dum peculiares accesserunt circumstantiae *in Cameracen. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1821* §. *Verum.*

Item *in Catanien. Irregularitatis die 8 Augusti 1829* §. *Et.*

14. Siquidem Sacra Congregatio in Ianuen. 6 augusti 1825 adolescenti Iacobo Garibaldi, et in Massen. 27 iunii 1829, inter supplices libellos relatis, Clerico Bartholomaeo Bertoli dispensationem ab irregularitate concedendam esse respondit, quamvis utrique integer laevae manus index deesset, immo posterior prima etiam pollicis careret phalange, adeo ut in re divina facienda medio digito sibi omnino esset utendum *in Catanien. Irregularitatis die 8 Augusti 1829* §. *Et.*

15. Idcirco attentis claris Oratoris dotibus Sacerdotum inopia ac enixis ipsius Episcopi precibus, Clerico, qui anteriori parte pollicis laevae manus orbatus fuerat per amputationem secundum artem peractam, concessa est dispensatio ab irregularitate, ut Missam, cum digitali aureo vel argenteo inaurato posset celebrare, praemisso tamen experimento coram sacrarum caeremoniarum Magistro *in Cameracen. Irregularitatis die 17 Februarii 1821.*

16. Siquidem Ioannes Baptista Ioseph Bouchez, posteaquam ecclesiasticae militiae nomen dederat, anteriori parte pollicis laevae manus orbatus fuit per amputationem secundum artem peractam. Verumtamen cum facile posset residua parte pollicis hostiam tenere frangere sumere, dummodo truncatus pollex ad extremitatem fortiter esset illigatus et aliquo tegumento sive serico, sive pellico, sive metallico esset coopertus, hinc dispensationem ab irregularitate efflagitavit, ut ad

sacros Ordines promoveri posset, Missamque cum digitali aureo vel argenteo valeret celebrare. Episcopus haec habuit: – Testamur, Ioannem Baptistam Iosephum Bouchez pietate non ficta scientia morum integritate vere commendabilem se praebere, maximamque sui expectationem nobis movere, ipsum strenuum et diligentem Ecclesiae ministrum esse futurum. Idcirco Sanctitatem suam enixe adprecamur, ut postulatam dispensationem concedere dignetur –. Id enim etiam tunc temporis accedebat, quod Episcopi maximam Sacerdotum deficientiam lugerent. Agebatur tamen de Clerico promovendo, qui prae iam promoto difficilius gratiam assequi posse videbatur, praesertim cum ad tangendam frangendamque Hostiam egeret metallo. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative cum digitali aureo vel argenteo inaureato ita inhaerente, ut omne periculum amoveatur, quod Sacro peragendo cadere possit, et praemisso experimento coram sacrarum caeremoniarum Magistro, et dummodo eo digitali in nulla alia actione utatur, ac reverenter in capsula custodiatur, per Breve – *in Cameracen. Irregularitatis die 17 Februarii 1821.*

17. At non est locus dispensationi favore Clerici, qui fortuito in dextera manu ita graviter fuit laesus, ut eiusdem liberum in parte inferiori usum amiserit, salvis dumtaxat superstitibus digitis indice et pollice ac superiori eiusdem parte, licet Populus eum unanimi voto in Parochum elegisset, eumdemque Episcopus dignum dispensatione censeat *in Comen. Irregularitatis die 6 Maii 1775 et die 13 Iulii 1776.*

18. Enimvero Clericus Petrus Sertorius Tonsura insignitus causali ac repentina pulveris tormentarii accensione adeo graviter in dextera manu laesus fuit, ut eiusdem liberum in parte inferiori usum ac exercitium amiserit, unice salvis et incolumibus superstitibus digitis indice et pollice ac superiori eiusdem manus parte, quibus libere et prompte utebatur; ex hoc innoxio casu id evenit, ut haud valeret Patenam post Hostiam consecrationem in Missae celebratione tractare, nisi vel contra praescriptum rubricarum uteretur, vel laeva manu vel pollice et indice dexterae post consecrationem non seiungendis. Idem innoxius casus haud eum ab ecclesiasticis studiis ecclesiaeque servitio retraxit, sed imo in iis adeo profecit, et vitae ecclesiasticae disciplina bonisque moribus adeo exemplo semper fuit, ut inde vacata Ecclesia vice parochiali loci Vetiae in Plebe Lugani ditionis Helvetiorum ad eam electus fuerit unanimi voto Populi, ad quem electionis ius spectabat. Hinc Clericus Petrus dispensationem imploravit, ut ad Presbiteratum promoveri, dictamque Parochiam assequi posset. Episcopus retulit, facto coram Magistro caeremoniarum experimento, Oratorem sacros ritus exacte peragere, – excepto quod post Sacrae Hostiae consecrationem sacram Patenam tractare non valeat, nisi contra sacrarum rubricarum praescriptum indicem pollicemque seiungat, vel ad eiusdem Patenae tractationem laeva manu utatur. Dexteram manum laesam et partim detruncatam tam in prophanis, quam ecclesiasticis operationibus ea arte tractat et exhibet, ut, parte inferiori laesa ad pectus conversa, superior tantum pars incolumis ad oculum exhibeatur, nullamque propterea nisi curiose investigantibus exhibet patentem deformitatem, nec ullum scandalum generat, aut ullum impedimentum praeter praedictum divinis praestat –; eumdemque, ob ecclesiasticae disciplinae studium, probatos mores, congruam rerum ecclesiasticarum scientiam, postulata dispensatione dignum proclamavit. Res vero erat de Clerico promovendo, non vero de Sacerdote iam promoto. Unde proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Comen. Irregularitatis die 6 Maii 1775.*

19. Tria subinde Clericus Sertori protulit exempla, in quibus Sacra Congregatio per Summaria precum dispensationem indulsit. Primum sub die 10 maii 1738 favore Sacerdotis Ioannis Pacevviz Praepositi Ecclesiae Szaulensis in Diaecesi Samogitiensi, qui ex fortuita sclopi explosione, salvo dumtaxat remanente pollice, quatuor digitos sinistrae manus amisit, ita tamen, ut celebraret in Ecclesiis minus frequentatis. Alterum vero sub die 26 februarii anni 1763 lib. 113 Decretorum fol. 65 favore Sacerdotalis Fran-

cisci Ferrari, qui inter venandum sibi sinistrae manus pollicem indicemque detruncavit. Tertium in Malacitana Irregularitatis 17 iunii 1775 favore Simonis Serrani nondum ecclesiasticae militiae addicti, qui ex quadam affectione morbi digitos sinistrae manus ita rigidos habebat, ut neque Missalis folia vertere, neque illius vittas sericas tractare posset, neque Patenam ita elevare, ut imum labrum extremamve menti partem attingeret. Advertebatur tamen, quod in primo et secundo exemplo agebatur de Sacerdotibus, non vero de Clericis promovendis, et in tertio res erat de sola rigiditate sinistrae manus, non autem de totali digitorum defectu. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Comen. Irregularitatis die 13 Iulii 1776.*

20. Quapropter haud indulgetur, ut quis, annum decimum nonum agens, ecclesiasticae militiae nomen dare sacrisque Ordinibus initiari possit, dum dexteram habet manum duobus digitis inferioribus carentem, nec post sacrae Hostiae consecrationem Calicem elevare ac sumere Patenamque dextera manu tractare valet, nisi contra rubricarum praescriptum indicem pollicemque seiungat, licet Episcopus asserat, Oratorem ceteras omnes sacras caeremonias persolvere sine periculo et scandalo, eumdemque claris animi dotibus esse praeditum, ac ipse etiam pro eo dispensationem petat *in Catanien. Irregularitatis die 12 Septembris 1829.*

21. Siquidem Petrus di Mauro dexteram habebat manum ita a nativitate confictam, ut ipsi deessent duo inferiores digiti, ac insuper – le due ossa del metacarpo corrispondenti –. Pollex vero – è un poco più piccolo del volume del suo stato naturale, ed il dito indice e medio uniti fra loro perfettamente, portanti nelle loro estremità una lunga ugna, che copre tutti due li diti, e con una superficiale fissura nella sua metà. Questa unione congenita è di maniera da non potersi affatto con altro mezzo chirurgico separare –. Cum vero cunctas fere sacras caeremonias in Sacro offerendo se obire posse experientia didicerit; ideo dispensationem ab irregularitate enixis precibus efflagitavit. Episcopus, Magistri caeremoniarum et Medici iudicio innixus, censuit, vitium, quo laborabat Orator, impedimento non esse, quominus ipse rite ac solerter Missae Sacrificium posset persolvere sine periculo et scandalo, dummodo Calicis elevationem ac Patenae tractationem laevae manus auxilio perageret. Idcirco idem Episcopus, perpensis probatis Oratoris moribus spectata pietate aliisque animi dotibus, precatus est Summum Pontificem, ut is, decimum nonum agens annum, ecclesiasticae militiae nomen dare, sacrisque Ordinibus initiari posset. Advertebatur tamen, Oratorem nullo esse Ordine insignitum, et post Sacrae Hostiae consecrationem Calicem elevare ac sumere Patenamque dextera manu tractare haud valere, nisi contra sacrarum rubricarum praescriptum indicem pollicem seiungeret. Unde, etsi Episcopus retulisset, Oratorem solerter ac decenter sacras persolvere caeremonias, fieri tamen vix posse videbatur, ut Populus absque scandalo, vel saltem admiratione Oratorem Sacrum facientem intueretur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Catanien. Irregularitatis die 12 Septembris 1829.*

22. Amplia, non est locus dispensationi, cum Parochus pauper, qui Matrem senem sustentare debet, nec subrogare potest Capellanum, ex Chirurgi incuria digitos et integram sinistrae manus volam amiserit, licet ope digitorum argenteorum affabre elaboratorum omnes Missae ritus absque deformitate perficere possit *in Augustana Irregularitatis die 19 Decembris 1772.*

23. Enimvero Ioseph Frank Parochus Villae Rohr exposuit, ex Chirurgi incuria atque imperitia, ob subortam in sinistra manu inflammationem, illius digitos et integram volam amisisse. Supplicavit idcirco pro dispensatione et facultate celebrandi ope digitorum argenteorum, quibus cum praedicta vola affabre elaboratis atque ab Episcopo consecratis poterat omnes Missae ritus et caeremonias, ipsam quoque Hostiae elevationem et fractionem absque ullo incommodo periculo aut dedecore peragere. Exposuit insuper, Parochiam esse valde tenuem, teneri Ma-

trem senem et pauperrimam ex naturae debito sustentare, neque ea miserrima tempestate subrogare posse Capellanum, qui eius loco Missam celebraret. Officialis Augustanus nedum comprobavit, sed et Oratorem omnino dignum dispensatione Apostolica censuit, ac valde commendavit. Proposito tamen dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Augustana Irregularitatis die 19 Decembris 1772.*

24. Siquidem Fagnanus in Cap. *Mandato* de simonia n. 64 advertit, quod difficilius dispensatur ab irregularitate ex defectu, quam ab irregularitate ex violatione censurarum, quia nimia facilitate non advertitur ad censuras *in Arboren. Dispensationis die 13 Martii 1784* §. *Bonifacius.*

25. Unde non est locus dispensationi ab irregularitate, dum Sacerdos licitae venationi vacans ex improvisa igneae ballistae explosione laevam manum integram amisit, licet is in maxima rerum angustia versetur, et Populus loci Presbiteris indigeat *in Firmana Irregularitatis die 14 Iunii 1823.*

26. Siquidem dum licitae venationi vacabat die 25 octobris 1820 Sacerdos Franciscus Giustozzi Montisfalconii, aetatem agens annorum 47 improvisa igneae ballistae diruptione laevam manum integram amisit: idcirco dispensationem ab irregularitate flagitavit. Emus Archiepiscopus retulit: – Peracto coram caeremoniarum Magistro Ecclesiae meae Metropolitanae experimento ab EE. VV. indicto, ea fuit eiusdem sententia, ut Sacerdos Franciscus Giustozzi idoneus utique haberi possit Sacro perficiendo, mutilatione manus laevae non obstante, si modo usus permittatur manus fictitiae ad vitandam deformitatem, et obligatio insuper praescribatur adhibendi in sacra actione alium Presbiterum, cuius ope ea singula rite exequi possit, quae ministerio utriusque manus indigent, ut exempli gratia, abstersio patenae super calicem fragmentis collectis –. Asseruit insuper idem Archiepiscopus, – agi de mutilatione inculpabiliter et fortuito ab ipso contracta –. Denique addidit, Sacerdoti praefato in deteriori fortunae statu constituto onus revera incumbere sustentationis sex pupillorum ex fratre nepotum, eumdemque praeterea in maxima rerum angustia versari. Ceterum si visum fuerit EE. VV. Oratoris precibus indulgere, id profuturum, minime verear fateri, cum de loco agatur prope iuga montium posito, cuius ager praeruptus nonnullas habet Ecclesias suis officiaturis ad Populi commoditatem provisas, queis ob inopiam Presbiterorum satisfieri nonnisi difficultate potest –. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Firmana Irregularitatis die 14 Iunii 1823.*

27. Idcirco Presbiter ex Ordine Capuccinorum, qui laevam manum casualiter ac laevum oculum amiserat, dispensationem ab irregularitate haud obtinuit, licet Missae Sacrificium absque periculo et scandalo peragere posset *in Asculana Dispensationis ab irregularitate die 18 Novembris 1837 et die 14 Decembris 1839.*

28. Iamvero Frater Sacerdos Marianus a Morrovalle ex Capuccinorum Ordine in Asculano Conventu dum brevibus ocii sui intervallis conficiendis phosphoricis ellichiniis ad levandum animum vacaret, ex inopinato phosphorica materies vehementer accensa, et laevam eius manum usque ad laevum oculum flamma intercipiens, grave adeo eidem vulnus inflixit, ut manum per chirurgicam operationem necesse fuerit ex integro amputari. Porro amputata manu in reliquo tamen brachio naturalis articulatio et flexibilitas integra usque adhuc perseverabat: et oculus licet visivae facultatis iacturam passus, nihilominus naturalem integritatem extrinsecus conservabat; substituta proinde artificiali manu, quam chyrotheca superindueret, apte sibi videbatur naturalis manus defectui occurrere posse ad incruentum Sacrificium rite ac decenter absque ulla divinis irreverentia, et Populi admiratione, vel scandalo offerendum. Preces hinc obtulit, ut ab irregularitate, in quam inciderat, absolveretur. Ex primarii Chirurgi Professoris et sacrarum caeremoniarum Magistri testimonio constabat, Oratorem, licet manu oculoque laevo carentem, – sacras caeremonias in Missae Sacrificio ita peragere, ut absque ullo periculo irreverentiae divinis ac Populi admiratione Sacrosanctum Sacrificium celebrare valeat, cum adsistentia ta-

men alterius Sacerdotis –. Episcopus pro voto suo sic conclusit: – Ex parvo numero Sacerdotum in Conventibus minorum Capuccinorum huius Provinciae relativa desumitur necessitas et evidens rehabilitationis utilitas: cumque Orator ipse fervens et concinus verbi Dei praedicator, Sacramenti Poenitentiae assiduus, et probus minister sit integer vitae et fama spectabilis, nec non pietate et religione bonis omnibus charus, hinc demisse sentirem pro rehabilitatione Oratoris ad celebrationem Sacrificii Missae, cum adsistentia tamen alterius Sacerdotis, ut irreverentiae periculum vitetur omnino –. Proposito interim dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Oratoris ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et ad mentem: mens est, ut scribatur Episcopo, qui mandet Oratori, ut ad Urbem accedat, ibique experimento subiiciatur coram Emo D. Cardinali Pro–Praefecto et Magistris sacrarum caeremoniarum ab eodem Emo deputandis – *in Asculana Dispensationis ab irregularitate die 18 Novembris 1837.*

29. At quum longo sese committere itineri non valeret Orator, absque gravissimo infirmae valetudinis detrimento, postulavit, ut Asculano vel alteri ex vicinioribus Episcopis munus conficiendi super ipsum experimentum committeretur, quod demandare placuit EE. PP. Emo Archiepiscopo Firmano, qui exinde retulit, experimentum absolutum fuisse Firmi coram Magistro sacrarum caeremoniarum et spectato viro Sacrae Congregationis Missionis Presbitero (1); ac animi sui sensum Oratori propitium ita pandebat: – De irregularitate res est ob corporis vitium a iam promoto contracta, cum quibus ista Sacra Congregatio facilius agere consuevit, ut in Gerundina 26 aprilis 1788, quando dispensationem Presbitero indulsit, qui universos sinistrae manus digitos amiserat –. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Negative in omnibus – *in Asculana Dispensationis ab irregularitate die 14 Decembris 1839.*

30. Qua de re Parochus, qui, igneam ballistam expurgans, ex repentina explosione integram laevam manum amisit, dispensationem ab irregularitate non assequitur, donec formiter ostendatur, eum singulas sacras caeremonias explere posse absque periculo effusionis Calicis et dispersionis fragmentorum, licet Episcopus eidem faveat ac testetur, ipsum omnibus pene ritibus in Missae Sacrificio satisfacere *in Derthonen. Dispensationis die 30 Martii 1844.*

31. Siquidem igneam dum expurgaret ballistam, tale ex repentina eius explosione passus est in laeva manu vulnus Sacerdos Franciscus Barco Parochus loci Dalii, ut necesse fuerit pro graviori vitanda iactura integram eamdem manum succidi; atque ita mense octobris anni 1841 coactus est ab incruento Missae Sacrificio litando abstinere. Supplex hinc adstitit, ut dispensationem ab incursa irregularitate consequeretur. Episcopus Oratori suffragans testatus est, eum esse bonis moribus imbutum, ad animarum curam et Dei gloriam promovendam zelo instructum, a residentia ob amissionem laevae manus abesse coactum, ingemiscere, quod Sanctum Sacrificium Deo offerre non valeret, idoneum tamen ad cetera gerenda, quae Parochi sunt munia habilem et idoneum. Addidit: – Plura hac simulata manu peragit, immo plerosque, qui in Sancto Missae Sacrificio praescribuntur, ritus servare potest. Iunctas manus ante pectus tenere, sinistram ponere infra pectus, vel super Altare, easdem extendere, Missale etiam locare, non quidem nodum Calicis, sed

(1) Quorum relatio haec fuit: – Abbiamo osservato, che non apparisce nella celebrazione della di lui Messa deformità alcuna, che possa apportare scandali al popolo, o che sia d'impedimento a compiere le sacre ceremonie, eccettuati li punti seguenti: 1. che detto Religioso è obbligato a tenere l'Ostia nella Patena nell'atto, che dovrebbe tenerla alzata colla sinistra e benedirla colla destra prima della consecrazione; 2. che nell'elevarla già consacrata non può servirsi che della destra; 3. che dovendola dividere al « Pax Domini » sul Calice egli è obbligato a farla sulla Patena; 4. che nel « Domine non sum dignus » non può tenere alzata la sacra Ostia colla sinistra; 5. che è impedito di astergere la Patena sopra il Calice dopo la consumazione dell'Ostia, ma è astretto a prendere ad uno ad uno i sacri frammenti, che in essa si trovano coll'indice e pollice della destra, onde porli dentro il Calice; 6. finalmente nel voltarsi al popolo non può togliersi gli occhiali, di cui fa uso per non mostrare la deformità dell'occhio sinistro. Si avverte, che detto Religioso nell'eseguire l'esperimento ha usato una mano finta assicurata nel braccio sinistro, stante la quale svanisce nella celebrazione qualunque deformità ed ammirazione o scandalo negli astanti–.

pedem sinistra premendo tenere. Certe nec Hostiam ante consecrationem inter pollicem et indicem tenere, nec eam consecratam super Calicem frangere, nec post fragmentorum collectionem patenam extergere. Posset tamen cum Patena super corporali Hostiam frangere, et sinistra collectis fragmentis Patenam premendo et pollice dexterae manus in unum collectis eadem lambere. Certe hic defectus nullam ferme infidelibus admirationem ingerere potest, et Orator praedictus omnibus pene ritibus in Missae Sacrificio satisfacere –. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris super dispensatione ab irregularitate in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo, qui, peracto experimento coram Sacerdotibus Congregationis Missionis in domo Ianuensi vel Taurinensi, accuratius referat super usu manus fictae, et ex eorumdem iurato testimonio, quomodo singulas sacras caeremonias expleat, an adsit periculum effusionis Calicis et dispersionis fragmentorum - *in Derthonen. Dispensationis die 30 Martii 1844.*

32. Unde cum non agatur de promovendo, sed de promoto, quaerunt Doctores, an Papa possit dispensare, ut Sacerdos, qui, una caret manu Missam celebret, et affirmative respondent; et nonnulli ex illis referunt, se vidisse Regularem, qui ob morbum habebat manum impeditam, a Summo Pontifice dispensatum, ut Missam celebraret, assistente sibi Sacerdote, Henriquez lib. 14 cap. 8 n. 4 litt. q, Leander oper. moral. part. 5 tract. 2 de irregul. quaest. 89, idemque quaest. 90 subdit, posse Summum Pontificem dispensare Sacerdotem utraque manu truncatum ita tamen, ut per manum alterius Sacerdos Hostiam elevaret frangeret et ab eius manu sumeret *in Consentina die 13 Iulii 1725* §. *Transeundo.*

Item *in Treviren. Irregularitatis die 22 Ianuarii 1774* §. *Plura; in Baionen. die 15 Decembris 1827* §. *Verum.*

33. Siquidem in Patavina die 18 augusti, inter supplices libellos proposita, Sacerdos Dinetti, cui laeva manus ad carpum usque abscissa fuerat, dispensationem certis quibusdam legibus, scilicet omnino adhibita assistentia alterius Sacerdotis nec non aptata brachio manica, ad illius defectum tegendum, obtinuit *in Baionen. die 15 Decembris 1827* §. *Ponderanda* §. *Huiusmodi.*

Item *in Derthonen. Dispensationis ab irregularitate die 2 Martii 1844* §. *Ita.*

34. Hinc Sacra Congregatio primum negavit, dein attenta gravi, qua premebatur paupertate, dispensationem ab irregularitate ad triennium concessit Sacerdoti, qui paralysi a manibus laborabat, dummodo tamen Missam celebraret ianuis clausis, vel hora minus a Populo frequentata, et cum alio adsistente Sacerdote *in Sutrina die 28 Februarii et die 22 Augusti 1807.*

35. Enimvero Presbiter Angelus Razzante paralysi a manibus laborabat, atque ab Episcopo suo suspensus fuit, ne Sacrum faceret. Supplicavit pro rehabilitatione cum assistentia alterius Sacerdotis, ut sine periculo Sacrificium Missae offerre valeret. Rogatus Episcopus de sua sententia, facto prius experimento per Magistrum caeremoniarum, retulit, – esse in probabili periculo eversionis Calicis aut aliae inferendae irreverentiae Sacramento, si solus celebret. Opinor vero, huic defectui suppleri posse ad praedictum periculum removendum, si cum assistentia alicuius Presbiteri celebret, qui vinum et aquam in Calicem infundat, eumdem palla cooperiat et detegat, ac in ablutione elevatione et sumptione sustineat, pariterque dextera teneat, dum celebrans super Calice signat cum Hostia dicens « Per ipsum etc. Per eumdem Dominum nostrum etc. » ipsam frangendo ad illa verba « Pax Domini etc. » et cum extergit Patenam. Et hisce rite servatis per Presbiterum assistentem, ipsum Sacerdotem Angelum celebrare posse absque periculo declaro. Inspecto tamen statu praesenti eiusdem Sacerdotis Angeli bis saltem in anno ad Episcopum accedat oportet pro novo experimento peragendo –. Addidit Episcopus, – illud quoque opportune iniungendum esse arbitrarer, ut, quoad fieri possit, privatim celebret et loco et tempore, quo pauci reperiantur adstantes –. Proposito tamen dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 februarii 1807 responsum dedit: – Negative –. Reintegravit

preces Orator, ut ab irregularitate dispensaretur, tum quia gravi laborabat paupertate, ut fratrem fratriamque atque nepotes alere non posset, si Missas, quae ex Beneficio ab ipso possesso, celebrare debebat, per alium celebrare faceret, soluta eleemosyna, tum quia Sacerdotes concives ex Oppido Bassani, miserati infirmitatem paupertatemque Oratoris, spondebant eidem in Sacrificio operanti assistere, ut omne periculum et scandalum removeretur. Eidem in nova informatione Episcopus pariter suffragatus est. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, dummodo celebret ianuis clausis, vel in hora minus a Populo frequentata, et cum alio adsistente Sacerdote, pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi ad triennium cum solitis clausulis – *in Sutrina die 22 Augusti 1807.*

36. Imo Sacra Congregatio in Placentina relata inter supplices libellos die 1 februarii 1766 dispensationem concessit cuidam Sacerdoti, qui ex accepto vulnere in brachio dextero nec Sacram Hostiam elevare poterat, nec Calicem ori admovere, nec pectus percutere, cum diceret - Domine non sum dignus –, ceu videre est in lib. 116 Decretorum pag. 50 *in Treviren. Irregularitatis die 22 Ianuarii 1774* §. *Plura.*

Item *in Burgi S. Sepulchri die 16 Iunii 1787* §. *Ponderari; in Baionen. die 15 Decembris 1827* §. *Ponderanda.*

37. Similiter Sacra Congregatio indulsit dispensationem ab Irregularitate Sacerdoti Lopez Oppidi Phileni, qui ex casu quodam accidentali talem in brachio dextero passus erat laesionem, ut in eo flexibilitatis usum amiserit, ita ut brachium quidem elevare posset, sed quando volebat se signare signo S. Crucis, id facere non posset, nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte a pectore ab utroque humero et ab ore, et Missam celebrando Sacram Hostiam et sanguinem sumere non posset, nisi ope brachii et manus sinistrae, licet ceteras Missae caeremonias rite et recte adimpleret; his enim in terminis proposito dubio: – II. An eidem sit concedenda dispensatio, ut Missam celebrare possit in casu etc –, responsum dedit: – Ad secundum, arbitrio novi Archiepiscopi – *in Consentina die 13 Iulii 1725.*

38. At nisi manifesto constet, quod Canonicus Sacerdos, qui, paralysis morbo correptus, dexteri brachii manusque vires fere amisit, Missam sine periculo et Populi admiratione celebrare valeat, non est locus dispensationi, licet adsit penuria Sacerdotum, et amplissima Capituli Cathedralis commendatio *in Liburnen. Irregularitatis quoad dispensationem die 6 Augusti et die 17 Septembris 1842.*

39. Siquidem Sacerdos Henricus Bianconi in Cathedrali Ecclesia Liburnensi Theologus paralysis morbo correptus ita fuit, ut dexteri brachii manusque vires fere amiserit; hinc dispensationem ab irregularitate efflagitavit. Constabat ex fide Caeremoniarii, Oratorem facile omnes caeremonias in celebratione Missae statutas peragere manu tantum laeva; sed haud posse Hostiam super Calicem frangere et particulam dividere, quamvis fractionem ipsam ac divisionem super Patenam commode perficeret; nec, dum Calix attollitur in iis ex Canone verbis «omnis honor et gloria» posse simul elevare Calicem et particulam Hostiae; nec demum post communionem colligere posse fragmenta « dalla Patena soprapposta al Calice, ma bensì dalla medesima giacente sul Corporale ». Vicarius Capitularis testatus est, nullum periculi admirationis in Populo oriturum, si Orator cum alterius Sacerdotis adsistentia Missam celebraret; et ob Sacerdotum penuriam non raro contingere, - quod ad effectum audiendi Missam etiam in diebus festis diu in Ecclesia expectandum opus sit, idcirco valde opportunum putarem, si Sanctitas sua pro gratia clementer excribere dignaretur –. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu? –, Sacra Congregatio die 6 augusti 1842 responsum tulit: – Prout iacet, non expedire –. Novum audientiae beneficium impetravit Orator exhibens testimonium Medici, qui pro veritate deposuit, eum excepta manu dextera aliis corporis membris libere et prompte uti; nec non amplissimam totius Capituli Cathedralis commendationem, quae, ob eiusdem insignes animi dotes firmamque in aliis corporis membris valetudinem et sufficientem

caeremoniarum expletionem, et idem precabatur, ut dispensatio indulgeretur. Reproposito tamen dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et expectetur novus Episcopus; et interim exquiratur votum duorum Caeremoniariorum S. Sedis - *in Liburnen. Irregularitatis quoad dispensationem die 17 Septembris 1842.*

40. Unde Sacra Congregatio, licet primum renuit Parocho, qui brachii partem amiserat, dispensationem concedere, inde tamen attentis Parochianorum precibus praeter Episcopi desiderium, rem Summo Pontifici detulit, qui gratiam largitus est ad sex menses, dummodo privatim Missam celebraret *in Burgi S. Sepulchri die 18 Iunii 1785 et die 7 Iulii 1787.*

41. Siquidem Sacerdos Philippus Maggiorani Parochus S. Martini in Valle Astae dum venationi non clamorosae operam daret, laevam in irregulari sclopi explosione sic laesit, ut deinde mortis vitandae causa brachii partem amputari necesse fuerit. Misertus est quam maxime Ordinarius infortunii Oratoris, et dolens de extrema eius paupertate deque gravi necessitate Ecclesiae, cum Magistrum caeremoniarum consuluisset, indulgendam esse dispensationem censuit ac optavit. Porro Magister caeremoniarum singulos explicavit modos, quibus Philippus Parochus citra periculum et commode satis ac reverenter divina tractare poterat. Nam manicam ab eo laeva gestari volebat, quae facta esset, ut ita deficientis brachii speciem indueret: tum laicum ei hominem adstare albatum, qui Ministri Clerici vicem adimpleret; regulas inde enumeravit, quas Orator sequi deberet pro abstersione Calicis, sacrae Hostiae fractione, et deciduorum fragmentorum collectione; demum ubi Sacramentum Populo distribuendum esset, mensam parvulam sub Altari constitui, in qua ipse sacram Pixidem deponeret, atque ex ea accedentibus Eucharistiam administraret. Ubi vero ad infirmos deferenda foret, capsulam concavam satis ei praesto esse, in qua sacram particulam poneret: de extrema unctione convenit, eam commode administrari posse, etiam dextera tantum manu. Sed earum caeremoniarum, quae in sacrosanctae Missae Sacrificio utraque manu implendae sunt, nullum aliud esse dixit consilium, nisi dispensationem petere a S. R. Congregatione. Unde ipse fatetur, se pluries vidisse Oratorem sacras res pertractantem, modo ab eo explicato, sine ulla vel indecentiae, vel periculi nota. Proposito vero dubio: - An sit locus dispensationi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative - *in Burgi S. Sepulchri die 18 Iunii 1785.*

42. Iterum infelix Parochus dispensationem imploravit, addens supplices Parochianorum preces, quibus iidem instabant, ut gratia dispensationis ei benigne indulgeretur, cum aequum non esset, quod praefatus Parochus Paraeciam dimitteret, postquam eiusdem bona gravi instauraverat impendio assiduumque praestaverat servitium. Reproposito itaque dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem (1) - *in Burgi S. Sepulchri die 7 Iulii 1787.*

43. Id enim etiam testatur folium Sacrae Congregationis *in Baionen. die 15 Decembris 1827* §. *Ponderanda.*

Item *in Derthonen. Dispensationis die 1 Martii 1844* §. *Denique.*

44. Vicarius Curatus vero, qui ex equo decidens brachium amiserat, assequi non valuit dispensationem ab irregularitate, etiamsi Missae caeremonias satis rite exercere posse diceretur, omnibus laudibus dignus esset, eique Episcopus impense faveret, cum fere impossibile videbatur, quod Sacrum facere posset absque scandalo vel saltem admiratione *in Baionen. die 20 Martii 1824 et die 15 Decembris 1827.*

45. Iamvero Ioannes Petrus Labarraque, Vicarius loci vulgo *Guiche,* cum ad parochialia munera obeunda iter faceret, ex equo, quem ascenderat, miserrime decidit, ac tam graviter est laesus, ut dexterum eius brachium fuerit amputandum: hinc dispensationem ab irregularitate suppliciter imploravit. Episcopus retulit, Oratorem omni laude dignum experimentum egisse coram Vicario

(1) Gratiam largitus est Pontifex ad sex menses, dummodo privatim Missam celebraret.

Generali et duobus Seminarii Moderatoribus, qui affirmarunt, eum solo adiutum brachio sinistro caeremonias omnes exercuisse ita quidem solerter ac decenter, ut nullum generaretur in Populo scandalum. Ceterum iidem dixerunt, – 1. panem ante consecrationem non inter digitos acceptum benedici, sed super corporale repositum; 2. fractionem Hostiae consecratae fieri non posse aliter, quam Hostia remanente super patena, quod quidem sat expedite et absque ullo periculo exequitur Orator duobus manus sinistrae digitis, indice nempe et pollice, loco duplicis fractionis prius in praeparatione Calicis in Sacrario cum ora patenae caute signata; 3. ad « Domine non sum dignus » Hostiam super patena positam relinqui ab Oratore, dum manu sinistra pectus percutit; 4. ad patenae purificationem, Oratorem particulas omnes prius colligere in unum eumdemque locum ad oram patenae super corporale repositae moxque, accepta inter digitos patena, facile eas in Calicem indice aeque ac pollice immittere. Ceteras autem caeremonias Oratorem exequi non solum cum decentia debita, verum etiam remoto prorsus omni profanationis periculo –. Attamen fere impossibile videbatur, quod Populus absque scandalo vel saltem admiratione huiusmodi Sacerdotem Sacrum facientem aspiceret. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 martii 1824 responsum dedit: – Negative –. Haud tamen animo concidit infelix Presbiter; sed iterum pro dispensatione institit, hasce commendatitias Episcopi Literas exhibens: – Libentissime testamur, dilectum nostrum Petrum Labarraque Diaecesis nostrae Presbiterum honeste et probe semper conversatum esse, zelo ferventi singulari pietate omnibusque aliis optimis Sacerdotis virtutibus praeditum esse; unde illum inter Seminarii nostri Rectores annumerari voluimus. Testamur insuper, ea tantum de causa brachium dexterum ipsi fuisse truncatum, quod ex equo deciderit, dum ad invisendum Infirmum, ei Sacramenta collaturus, properaret. Tandem re mature examinata, ob singularem illius in caeremoniis Missae peragendis industriam, valde exoptaremus, ut ei devotionis solamen et nutrimentum a Sanctissimo Domino Nostro super brachii defectu posset concedi –. Reproposito autem dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Baionen. die 15 Decembris 1827.*

46. Idcirco licet ageretur de Sacerdote paupere, qui in parvo Oppido commorabatur, Sacra Congregatio renuit concedere facultatem celebrandi Missam, cum is talem in brachio sinistro laesionem passus fuerit, ut eius ministerio in Sacro peragendo vix vel ne vix quidem uti valeret, ac pollex et index nullatenus frangere posset Hostiam super Calicem, sed fractio fieri deberet super Patena *in Abellinen. Irregularitatis die 28 Iulii 1770 et die 4 Maii 1771.*

47. Enimvero apopletico morbo correptus Sacerdos Carmelus de Rienzo, quamvis postea convaluerit, talem nihilominus passus est in sinistro brachio laesionem, ut eius ministerio in Sacro peragendo uti non posset. Nam laeva manus inepta erat ad sustinendum Calicem, dum in elevatione Populo ostenditur, atque etiam dum attollitur in iis ex Canone verbis: – omnis honor et gloria –. Inutiliter etiam ab eadem manu auxilium quaerebat ad frangendam sacratissimam Hostiam super Calicem eamque particulam dividendam, quae postea in Calicem ipsum immittitur: verum fractionem ipsam et divisionem super Patenam commode valebat perficere. Cum itaque dictus Sacerdos alimenta habere non posset ex fructibus tantum sui Patrimonii, et Sororibus ac Consanguineis paupertate laborantibus consuleret, petiit facultatem celebrandi Missam, ex eo etiam quod Oppidum Parolisii, in quo morabatur, nonnisi paucis Incolis constaret; et festis diebus Populus Parochiali Missae interesset, quae praevio campanae sonitu celebrabatur, diebus vero feriatis adeo infrequenter habitatores laboribus assueti ad Sacrum audiendum convenirent, ut vix reperiretur, qui Missae posset inservire. Proposito autem dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Abellinen. Irregularitatis die 28 Iulii 1770.*

48. Novas Orator preces exhibuit; et Episcopus retulit: – In novo experimento coram Magistro caeremoniarum habito non solum

nulli deformitati obnoxium ipsum Sacerdotem esse cognovi, quae scandalo Populum afficiat, verum etiam brachium sinistrum ita nunc movere, ut amplius non immineat periculum Calicem invertendi, quum illum elevat. Quod adiumentum ex usu thermarum Puteolonarum fuisse consequutum asseruit et facile crediderim. Pollicem vero et indicem laevae non ita esse sanitati restitutos animadverti, ut queat illis dexteram adiuvare in frangenda sacratissima Hostia super Calicem. Hinc ea tantum dispensatione indigere existimo, qua possit fractionem facere super Patena. Quod si vos Patres Emi aequius melius ei indulgere iudicaveritis, ut ex Hostia eam tantum detrahat particulam, quae est in Calicem immittenda, ut mihi primum visum fuit, et adhuc etiam videtur, maiori certe decentia fractio fieret, nam pauciora et fortasse nulla inde deciderent fragmenta, quibus colligendis minus aptam solam dexteram alias vobis significasse meminerim –. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Abellinen. Irregularitatis die 4 Maii 1771.*

49. Qua de re multo magis Sacra Congregatio dispensationem denegavit Clerico, qui ab puero ob morbum attractum brachium dexterum inutile ad faciendum Sacrum habebat, licet Episcopus ob ipsius bonos mores et Ecclesiae necessitatem ac utilitatem impense faveret, ac alias eiusdem familia legatis Missarum, quibus gravabatur, satisfacere non posset *in Albinganen. Irregularitatis die 11 Februarii 1797.*

50. Siquidem ex perniciosis pustulis, nuncupatis *vaiuolo*, valde Clericus Ioannes Baptista Bertolozzi laesus ab puero remansit in brachio dextero. Facto coram caeremoniarum Magistro et Chirurgo experimento, eorumdem relatio ad Sacram Congregationem transmissa est (1). Episcopus ob Clerici probos mores sedulamqne, quam Ecclesiae praestabat, servitutem, nec non Ecclesiae Oppidi Burgetti necessitatem utilitatemque, votis Oratoris assequendi dispensationem, ut ad Sacerdotium ascendere posset, impense favit. Pluribus insuper familia Oratoris gravata erat legatis Missarum, eaque prae angustia rei familiaris adimplere non poterat, nisi Sacerdos Orator fieret. Omne etiam periculum abesse videbatur et scandalum, si permitteretur eiusdem ascensus ad Sacerdotium. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Albinganen. Irregularitatis die 11 Februarii 1797.*

51. Unde Sacra Congregatio declaravit, non esse supplicandum Summo Pontifici ad effectum, ut dexterum brachium ad sacras obeundas caeremonias necessarium fere inutile habens ecclesiasticae militiae nomen dare ac etiam Sacerdotio initiari posset *in Lisbonen. Irregularitatis die 28 Augusti 1830 et die 19 Maii 1832.*

52. Enimvero Antonius Ioachimus de Souza e Matos Portugallensis Diaeceseos et Ulyssipone dudum commorans enixis precibus dispensationem ab irregularitate efflagitavit, ad effectum dandi nomen ecclesiasticae militiae ac etiam se Sacerdotio initiandi, cum ita laesum haberet dexteri brachii cubitum, ut illud ad sacram Hostiam et Sanguinem sumendum nonnullosque alios explendos ritus flectere nequiret. Apostolicus Nuncius retulit, Oratorem, facto experimento coram duobus Sacerdotibus sacrarum caeremoniarum peritis, haud posse rite perficere signum Crucis, pectus percutere, et Populo benedictionem impertiri, ac perfecte oblata benedicere, quin

(1) Scilicet: – Il di lui braccio destro nell' articolazione dell' omero, ove s' articola il cubito e radio, i loro ligamenti sono ossi ficcati per deposizione rimasta dal vaiuolo. Egli alza il braccio fino alla fronte in distanza di quattro dita. Egualmente non può avvicinare il braccio alla spalla sinistra, che nella distanza di un palmo e quattro dita, niente però lo può avvicinare alla dritta, restandogli solamente l' articolazione della mano per formare il segno della S. Croce. Al *Domine non sum dignus* non può avvicinare la mano al petto, ma piega soltanto l' articolazione della mano: per comunicarsi non può colla mano destra, ed appoggia soltanto la sinistra sul corporale, e prorogando il capo colle labbra può prendere l' ostia: non può consumare il sangue nel calice, se non colla mano sinistra, senza però deformità; ben vero però, che non può porsi sotto il mento la patena. Egli è pure necessitato di passare dalla mano dritta alla sinistra il calice per le due purificazioni –.

ullatenus sacram Hostiam et Calicem sumere posset manu dextera, sed ope tantum manus sinistrae. Censuit tamen, quod huiusmodi vitium haud gravem in Populo pareret offensionem, aut periculum secumferret in re divina peragenda. Quin imo ex rubrica Ordinis Praedicatorum edicitur: – De sinistra sumat ore Sacrum Christi corpus, – atque hunc communicandi usum ipsi Ordini esse coaevum ac misteriis plenum tradunt Marcellus de Cavaleriis in opere, cui titulus – Stetera sacra pag. 467, ac Bzovius in annalib. ad annum 1313. Advertebatur autem, severiorem se praebuisse semper Sacram Congregationem cum Clericis nondum Sacro Ordine insignitis, ac dexterum brachium ad sacras rite obeundas caeremonias adeo necessarium fere inutile habentibus. Proposito hinc dubio:– An sit supplicandum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 augusti 1830 responsum dedit: – Negative –. At Orator sententiae Sacrae Congregationis minime acquievit, ac inde preces testimonio munivit Archiepiscopi Lacedemonii, qui apud Emum Patriarcham Lisbonensem Vicarii munere fungebatur, tum ipsius quoque Emi Patriarchae, qui Orator favebant,–quod ex peracto experimento coram sacrarum caeremoniarum Magistro patuit, tantum non esse defectum in brachio Oratoris dextero tantamque deformitatem, ut divinis rite peragendis omnino impedimentum praestet, nec inde scandalum in Populo oriturum. Infirmitas autem, quae in causa fuit memorati defectus, non est, quae periculum minitetur in deterius progrediendi –. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Lisbonen. Irregularitatis die 19 Maii 1832.*

53. Imo nec Parochus, qui, apoplexiae morbo correptus, ob amissum dexteri brachii usum ac linguae haesitantiam impediebatur, quominus rite Sacrificium offerret, Sacramenta administraret, aliisque fungeretur sacris functionibus, assequi potuit dispensationem, licet ipse etiam Episcopus suppliciter gratiam efflagitaret *in Collen. Irregularitatis die 26 Iunii 1830.*

54. Siquidem Ioannes Provvedi Rector Ecclesiae parochialis S. Michaelis ad Manzam tribus ab annis apoplexiae morbo correptus usum dexteri brachii penitus amisit ac eam linguae aesitantiam contraxit, ut plerumque integra verba ipsius Sacrificii difficulter proferret. Attamen ob Sacerdotum penuriam tenuitatemque parochialium redituum nullam sibi animavertens suppetere rationem, qua Presbitero parochialia munia obeunti congruam vitae alimoniam praebere et spiritualibus Populi necessitatibus occurrere valeret, enixis precibus postulavit dispensationem ab irregularitate et facultatem diebus saltem festis Sacrum faciendi, nec non Sacramenta commisso sibi Populo administrandi. Episcopus ipse suppliciter exoravit EE. PP., – quod supplicantem liberent ab omni irregularitate, concessa ei in posterum facultate audiendi confessiones et omnia aliqua facere in propria Ecclesia, quin obstet impedimentum corporis, remissa arbitrio et conscientiae Ordinarii decidendi potestate et super hoc impedimento et super eius convalescentia, quam dari vix posse credimus –. Addidit, annuos Paraeciae fructus, subductis publicis vectigalibus nonnullisque aliis oneribus, quolibet anno pertingere ad scuta centum triginta. Advertebatur vero, Oratorem eo vexari corporis vitio, quod illum impediebat, quominus rite Sacrificium offerret, Sacramenta administraret, aliisque fungeretur sacris functionibus. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit supplicandum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in omnibus – *in Collen. Irregularitatis die 26 Iunii 1830.*

55. Qua de re locus non est dispensationi favore Sacerdotis, qui apoplexia correptus a sexennio laevi brachii manusque usum penitus amisit, licet cum assistentia alterius Sacerdotis omnia ad Sacrificium necessaria sufficienter explere valeret, et sine adstantium admiratione in Oratorio privato *in Vicen. Irregularitatis die 19 Augusti 1797.*

56. Iamvero apoplexia correptus omnem Sacerdos Franciscus Puiol et Carner a sexennio amisit laevi brachii manusque usum, ita ut membrum illud esset velut mortuum. Facto coram duobus caeremoniarum Magistris experimento, Episcopus retulit, Oratorem

commiseratione dignum esse, ut solatium haberet celebrationis Missae, ad compensandam amissi brachii afflictionem: eo magis quia omnia ad Sacrificium necessaria sufficienter explere valebat cum assistentia alterius Sacerdotis, et sine adstantium admiratione in privato Oratorio. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab Irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Vicen. Irregularitatis die 19 Augusti 1797.*

57. Hinc denegatur etiam facultas ad maiores ascendendi Ordines Clerico, qui nedum sine baculo deambulare non poterat, sed nec sacros ritus explere valebat absque periculo et scandalo *in Albinganen. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1798.*

58. Enimvero ita Clericus Franciscus Antonius Lamberti a sinistris claudicabat, ut testimonio eius Parochi sine baculo deambulare nequiret. Supplicavit itaque Summo Pontifici pro dispensatione, ut ad maiores ascenderet Ordines. Facto autem experimento coram caeremoniarum Magistro, hic comperiit, – infirmitatem in Oratore claudicante esse huiusmodi, ut ipse ad Altare accedens admodum aegre possit genuflectere, ac non sine periculo proiiciendi patenam ac cetera, quae Calici sunt superimposita. Siquidem non potest surgere, quin dexterum brachium ferat ad latus tamquam pro fulcro, neque ullimode potest utrumque genu flectere, quin ambis cubitis innitatur –. Adesse insuper dixit deformitatem, – quae scandalum aliquod, mea quidem sententia, generat in Populo, ac rite divinis peragendis praestat impedimentum –. Atque in haec conclusit verba: – Ceterum Orator optimis est imbutus moribus, ac ecclesiasticum statum vehementer cupit, sed nulla adest Ecclesiae necessitas, neque, quoad sciam, utilitas –. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab Irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Albinganen. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1798.*

59. Quum vero Episcopus ob Ecclesiae utilitatem commendaverit Iuvenem notabiliter claudum, qui sine ullo tamen scandalo in divinis adesse posse videbatur, Sacra Congregatio declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate iudicio Episcopi *in Melphicten. Irregularitatis die 25 Maii 1833.*

60. Iamvero Dominicus Rotundius Melphictensis in disciplinam Seminarii iampridem traditus supplex dispensationem postulavit ab irregularitate, qua a sacris arcebatur, cum esset notabiliter claudus. Asseruit quidem Episcopus, – ipsum aliqua deformitate esse affectum –, testatus est tamen, – et sibi videri et ex fide Magistri caeremoniarum constare, sine ullo scandalo posse illum in divinis adesse –. Hisce de corporis vitio relatis, commendavit Episcopus Oratorem ac de eiusdem vita piisque moribus nec non de idoneitate quoad scientiam, et de utilitate, quae ex eius habilitatione Ecclesiae adveniret, bonum testimonium afferre se posse dixit, eo vel magis quod sub disciplina Episcopalis Seminarii regulariter vivebat. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iudicio Episcopi, per Breve – *in Melphicten. Irregularitatis die 25 Maii 1833.*

61. Quapropter indulgetur dispensatio ab irregularitate Clerico, qui a nativitate claudicat pede dextero, sed incedere potest sine baculo, nec non absque deformitate Missam celebrare valet, cum praesertim sit bonis imbutus moribus ac utilis Ecclesiae loci, ubi patriam habet *in Asculana Irregularitatis die 20 Februarii 1808.*

62. Iamvero Clericus Emidius Sallusti ex Oppido Venaruptae a nativitate claudicabat pede dextero, licet incedere posset sine baculo. Primum frustra dispensationem ab irregularitate petiit; sed inde reintegratis precibus, Episcopus retulit: – Peregi experimentum coram caeremoniarum Magistro et clare perspexi, Clericum Sallusti facillime posse ascendere ad Altare, dummodo ante eat cum pede sinistro, et bene et firmiter sistere in eodem Altari et huc illuc adire ac omnia rite facere, quae ad Sacrificium Missae requiruntur absque ea deformitate, quae scandalum afferat, et absque periculo. Impar est faciendo perfectam genuflexionem, sed eam vix signat cum genu sinistro. Nam aliud genu debilitate laborat, et si forsan idem prius velit submit-

[illegible]

§ VIII.

[illegible]

nequiret pedibus erectus consistere. Quapropter supplex Summo Pontifici preces obtulit, quibus flagitavit, ne diutius spirituali Eucharistici ministerii fructu ac solatio careret, sibi liceret sedenti Sacrum ad Altare celebrare. Is enim, ut ait S. Augustinus in Psalm. 126 - altior in Ecclesia locus positus est, ut veluti in specula constitutus, superintendat et custodiat Populum –. Huic autem christiani Populi custodiae maxime conducit, ut ipse Populus ad eos potissimum spiritualis alimoniae fructus communicet, qui ab Eucharistico Pastoris Sacrificio in totum Gregem quotidie derivantur. Unde evidens adesse videbatur Ecclesiae utilitas, quae in dispensationum genere spectanda est. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in privato Sacello tantum, et adhibita sella ad usum Sacrificii affabre elaborata, per Breve – *in Platien. Irregularitatis die 28 Ianuarii 1832.*

68. Unde absurda non est dispensatio ad effectum celebrandi in Oratorio privato cum assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi ac etiam sedendo, excepto Canone, ut etiam probat Benedictus XIV in epistola ad Apostolicum caeremoniarum Magistrum Reali, de qua in appendic. ad tom. IV eius Bullarii impressi Venetiis pag. 262 §§. 10 17 et 23 *in Sarsinaten. die 21 Aprilis 1792* §. *Absurda.*

69. Ceterum huiusmodi Indultum spectabilioribus dumtaxat Ecclesiasticis et Episcopis sanctitate praeclaris concedi solet *in Sarsinaten. die 21 Aprilis 1792* §. *Notandum.*

Item *in Forosempronien. die 14 Decembris 1793* §. *Erudite; in Platien. Irregularitatis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ceterum; in Agrigentina Dispensationis die 20 Novembris 1841* §. *Hac.*

70. Denegatur vero dispensatio ab irregularitate Acolytho, qui ob gravissimum, in quem incidit, morbum, ita luminibus captus est, ut vix lucem a tenebris secernat, etiamsi talia ac tanta in eo praeclara concurrant, ut eam suadere videantur *in Neapolitana Irregularitatis 17 Septembris 1814.*

71. Enimvero Acolythus Dominicus de Paolis triginta et amplius annos natus cum in morbum gravissimum incidisset, convalescens laboravit imbecillitate nervorum opticorum, et in praesens, quin ullam exteriorem deformitatem praeseferret, luminibus ita captus est, ut vix lucem a tenebris secerneret, et Chirurgi nullam spem esse reliquam affirmarent. Nihilominus cum maximo flagraret desiderio sacrorum Ordinum, animum adplicavit ad scientias philosophicas et theologicas consequendas, et opitulante persona, quae ei lectionem et scriptionem praestaret, tantum in iis profecit, ut, facto experimento, admirationem in omnibus ingesserit. Neque minus profecit in sacris caeremoniis, et habebat plurima testimonia, ex quibus probavit, se cum adsistentia Sacerdotis idoneum esse ad celebrationem Missae. Supplicavit itaque pro dispensatione ab irregularitate, exhibens epistolam Episcopi Letterensis Vicarii Generalis Archiepiscopatus Neapolis, qui gratiam dispensationis ab irregularitate pro Oratore exorabat, epistolam subscriptam a decem Episcopis Regni Neapolitani, qui et Oratorem commendabant et gratiam deprecabantur, literas datas a quampluribus ecclesiasticis Cleri Neapolitani, qui testabantur, Oratorem imbutum esse moribus, ingenio excellere, scientias callere, idoneum ad Sacramentum Poenitentiae administrandum, ad praedicationem, ad recitandum memoriter Matutinum Beatae Mariae Virginis et Horas Canonicas, et abundare fortunae bonis ei a parente in patrimonium adsignandis usque ad annuum reditum ducatorum quingentum, unde adsistentiam Sacerdotis sibi comparare posset. Exhibuit etiam literas Episcopi Otranti Summo Pontifici datas, in quibus affirmabat, promotionem Oratoris ad sacros Ordines vergere in utilitatem Ecclesiae, testimonia Patrum Oratorii et Superioris Domus Missionis et quatuor Magistrorum caeremoniarum Cathedralis de idoneitate Oratoris in explendis caeremoniis in celebratione Sacrificii Missae, testimonia itidem Lectoris Dogmaticae de profectu in scientiis Theologicis, Magistri Alumnorum Congregationis S. Mariae Puritatis, et Praefecti Capellae S. Mandati de exercitio Oratoris in praedicatione. Advertebatur tamen, promotos quidem lumine carentes dispensari, ut Missam

celebrent, sed quoad Clericum promovendum omnino caecum nullum forsan exemplum dispensationis reperiri, quin obessent exempla ab Auctore Erriquez allata, cum priscis temporibus forsan aliquod exemplum reperiri posset, postea vera strictior invaluerit disciplina, ut latiorem tolleret indulgentiam, quae ab Episcopis adhibebatur, ac propterea sapientissime Sancta Sedes ab Episcopis has dispensationes avocavit sibique reservavit, ut maturiori consilio eas concederet. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative – *in Neapolitana Irregularitatis die 17 Septembris 1814.*

72. Qua de re Sacra Congregatio denegavit dispensationem ad suscipiendam primam Tonsuram et habilitationem ad Beneficia simplicia ei, qui caecus erat, licet utilis Ecclesiae videretur, eumque Episcopus commendaret *in Pampilonen. die 28 Martii 1733* (1).

73. Unde licet Vasquez et Suarez aliique magni nominis Theologi in ea sint opinione, ut illi, qui propter debilitatem visus non possunt legere, si possunt sufficienter Hostiam et Calicem videre, non sint arcendi a celebrando, si Missam sufficienter memoriter recitent, uti videri potest apud Dianam in edit. coordinata tom. 2 tract. 1 resol. 137, nihilominus Sacra Congregatio in formula consueta pro caecutientibus apponit clausulam, – dummodo memoriter non recitent – *in Florentina die 23 Augusti 1727* §. *Sacerdos.*

74. Ceterum Sacra Congregatio concessit licentiam celebrandi Missam votivam B. M. Virginis diebus festis et duplicibus nec non diebus ferialibus Missam defunctorum nedum Parocho optimae famae et pauperi nondum omnino caeco, sed et caeco omnino subinde facto *in Florentina die 23 Augusti 1727.*

75. Siquidem Sacerdos Ioannes Niccoli Parochus S. Romuli anno 1720 consuetam ab Sacra Congregatione obtinuit licentiam celebrandi diebus festis et duplicibus Missam votivam Beatae Mariae Virginis et diebus ferialibus Missam Defunctorum cum solitis clausulis, quod videlicet non esset omnino caecus, memoriter non recitaret, data insuper Ordinario commissione denegandi licentiam celebrandi, quatenus omnino caecus evasisset. Crescente aetate, et postquam is devenit ad annum septuagesimum, caecus omnino factus est, ideoque petiit facultatem continuandi in celebratione Missae votivae et defunctorum. Episcopus, facto experimento coram Magistro caeremoniarum retulit, Oratorem esse gratia dignum, cum tali peritia polleret, non obstante caecitate, ut nullum esset irreverentiae periculum, si Missam celebraret, eumdem esse optimae famae, et ex reditibus Paraeciae non habere, nisi annua scuta quinquaginta monetae florentinae, quorum partem erogare tenebatur pro alimonia Capellani, et si non posset Missam celebrare, periculum imminere, quod Parochiani sine Missa diebus festis remanerent, propter defectum aliarum Ecclesiarum in Parochia. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Pro gratia cum assistentia alterius Sacerdotis – *in Florentina die 23 Augusti 1727.*

76. Compertum hinc esse videtur, Textum in Can. *Si evangelica* dist. 55 agere de eo, cui oculus erutus fuit, neque porrigi iure posse ad eos, qui integros habeant oculos, licet unus aut alter expers sit facultate videndi; hi enim neque deformes, neque mutili dici possunt, ideoque hoc casu, si nulla notentur deformitate, dum Canonem legunt, quod ab experimento dignoscitur, dispensari posse, ut frequentissime dispensari solent, iuxta doctrinam Reginal. in prax. for. poenit. tom. 2 lib. 30 sect. 2 de irreg. ob defect. membr. n. 49, Ioann. Sir. Theol. moral. tit. 31 cap. 5 part. 3 n. 26 §. Caecitas, Layman lib. 1 tract. 5 part. 5 cap. 4 n. 2, Avila de censur. part. 7 disp. 3 dub. 1, Diana resol. moral. tract. 6 de mut. surd. et caec. resol. 22, Sair. de censur. lib. 6 cap. 8 n. 8, Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 2 alleg. 42 n. 31, Homobon. de exam. eccles. tract. 12 cap. 2 part. 5 *in Firmana Dispensationis die 31 Iulii 1751* §. *Postulavit.*

77. Idcirco locus est dispensationi, si quis probus et honestus oculo sinistro seu canonis

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Caecus*, n. 8 ad 11, Tom. IV.

visiva quidem facultate careat, sed absque deformitate et absque indecentia canonem legere valeat *in Firmana dispensationis die 31 Iulii 1751*

78. Siquidem postulavit pluries ab Archiepiscopo Firmano Antonius Petrinius natus in Oppido Montis Giberti, ut ecclesiasticae militiae adscriberetur: at probus licet honestus et studiis deditus reiectus fuit semper, quod oculo sinistro, quem vocant Canonis, visiva facultate careret. Romam venit Antonius, ut studiis operam navaret, ac petiit dispensationem ab huiusmodi impedimento. Rescriptum fuit: - Superiori Missionis pro informatione et voto, facto experimento. Implevit hic mandata censuitque, – posse dispensari, quod carentia cum alia gravi vultus foeditate coniuncta non sit, et Canonem absque indecentia legere possit, ut ex facto experimento compertum est –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Antonius Petrini sit dispensandus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, praevia expeditione Brevis – *in Firmana dispensationis die 31 Iulii 1751.*

79. Imo oculo dextero orbatus, ad celebrandam Missam dispensatus a Sede Apostolica, non indiget alia dispensatione ad obtinenda Beneficia etiam curam animarum habentia *in Ariminen. die 16 Martii 1619 lib. 12 Decretorum pag. 6.*

Item *in Neapolitana anno 1620 lib. 12 Decretorum pag. 35.*

80. Dispensatus vero ad Beneficia, dummodo plura simul non sint, non potest obtinere nisi unum, licet insufficiens ad vitae sustentationem *in Pampilonen. anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 134.*

81. Ad Epilectos autem quod spectat, disputatur quidem inter Doctores, quamdiu iidem sint irregulares, alii enim tenent, tamdiu esse irregulares, nisi per plures annos bene convaluisse constiterit, alii contra si per integrum anni spatium sani fuerint; sed posterior opinio consona est dispositioni iuris in Can. *Communiter* 3 dist. 3 *in Fulginaten. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1806* §. *Epilectici.*

82. Quapropter quum epilectico morbo correptus Diaconus Vincentius Adriani a duobus annis sic bene convaluisset, ut Medici testarentur, eum nunquam posthac in illum incidere posse, proposito dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Fulginaten. Irregularitatis die 8 Martii 1806.*

83. Hinc Parocho, qui ex iudicio Medicorum afficiebatur catalepsi, non vero morbo epilectico, sed Episcopus epilepsiam potius diiudicandam esse censebat, quam catalepsiam, attenta eius probitate ac inopia nec non Ecclesiae utilitate, concessa est dispensatio ab irregularitate, dummodo tamen celebraret per tres menses cum assistentia alterius Sacerdotis, et postea recurreret *in Nullius Ferentilli Irregularitatis die 24 Ianuarii 1807.*

84. Siquidem Dominicus Romanelli Parorochus Oppidi Montis Rivosi, quum Missam celebranti in proxima Ecclesia parochiali Parocho *di Colle Olivo* ministraret, iam expleta Calicis sumptione et Populi communione, repente hebescere cepit, oculos intendere, balbutire, deinde distentis membris et nervis, et spumanti ore, in lethargum incidit, et nisi ei opem adstantes tulissent, in terram praeceps concidisset. Vix horae quadrante interposito iacuit et ad se rediit, sed eorum, quae acciderant, prorsus immemor. Postulavit itaque declarari, an esset irregularis, cum quando in Seminario degeret morbo epilepsiae affici incepisset, qui dein valde excrevit. Sacra Congregatio die 14 iunii 1806 declaravit: – Esse irregularem –. A quo tempore ipse a Sacro faciendo abstinuit; sed postea dispensationem et rehabilitationem imploravit. Rogatus Ordinarius, ut referret – de qualitate morbi in specie per iuratam Medici fidem, an frequenter eo corripiatur Orator, vel a quanto tempore convaluerit, et de necessitate et utilitate Ecclesiae –, remisit, quae ab ipso Parocho accepit, quae a Testibus, quae a Medicis, unde in facto esse videbatur, quod Parochus a tempore, quo iuvenis in Seminario degebat, pluries huiusmodi morbo fuerit correptus, ut, quando in eum incidebat, ineptus efficeretur ad motum, et careret cognitione eorum, quae tum accidebant, sed ubi vis frangeretur, promptus redibat ad actionem ante institutam. Quare Medici negarunt, ipsum

vera epilepsi laborare; ac censuerunt, eum posse Missam celebrare, cum catalepsis, qua afficiebatur, infrequens esset, nec ullum timeretur incommodum. Ordinarius vero existimavit, epilepsiam potius diiudicandam esse, quam catalepsiam, cum Orator morbo correptus ex ore spumas iactaret, voces ederet interruptas, in terram prolabi inciperet: addens, – attenta tamen Oratoris probitate et paupertate ac magna Sacerdotum inopia, optarem maxime, ut idem Orator, qui Capellanum habet fixum, saltem ad tempus, donec longius experimentum fiat, nec curam animarum deserere cogatur ob periculum in administratione Sacramentorum, praesertim ad infirmos campestres, nec ministerio privetur sacrificandi praesente Coadiutore, qui supplere possit defectum, si contingat –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de irregularitate, ita ut et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione, dummodo celebret per tres menses cum assistentia alterius Sacerdotis, et postea recurrat – *in Nullius Ferentilli Irregularitatis die 24 Ianuarii 1807.*

85. At Clericus, unum et triginta annos natus et studiorum curriculo in Seminario perfunctus, dum balbutiens notabiliter censeretur, dispensationem ab irregularitate assequi non valuit, licet haud notabilem admirationem in Populo excitaret *in Imolen. Irregularitatis die 14 Aprilis 1832.*

86. Siquidem I. C., novem masculorum prole oneratus, petiit dispensationem ab irregularitate favore filii B., qui, unum et triginta annos natus atque studiorum curriculo in Diaecesano Seminario perfunctus, verba omnia sufficienter proferre valebat, ita tamen, ut, qui nunquam ipsi familiares fuere, quive ignorabant, quae recitarent, nullo fere modo percipere possent, quae pronuntiabat verba, sed vocis tantum sonum audirent, cum balbutiens notabiliter esset. Constabat tamen, gutturis vitium non adeo esse deforme aut debile, ut magnam de se admirationem in Populo excitare, vel parum decenter sacras cuiusque Ordinis caeremonias obire censeretur (1); unde caeremoniarum Magister, experimento specialiter ipsi commisso expleto, retulit, huiusmodi vitium posse quidem in Populo excitare admirationem, sed haud notabilem. Vicarius Generalis testatus est, quod – ex promotione B.C. ea tantum Ecclesiae utilitas speranda est, quae in eamdem Ecclesiam redundare solet propter laudabilem Ecclesiasticorum vivendi consuetudinem, cum ex morum honestate, quam praefatus C. hucusque praebuit, bene moratum ipsum in posterum quoque futurum confidere liceat. De reliquo non ad Sacramenta administranda, nec ad divina eloquia Populo exponenda, nec ad iuventutem erudiendam, nec ad aliud ecclesiasticum ministerium praeter Missae celebrationem, satis aptum futurum adserere audeo –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc: –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Imolen. Irregularitatis die 14 Aprilis 1832.*

87. Hinc multo magis denegatur dispensatio ab irregularitate Diacono, qui ex venerea lue vitium vocis contraxit, licet absque scandalo Missas celebrare valeat, ac poenitentiam egerit, suosque mores composuerit *in Melphicten. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1806.*

88. Siquidem ex Physici Doctoris et caeremoniarum magistri iudicio, teste Episcopo, compertum erat, Diaconi I. M. D. E. – vocem et auditum venerea lue tribus ab hinc annis contracta labefactatus, quippe quae guttur eiusque molle palatum (ut dicunt) ugulam cum tonsillis nervis in gutturis fornice pene corroserit, timpanique acustici fibras quodammodo debilitaverit, unde surdus et raucae vocis ac debilis evasit adeo, ut vocem verbaque efformare nonnisi conatu quodam vel parvo valeat. Hinc in id consilii deventum est, Oratorem, qui nullo pacto et Populi scandalo solemniores sive cum cantu Missas celebrare valet, sicuti et Christifidelium sacramentales confessiones excipere, nullo eiusdem scandalo, prout duplici repetito

(1) Is enim exposuit; I. – ebbe la disgrazia di nascere con un difetto di pronuncia in causa di avere l'ugola divisa, onde la sua vociferazione non è schietta, ma nasale, a modo però di essere inteso sul momento da chi abbia un poco di abitudine con lui, come costa dai certificati di due suoi Precettori –.

experimento probatum satis superque habuimus, privatas seu lectas Missas optime posse et valere. Praeterea omittendum non est, Oratorem in admissi sceleris poenitentiam annum iam in Carmelitarum suae Terrae Barelis Monasterio reclusum mandato nostro, ut, inibi moribus et vita ad boni rectique normam redactis, scandalum patrato scelere Populo illatum repararet, bonique testimonio apud laicos fieret, quod et factum est, uti ex Fratrum praedictorum testimonio et Terrae Archipresbitero saepe saepius est Literis commendatum –. Proposito tamen dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Melphicten. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1806.*

89. Quum autem Sacerdos N. N. septem supra septuaginta annos natus membri pudendi amputationem ex Physicorum consilio pati coactus fuisset, et amicorum consilio et proprii Antistitis suasione, qui eum irregularem inde effectum existimabat, ab Sacri litatione abstinuisset, quumque ex publica praesertim diffamatione amputatio illa contigisse videretur ob venereum contagium, proposito dubio: – II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem – *in Irregularitatis die 22 Maii 1841.*

90. At Sacra Congregatio renuit dispensationem concedere nobili cuidam Personae, quae recepta fuerat in Monasterio Monialium, in quo novitiatum incepit et magno cum devotionis fervore prosecuta est, ita ut, imminente termino anni, esset in statu emittendi professionem regularem, quam emittere summopere exoptabat, quaeque, quando Monasterium ingressa est, non adverterat, se esse hermafroditam, simplicitate enim et pudore quodam virginali dicebatur insignita, sed ex post suum statum advertit et suo iuramento firmavit, – sexum femineum notabiliter pollere et praevalere, et sexum virilem vix apparere –; his enim in terminis proposito dubio: – II. An cum ea sit dispensandum in casu etc. –, responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Dubium Professionis die 6 Decembris 1721.*

§. IX.

DISPENSATIO AB IRREGULARITATE EX CRIMINE ORTA

1. Sacrum Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 14 distinguit homicidium voluntarium a casuali; et in homicidio voluntario praecipit, ut homicida – nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica Beneficia, etiamsi non habeat animarum curam, conferri liceat, sed omni Ordine ac Beneficio et Officio ecclesiastico perpetuo careat –: secus vero quoad homicidium casuale, dum pergit: – Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum et Altaris ministerium et Beneficia quaecumque et Dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario aut ex causa Metropolitano seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita ac probatis precibus ac narratis nec aliter dispensare possit – *in Virdunen. Dispensationis ab irregularitate die 2 Augusti 1760* §. *Novo.*

Item *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Concilium; in Agrien. Irregularitatis die 10 Martii 1770* §. *Concilium.*

2. Inferunt exinde Doctores, Concilium adversari tantummodo dispensationibus ex homicidio per insidias et ex animi sententia commisso, Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 2 allegat. 39 n. 49, Garz. de Benef. part. 7 cap. 11 n. 44 *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Concilium.*

3. Multum propterea interest distinguere,

an homicidium casuale fuerit, vel voluntarium, iuxta distinctionem, quam facit Glossa in Cap. *Sicut* §. Consilium, scilicet – Si voluntate, quod fit tribus modis, facto praecepto et consilio: in quocumque istorum casuum, qui committit homicidium non solum non debet promoveri, sed in perpetuum debet deponi – *in Agrigentina Dispensationis die 12 Decembris 1767* §. *Tenent* §. *Denique.*

4. Ad dignoscendum autem, an homicidium fuerit voluntarium, vel casuale, perpendi debent circumstantiae, quas refert Fagnanus in Cap. *Henricus* de Cleric. pugn. in duello n. 35: – Sanctissimus remittit supplicationes ad Sacram Congregationem Concilii, quae praecipue considerare solet, an homicidium commissum fuerit per industriam seu praemeditate et per insidias, an vero calore iracundiae et in pura rixa, an occidens fuerit rixae auctor vel provocans, an Orator esset bonae conditionis et famae, et an post delictum semper laudabiliter vixerit – *in Agrigentina dispensationis die 12 Decembris 1767* §. *Tenent.*

5. Praesumendum hinc est, deesse propositum occidendi, ubi adhibita sunt arma, quae solum ex accidenti mortem possunt causare, Blanc. prax. crim. §. 2 n. 38, Ursaya tom. 1 part. 2 discept. 6 n. 3, Monacell. form. legal. tom. 2 tit. 13 n. 34; eoque in casu mortem dici mere causalem et involuntariam, L. 1 in fin. Cod. ad leg. Corn. de Sicariis, Ursaya Instit. crim. lib. 2 tit. 5 n. 492, Conciol. resol. crim. verb. homicidium resol. 4 n. 1 *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Praesumendum.*

6. Verum ad dignoscendum, an homicidium fuerit voluntarium in causa, haec sane recepta est distinctio: aut dans operam rei illicitae futurum praevidere potuit homicidium causamque praebuit ad illud ordinatam, et tunc homicidium, licet accidentale, voluntarium censetur in causa, Cap. *Continebat* et Cap *Suscepimus* de homicidio; aut homicidium praevidere non potuit causamque non praebuit ad illud ordinatam, et in hoc casu voluntarius in causa non est effectus, Cap. *Quaesitum* de poenit. et remiss., Fagnan. in Cap. *Si constiterit* n. 40 de accusatione *in Lemovicen. Dispensationis ab irregularitate die 12 Iulii 1788* §. *Involuntarium.*

Item *in Ferentina Irregularitatis die 21 Novembris 1801* §. *Quamquam; in Abellinen. Dispensationis die 17 Iulii 1802* §. *Dubitandi; in Sarnen. Irregularitatis die 20 Decembris 1806* §. *Nil.*

7. Animadvertendum praeterea est, quod locum habere non posse videtur sanctio Concilii Tridentini in cap. 7 sess. 14 quoad homicidium voluntarium de perpetua exclusione a ministerio Altaris, si res sit de Presbitero ordinato, non autem ordinando, iuxta declarationes Sacrae Congregationis relatas per Fagnanum in Cap. *Henricus* de cleric. pugnant. in duello n. 34, et Fargn. de iurepatronat. part. 1 can. 5 cas. 11 n. 67 *in Virdunen. Dispensationis ab irregularitate die 2 Augusti 1760* §. *At.*

8. Nam dubitatum olim fuit, an Decretum Concilii Tridentini sess. 14 cap. 7, eiiciens voluntarium homicidam a dispensatione, eum comprehenderet, qui ante homicidium ad Sacros Ordines erat promotus? Quid hac de re tunc senserint EE. PP. in Congregatione Concilii habita coram Sanctissimo refert Fagnanus in Cap. *Henricus* de cleric. pugn. in duello n. 23 *in Taurinen. Irregularitatis die 15 Septembris 1770* §. *Notandum.*

9. Siquidem Clericus iam promotus non comprehenditur sub censura Concilii Tridentini in cap. 7 sess. 14 de reformatione, quemadmodum in terminis homicidii voluntarii definivit Sacra Congregatio habita coram Summo Pontifice die 2 septembris 1613 cum interventu sexdecim S. R. E. Cardinalium, cuius Congregationis definitio fuit ab eodem Summo Pontifice approbata, teste Fagnano in Cap. *Henricus* de cleric. pugnan. in duello n. 23 24 et 25, et Fargna de iurepatronat. part. 1 can. 5 cas. 11 n. 68, isteque casus non ad alium finem fuit in dicta Congregatione propositus, nisi ut appareat, Romanum Pontificem non agere contra Concilium, quoties dispensat super irregularitate ex homicidio voluntario cum iam promotis ad sacros Ordines, ut prosequitur dictus Fagnanus loc. cit. n. 26, prout hanc dispensationem multoties a Sancta Sede Apostolica concedi Clericis iam promotis, etiamsi homicidium publicum sit et ad forum contentiosum deductum, testatur idem Fagnanus ibidem n. 34 *in Ma-*

rianen. Irregularitatis die 1 Martii 1777 §. *Ponderandum.*

Item *in Termularum Dispensationis ab irregularitate die 28 Augusti 1779* §. *Prae oculis.*

10. Unde non is fuit praedictae Congregationis habitae coram Paulo V scopus, ut quaereretur, posset ne Summus Pontifex cum promotis dispensare super irregularitate ex homicidio voluntario: de hoc ne dubitatum quidem, imo neque quod posset etiam cum non promotis dispensare pro suprema sua in Ecclesia potestate; hoc enim unum in disceptatione veniebat, an quando Summus Pontifex cum promotis dispensat super hac irregularitate Tridentinae legi derogari videatur. Paucis itaque dissentientibus, communi suffragio definitum est, Tridentinum in hac parte non comprehendere promotos, sensumque Congregationis die 2 septembris 1613 Summus Pontifex approbavit *in Camenecen. Dispensationis ab irregularitate die 30 Iulii 1785* §. *Dubium.*

11. Quando itaque non agitur de Clerico ad Ordines promovendo, sed de iam promoto ad Sacerdotium, etiam cum vero irregulari Sacra Congregatio facilius dispensationi annuere consuevit *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Ceterum.*

12. Ne dubium enim, quod dispensatio facilius conceditur, quando agitur de habilitando iam promoto ad Ordinum exercitium, ne cum dedecore ordinis mendicare cogatur, quam si agatur de promovendo *in Agrigentina Dispensationis die 12 Decembris 1767* §. *Denique.*

Item *in Taurinen. Irregularitatis die 15 Septembris 1770* §. *Notandum; in Melevitana Irregularitatis die 15 Decembris 1787* §. *Ad excitandam; in Concordien. dispensationis ab irregularitate die 9 Augusti 1788* §. *Licet; in Lunen. Sarzanen. Dispensationis ab irregularitate die 23 Ianuarii 1790* §. *Immunis; in Calaritana Irregularitatis die 19 Ianuarii 1793* §. *Res profecto; in Turritana Irregularitatis die 27 Aprilis 1816* §. *Videant.*

13. Quin imo Sacerdoti, neque in voluntario homicidio, dispensationis spes sublata est, si favorabiles circumstantiae concurrant *in Suessana Irregularitatis die 23 Novembris 1816* §. *Attamen.*

14. Limita, nisi agatur de homicidio inhumano *in Ianuen. Irregularitatis die 23 Aprilis 1796* §. *Ex pluribus.*

15. Quando vero res est de promovendo, irregularitas ex homicidio voluntario perpetua est *in Bracharen. Irregularitatis die 11 Aprilis 1807* §. *Quatenus.*

Item *in Turritana Irregularitatis die 27 Aprilis 1816* §. *Videant.*

16. Alias enim etiam in casu homicidii voluntarii Summum Pontificem ex suae potestatis plenitudine dispensare posse non dubitatur, uti tradunt Fagnanus in Cap. *Henricus* de Cleric. pugn. in duello n. 30 31, Pirhing lib. 5 tit. 12 sect. 5 §. 3 *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Concilium.*

17. Nam dispositio Conciliaris in Cap. 7 sess. 14 de reformatione, sicuti Summi Pontificis potestatem nec excludit nec excludere potest in eo quod attinet ad dispensationem super irregularitate ex homicidio voluntario derivante, utpote quae non a iure divino, sed a iure humano causam habet; sic absque dubio ostendit, quanta cum maturitate et quam magnis intercedentibus causis Summi Pontifices se gerere debeant in consimilibus concedendis dispensationibus *in Placentina die 8 Iulii 1724* §. *Quare.*

18. Iamvero cum Sacrum Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 14 de reformatione statuerit, quod nullo tempore ad sacros Ordines promoveri posset, sed omni Ordine et Beneficio et Officio ecclesiastico perpetuo carere debeat, qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, etiamsi crimen huiusmodi nec ordine iudiciario nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, Fagnanus in commentariis ad Cap. *Henricus* n. 41 de Clericis pugnantibus in duello testatur, se nunquam vidisse concessas fuisse dispensationes illis, qui ante homicidium non erant in sacris Ordinibus constituti, nisi forte dispensandi in Religione professionem Regularem emittere voluissent; tunc enim indulgetur dispensatio cum clausula, si et postquam Regularem professionem emiserint, uti docent Pirhing. ad tit. Decret. de homicid. lib. 5 tit. 12 sect. 5 §. 13, Anaclet. ibid. §. 6, et bene adnotavit Covar. ad Clementinam *Si furiosus* de homicid. secunda parte §. 3 n. 3 *in Placentina die 8 Iulii 1724* §. *Cui.*

Item *in Lemovicen. Dispensationis ab irregularitate die 12 Iulii 1788* §. *Gravissima.*

19. Idcirco Sacerdoti, qui homicidium voluntarium patravit, Sacra Congregatio concessit quidem dispensatio ab irregularitate, quatenus emitteret Regularem professionem, sed haud illum ab huiusmodi onere liberare censuit, licet eumdem nullus Regularium Ordo recipere inde voluerit, et graves concurrerent circumstantiae, quae dispensationem suadere quodammodo videbantur *in Brixien. Irregularitatis die 19 Ianuarii 1765.*

20. Siquidem anno 1753 die 11 septembris Sacerdos F. C. e Prato Alboino noctu occidit Sacerdotem Bartholomaeum Olivieri. Hinc perpetuo exulatum abire coactus est. Anno 1758 supplicavit pro dispensatione ab irregularitate, recipiens se nomen daturum alicui Ordini ex Mendicantibus. Episcopus de anteactis eius moribus bonum testimonium habuit, ac preces Oratoris admittendas censuit. At mense aprilis eiusdem anni preces reiectae fuerunt; die autem 12 augusti responsum est: – Pro gratia, emissa tamen professione in Religione –. Paulo post adiit Summum Pontificem, sed audito Emo Magno Poenitentiario rescriptum est: – Sanctissimus annuit pro gratia, tam pro ingressu Religionis, quam pro dispensatione ab irregularitate in utroque foro, postquam Regularem Professionem emiserit, firma tamen remanente inhabilitate ad munia Religionis, et expediantur opportunae Literae per Poenitentiariam Apostolicam –. Nullum exinde, ut affirmavit, reperiit Ordinem Regularium, qui eum reciperet. Hinc denuo supplicavit, ut ab hoc onere liberaretur. Sed Sacra Congregatio anno 1760 respondit: – Lectum, et gaudeat impetratis –. Preces renovavit, ita narrans facti historiam: noctu forte ingressus cauponam invenit Oliverium ludentem aleis. Illum amicis, sed iocosis verbis, interpellavit. In alia intentus homo, quod lusus erat contumeliam habuit; alapa illudentem percussit. Hinc iniuste ab eo lacessitus, continuo domum petiit. Armatus venatorio igneo instrumento redit non occidendi animo, sed minitandi ac deterrendi eum, qui erga innocentem amicum tam acerbe se gesserat. Is ultro venientem cultro parato excepit. Inde factum, ut in tanta perturbatione ac periculo omnis consilii expers Oliverium, exploso sclopo, vulneravit, qui post decem horas occubuit. Dixit, sibi in ea re credendum esse. Hinc homicidium voluntarium dici non posse sustinuit: poenitentiam facti ac constantem emendationem vitae certissimis documentis comprobavit; se dignum miseratione censuit, cum praesertim eius mater ad summam et deflendam egestatem redacta maneret. Accedebat favorabile Ordinarii iudicium. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Brixien. Irregularitatis die 19 Ianuarii 1765.*

21. Quum autem Clericus M. M. sustineret, se homicidium patrasse ad propriam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, ac per annos duodeviginti optimam tenuisse vitae rationem et poenitentiam egisse, cumque in Capuccinorum familiam nomen suum vellet profiteri, ob idque postularet dispensationem ab irregularitate et a regula Seraphici Ordinis, quae vetat, ne criminosi in coetum recipiantur, sed Episcopus referret, quod Orator natus et adultus in Oppido Meremiani iurisdictionis Abbatis Generalis Montis Virginis Nullius Diaecesis, non iam Abellinensis Diaecesis, esset ipsius Abbatis subditus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et audiatur Abbas Montis Virginis – *in Abellinen. Dispensationis die 21 Augusti 1802.*

22. Hinc Sacra Congregatio fere nunquam de voluntario homicidio dispensationem concedere consuevit, praesertim si ageretur non de promoto, sed promovendo *in Terracinen. die 19 Aprilis 1766* §. *Ad.*

Item *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Quare; in Agennen. Irregularitatis die 9 Iulii 1768* §. *Quare; in Agrien. Irregularitatis die 10 Martii 1770* §. *Quare.*

23. Quando enim agitur de promovendo difficilius conceditur dispensatio, cum eidem quam maxime adversatur Sacrosanctum Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 14 de reformatione, et ad rem Pitonius in discept.

ecclc. 154 n. 22 *in Ferentina Irregularitatis die 21 Novembris 1801* §. *Quamquam.*

24. Quum itaque ex causa homicidii Ioannis Mariae Tondi damnati fuerint anno 1745 a Curia Episcopali Feretrana in ergastulum Clericus Franciscus et Subdiaconus Laurentius fratres Moccioni, exacto tamen biennio et pace impetrata a consanguineis occisi, editisque probationibus, quibus constabat, homicidium non ex consilio, sed in rixa admissum fuisse, uterque absolutus fuerit, Subdiaconus quidem uti conscius et adiutor criminis, non vero Clericus uti occisor dispensationem assequi valuit; his enim in terminis, postquam preces praefati Clerici pluries reiectae fuerant, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Feretrana Irregularitatis die 22 Ianuarii 1757.*

25. Qua de re denegatur dispensatio ab irregularitate Clerico, qui in rixa ipsius fratri ballistulam tradidit, qua hic homicidium patravit, licet elapsum fuerit quinquennium a die commissi criminis, et cuncta concurrant, quae gratiam suadere videntur *in Ferentina Irregularitatis die 22 Novembris 1794 die 19 Decembris 1795 et die 17 Decembris 1796.*

26. Siquidem rixante die 9 octobris 1791 Clerico Matthaeo Rossi cum Ioanne Baptista Nani, partem in rixa assumpserunt respectivi illorum fratres, Clericus nempe Barlaamus et Stephanus Rossi ex una, Antonius Nani ex altera, tradiditque Matthaeus igneam ballistulam eius fratri Barlaamo, qui Antonium Nani cum ea interemit. Detrusus in carcerem Matthaeus suoque crimine in tradenda ballistula convictus, damnatus est per quinquennium ad arcem. Obtenta autem remissione Partis, composito Fisco, et pecuniaria Locis Piis soluta poena, nono carceris mense absolutionem et libertatem habuit, sub poenali tamen praecepto – de non offendendo Partes renuntiantes, et non transeundo per latifundium ab eis laboratum –. Supplicavit inde pro dispensatione ab irregularitate. Episcopus sub fide eius Parochi retulit, quod – eo abhinc tempore laudabiliter se habuit, Sacramentis frequenter accessit, Ecclesiae suae parochialis servitio adstitit. Hinc eius mores ad praesens apparent, quales ecclesiasticum decent –, quodque constitutus erat in aetate annorum 23 et minoribus Ordinibus, eiusque – Ecclesia Parochialis pro oneribus Missarum adimplendis Sacerdotibus indiget, qui etiam ecclesiasticis intersint functionibus –. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 novembris 1794 responsum tulit: – Negative –. Preces Matthaeus renovavit, eique Episcopus favit, ita concludens: – Quum itaque de poenitentia Oratoris, de illius emendatione, de exemplaribus moribus ac vita ecclesiastica digna per quatriennium circiter constet ex depositionibus Parochi et Praeceptoris eiusdem, quumque in Oratore constans appareat vocatio ad Presbiteratum ascendendi, quumque tandem Ecclesia parochialis ipsius Sacerdotibus maxime indigeat, dignum eumdem existimo, cui petita absolutio ab irregularitate concedatur –. Reproposito tame dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 decembris 1795 respondit: – In decisis –. Tertio imploravit gratiam Clericus, eique Episcopus impensius favit. At reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a primo et secundo loco decisis in casu etc, –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Faventina Irregularitatis die 17 Decembris 1796.*

27. Unde Sacra Congregatio reiecit preces Acolythi pro dispensatione ab irregularitate, qui auctor fuerat rixae atque in ea homicidium patratum erat, etiamsi Vicarius Capitularis necessariam utilemque censeret Ecclesiae illius promotionem ad sacros Ordines ac optimum etiam de eius vita et moribus perhiberet testimonium, qui tamen a biennio vestes clericales dimiserat *in Policastren. Irregularitatis die 28 Februarii 1795.*

28. Siquidem Acolythus Carolus Cobucci annorum viginti quinque contendere cepit die 18 iulii 1790 in nundinis Lauriti cum Nicolao Urso de vilissimo Iumenti capistro. Ab eo impulsus, iniuriam vindicavit scutica; iactoque vicissim in ipsum lapide, in suam defensionem accersivit Blasium Cobucci eius Patrem Nuntiatum Bartilotti aliosque concives, auctaque rixa cum Sociis Ursi, ferro occu-

buit Bartilottus. Sequenti anno absoluti fuerunt ex Regio indulto Homicidae. Acolythus vero nullam ab ecclesiastica Curia passus est inquisitionem, licet auctor rixae, ob non communicatum a laico Praeside Lauriti processum; reiectus tamen per defunctum Episcopum ab ordinatione, supplicavit dein pro dispensatione ab irregularitate. Necessariam utilemque dixit Vicarius Capitularis Ecclesiae illius promotionem ad sacros Ordines ob defectum Sacerdotum, optimum etiam de eius vita et moribus perhibuit testimonium; sed monuit, iam ipsum a biennio post reiectionem, nempe ab ordinatione, clericalem habitum dimisisse. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Policastren. Irregularitatis die 28 Februarii 1795.*

29. Idcirco multo minus concessa est dispensatio Clerico, dum nedum anceps erat, utrum involuntarie, an consulto is homicidium patraverit, sed et post homicidium Sacerdoti vulnus cultro inflixit, in eumque ictum quoque minimi tormenti bellici explodere tentavit, nec non haud ad statum clericalem, sed potius ad coniugalem inclinationem ostendebat *in Ferentina Irregularitatis die 19 Decembris 1801.*

30. Enimvero subreptos sibi noscens quosdam fasciculos cannabis Clericus Ioannes Curti, ballista ignea armatus assumptisque Sociis venatoribus die 2 septembris 1799 contiguos fundos adivit, ut furtum conciperet, et praecipue ingressus est praedium Nicolai Cernella, quem suspectum habebat tamquam furti auctorem. Nicolaus hic obviam venit Clerico Ioanni, qui ballistam manu gerebat. Factum est, ut, repente exploso ictu, Nicolaus ceciderit sauciatus in dextero genu, et post duos menses eo vulnere occubuerit. An vero haec involuntarie facta fuerint, vel consulto ignorabatur. Nam Clericus Curti affirmavit, non animo iniquo adiisse defunctum Nicolaum, sed fortuito ballistam – ob saepis ramum, qui illius rotam laxavit, fuisse explosam –. Ex Testibus autem fiscalibus nil cognosci poterat, cum nemo praesens interfuerit. Postquam igitur Clericus Curti expensas necessarias infirmo Nicolao praestitit, postquam et ipse moriens Clerico uccisori pepercit, id quod confirmavit eius Amita ex defuncti consanguineis superstes, postquam Fiscum composuit, dispensationem ab irregularitate postulavit; narratisque inhaerens Episcopus monuit, quod licet Orator die 22 decembris 1800 Ignatio Foglietta in brachio dextero vulnus cultro inflixerit, in eumque ictum quoque minimi tormenti bellici, vulgo *pistola*, explodere tentavit, ex relatione tamen Parochi testatus est, illum – nunc bene moratam ducere vitam, ac spem non mediocrem exhibere excessuum suorum brevi poenitentiam acturum. Porro cum non ad statum Clericalem, sed ad coniugalem potius inclinationem ostendat; hinc censerem, posse eidem indulgeri, quod petit, praemissis tamen sacris exercitationibus –. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Ferentina Irregularitatis die 19 Decembris 1801.*

31. Quapropter qui ebrius homicidium patravit nec adhuc constat de ipsius vitae emendatione, nequit dispensationem ab irregularitate ad effectum amplectendi statum ecclesiasticum obtinere, cum praesertim vix tres anni elapsi fuerint a die patrati criminis *in Convenarum Irregularitatis die 12 Maii 1792.*

32. Siquidem quum die 22 iunii 1789 ebrius Zeno a Moga venatum iret, cum altero ex tribus sociis rixari cepit; eoque in tutum posito, igneam furens confregit ballistam et in alios irruens duos innocentes, qui prope sedebant, graviter eos percussit, et unus ex his paullo post ex percussionibus interiit. Damnatus hac de re in contumaciam fuit poena ordinaria; et adhuc profugus supplicavit pro dispensatione ab irregularitate, ut ecclesiasticum statum assumeret. At non constabat, an patrati criminis poenitentiam egerit; nec tempus ad delendam homicidii memoriam effluxerat, nec non de promovendo agebatur. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Convenarum Irregularitatis die 12 Maii 1792.*

33. Quin imo licet Vicarii, Sede Episco-

pali vacante, testarentur, quod Subdiaconus casu et involuntarie fratrem interfecisset, Sacra Congregatio, elapso etiam decennio a die sequuti fratricidii nec non cessato scandalo in loco delicti, eidem quamvis probo ac doctrina praedito dispensationem, ut ad alios sacros Ordines ascendere posset, penitus denegavit *in Agennen. Irregularitatis die 14 Martii 1705 lib. 55 Decretorum.*

34. Iamvero licet ad avertendam rixarum et dissensionum causam Ioannes de Raignae Subdiaconus in Seminario Agennensi tunc degens quamdam Villam cum fratre suo germano in communi possessam dividere curasset, idem tamen frater integros illius fructus de facto colligere sibique retinere conabatur, adeo ut anno 1694 de tempore messium in eumdem Ioannem, nudato gladio, insequi mortemque minari non dubitaverit. Acrius id contigit sequenti anno 1695: nam dum ad ostium domus ruralis dictus Ioannes deambularet precesque diurnas recitaret, frater ira excandescens illum aggressus est ac impulsu fistulae ferreae stomacho appositae in domum violenter intrusit, ibique mortem minabatur; unde Ioannes, ut imminentem sibi necem evaderet, hastam fortuito in domo repertam in fratrem aggressorem ad sui tutamen convertit. Hic vero acrioribus irae stimulis agitatus, equo statim conscenso, in Civitatem se contulit, et citissime cum Socio reversus dictum Ioannem fratrem, quod frumenti fasces subtraxisset rursus increpare non destitit, ceterosque fructus auferre tentavit: sed Ioannes, ut a fratre mortem sibi minante sese defenderet, catapultam casu similiter ibi repertam et plumbeis glandibus onustam apprehendit, sperans, quod prae illius timore frater a minis atque iniuriis desisteret. Frater autem in Ioannem repente irruit, eademque catapulta itidem apprehensa, dum inter se ita congrederentur eadem catapulta nomine impellente casu de se ictum explovisse dicebatur, ex quo frater percussus paullo post occubuit. Absolutus per Regia diplomata ab involuntario crimine, Ioannes petiit dispensationem, ut ad alios sacros Ordines ascendere posset. Sacra Congregatio vero die 15 martii 1704 instantiam reiecit, tametsi Vicarii, Sede Episcopali vacante, de casuali et involuntario homicidio, de remissione in Regiis tribunalibus, de cessatione rumoris et scandali in loco delicti, ac demum de summa atque exemplari Oratoris probitate ac doctrina testarentur. Exin elapso iam decennio a die sequuti fratricidii, rursus pro gratia dispensationis Orator supplicavit. Proposito tamen dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15 martii 1704? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis – *in Agennen. Irregularitatis die 14 Martii 1705 lib. 55 Decretorum.*

35. Hinc Sacra Congregatio pluries denegavit dispensationem Nicolao Altini, qui homicidium in rixa patraverat, licet post lapsum viginti duorum et ultra annorum semper et honeste vixerit *in Caesenaten. Irregularitatis die 29 Ianuarii die 9 Iulii 1701 et die 29 Aprilis 1702 lib. 51 et 52 Decretorum.*

36. Siquidem Nicolaus Altini dispensationem petiit, cum homicidium in rixa patraverit. Episcopus retulit: – die secunda martii 1680 hora 23 circiter dictus Nicolaus accessit ad quamdam apothecam drogheriae, sitam in Burgo Plateae, cuius capitale, quod dicti Nicolai proprium erat, ab Antonio Lachino administrabatur, atque ab eodem Antonio bellaria vulgo *confetti* poposcit; verum cum Antonius se illa non habere respondisset, dictus Nicolaus subiunxit, quod ea sibi aliunde quaereret, id quod cum dictus Antonius facere renuisset, ad verborum altercationem processerunt, atque Nicolaus ira percitus, ab eadem apotheca discessit, sed illico et parva interposita mora ad eamdem rediit atque ingressus contra dictum Antonium duos ictus pistolae explosit, ex quibus vulneratus die sequenti vitam cum morte commutavit –. Ceterum, concordatis Parte et Fisco, idem Episcopus censuit, petitam dispensationem concedi posse, cum Orator multis ab illinc annis patriae restitutus semper pie ac honeste vixerit ac non modicam spem praeberet, quod omni pietate et idoneitate in Altari esset Deo ministraturus. Sacra Congregatio die 29 ianuarii 1701 instantiam reiecit: et denuo proposita sub die 9 iulii eiusdem anni, exhibente dicto Oratore quadam attestatione facta a Presbiteris Congregationis Oratorii, qui testabantur, ipsum iam fuisse

acceptatum in eorum Congregatione, attenta probitate morum ac natalium conspicuitate, dummodo tamen cessasset impedimentum irregularitatis, rescripsit: – In decretis –. Exin rursus post lapsum viginti duorum annorum et ultra Orator institit pro dispensatione. Proposito vero dubio: – An petita dispensatio super irregularitate sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Caesenaten. Irregularitatis die 29 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

37. Nec igitur Clericus, qui in rixa aliquem occidit, potuit assequi dispensationem ad effectum assequendi Beneficia de iurepatronatus suae familiae *in Salernitana Dispensationis die 1 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

38. Siquidem quum Clericus Paulus Capogrossus dispensationem ab irregularitate contracta ex homicidio in rixa patrato in personam Francisci Antonii Alfani postulasset ad effectum legitime assequendi Beneficia praesertim de iurepatronatus suae familiae, Archiepiscopus circumstantias criminis ex processu desumptas ita recensuit: – Subnecto, supradictum Paulum sub die undecima mensis septembri anni 1704 tunc temporis, in aetate annorum viginti quinque nondum completorum constitutum, hora circiter decima nona, accessisse ad sartoriam praefati Francisci Antonii ad hoc, ut iuxta conventum observaret panni discissionem pro quadam veste conficienda, at reperiit, fuisse antecedenter amputatum et in partes vestis redactum, quare suspicatus, fuisse aliquam partem fraudatam, mensurata latitudine et longitudine fragmentorum discessit, rediensque paulo post ab alio Sutore, ut aiebat, instructus, dimidiam panni ulnam fuisse sibi fraudatam asseruit, conatusque ex scamni sartoriae reconditis res alias vestis abstrahere, et pannum forsan exquirere, sed aegre ferens dictus Franciscus Antonius impedire curavit, sed repulsus a dicto Paulo, post nonnulla verba dictus Franciscus Antonius, accepta forbice, minatus est dictum Paulum interfecturum, nisi ab inceptis desisteret, at ille extracto ex crumena ferreo stilo lethaliter in pectore vulneravit, statimque aufugit, sequente eodem Francisco ac lapidem mittente, at paucos post passus enervatus cecidit, acceptaque sacramentali absolutione in via obiit: –. Hinc Orator die 19 maii 1707 fuit damnatus ad exulandum per annos quinque et in distantia viginti milliarium a Civitate. Sacra Congregatio die 3 septembris 1707 instantiam reiecit. Exin is attestationem exhibuit super meritis antiquissimae ipsius familiae nobilitatis honore fulgentis tam in Civitate Neapolis, quam in Urbe ex antiquis eius Senatoribus, quae possidebat quinque Ecclesias Parochiales de iurepatronatus et nonnulla simplicia Beneficia, et ad praesens nonnisi idem Orator in ea ecclesiasticus reperiebatur. Proposito vero dubio: – An dispensatio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Salernitana Dispensationis die 1 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

39. Unde Clericus, qui in aestu rixae sclopum in hominem laicum explosit, ac ex ictu oculum eruit, dispensationem petens ab irregularitate semper habuit responsum – expectet – etiam post lapsum viginti quatuor annorum, licet emendationis signa praebuisset, eumque Ordinarius gratia dignum censuisset *in Nullius S. Laurentii in Campo Dispensationis die 19 Iulii 1783 et die 8 Maii 1784.*

40. Enimvero anno 1759 nonnullis ortis dissidiis inter Franciscum Sartorelli et Clericum Cyriacum Mattei, res eo usque pervenit, ut Clericus sclopum sumpserit illumque exploserit, ex quo ictu Franciscus oculum amisit. Curia Abbatialis, compilato processu, illum damnavit ad ergastulum per decennium; sed postea loco huius poenae exercitia spiritualia ex praecepto Ordinarii peregit per tres menses in domo Congregationis Missionis Civitatis Firmi. Curiae mandatis paruit Cyriacus, obtentaque postmodum Partis offensae remissione et a Curia absolutione, dispensationem ab irregularitate petiit. Ordinarius retulit, Clericum emendationis signa praebuisse, ac in praesens recte et modeste se gerere, adeoque eum gratia dignum censuit. Proposito interim dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 iulii 1783 respondit: – Expectet, et ad mentem; et mens est, quod scribatur Ordinario, qui referat, an oculus vulnerati sit a-

missus ex ictu passo –. Abbas Commendatarius retulit, laico Francisco Sartorelli oculum ictu sclopi erutum fuisse, absque ullo tamen vitae periculo. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio iterum respondit:–Expectet–*in Nullius S. Laurentii in Campo Dispensationis die 8 Maii 1784.*

41. Idcirco multo minus assequi valuit absolutionem ac dispensationem, qui nedum furtive ac dolose Ordines suscepit, sed et homicidium perpetravit *in Lamacen. Irregularitatis die 13 Septembris 1738.*

42. Siquidem Ioseph Correa subdole curavit, ab Episcopo Mindoniensi in Regno Galleciae anno 1725 prima Tonsura et quatuor minoribus Ordinibus initiari, deinde autem, licet vigesimum secundum dumtaxat annum ageret, praetereaque omni Beneficii et Patrimonii sacri titulo destitutus, et Apostolica careret dispensatione super interstitiis, quadam literarum Dimissorialium specie sub nomine cuiusdam Vicarii Generalis ex militari Ordine S. Ioannis Hierosolymitani confictarum exhibita, obtinuit extra tempora, die scilicet 26 maii ad Subdiaconatum, insequenti die 27 ad Diaconatum, et tandem die 30 eiusdem mensis dicti anni 1725 ad Presbiteratum ab Episcopo Francisco Sanchez promoveri. Post haec, cum quidam Emmanuel Pereyra existens in Area prope Monasterium Monialium Civitatis Lamacensis plures iactasset minas in Ioannem Teyxeira, evocatus ab isto dictus Presbiter Ioseph Correa Leytao, ut eumdem Emmanuelem percuteret, hunc in dicta Area repertum a Francisco Rodriguez aliisque Personis sociatum interpellavit, qua de causa Ioanni Teyxeira minatus fuisset, addens se fuste, quam manu gerebat, velle illum percutere, cumque interea memoratus Franciscus Rodriguez socius Emmanuelis verba aliqua in eumdem Presbiterum Ioannem Correa protulisset, hic fuste caput Francisci percussit, quod ubi vidit Antonius de Oliveyra praedicti Francisci frater, ad eundem defendendum accurrit, indeque factum est, quod, et una simul rixantibus et colluctantibus Francisco Rodriguez Antonio de Oliveyra et Presbitero Iosepho Correa, ab hoc tandem tres ictus in pectus et alter in ventrem praefati Antonii adeo graves inflicti fuerunt, ut ob ea vulnera intra tres dies Antonius obierit. Elapsis quinque circiter annis a die patrati homicidii et duobus a die, quo is fuit a poenis per sententiam inflictis absolutus, pluries absolutionem ab Ordinum suspensione et dispensationem ab irregularitate frustra petiit. Reiteratis adhuc precibus, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Lamacen. Irregularitatis die 13 Septembris 1738.*

43. Qui itaque particeps fuerit homicidii in rixa patrati, et inde absque dispensatione ab irregularitate Tonsuram minores Ordines et Subdiaconatum susceperit, absolutionem rehabilitationem et dispensationem assequi non potest, nisi cuncta simul concurrant, quae huiusmodi gratiam suadere valent *in Nullius Caven. Irregularitatis die 24 Novembris 1792 et die 7 Septembris 1793* (1).

44. Quin imo pluries denegatur dispensatio etiam Parocho, qui cultro in rixa homicidium patravit *in Alben. Irregularitatis die 13 Iulii 1771 die 19 Septembris 1772 et die 26 Februarii 1774.*

45. Enimvero cum Sacerdos Franciscus Maria Porta Vice-Parochi munus gereret in Oppido Rondelli et illius parochialis Ecclesiae bona administraret, totis viribus adnisus est, ut eiiceret e quadam rurali Parochiae domo Iosephum Bondoninum praediorum ad eamdem Ecclesiam pertinentium cultorem, eo quia male in suo officio se gereret. Id autem via iuridica assequi posse desperans, extraiudicialem amplexus est, et die 7 novembris 1766, adscitis Testibus, ad ruralem domum accessit et claves a Bondonino efflagitavit. Iurgia hinc et contentiones Bondoninum inter et Sacerdotem Porta: re autem eo usque devenit, ut, qui aderant, prae timore aufugerint, et Sacerdos Porta graviter vulneravit Bondoninum, qui lethali vulnere saucius paulo post occubuit. Vicarius Generalis, constructo processu, illum contumacem irregularem declaravit, ad carceres per quinquennium et ad emendationem damnorum erga heredes defuncti Bondonini condemna-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Absolutio*, §. VI, n. 152 ad 155, Tom. I.

vit. Sacerdos Porta relegationis poenam mensibus sexdecim subiit in Religiosa Domo; et satisfacta inde Parte, absolutionem a Curia Episcopali reportavit. Hinc dispensationem ab irregularitate postulavit, cum homicidium ex necessitate patratum censeret, ex eo quod Bondoninus illum baculo percusserat et ad necem usque lacessiverat, quin ullus adesset, qui auxilium ferret, et aditus pateret, quo fugam arriperet. Idcirco ut mortem evaderet, coactum fuisse dixit aggressionem cultro haud vetito percutere. Episcopus testatus est de Oratoris paupertate et de signis resipiscentiae, adeoque dispensationem eidem impertiri posse existimavit. Sacra Congregatio vero die 13 iulii 1771 dispensationem denegavit. Inde rursus proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc.–,Sacra Congregatio die 19 Septembris 1772 responsum tulit:– Negative –. Preces Orator renovavit; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – – *in Alben. Irregularitatis die 26 Februarii 1774.*

46. Hinc Sacra Congregatio renuit concedere dispensationem ad Ordines et Beneficia Sacerdoti Caietano Passetti, qui die 24 iulii 1734, orta discordia occasione divisionis bonorum inter ipsum Orphaeum natu maiorem ex una et Iosephum natu minimum ex altera parte fratres, videns dictum Iosephum fratrem valde iracundia concitatum, eumdem complexus cultro, quem manutenebat, non quidem data opera, sed casu, sicut ipse constanter asseruit, ita vulneravit, ut post paucas horas ex hac vita migraverit, ac ea propter die 5 ianuarii 1738 lata fuit in eum sententia, qua ad poenam carceris per annos quindecim damnabatur, verum sub die 3 maii sequentis anni gratiam obtinuit integrae libertatis ac liberationis; his quippe in terminis proposito dubio: – II. An sit locus petitae dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative – *in Vicentina Irregularitatis die 19 Aprilis 1738.*

47. Idcirco non est locus absolutioni favore Sacerdotis, qui aliquem occidit, licet Episcopus censeat, homicidium fuisse casuale et involuntarium atque occisorem veniam promereri *in Tirasonen. Irregularitatis die 14 Martii 1705 lib. 55 Decretorum.*

48. Enimvero – dum Martinus de Calaorra Civitatis Alfari Regni Castellae Tirasonensis Diaecesis et Blasius Praesiadus eius servus ensibus armati Emmanuelem Pasquier Sacerdotem eiusdem Civitatis de anno 1701 9 iunii nocturno tempore insequebantur, ut interficerent, sicut idem Martinus illum interficere se velle iactaverat, eo quod cum Concubina sua rem habuisse putabat, casu dictus Emmanuel sclopo et ipse ad vitae suae defensionem armatus in eosdem incidit; cumque dicti Martinus et Blasius, denudatis statim ensibus, in eum festinanter irruere cepissent, elata Emmanuel voce exclamans iussit, ut sisterent et contra persequentes gressumque sistere recusantes, sclopo exploso, dictum Blasium alias sibi infensum, imo nec eo actu cognitum occidit. Pater tamen occisi et ipse Martinus de Calaorra eius dominus optime conscii, quod homicidium huiusmodi ad propriae vitae defensionem et ad meram insequentium provocationem et aggressionem contigisset, ab accusando occisore penitus abstinuerunt, occisique Pater statim remissionem illi concessit, sicuti postea dictus etiam Martinus omnem iniuriam omnemque offensam abolevit et remisit, ut Testes, et ipse Episcopus affirmant. At Curia ecclesiastica ex officio procedens dictum Emmanuelem irregularem pronunciavit, atque, ultra refectionem omnium damnorum et expensarum, in poenam quoque exilii ad triennium a toto territorio Castellae condemnavit –. Praefatus Emmanuel absolutionem petiit; sed Sacra Congregatio, licet Episcopus referret, homicidium fuisse mere casuale et involuntarium atque occisorem indulgentiam veniamque promereri, bis eam denegavit. Exinde tertio Orator pro eadem absolutione supplicavit. Proposito vero dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Tirasonen. Irregularitatis die 14 Martii 1705 lib. 55 Decretorum.*

49. Quum igitur Praepositus tamquam reus homicidii in contumaciam fuerit affectus poena quinquennalis exilii et irregularitatis, et Sacra Congregatio pluries denegaverit dispensationem ac etiam mandaverit, eius

preces nullatenus proponi deinceps, sed inde instituto iudicio criminali absolutionem a delicto reportaverit et innocens declaratus, re autem ad Sacram Congregationem delata primum prohibitus fuit celebrare, Parochiali Ecclesiae Oeconomo deputato, dein decretum fuit constare de irregularitate, nec esse dispensandum *in Asten. Irregularitatis die 3 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

50. Siquidem sententia in contumaciam prolata, Sacerdos Petrus Luzana Praepositus Altavillae quinquennalis exilii irregularitatisque poena affectus extitit, ob homicidium in personam Clerici Perpetui Iosephi Pacerii anno 1691 in loco Vicarii patratum. Tertium post annum a die patrati delicti, reportata a consanguineis occisi remissione concordatoque Fisco, petiit dispensationem ab irregularitate contracta, ut asseruit, tamquam homicidii reus. Sacra Congregatio die 15 novembris 1603 die 15 maii et 17 iulii 1700 instantiam reiecit, ac tandem sub die 5 martii 1701 EE. PP. preces nullatenus deinceps proponi mandarunt. Spe consequendae dispensationis abiecta, Orator aliud iniit consilium reportandi absolutionem a delicto, tamquam omnimodo innocens; proinde anno 1702 iudicio criminali in Curia Episcopali personaliter sistitit, ac iureiurando constitutus, homicidii noxam imputavit Paulo Ferrario. Attentis probationibus in processu defensivo compilatis ac Theologorum voto, Luzanus innocens declaratus fuit nullaque irregularitate obnoxius, ut sine scandalo et tuta conscientia celebrare posset, praevia contumacialis sententiae revocatione. Sacris itaque operari iterum cepit Luzanus Ecclesiaeque parochialis collationem assecutus etiam fuit in Diaecesani Catalensi. Delata vero ad Sacram Congregationem notitia eorum, quae post recensita Decreta innovata fuerunt, ipse quoque ad Summum Pontificem confugit. Hinc deputata nonnullorum ex EE. PP. Congregatione particulari, statim prohibitus fuit Luzanus, ne celebraret, Parochiali Ecclesiae Oeconomo deputato: tandem late pro eius parte deductis iuribus, die 30 augusti 1709 Decretum prodiit: – Constare de irregularitate, nec Oratorem esse dispensandum –. Huic resolutioni haud is acquievit, unde Summus Pontifex preces ad Sacram Congregationem reiecit. Proposito vero dubio: – II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit constare de irregularitate, responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Asten. Irregularitatis die 3 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

51. Unde indulgetur quidem dispensatio ad cautelam favore Sacerdotis, qui videbatur simplex in via socius homicidae, sed cum inde detegatur, ipsum non fuisse simplicem socium, sed quodammodo auxiliatorem, gratia concessa non est exequenda *in Compostellana Irregularitatis die 28 Septembris 1737 die 14 Iuniii 1738 et die 4 Maii 1743.*

52. Siquidem Franciscus Blanco, cum nocturno tempore obvium habuerit Rochum Bustello ex villa de Grovas sibi pridem infensum, cepit primum contumeliosis verbis illum impetere, deindeque subita incensus ira, stricto pugione, quem gestabat, triplici interemit ictu, eodemque concitatus furore Balthasarrem Pordal et Patritium Porsella, qui, auditis praefati Rocchi clamoribus, in eius defensionem accurrerant, lethaliter sauciavit. Astitit huic homicidio Casimirus Garzia Gil, quippe qui die illa una cum praefato Francisco Blanco coenaverat in domo Aloisi de Fonte sui Consanguinei, et, multa iam nocte aedes Patrui Andreae Gil, ubi Mater et Soror commorabantur, repetiturus comitem habuit in via memoratum Franciscum Blanco. Hinc itaque factum est, ut Oppidani loci de Villares ex strepitu praedictae necis excitati, cum nequiverint Franciscum Blanco occisorem ob arreptam fugam comprehendere, praefatum Casimirum, veluti eiusdem Francisci socium ac patrato homicidio praesentem, detinuerunt, qui postea confecto processu damnatus fuit – servire per sei anni nelle guarnigioni e presidii della piazza di Tuii o di Montrei –. Impleviit Casimirus poenam sibi inflictam: inde petiit dispensationem ab irregularitate, ut clericali militiae nomen dare posset. Archiepiscopus retulit, se agnovisse ex copia processus criminalis sibi exhibita non fuisse aggressorem, neque homicidam Casimirum, – ma bensì, che andava in compagnia di quello, che commise il delitto –. Sacra Congregatio vero die 28 septembris 1737 gratiam dispensationis de-

negavit. Reiteratis dein precibus, propositis dubiis: – I. An Casimirus Garzia Gil contraxerit irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit cum eo dispensandum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 iunii 1738 respondit: – Esse locum dispensationi ad cautelam –. Gratiam hanc exequi haud censuit Officialis Curiae Compostellanae, quum diligenter perspecto Causae criminalis processu, aliquid amplius adversus Oratorem probatum iri significaverit. Ipse enim non fuerat simplex socius, sed quodammodo auxiliator. Proposito hinc dubio: – An sit standum in decisis sub die 14 iunii 1738, ita ut Breve dispensationis sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, Breve non esse exequendum – *in Compostellana Irregularitatis die 4 Maii 1743.*

53. Qua de re denegata est dispensatio ab irregularitate Sacerdoti, qui, in Fratrem explodens igneam ballistam, Mulierem non procul adstantem interfecit, quum licet involuntarium esset homicidium in effectu, voluntarium existeret in causa, quin proficeret, quod ipse Episcopus, attenta gravi poena iam passa, culpae remissione, illius morum emendatione, paupertate, silentio Fisci et penuria Sacerdotum, dispensationem imploraret *in Sarnen. Irregularitatis die 24 Ianuarii 1807.*

54. Iamvero odium in Fratrem pectore versans Sacerdos Paschalis Surrentino quatuor ab illinc annis meditatus in eum explosit igneam ballistam, cuius globuli vagantes nedum in brachio dextero atque in capite Fratrem ipsum vulnerarunt, sed Mulierem Antoniam Nappo non procul adstantem interfecerunt. Statim a Iudice laico apprehensus Sacerdos in vincula detrusus est, in quibus per biennium mansit febribus fere continuis afflictus. Sed cum ad Tribunal Capellani Maioris Causa delata esset, quin requireretur processus Curiae Episcopalis, Decretum prodiit: – Circumscriptis actis omnibus, denuo capiatur informatio, et interim consignetur –. Hinc Presbiter Surrentino a carceribus dimissus est, atque in Terram Podiimarini patriam suam remeavit. Frater eius a vulneribus convaluit, quin mancus aut mutilus factus esset, hinc Fratri suo remissionem concessit una simul cum Petro Quastafierro, qui vir fuit Antoniae Nappo a Sacerdote Surrentino interfectae. Plures Testes ex Oppido Podiimarini affirmabant, eum tam ante, quam post commissum crimen bonis moribus esse praeditum ac optimam vitae rationem ducere: sed Sacra Congregatio die 27 aprilis 1805 preces, quibus dispensationem ab irregularitate implorabat, reiecit. Rursus dein institit Surrentinus pro dispensatione; eique Episcopus, attenta biennali carceris detentione et aegritudine in iisdem passa, culpae remissione, eius morum emendatione, Fisci silentio, eiusdem paupertate, et Sacerdotum penuria in Terra Podiimarini, nedum favit; sed ipse oravit obtestatusque est, ut irregularitatis vinculo solveretur. Advertebatur vero, involuntarie quidem eum homicidium patrasse, sed licet involuntarium in effectu, cum daret operam rei illicitae, voluntarium tamen fiebat in causa. Nec tantum tempus excessisse videbatur, ut illius memoria esset obliterata in loco et cessaret scandalum. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Sarnen. Irregularitatis die 24 Ianuarii 1807.*

55. Quum itaque Vicarius Generalis Beneventanus ob diffamationem concubinatus cum ingravidatione et inditiato abortu et diffamatione ac murmuratione praedicti abortus anno 1768 damnaverit Sacerdotem Raphaelem Paradiso ad exilium per decem annos, scilicet per decem dies continuos quolibet anno, ac is huiusmodi sententiam acceptaverit, proposito dubio: – II. An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative – *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769.*

56. Imo licet Sacerdos in calore iracundiae homicidium patrasse videretur, ac per decennium in summa egestate et luctu vitam traducens resipiscentiae et poenitentiae signa praebuerit, Sacra Congregatio haud censuit eidem concedere dispensationem ab irregularitate contracta *in Agrigentina Dispensationis die 30 Ianuarii 1768.*

57. Enimvero postquam Ignatius Radosti Religioni nomen dederat in inclito Ordine Praedicatorum atque in ea commoratus fu-

erat ad aliquod tempus Religionis munia exercendo, motus, ut ipse asserebat, suasionibus P. Dionysii Greco Prioris Conventus S. Dominici Terrae Clusae, qui Patrimonii sacri constitutionem promiserat, Professionis nullitatem proposuit in Curia ecclesiastica, ubi morabatur, et sententiam suis votis conformem obtinuit cum lege tamen, ut nisi infra quatuor menses de sufficienti Patrimonio fuisset provisus a celebrandis Sacrificiis arceretur. Deinde quum in paterna domo vitam duceret parum laudabilem, Episcopus Agrigentinus suo Vicario Foraneo iniunxit, ut illi iniungeret accessum ad Civitatem Agrigenti, et quatenus parere recusasset, ut comprehenderetur et alligatus transmitteretur. Extrema Ignatii paupertas imparem eum reddidit ad subeundas itineris expensas, quapropter Vicarius Foraneus Clusae illum per Satellites domi suae sistere mandavit. Sed Ignatius ut id audivit ira correptus ac furore succensus ad Conventum Dominicanorum die 4 augusti 1757 properavit, igneo tormento munitus, et quum incidisset in P. Priorem Greco, quem suum infensum hostem suorumque malorum causam existimabat, exploso tormento, ipsum interfecit. Profugus hinc discessit, ac dein ad Urbem accedens absolutionem, quoad forum internum, reportavit. Venetiis postea commoratus est, ubi resipiscentiae et poenitentiae anteactae vitae signa praebuit: sed Sacra Congregatio pluries dispensationem denegavit. Preces post decennium iteravit, cum homicidium patrasset in calore iracundiae, adeoque dispensatione se dignum censuit, ex eo praesertim quod in summa egestate et luctu vitam traducebat, omni humana ope ac solatio destitutus. Proposito vero dubio: – An sit locus dispensationi ab incursa irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Agrigentina Dispensationis die 30 Ianuarii 1768.*

58. Qua de re quum Episcopalis Curia et Sacra Congregatio decreverint, constare, quod Sacerdos Ioseph Bartolinius die 11 iulii 1738 parvo tormento bellico occidisset Caeciliam Papa Terrae Porciliorum Cilenti, denegata ei fuit dispensatio, licet longa decem et septem annorum poenitentia eam mereri videretur, ex eo quod iure Pontificio constitutum est, ut Presbiteri homicidae duodecim annis poeniteant; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Caputaquen. Dispensationis die 10 Maii 1755.*

59. Hinc multo minus est locus dispensationi ab irregularitate favore illius Sacerdotis, qui nedum dedit causam dissidio, a quo mors alterius Sacerdotis secuta fuerat, sed et hunc moriturum vel mortuum calcibus et fuste percussit, prolatis insimul adversus eumdem iniuriosissimis verbis *in Caputaquen. die 24 Martii 1725.*

60. Siquidem in Ecclesia Terrae Novarum Feria quinta in Coena Domini dum anno 1721 fiebat panis distributio Pauperibus et Sacerdotibus participantibus a Presbitero Paulo Positano, iurgium quoddam inter ipsum et Sacerdotem Thomam Positanum exortum fuit super qualitate panis, quem hic asserebat non esse bonae conditionis, et res eo usque processit, ut post prolata a Thoma iniuriosa verba adversus Paulum ipsum etiam alapa percusserit tempore, quo lotio pedum fiebat, quin adstantes potuerint dissidium componere, cum Thomas semper minatus esset, quod ea die volebat Paulum occidere. Re delata ad Caietanum Positanum fratrem Thomae, hic, dum Sacerdotes, terminata lotionis pedum functione, in Sacrario Ecclesiae permanebant, supervenit, et postquam interrogavit, quid accidisset, et a Paulo responsum habuisset: – vostro Fratello D. Tommaso non vuol farsi li fatti suoi, inquit: – Tu sei un briccone –, habitoque a Paulo responso: – Tu sei un briccone e mezzo –, ipsum non solum baculo in capite percussit, sed desumpto a proprio latere parvo sclopo vulgo *pistola* Paulum ad mortem vulneravit, idemque procidens in terram obiit, vix recepta sacramentali absolutione. Thomas, ut fugienti fratri auxilium praestaret, offendit in corpus Pauli, quod humi iacebat, illudque calcibus et fuste percussit, quin tamen certa notitia haberi valeret, an tunc revera Paulus esset mortuus, prolatis adversus ipsum iniuriosissimis verbis. Curia Episcopalis declaravit Thomam et Caietanum excommunicatos, ac Thomam ad exilium decennale a Diaecesi damnavit. Post obtentam

absolutionem ab excommunicatione, pluries Thomas petiit dispensationem ab irregularitate, sed frustra: dein habita a Consanguineis occisi pace, rursus pro dispensatione institit; sed proposito dubio: – II. An eidem sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Caputaquen. die 24 Martii 1725.*

61. Quin imo quum satis constet, quod de homicidio voluntario agatur, nunquam conceditur dispensatio, licet occisus sit homo pessimus *in Derthonen. Irregularitatis die 8 Maii 1756 die 19 Aprilis 1760 et die 14 Ianuarii 1764.*

62. Iamvero Curia Derthonensis ad triremes per decennium et confiscationem bonorum anno 1747 damnavit contumacem Sacerdotem Ioannem Baptistam Carboni occisorem Alexandri Repetti. A. C. vero, expectatis diu a Curia actis Causae, quae non trasmittebat, et Promotore Curiae Causam non tuente, absolvit – firmo tamen, si quem etc. incursu in irregularitatem, causa et occasione praedicti homicidii contractam –. Ob querimoniam deinde Curiae, iussu Pontificis Episcopo Placentino mandatum est, ut de iis cognosceret atque referret. Sed post relationem Episcopi Placentini nihil ultra actum fuit de sententia et poena occisoris. Hic anno 1749 supplicavit pro dispensatione ab irregularitate, quam non obtinuit. Rediit anno 1753, et opponente Curia, quae illum homicidam vuluntarium censebat, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 maii 1756 responsum tulit: – Negative –. Preces subinde renovavit; sed proposito dubio: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis super secundo dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 aprilis 1760 respondit: – In decisis –. Haud victus quarto institit pro dispensatione: propugnavit enim Carbonius, sententiam A. C. esse validam non revocatam; quidquid gestum postea fuit ab Episcopo Placentino ex mandato Pontificis, extra ordinem fuisse. Contendit, se pro tutela suae vitae non ex industria occidisse hominem perditum moribus, facinorosum, minacem, ac sibi occurrentem armatum, indulgentia dignum esse post sexdecim annorum fugam ab admisso crimine. Contra Promotor Fiscalis sustinuit, Carbonum fuisse homicidam voluntarium, non in discrimine vitae, et ex improviso, sed ultore animo et consulto patrasse crimen; dum recitandis horis canonicis incumbebat, nunciatum, adventasse per vicinia Repettum, sponte obviam itum, viso homine, inclamasse: – Eia modo stipatus tuis non ades –? hinc ex alto nihil tale verentem occidisse; certum id esse ex Testibus, qui in re praesentes erant, qui viderant, contrarium profari a Testibus, qui ab aliis affirmabant se audivisse. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Derthonen. Irregularitatis die 14 Ianuarii 1764.*

63. Unde Parochus, qui particeps extitit criminis atrocissimi, quo Uxoricida sepultus est cum Uxore defuncta, dispensationem petens ab irregularitate, peremptorie reiicitur absque spe gratiae *in Camenecen. Dispensationis ab Irregularitate die 30 Iulii 1785.*

64. Enimvero Honuphrius Piasechi Sacerdos Camenecensis Diaecesis ritus graeci uniti, dum Parochi Kuniszezovacensis munus agebat, uxoricidium intra Paraeciae septa a quodam Mathia Zingari perpetratum audivit. Ignorantia, an zelo vel alia de causa motus in exemplarem de Reo vindictam, modo penitus insueto et barbaro sumendam, consensit. Cogitanti enim Dispositori (hoc nomen videbatur dignitatis criminum ultioni praepositae) sepellire superstitem Virum cum cadavere Uxoris in pluribus favit et adhaesit. Ipse enim Reum quaerentes associavit, ipse illius adsportationi adstitit, ipse passus est, ut dum lugubri comitatu cadaver defunctae Uxoris trahebatur, etiam Uxoricida fune in collum iniecta ligatus traheretur, ipse, postquam Uxori parentatum est, confessionem Uxoricidae excepit, et ad mortem dispositus fuit, a Parochianis de re huiusmodi rogatus non improbavit, Uxoricidam in tumulum descendere et decumbere iussit super defunctae Uxoris cadaver, terramque super corpus decumbentis proiecit. Huiusce criminis pervulgata fama, Parochus in iudicium vocatus tamquam atrocissimi et voluntarii homicidii particeps habitus est, ac proinde irregularis declaratus Beneficio privatus et ad carceres for-

males per octo supra decem menses subeundas, demum ad spirituales expiationes condemnatus fuit. Parochiani quoque ob generalem consensum ad peculiarem mulctam damnati fuere. Sacerdos dein exposuit, impositam iam eluisse poenam ac dispensationem ab irregularitate a Sacra Congregatione postulavit. Episcopus suum votum pro dispensatione aperuit, cum Parti et Fisco satisfecisset, ante crimen bonis esset ornatus moribus, ac in praesens in miserabili statu permaneret. Advertebatur tamen, vix duos annos excedisse a die patrati criminis, et adeo novam et barbaram esse qualitatem criminis, tantaque cum crudelitate omniumque offensione coniuncta, ut piaculum fere videri posset, eum ad exercitium sacerdotalis Ordinis redintegrare per dispensationem ab irregularitate. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative absque spe gratiae – *in Camenecen. Dispensationis ab irregularitate die 30 Iulii 1785.*

65. Idcirco et Sacerdos, qui Sororem ex levissima causa ictu igneae ballistae interemerat, dispensationem ab irregularitate efflagitans post lapsum quindecim annorum, licet concurrerent vitae emendatio concivium vota et Archiepiscopi commendatio, responsum obtinuit negativum absque spe eam assequendi *in Ianuen. Irregularitatis die 23 Aprilis 1796.*

66. Siquidem improbans Sacerdos Innocentius Olcisius nuptias eius Sororis Agnetis cum Caietano Olcisio, cum ea se e Pannesio consilii causa contulit mense octobris 1779 ad Archipresbiterum Foraneum finitimi loci Uscio. Eos ibi ad prandium excepit Sacerdos alter, qui in aedes convenerat parochiales, deindeque ad patriam redeuntes comitabatur. Offenderunt in itinere Caietanum, ortaque inter eum et Sacerdotem rixa, una ex igneis ballistis, quibus Sacerdos Innocentius et Caietanus erant armati, ictum explosit, licet inane, quin de auctore constaret explosionis. Cessata contentione, in suas abierunt partes Caietanus et Sacerdos, qui comitatus fuerat Sacerdotem Innocentium. Hic vero impellere cepit Sororem patriam versus, igneamque tandem in eam reluctantem a tergo explosit ballistam, cuius ictu post paucos dies infelix Puella decessit. Fugam statim arripuit: sed mense maio sequentis anni 1780 sponte se constituit, negavitque constanti animo delictum. Damnatus tamen fuit a Ianuensi Curia Archiepiscopali ad publicum carcerem per vicennium; ex gratia tamen deinde dimissus est. Postulavit itaque dispensationem post lapsum quindecim annorum a commisso delicto, eique Archiepiscopus favit ob constantem vitae emendationem et concivium vota. Agebatur vero de Sororicidio, quod iuxta Criminalistas dici poterat *bestiale;* nam Sororem interemit Orator ex levissima causa, quod prae timore forsan iter prosequi reluctaret. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative absque spe gratiae – *in Ianuen. Irregularitatis die 23 Aprilis 1796.*

67. Hinc multo minus vix elapso nono mense a commisso crimine praesertim clamoso indulgetur dispensatio ab irregularitate Vice-Curato, qui dedit consilium occidendi, ex quo homicidium patratum est, licet concurrant circumstantiae, quae eam suadere videntur *in Gastelli Noren. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1798.*

68. Siquidem in civili victus iudicio Sacerdos Franciscus Congiargiù Curatus Gastelli in Sardinia, altercatus fuit die 7 martii 1797 cum victore Sacerdote Ioanne Stephano Monni eiusdem loci Vice-Parocho; eiusque susceptis partibus, duplicem sequenti nocte in fenestram cubiculi Monnii igneam exploserunt ballistam Ioannes Maria Congiargiù illius consanguineus et Franciscus Antonius Pisanù neptis sponsus. Primo hinc irae motu suos ad vindictam incitavit Monnius: sed animo deinde ad Evangelica praecepta composito, pravum revocavit consilium, evocavitque ad se die 14 eiusdem mensis Aloysius Pisanù, qui primus a Sacerdote stabat Congiargiù, ut de pace ageret. Inter eorum tamen colloquia plures contrariae partis armati domum obsederunt Monnii, et commissa cum Monnianis pugna, saucii ex ea discesserunt ipsius Monnii frater et unus ex aggressoribus. Crevit post haec Congiargiuianorum numerus, suisque fratribus consuluit Monnius,

ut principes tantum prosternerent propriae vitae insidiatores, quos inter Antonius Pisanù lethale accepit vulnus, et paullo post occubuit. Magis ex hoc exasperati fuerunt aggressores, strictiusque Monnianas aedes tenebant obsessas. At biduo post Monnius cum sua aufugit familia, seque contulit Calarem; eiusque domus mobilia argentum aurum bibliotheca combusta fuerunt a Congiargiuianis, qui illius etiam cognatum ad fugam impeditum iugularunt. Nondum vero, ob non expositam a neutra parte querelam, inquisivit Fiscus; atque Episcopi cura conciliata est pax inter omnes. Miseriis interim pressus, supplicavit Monnius pro dispensatione ab irregularitate. Nam primum occidendi consilium revocavit, et maximam secundi consilii, ex quo necatus fuerat Antonius Pisanù, luerat poenam, dum amisit omnia et in extremis erat miseriis: per decendium exercitiis spiritualibus incubuit, a celebrando se abstinuit, silebat Fiscus, et compositae erant Partes. At vix ex clamoso delicto lapsus erat nonus mensis; unde praesens erat illius memoria, et ob brevitatem temporis Episcopus de scandalo timebat, si permitteretur Oratori exercitium Vice-Curati in Oppido Gastelli. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Gastelli Noren. Irregularitatis die 20 Ianuarii 1798.*

69. Quin imo nec Sacerdos, qui proximam dedisse morti causam videbatur, dispensationem ab irregularitate post biennium assequi valuit *in Salernitana Irregularitatis die 4 Maii 1771.*

70. Siquidem exeunte mense septembris anni 1769 cum Angelus Moscati famulus comitatus esset Petronillam Nicolais Uxorem Francisci Iannelli simulque ad agrum quemdam accessissent, supervenit Sacerdos Michael Iannelli eiusdem Francisci frater dictumque Angelum famulum obiurgavit, tum quia poma auferentem vidisset, tum etiam quia detractoriis verbis suam famam laedere non erubuisset. Hinc dissidiorum et rixarum causa; timensque Petronilla, ne damnum aliquod sibi aliisque eveniret, media inter rixantes stetit, et Sacerdotem cognatum ambabus manibus apprehendit eumque obsecravit, ut ab incepto sermone desisteret. Interim vero Angelus igneum tormentum in Sacerdotem explosit, eiusque loco vulneravit Petronillam, quae paulo post ex accepto vulnere occubuit. Testes, una excepta Petronilla, deposuerunt vel de auditu, vel ex publica voce et fama Sacerdotem Michaelem, postquam eadem mulier vulnerata remanserat, explosisse in Angelum ictum sclopi, quod nonnulli affirmarunt, duplici igniario fuisse onustum, scilicet *a due botte*. Petronilla pene moritura fassa est, Sacerdotem Iannelli igniarium sclopi, quem tenebat, attollisse, et hac de causa ipsum comprehendisse, ne Angelum interficeret. Duo alii Testes ex ore eiusdem Sacerdotis confirmarunt sclopi explosionem ab eo contra Angelum commissam, licet convenirent, nihil detrimenti Angelum passum fuisse. Verum Sacerdos Michael non solum sclopi explosionem, sed illius quoque retentionem constanter in suo constituto negavit. Angelus tamen inventus est saucius vulnere non mortifero, nec ab igneo instrumento; sed a cultro potius illato. Parochus ex ore ipsius Angeli a Sacerdote Michaele causatum fuisse asseruit; alii vero Testes aut nescire professi sunt, aut omnino vulnus excluserunt, imo ex his duo ex publica voce testati sunt, Angelum semetipsum vulnerasse. Curia Archiepiscopalis decrevit, Sacerdotem liberandum et absolvendum, praestita tamen cautione de se repraesentando, novis supervenientibus indiciis, et facta obligatione de peragendis spiritualibus exercitiis decem dierum spatio ac de non deferendis armis. Sacerdos hinc a se exclusit irregularitatem, vel saltem mereri censuit dispensationem, cum sustineret, se nullam dedisse homicidio causam, vel ad summum hanc remotam fuisse. Proposito vero dubio: – An constet de irregularitate, ita ut sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Salernitana Irregularitatis die 4 Maii 1771.*

71. Hinc haud indulgetur dispensatio post biennium a die patrati homicidii, licet illud perpetraverit Sacerdos per accidens et praeter intentionem in personam furis nocturni *in Casalen. Irregularitatis die 24 Septembris 1718.*

72. Enimvero Sacerdos Petrus Iacobus Rampini contendit, se non incurrisse irregularitatem, vel saltem mereri dispensationem, non obstante occisione Angeli Mariae Colelli, tum quia hic erat fur nocturnus, qui se abdiderat in horreo Advocati Vasini, in cuius domo Sacerdos habitabat, tum quia non ante Sacerdos sclopum explosit, ex cuius explosione Angelus remansit sauciatus et mortuus, quam hic fur lumen extinxisset, quod deferebatur a Catharina Ancilla Vasini domini domus, quae etiam exclamaverat: hic est fur, in his quippe circumstantiis, aut Angeli homicidium secutum dici debebat et factum ad propriam defensionem, vel ad minus admittendum erat, quod ignorabatur, an occisus accessisset, ut alios occideret, vel tantum ut furaretur. Res insuper erat de promoto, non vero de promovendo, ac de homicidio secuto per accidens et praeter intentionem, in quo post peractam poenitentiam homicida non impeditur, quominus in susceptis ministret Ordinibus et ad maiores valeret promoveri, iuxta Textum in Cap. *Significasti* 15 de homicidio. Advertebatur tamen, quod homicidium secutum fuerit anno 1716; adeoque iuxta praxim Sacrae Congregationis modicum tempus erat elapsum ad effectum dispensandi, licet non ageretur de promovendo, sed de promoto. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de irregularitate? *et quatenus affirmative,* an sit locus dispensationi in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Casalen. Irregularitatis die 24 Septembris 1718.*

73. Idcirco non est locus dispensationi favore Sacerdotis, qui feminam iniuste verberavit, ac ea de causa illa in extremum incidit diem, cum praesertim nec tempus quinquennalis exilii, quo is fuit damnatus, consummatum adhuc extiterit *in Melevitana Dispensationis die 10 Ianuarii 1778.*

74. Iamvero Sacerdos Ioseph Muscat narravit, se verbis iniuriis et contumeliis in propria domo provocatum fuisse a femina Evangelista Attard, et quamvis ipse prudenter blandisque verbis, sed inutiliter curam egisset animum Evangelistae sedandi, ira accensum, arrepto baculo, feminam verberasse, eamque ferocem effectam erga Sacerdotem oratorem alium arripuisse baculum, quem cum ambo ad se retraherent, illum tandem liberum reliquit Mulieri, quae eo pacto a lapsu non retenta ex alto domus loco, qui vocabatur *Astargo,* in eiusdem domus atrium violenter cecidit, pluribus in eius capite et corpore receptis vulneribus. Ab hoc accidentali casu correptus Orator auxilio plurium personarum ob clamores inibi accurrentium curavit, ut maiori, qua fieri potuit, solertia, necessaria remedia prolapsae feminae subministrarentur, quae tamen ad propriam domum traducta ob malam vulnerum curationem post triduum occubuit. Curia Melitensis, compilato processu, eumdem damnavit ad exilium per quinquennium, irregularem et a divinis suspensum declaravit, praeter alias indictas poenas pro familia defunctae et pro aliis piis operibus applicandas. At ex actis processus transmissis constitit, casum evenisse die 5 decembris 1771: haud patere, Evangelistam contumeliis provocasse Sacerdotem, sed imo ipsum Sacerdotem, calcis ictibus et colaphis prius, subindeque Evangelistam in terra iacentem ita crudeliter et inhumaniter verberibus et baculo affecisse, ut eam semivivam reliquerit. Episcopus tamen eum dispensatione dignum censuit, quin adhuc consummatum esset tempus quinquennalis exilii. Proposito vero dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Melevitana Dispensationis die 10 Ianuarii 1778.*

75. Imo licet Sacerdos, qui homicidium casualiter ac ira accensus patravit, solidae poenitentiae specimen dederit, eumque gratia dignum proprius Episcopus Magistratus Archipresbiter et alter Antistes loci ordinarius censerent, Sacra Congregatio renuit ipsi dispensationem concedere, cum a die patrato criminis vix quatuor annorum spatium effluxisset *in Nepesina Dispensationis ab irregularitate die 3 Augusti 1782 die 29 Novembris 1783 et die 24 Iulii 1784.*

76. Siquidem sexto nonas martii anni 1780 circa horam secundam noctis in domo Sacerdotis Alexandri de Angelis Mazzani ipsum inter suosque consanguineos rixa excitata

fuit. Ne quid mali accideret, in domus cubiculum detrusus fuit Sacerdos. Ceteris vero litigantibus, qui sese circa domus ianuam constituerant, adolescens etiam accessit Antonius Diotallevi, a quo utpote Sacerdotis amico et hospite, cum adversus consanguineos praedictos eructarentur iniuriae, strepitus percrebuit. Hinc Sacerdos e cubiculo erumpens stricto gladio, quem ex baculo affabre constructo extraxerat, in obscurum litigantium agmen sese coniecit; et quem verosimiliter nolebat, Antonium Diotallevi adeo graviter vulneravit, ut binas post horas sacramentali absolutione munitus occubuerit. Fugam arripuit Sacerdos: sed Nepesina Episcopalis Curia, processu constructo, eum ad triremes per annos decem damnavit, dimidiumque bonorum Fisco addixit. Fisco autem Partibusque concordatis, ab eadem Curia absolutionem Sacerdos obtinuit, praemissa tamen solutione scutorum octoginta pro mulcta Locis Piis applicanda, et facta obligatione vacandi per integrum annum spiritualibus exercitiis in Conventu Patrum Carmelitarum Viterbii. Vitam duxit exemplarem in dicto Conventu novem mensibus tantum, quoniam pro victu solvendo imparem a reliquo poenitentiae tempore Vicarius Capitularis dispensavit. Anno 1781 dispensationem petiit: sed advertebatur, dispensationem ab irregularitate contracta ex homicidio etiam casuali haud concedi, nisi post actam plurium annorum poenitentiam, et post iteratas saepiusque vel Summo Pontifici, vel Sacrae Congregationi repetitas preces. Proposito hinc dubio: - An dispensatio ab irregularitate sit concedenda in casu etc. -, Sacra Congregatio die 3 augusti 1782 respondit: - Negative -. Exin iterum Sacerdos clementiam EE. PP. imploravit, cum et gratiam exoptaret Magistratus Oppidi Orignani, ubi munus ludi magistri dictus Sacerdos exercebat, quique etiam testaretur de optima illius vivendi ratione ecclesiastico viro digna, idipsum confirmaret Archipresbiter loci, et Episcopus Civitatis Castellanae loci ordinarius, atque Episcopus Nepesinus, ob solidae poenitentiae christianaeque pietatis assidue specimen exhibitum, dignum dispensatione censerent. Reproposito vero dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio die 29 novembris 1783 respondit: - Expectet -. Supplicavit denuo Sacerdos, ut ad Altaris ministerium restitueretur; sed reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis - *in Nepesina Dispensationis ab irregularitate die 24 Iulii 1784.*

77. Qua de re haud indulgetur dispensatio ab irregularitate post quinquennium Canonico, qui propter homicidium in personam alterius Canonici in rixa patratum damnatus fuerat ad quinquennalem relegationem seu exilium *in Caiacen. Irregularitatis et censurarum die 23 Maii 1722.*

78. Enimvero Ioannes Baptista Palazzescus Canonicus Cathedralis Ecclesiae Caiacensis die 3 decembris 1717 in rixa sclopum accepit, quem Canonicus Giannellus secum detulerat et in angulo mansionis deposuerat, et eum direxit contra dictum Giannellum, qui se retro Canonicum Pompeium Lamperium abscondebat, capta demum temporis opportunitate, sic eumdem exoneravit, ut dictus Canonicus Giannellus in foemore dextero et in crure sinistro cum magna sanguinis effusione et ossium fractura vulneratus die 26 mensis decembris dicti anni 1717 mortuus fuerit. Quin imo Palazzescus, evaginato gladio, irruit adversus Giannellum, qui ex praecedenti vulnere sclopi in terra iacebat, et impeditus fuit a Catharina matre vulnerati. Id unanimiter deposuerunt Angela, Helena et Fulvia de Novellis, nec non ex publica voce et fama et fuga a Palazzesco arrepta confirmabatur: sed postea praedictae Mulieres in repetitivo suas revocarunt depositiones, homicidium referendo ad casuale infortunium. Inde Palazzescus per sententiam fuit declaratus irregularis et damnatus ad quinquennalem relegationem in Conventu S. Petri de Alcantara, firma remanente excommunicatione, in quam propter delictum incurrerat. Curia Metropolitana in gradu appellationis commutavit relegationem in quinquennale exilium. His mature perpensis, proposito dubio: - II. An sit concedenda dispensatio? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Negative - *in Caiacen. Irregularitatis et censurarum die 23 Maii 1722.*

79. Unde licet omnes circumstantiae concurrere viderentur, quae dispensationem sua-

debant, renuit tamen Sacra Congregatio post septem annorum lapsum eam concedere Sacerdoti, qui hominem ita percussisse videbatur, ut is post sexdecim dies occubuerit, quin certum omnino esset, quod huiusmodi percussiones fuissent causa mortis *in Aquinaten. Irregularitatis die 8 Aprilis 1775.*

80. Iamvero cum Sacerdos Vincentius Rampini e Civitate S. Ioannis in Carico venatum pergeret die 31 martii 1768, quae erat feria quinta maioris hebdomadae, et iurgia ipsum inter et Iacobum Nardillo Casalis Insulettae exorta tunc fuerint, res eo devenit, ut dictus Sacerdos pluribus ictibus percusserit Iacobum, qui post sexdecim dies misere occubuit. At licet plures Testes ex publica voce nec non Medici et Chirurgi, qui eum curarunt de percussionibus, fidem faciebant, eas causam illius mortis fuisse, alii tamen Testes et quinque Medici per Rampinium inducti mortem illius morbis, quibus Iacobus erat affectus, adscripserunt, quorum iudicium ceteri Medici a Vicario Generali in Peritorum conflictu auditi adamussim confirmarunt, simulque addentes, Iacobum occumbere non potuisse, si iuxta artis regulas fuisset curatus. Rampinius autem semel bis ac tertio negavit percussiones, immo Iacobum cognovisse aut vidisse unquam negavit. Rebus sic stantibus, Vicarius Generalis, attenta spontanea inquisiti Sacerdotis comparitione, diuturna detrusione in carcere per annum, aliisque incommodis ac dispendiis ab eodem passis, illum condemnavit ad vacandum spiritualibus exercitiis et ad relegationem per triennium in Religiosa Domo, facta tamen obligatione de reficiendis damnis, prout de iure, expensis et interesse. Expleta iam poena, Parte et Fisco satisfactis, ac pace ab heredibus defuncti Nardillo reportata, dispensationem ab irregularitate efflagitavit, quam ei indulgendam esse Episcopus censuit, cum Orator poenitentiam egisset ac vitae ductum emendasset. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Aquinaten. Irregularitatis die 8 Aprilis 1775.*

81. Qua de re Sacerdos, qui hominem a fratre percussum ob idque humi iacentem in ventre pedibus conculcavit, quin tamen Periti concordes fuerint in dignoscendo, num ex una potius, quam ex altera percussione mors illius evenerit, dispensationem pluries frustra petiit, ac dein elapsis octo annis a die criminis commissi responsum habuit – expectet –, licet innocens ab homicidio fuisset absolutus, veniam Partis obtinuisset, constantis emendationis signa dedisset, Missas pendente instantia ex erroneo tantum dictamine celebrasset, ac Episcopus eum gratia dignum censuisset *in Utinen. Irregularitatis die 15 Ianuarii 1785.*

82. Siquidem Sacerdos Sebastianus Coterli Oppidi Moimaco quadam die anni 1777 cum degeret in propria domo obiurgationibus et conviciis fuit lacessitus ab Uxore Petri Coterli eius Patruelis: supervenit Petrus, qui aliis contumeliis Sebastianum affecit. Cum autem istius Sacerdotis germanus frater contentionem audivisset, statim accurrit opem fratri allaturus; quare irruens in Petrum, et hic adversus illum calcibus et manus ictibus sese invicem male affecerunt. Ast Sacerdos, ut fratrem colluctantem a discrimine liberaret, baculum arripuit, ictusque aliquos in brachium Patruelis direxit, et in aestu pugnae, properante iam nocte, ictu uno tam graviter Petrum in capite percussit, ut ille humi procumbere coactus fuerit. Ubi vero frater Sacerdos Coterli Petrum humi iacentem vidit, cepit illum in ventre pedibus conculcare. Post haec Petrus illuc discessit, et licet tam male habitus et percussus, nullo tamen auxiliante, in propriam domum se recepit, ubi in ipsa nocte vehementibus correptus doloribus occubuit. Facta cadaveris inspectione, binae in eo contusiones fuerunt repertae, una in capite, in ventre altera; sed Periti concordes non fuerunt in dignoscendo, num ex una potius, quam ex altera contusione mors evenerit. Compilato processu, Sacerdos Coterli innocens ab homicidio fuit declaratus, obtentaque Partis venia, dispensationem petiit; sed reiectus fuit tum in Congregatione 17 iulii 1779, tum in alia Congregatione die 7 februarii anni 1784, ex eo praesertim quia pendente instantia pro dispensatione, Missam celebraverat. Renovavit subinde preces dictus Sacerdos: et Episcopus retulit, Oratorem ductum privatis opinionibus Missas celebrasse,

sed inde monitum abstinuisse, cum ex erroneo dictamine id egisset, eumdem semper bonis imbutum fuisse moribus et post patratum crimen verae constantisque emendationis signa dedisse, adeoque super implorata dispensatione exaudiri posse censuit. Proposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Expectet – *in Utinen. Irregularitatis die 15 Ianuarii 1785.*

83. Clericus itaque, qui in tumultu arma sumpsit et veluti dux inter armatos versatus est, qui caedes rapinas vastitatem Ecclesiarum commiserunt, poenitens factus absolutionem a censuris et dispensationem ab irregularitate effiagitans post triennium, licet Episcopus impensam fecisset commendationem, absolutionem a censuris obtinuit, sed quoad dispensationem responsum habuit, ut expectaret et daret maiora signa poenitentiae et constantis emendationis *in Cusentina Irregularitatis die 18 Martii 1809.*

84. Iamvero Clericus acolythus Fortunatus Caputi in tumultu, qui anno 1806 eruperat, arma sumpsit cum Satellitum manu per Oppida discurrens; unde multos occisos fuisse constabat, multos sauciatos, Ecclesias direptas, domus vastatas. Sedato tumultu, ipse Caputus damna illata, ut potuit, refecit; et a Tribunali laico veniam impetravit. Postea Seminarium ingressus et poenitens factus, supplicavit pro dispensatione ab irregularitate. Incertum esse videbatur, num aliquem mutilaverit vel occiderit, Episcopus narrata confirmavit et addidit: – Hoc Seminarium ingressus propriae sanctificationi et literis incumbens perseverat adhuc in incepta via. Patres Emi, qui primi Pastoris officium exercetis et non vultis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, exurgite in adiutorium eius, ut gaudere possitis de sua ereptione a potestate tenebrarum, et de plena victoria suarum passionum. Peccatum suum grande fuit et magnum nimis, sed misericordia Domini immensa est interminabilis infinita. Suscipite igitur EE. PP. hanc dimissam supplicationem meam –. Concurrebat quidem vitae quaedam emendatio et commendatio Episcopi, verum non concurrebat Ecclesiae necessitas, de qua nil dixerat Episcopus, neque vitae constans et singularis emendatio, cum Orator viveret adhuc censuris irretitus, ut mirum certe esset, quod in Seminario fuisset receptus atque retentus. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative quoad absolutionem a censuris; in reliquis, expectet et det maiora signa poenitentiae et constantis emendationis – *in Cusentina Irregularitatis die 18 Martii 1809.*

85. Hinc Sacerdos, defensionem cuiusdam Iuvenis, quem Pater acerrime insectabatur, suscipiens, eumdemque unico baculi ictu interficiens, dispensationem ab irregularitate haud assequi valet, vix elapso septimo mense a die patrati criminis, licet pro huiusmodi crimine nil passus fuerit, cum nec publicum sit et notorium, aliquibus tamen ex divulgatione famae notum *in Leodien. Irregularitatis die 17 Decembris 1791.*

86. Siquidem Iuvenis quidam, ab irato insectatus Patre, ingressus fuit die 7 maii 1791 domum Sacerdotis Petri Ioseph Vancoolwyck, eoque loci perventus, unde evadere non poterat, triste habuit Sacerdotis auxilium. Hic namque armatus baculo, insequutus est Patrem; eumque, relicto filio, in se irruentem unico baculi ictu interfecit, data morienti sacramentali absolutione. Nihil pro hoc passus est homicidio, quod, Leodiensi Episcopo teste, – nec publicum et notorium, quamvis uni vel alteri aut etiam pluribus fortasse ex divulgatione famae sit notum –. Supplicavit pro dispensatione ab irregularitate, cum is ad sui ipsius et innocentis filii defensionem homicidium patrasse censeret. Episcopus itaque censuit, Oratori bonis imbuto moribus concedi posse dispensationem, quin ullum scandalum oriretur. Advertebatur tamen, haud necessariam Oratorem suscepisse defensionem, seque per baculum exposuisse periculo homicidii, operam igitur dedisse videri rei illicitae; ac vix septimum a patrato crimine lapsum esse mensem, remque esse notam pluribus fortasse ex divulgatione famae. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Leodien. Irregularitatis die 17 Decembris 1791.*

87. Nam licet homicidium non sit voluntarium, sed casuale ac praeter intentionem, non propterea indulgetur dispensatio, nisi de vitae emendatione constet *in Terracinen. die 10 Maii 1766.*

88. Siquidem Magentiae die 1 iulii 1762 rixa orta est inter aliquot Iuvenes, qui noctu cantando cursitabant cum aliis, qui occurrerant. Diaconus Michael Angelus Fasanus, qui vicem tunc absentis Praetoris gerebat, ne sequentibus noctibus similia evenirent, maxime ob vulgatum rumorem, quod cum armis iterum incessuri essent, duos e proximo Carpineto accersivit Satellites, iisque addito suo Curiae Apparitore armato, mandavit, ut, si quos invenirent, noctu per Oppidum vagantes, caperent et in carceres traherent. Hinc die 3 eiusdem mensis excitata contentione inter eos cum iisdem, quos vagantes similiter invenerunt, unus eorum cultro leviter vulneratus est, alter vero occubuit. Curia Terracinensis post multa Fasanum a poena tandem absolvit: sed Sacra Congregatio eius preces, quibus dispensationem postulabat, die 4 iunii 1763 et 23 Martii 1765 reiecit; moribus enim non se inde exhibuit talem, qualem se exhibere debuerat. Quum autem, teste Episcopo, moribus mutatis, diversimode appareret etiam cum Sacramentorum frequentia et divino officio diebus solemnibus interventu, proposito dubio: – II. An sit locus dispensationi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative – *in Terracinen. die 10 Maii 1766.*

89. Quapropter haud indulgetur dispensatio Sacerdoti, qui veluti reum homicidii damnatus nullam afferat probationem de emendatione vitae, et Ordinarius hac super re altum servat silentium *in Taurinen. Irregularitatis die 14 Aprilis 1764.*

90. Enimvero mense iulii anni 1759 Sacerdos Giannella Antonium Falla, qui consequendi a domestica Ancilla alicuius crediti causa domum venerat, conviciis primum, deinde manibus pedibusque ita male habuit, ut ad fugam coegerit. Toto die Antonius sine ullo incommodo ac dolore per Urbem ivit, noctu autem suam domum se recipiens aliqua parte corporis se condolere conquestus est, biduo post occubuit. Curia Taurinensis eum contumacem veluti reum homicidii damnavit ad resarcienda damna heredibus occisi obventa, nec non ad continuo permanendum per quinquennium et loco carceris in aliquo Monasterio. Post latam sententiam, soluta prius poena, ad defensiones admissus est; unde Curia novam protulit sententiam, qua decrevit, eumdem non esse ulterius molestandum. Qua de re Giannella contendit, se prius immerito declaratum fuisse irregularem. Namque ipse nullam dederat mortis causam, cum Antonius integro die numquam condoluisset, e domo incolumis evasisset, Urbem peragrasset, atque constaret de morbo, quo multis ab annis laborabat. Idcirco sustinuit, sibi esse concedendam saltem dispensationem: sed nullam afferebat probationem de emendatione vitae. Archiepiscopus ne volam quidem faciebat de dispensatione concedenda; solum de eius praesenti angustia, nulla tamen inclinatione animi vel favore erga petentem loquebatur. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo concedenda sit dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative – *in Taurinen. Irregularitatis die 14 Aprilis 1764.*

91. Unde nec indulgetur dispensatio ab irregularitate post lapsum quinque annorum Clerico, qui in rixa hominem villicum cultro interfecit, licet praetenderet, quod servasset moderamen inculpatae tutelae, ductum vitae emendaverit, et paupertate pressus adimplere non posset onus plurium Missarum ratione Beneficiorum, quae possidebat, suae familiae *in Messanen. Irregularitatis die 4 Aprilis 1778 et die 15 Ianuarii 1780.*

92. Iamvero villicus Nicolaus Cipulla, certae pecuniarum summae debitor Clerici Silvestri Russo, urbane die 15 martii 1774 pro solutione requisitus fuit. Huic petitioni contumeliosis verbis Villicus respondit; imo, acceptis lapidibus, mortem Clerici comminatus est, et quamvis Clericus abiret, Villicus tamen eum insequutus est, et in eius caput lapidem direxit, cuius ictum Clericus caput declinando vitavit. Cum autem Villicus alterum lapidem in Clericum vibrare tentasset, e re sua putavit Clericus ad vitae defensionem Villicum capillis arripere, ut eum terreret, non vero interficeret; hinc ira accensus cultro eumdem in humero vulneravit, qui exinde occubuit. Curia ecclesiastica, stante probationum exilitate, Clericum damnavit ad exi-

lium per sex menses continuos, qui dein, concordatis Parte et Fisco, petiit dispensationem; sed Sacra Congregatio die 4 aprilis 1778 rescripsit: – Lectum –. Preces iteravit Clericus contendens etiam, se irregularitatem non incurrisse, cum homicidium patraverit ad suae vitae defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, vel saltem gratiam non demereri. Archiepiscopus retulit, Clericum profugum spatio annorum duorum et octo mensium per diversas partes se contulisse, inde poena soluta, a suis vitiis pessimis revocasse gradus recto laudabilique itinere incedentem, gravatum esse onere octo Missas lectas satisfaciendi in qualibet hebdomada a suis maioribus relictas, quod onus, attenta eius paupertate, minime posse adimplere; censuit itaque eumdem dignum charitate et clementia EE. PP. Proposito vero dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis – *in Messanen. Irregularitatis die 15 Ianuarii 1780.*

93. Nisi itaque cuncta manifesto pateant, Sacra Congregatio novam exquirit informationem ab Episcopo, ut rescire valeat, num Diaconus, qui iniuste propter homicidium damnatus dicitur, dignus sit dispensatione ab irregularitate, quam postulat *in Bracharen. Irregularitatis die 11 Aprilis 1807.*

94. Siquidem Diaconus Antonius Ioachimus Palha Teixeyra et Canonicus Collegiatae S. Stephani in Oppido Valentiae Minici Bracharensis Diaecesis anno 1789 accusatus fuit necis illatae Ioanni Gonsalves e Vico *Cordal*, ob eamque causam a Iudice locali declaratus fuit irregularis et suspensus a Canonicatu, ad cuius titulum Ordines susceperat. Postulavit itaque dispensationem ab irregularitate, ut ad Presbiteratum promoveretur, et habilitationem, ut fructus Canonicatus perciperet. Vicarius Capitularis retulit, quod eo – tempore eiusdem Oppidi Iudex, qui de Oratore inquisivit, illius inimicus erat, ut haec omnia ex Testibus fide dignis apud me inquisitis recte probantur –. Ceterum si ipse liberationis sententiam, qua ad exilium per quinque annos damnatus fuerat, postea obtinuit, impetrata venia ab Accusatoribus, et soluta mulcta; ex hoc ipso satis eruebatur, sententiam damnationis fuisse iustam, cum aliter non liberationem a poena, sed revocationem sententiae obtinere curasset. Vicarius Capitularis, attenta etiam Oratoris paupertate, eum dispensatione dignum censuit. Nam ipse poenam luit, ab Accusatoribus veniam a Fisco compositionem obtinuit, et septemdecim anni a patrato crimine fluxerant. Proposito tamen dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione et rehabilitatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Episcopo pro nova informatione iuxta mentem – *in Bracharen. Irregularitatis die 11 Aprilis 1807.*

95. Hinc Clericus, qui homicidium ad propriam defensionem patrasse videbatur, dispensationem petens ab irregularitate post lapsum trium annorum a die criminis commissi, responsum accepit – Expectet –, licet alia requisita concurrere viderentur, quae dispensationem suadebant *in Mutinen. Dispensationis die 7 Februarii 1784.*

96. Iamvero Clericus Iacobus Antonius Taccioli Oppidi Vallei circa initium noctis diei 14 octobris anni 1781 seculari habitu indutus e domo cuiusdam Dominici Ladorini egrediens, nulla praecedente rixa, a quadam persona, quae latebat, aggressus et in capite et in humeris percussus, humi procumbere coactus fuit. Cum autem surgere curasset, in eo actu vidit, quod aggressor rursus illum invadere tentabat; quare timore gravioris offensionis perterritus, arrepto gladiolo, eumdem aggressorem in ventre vulneravit, et tunc cognovit, aggressorem fuisse quemdam Aloisium Burgoni, qui ex accepto vulnere post triduum obiit. Confecto processu patuit, nullam inter eos intercessisse inimicitiam, immo invicem amicitia devinctos fuisse, quare obtenta a defuncti Parentibus venia a poena absolutus fuit: inde dispensationem ab irregularitate efflagitavit. Episcopus retulit, Clericum bonis moribus imbutum fuisse ante et post patratum crimen, adeoque argui posse, homicidium ad defensam patratum fuisse, eumque gratia dignum censuit. Proposito tamen dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Expectet – *in Mutinen. Dispensationis die 7 Februarii 1784.*

97. Idcirco denegatur dispensatio ab irregularitate tribus tantum elapsis annis a die

homicidii, quod Sacerdos in rixa et ad propriam defensionem patrasse videtur, etiamsi sponte in Curia comparuerit poenam sibi impositam solverit heredibus defuncti satisfecerit vitam duxerit exemplarem, adeoque gratia dignum Ordinarius censeat *in Papien. Dispensationis die 24 Iulii 1784.*

98. Iamvero Sacerdos Alexander Pioli iussit Iosepho Maria Peola, quem in famulum retinebat, ut custodiam haberet areae, in qua non modicam frumenti quantitatem retinebat. Accidit, ut idem Sacerdos circa horam quartam noctis die 30 augusti 1781 ad aream accesserit et custodem non invenerit: quare graviter commotus de negligentia redarguit famulum, qui supervenerat; iurgia et dissidia hac de causa inter eos suborta sunt, sed Sacerdos Pioli advertens, Peolam esse hominem fervidae indolis ad iram pronum sclopo cultroque armatum, veritus, ne ab eo occidi posset, sclopum ipse prius, quo ad venationem uti solebat, in famulum explosit eumque in brachio dextero et in inguine graviter vulneravit, et ex vulnere nocte subsequenti famulus occubuit. Sacerdos sponte in Curia comparuit: et Vicarius Generalis, attenta spontanea eius comparitione et confessione, eumdem ad peragenda per mensem exercitia spiritualia in aliqua Religiosa Domo et ad reficienda damna familiae defuncti damnavit. Mandatis Curiae paruit Sacerdos Pioli, inde supplex oravit pro dispensatione ab irregularitate. Ordinarius retulit, Sacerdotem dolere de crimine admisso et vitam ducere exemplarem et probam, dignum hinc censuit dispensatione. Proposito vero dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Papien. Dispensationis die 24 Iulii 1784.*

99. Hinc haud indulgetur dispensatio Sacerdoti, qui, iustum defensionis modum excedens, homicidium patravit, licet Parti et Fisco satisfecerit, Parochus Populus et modernus Archiepiscopus eam esse indulgendam censeant *in Lucana Irregularitatis die 20 Iulii 1793.*

100. Siquidem orta sub die 20 iulii 1786 contentione inter Sacerdotem Ioannem Iacobum Lippi et villicum Peregrinum Tonelli de tenui pecuniae summa, quam Villicus postulabat – ex causa locationis operarum sibi a Sacerdote debitam et iniuste recusatam –, iuxta declarationem decessoris Archiepiscopi Lucani ad Sacram Congregationem transmissam, tantopere crevit rixa, ut ad vitandum Tonellium inermem – Sacerdos propriam ingressus domum, clausa ianua, ascensa contignatione, procul ab omni periculo, conquerentis clamores spernere poterat –. Is vero aperta fenestra, igneam in Villicum explosit ballistam, plumbeisque globulis, quos vocant *veccioni*, eum vulneravit in ventre, ac post secundam horam infelix homo decessit, eodem Archiepiscopo teste. Condito igitur per Archiepiscopalem Curiam processu, declaratus in contumaciam fuit homicida irregularis, damnatusque in poenam perpetui carceris, ad damna expensas et interesse favore heredum occisi, et ad emolumenta Fisci. Intra biennium a commisso delicto supplicavit Sacerdos pro absolutione ab irregularitate, dum erat adhuc sub poena. Archiepiscopus nulla excusari ratione posse dixit homicidium, quia iustum Sacerdos excessit defensionis modum ignea adversus inermem utendo ballista, hominemque ex intervallo post ingressam domum, ac tuto ex loco interemit. Quo vero ad eius mores haec habuit: – ab ineunte aetate truculentus fuit, iracundus, litigiosus; et quamvis saepe reprehensus obiurgatus et asperius etiam admonitus, nec, ut ecclesiasticum virum decet, pacate ac tranquille a querimoniis et iurgiis se abstinuit –. Idcirco censuit, neutiquam ei indulgendam esse facultatem rem divinam faciendi. Unde Sacra Congregatio die 18 iulii 1788 eius instantiam reiecit per Rescriptum: – Lectum –. Sacerdos autem anno 1790 commutationem perpetui carceris in religiosum recessum impetravit, deindeque anno 1792 pristinam libertatem. Rediit hinc pro absolutione ab irregularitate, et adversus decessoris Archiepiscopi informationem probare conatus est, quod eius potius debitor esset Tonellius, isque rixae auctor et armatus falce suam minaretur necem, quod tutus ipse non esset in propria domo, ob apertam ianuam, quodque vitam semper ecclesiastico viro dignam duxisset, ac Parti et Fisco satisfecisset. Modernus Archiepiscopus ei favit, cum longam egisset poenitentiam, et multum probabilia constantis emendationis dedisset indicia, nec scandalum

oriri posset in Populo, quia Parochus retulit, eum de universali sui Populi voto ad Sacra facienda habilem rursus fieri exoptari. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Lucana Irregularitatis die 20 Iulii 1793.*

101. Nam ut quis alium occidens dicatur moderamen servasse inculpatae tutelae, tria debent necessario concurrere, causa scilicet modus et tempus. Requiritur quippe, quod causa, nimirum iniusta invasio, praecedat occisionem, quoniam si quis ante invasionem alterius aggrediatur ipse, iam non sui defensio, sed alterius aggressio est. Requiritur item debitus defensionis modus, ita ut defensio sit invasioni aut offensioni proportionata, scilicet servata armorum aequalitate. Non enim decet, nec defensionis servatur modus ab eo, qui, cum ab aggressore caedatur pugnis seu calcis ictibus, se defendat armis et cum iis aggressorem repellat mutilet vel occidat. Demumque tempus requiritur, ut nimirum occisio ad sui defensionem commissa fiat incontinenti, hoc est in ipso actu aggressionis et defensionis, non autem ex intervallo, quia hoc casu censetur homicidium patratum ad sumendam vindictam, nunquam vero ad iniuriam propulsandam: quae si concurrunt, occidens servasse dicitur moderamen inculpatae tutelae, ut latius expendunt Reiffenstuel ius can. lib. 5 Decret. tit. 12 §. 4 de homicid. et mutilat. a n. 130 ad 135, Pirhing eod. lib. 5 tit. 12 sect. 3 §. 3, et Belletti disquisit. clerical. part. 1 de disciplin. cleric. §. 5 a n. 115 ad 118 *in Marianen. Irregularitatis die 1 Martii 1777* §. *Nullumque.*

Item *in Abellinen. Dispensationis die 17 Iulii 1802* §. *Dubitandi; in Brundusina Irregularitatis die 14 Iunii 1817* §. *Homicidium.*

102. Concessa hinc est dispensatio ad cautelam Sacerdoti Francisco Carnevale, qui, dum contentionem habebat de rebus domesticis cum Sacerdote Theodoro Carnevale suo ex fratre nepote, calce fuit percussus ab eodem, ac timens, ne Theodorus sclopum, ad quem manus admoverat, adversus se exploderet, manum ipse ad alium sclopum admovit et in eum explosit, qui in oculo sinistro vulnus passus est, atque licet subinde convaluerit nec ulla deformitas in eodem superesset, debilitatem nihilominus visus in eo tulit, et quae adhuc durabat, nec unquam forte cessare poterat; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Sacerdos Franciscus incurrerit irregularitatem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An eidem sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Aquinaten. die 12 Ianuarii 1726.*

103. Qua de re conceditur dispensatio Subdiacono, qui ad propriam defensionem ex iudicio Peritorum occasio mortis, non vero causa extitit *in Aversana Irregularitatis die 2 Augusti 1755.*

104. Siquidem cum mense septembri anno 1752 Subdiaconus Antonius Cacciapuoti, paterna domo egressus armatusque parvo tormento bellico venatorio, in praedium rusticum, quod a suis colebatur, concessisset, inde in proximum vicum, ut aliquid ibi obsonii sibi compararet, divertisset, ingressus macellum iurgatus est cum lanione Angelo Maurellio. Subdiaconus itaque a Lanione asperis verbis exceptus asperiora regessit, et ita Lanio ira excanduit, ut, arrepta macelli securi, vultu minaci Antonium insectaretur, qui vitae suae timens, ut illius impetum retardaret, obverso sclopo, fistulae summitate Lanionem percussit in adversa corporis parte subter costas spurias. Lanio ex hoc ictu humi prosternitur, expavit Antonius, accurritque Lanioni opem laturus, sed frustra; ille enim post horae quadrantem decessit. Medici et Chirurgi, corpore defuncti inspecto, – coniecerunt, percussionem illam adeo gravem nec fuisse, nec esse potuisse mortis causam, sed potius occasionem, eo magis quod Maurellius comitiali morbo laborabat, aetate erat admodum provecta, et corpore male affecto, quod indicabat etiam tum, cum viveret, faciei deterrimus color –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de irregularitate Subdiaconi Antonii Cacciapuoti, sive potius consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Aversana Irregularitatis die 2 Augusti 1755.*

105. Unde Sacerdos, qui ad sui defensionem homicidium cum moderamine fere inculpatae tutelae patrasse videbatur, illico nec quinque mensibus elapsis a commisso crimine nec poenitentia peracta, dispensationem ab irregularitate obtinuit, peractis tamen per decem dies spiritualibus exercitiis *in Brundusina Irregularitatis die 14 Iunii 1817.*

106. Enimvero vitam inter sollicitudines infelicem agebat Sacerdos Carolus Nigro Brundusinae Diaeceseos, ut effugeret insidias, quas sibi suisque fortunis manu etiam armata moliebatur iniqua Latronum cohors. Nec certe imprudens erat causa timoris. Nam viri illi audaces omnia perpeti domum Sacerdotis hostili impetu adorti, cum forte fortuna hic eorum manus evasisset, infelicem Popularem eius loco interemerunt. Hinc Sacerdos prudens consilium cepit fores domus praesertim noctu munire et prope lectulum igneam retinere ballistam, ut quo fieri poterat modo sese a nova aggressione defenderet. Nec praevisum periculum fefellit eventus. Nam die 21 ianuarii 1817 Latrones novas pararunt insidias, atque intempesta nocte coegerunt Oppidanum quemdam, qui forte in eos inciderat, ut pulsato domus Sacerdotis ostio simularet, sese esse literarum amici alicuius portitorem. Ast Sacerdos timens, ne quid insidiae lateret, non ita facile sese illi credidit, et potius quam reserere fores cistulam e fenestra dimisit, ut ita epistolam reciperet. Tunc statim Latrones, exploso contra ipsum missile igneo, illius manum sauciarunt, quo actu commotus Sacerdos ac peiora pertimescens igneam ballistam in omnes turmatim laxavit, ut ita Latrones exterreret et a domo propulsaret. At casu ictus in innocentem virum incidit, qui ad ostium pulsaverat, quique magis ex defectu Curatoris, quam ex vulnere occubuit, quin unquam aut vulneratus, aut eius consanguinei nomen Sacerdotis ad Fiscum detulerint, vel ipse Fiscus criminalem in eum quaestionem instituerit. Statim post haec supplex Sacerdos Nigro dispensationem ab irregularitate exoravit. Vicarius Capitularis eum dispensatione dignum censuit, cum integritate vitae semper enituerit, adeo ut Paraeciae loci cura ad diuturnum tempus ei fuisset commissa. Unde homicidium patrasse videbatur ad sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae. Nam emergere videbantur tres illae conditiones, quibus nititur moderamen inculpatae tutelae, ut scilicet aggressio esset iniusta, ut homicidium ad sui defensionem esset incontinenter commissum, ut modus in defensionem servatus esset. Ne dubium autem, quin cunctae circumstantiae dispensationem suaderent. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, peractis exercitiis spiritualibus per decem dies in loco a Vicario Capitulari designando – *in Brundusina Irregularitatis die 14 Iunii 1817.*

107. Qua de re concedenda est dispensatio Diacono, qui ab Episcopo fuit damnatus in exilium ob homicidium patratum, sed inde iudex appellationis Decretum Episcopi revocavit declaravitque, homicidium fuisse patratum ad necessariam defensionem *in Cassanen. Irregularitatis die 14 Decembris 1748.*

108. Siquidem Thomas Andreassi Diaconus cum mense martio anni 1736 operis rusticis praeesset, quae in suis praediis erant, parvoque tormento bellico, venationis gratia, armatus esset, nactus est, Pastores in propinquum fratris sui fundum vitibus atque olivarum arboribus consitum Oves immisisse. Ut damnum averteret, eo perrexit et pignus sibi dari petiit a Pastoribus, quo posset frater illati damni emendationem coram Iudice postulare. Negarunt pignus Pastores, hinc verba et rixa inter eos, et Diaconum. Pastores baculo securique armati in eum irruerunt, contunderuntque repetitis aversae securis ictibus. Petrus Trascino unus ex Pastoribus, sive ut Diaconum spoliaret parvo tormento bellico, sive ut eum occideret, vectem movit tormenti, unde explosus ictus alterum Pastorem Scutaro percussit, qui occisus fuit: ita rem Diaconus narravit. At longe aliter Pastores duo Petrus Frascino et Iuvenis alius annorum quindecim eiusdem cognomenti. Dixerunt enim, Diaconum in reos arma intendisse, vel ut eos cogeret ad pileum reddendum, quem eripuerant, ut aiebat Iuvenis, vel ut pignoris loco acciperet, ut aiebat Petrus. In hac contentione Antonium Scutaro, elata impavide securi, Diaconum impetiisse, ut eum occideret; fugisse Diaconum, sed cum Antonium

sensisset capiti suo infesta securi imminentem restitisse, ictuque exploso, inimicum hominem certissimam mortem inferentem occidisse. Episcopus primo Diaconum in exilium impulit, eumque irregularem declaravit. Inde eum duobus iam annis patria extorrem revocavit. Diaconus appellavit ad Tribunal A. C. et obtinuit declarari, – bene fuisse et esse appellatum pro parte Diaconi, et male iudicatum [per Curiam ordinariam, ideoque revocato Decreto de partibus etc. appellantem, ex quo homicidium fuit patratum ad necessariam defensionem, attenta pace, de qua in processu, amplius non esse molestandum, et quoad praetensam irregularitatem, consulat conscientiae suae –. His itaque perpensis, propositis dubiis: – An constet de irregularitate in casu etc. *Et quatenus affirmative.* – II. An sit concedenda dispensatio? –, Sacra Congregatio respondit: – Esse concedendam dispensationem – *in Cassanen. Irregularitatis die 14 Decembris 1748.*

109. Undè Sacra Congregatio primum denegavit dispensationem Sacerdoti, qui fratrem furentem occiderat, sed inde post lapsum octo annorum eam concessit, cum constiterit, eum ab annis plurimis furenti insania laboravisse ac rixae auctorem fuisse, adeoque Sacerdotem absolutionem promeruisse, constantis poenitentiae speciem dedisse, et praegravi inopia premi *in Senogallien. Irregularitatis die 18 Iunii 1785.*

110. Siquidem Sacerdos Antonius de Grandis e Terra Montis S. Viti germani fratris caedem patravit, dum ambo simul luctarentur intra proprios lares; furiis enim actus defunctus frater, quibus persaepe exagitari solebat, Sacerdotem ipsum fugientem complexus est, hic timore perculsus mortemque veritus, ut a furente fratre se expedire posset, ipsius humerum ictu gladioli sauciavit, quo accepto vulnere, percussor libertate obtenta proprium introivit cubiculum foresque permuniit. Percussus vero per Oppidi vias cum aliquantisper deambulasset sanguinolentus, domum reductus ad multos dies decubuit, indeque mortalitatem explevit sive eiusdem vulneris vi, seu, ut nonnulli perhibuerunt, Chirurgi imperitia. Sacerdos Antonius ab impicto fratricidii crimine a Iudice ecclesiastico mense octobris 1778 fuit absolutus, irregularitatis iudicio S. Sedis auctoritati relicto, quae per organum Sacrae Poenitentiariae dispensationem indulsit cum clausula, – dummodo publice non habeatur pro irregulari – ; ideoque huiusmodi conditio eum ab altari repellebat. Advertebatur tamen, a Sacerdote fratricida haud probari defunctum fratrem quandoque fuisse furiis exagitatum in ipsomet actu, in quo eum fugientem complexus est; neminem testari de bonis moribus Sacerdotis, ipsumque post patratum crimen laudabiliter vixisse et aliquam egisse poenitentiam, nec a die praefati criminis longum tempus excurrisse, ut eiusdem fratricidii memoria prorsus ex temporis diuturnitate evanuerit. Proposito hinc dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 iunii 1781 responsum tulit: – Negative –. Preces Orator iteravit pro obtinenda dispensatione: Episcopus censuit, eum exaudiri posse, cum constantis poenitentiae specimen dedisset et praegrandi vix-meretur inopia; nec non Parochus [illegible] est de illius exemplari optimaque vi[illegible]tione, atque Cancellarius Episcopalis constare ex processu dixit, Petrum eius fratrem ab annis plurimis furenti insania laboravisse, ac in ipsam Matrem intulisse manus, ipsumque Petrum rixae auctorem fuisse, et Oratorem tamquam non repertum culpabilem absolvi promeruisse. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo – *in Senogallien. Irregularitatis die 18 iunii 1785.*

111. Idcirco Sacerdos, qui homicidium patrasse videbatur ad propriam defensionem cum moderamine quodammodo inculpatae tutelae, fere elapsis octo annis a crimine patrato, composita parte et fisco nec non constanti vitae emendatione exhibita, dispensationem ab irregularitate obtinuit, quin tamen Missam celebrare posset in loco commissi criminis *in Vicentina Irregularitatis die 15 Ianuarii 1791.*

112. Enimvero nil Sacerdos Andreas Bon ex Oppido Roncade a Iosepho timens Allegri, cum quo post rixam reconciliatus fuerat, inopinato sub die 8 maii 1783 aggressus ab eo fuit, ac duplici saucius vulnere, omnique

evadendi via praeclusus, ferro confodit aggressorem, qui, spiritualibus eius opera ab idoneo Sacerdote acceptis subsidiis, paullo post occubuit. Paucis elapsis mensibus, absolutoriam obtinuit sententiam, compositaque parte et fisco, spiritualia ad menses tres egit exercitia in Conventu S. Blasii civitatis Vicentiae, ibique deinde moratus fuit. Tandem supplicavit pro dispensatione ab irregularitate, cui favit Episcopus; et Parochus de Roncade testatus est, Oratorem post infortunium perseveranter evidentia resipiscentiae argumenta praebuisse et ante infortunium fuisse assiduum in exercendis muneribus sacerdotalibus in loco de Roncade, nullum esse omnino consanguineum Iosephi Allegri, nullum imminere periculum scandali, si Orator ibi commoraretur et Missam celebraret in loco patrati criminis. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, dummodo non celebret in loco patrati criminis – *in Vicentina Irregularitatis die 15 Ianuarii 1791.*

113. Similiter Sacerdos, qui hominem facinorosum ad sui defensionem ictu sclopi occidit, tribus tantum elapsis annis a die patrati criminis, dispensationem ab irregularitate obtinuit *in Feretrana Irregularitatis die 28 Maii 1791 et die 15 Decembris 1792.*

114. Siquidem facinorosos inter armigeros erat Sebastianus Tomei, invisus nedum aliis, sed et suis domesticis, utpote qui uni alterique molestias inferre nullimode desinebat. Malo eius fato interfuit festo, quod agebatur die 29 septembris 1789 in Ecclesia S. Michaelis Archangeli adnexa Paraeciae S. Blasii Castri Maioli, cuius Capellanus erat Sacerdos Benedetti. Sive ex aliqua enim accepta iniuria, sive ad ostendendam ferociam, Capellanum mane in propria conviciatus domo, evaginatum mucronem supra eius collum defricavit. A nonnullis tamen obiurgatus discessit; sed eodem ductus furore, illum post meridiem, districto mucrone, in remoto aggressus fuit loco, dum venatum ibat, obscenis iniuriosisque verbis minans ei mortem. Natura meticulosus erat Sacerdos, ac maiori tunc timore correptus eiulabat, ut in eius subsidium aliquis occurreret. At cum verba nullus audisset, et Tomei eo magis se appropinquasset Sacerdoti, qui in loco, ubi redactus erat, absque mortis periculo fugam arripere nequiret, ad suae vitae incolumitatem magisque ob timorem, sclopulo ab humeris deiecto, Tomei paucis pedibus distantem occidit. Re cognita, absolutus a Feretrana Curia fuit uti repertus inculpabilis, ob patratum homicidium ad defensionem. Partem et Fiscum composuit; de suo errore dolens et miseriis pressus, dispensationem petiit, eique favit Episcopus, cum nullo scandalo esset, imo is ab omnibus concupitus, ex eo etiam quod Parochus et Populus Sacerdotibus indigebat. Proposito tamen dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 maii 1791 responsum tulit: – Expectet –. Iterum Orator gratiam imploravit, eique impensius favit Episcopus. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Feretrana Irregularitatis die 15 Decembris 1792.*

115. Licet autem Sacerdos ad propriam defensionem homicidium patrasse videretur, Parti et Fisco satisfecisset et libere per sententiam absolutus extitisset nec non peracta poenitentia bonis censeretur moribus, attamen bis reiectus vix post quinquennium dispensationem ab irregularitate assequi valuit, ea etiam lege adiecta, ne celebraret in loco patrati criminis *in Concordien. Dispensationis ab irregularitate die 9 Augusti 1788 die 27 Iunii 1789 et die 15 Ianuarii 1791.*

116. Enimvero dum Sacerdos Marcus de Mattia nonnullos alloquebatur amicos, quos vespere diei 30 septembris 1785 extra Villam offendit Rorai, in eum levi de causa verbis et minis irrupit clericus Angelus Biscontini. Illius iram comprimere studuit lenitate precibusque obtinuit, ut inceptum cum amicis iter Villam versus prosequeretur. Oppositam ipse deambulans viam, iustam interposuit moram, ne iterum iracundo Iuveni occurreret. Placide igitur prima noctis hora viam redibat, cum eum binos inter pontes ex insidiis apprehendit Clericus, ut in suppositum lacum deiiceret. Integris restitit viribus, ut imminens periculum vitaret; sed maiori impar vi, parvum trepidans eduxit cultrum, quo in au-

cupiis utebatur, illudque aggressori opposuit. Paullulum hic cessit, ut robustius in eum irrueret, integratoque certamine, lethale vulnus ex cultro, praeter intentionem Sacerdotis, in inferiore ventre accepit, ac nonnullas post horas decessit. Fuga mane arrepta, per annum et ultra exulavit. In sua tandem confisus innocentia, ultro se carceribus constituit, fratribusque occisi indulgentibus, per sententiam extitit libere absolutus. Exinde gratiam dispensationis ab irregularitate efflagitavit. Episcopus de compositione Partis et Fisci, de peracta poenitentia bonisque Oratoris moribus testatus est, utile non esse tamen censuit, denuo ad Missam celebrandam admittendum in loco patrati criminis, ne scandalum in Populo eveniret. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 9 Augusti 1788 responsum tulit: – Negative –. Iterum Sacerdos pro dispensatione institit, cum Parochus et duo alii Sacerdotes testarentur, Oratorem alienum semper ab armis fuisse, vitamque ducere christianis optime consonam ecclesiasticisque institutis. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 iunii 1789 respondit: – In decisis –. Tertio EE. PP. clementiam imploravit Orator, cum etiam Episcopus ipsi faveret, et lapsum esset a commisso delicto quinquennium. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a primo et secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, Affirmative dummodo non celebret in loco patrati criminis – *in Concordien. Dispensationis ab irregularitate die 15 Ianuarii 1791.*

117. Unde licet primum denegaverit, subinde tamen, attentis poenitentia eximia indole honestate ac impenso Episcopi voto, dispensationem ab irregularitate ei concessit Sacra Congregatio, qui veluti coactus duellum egerat, ac eo expleto improvise aggressus hostem ad sui defensionem gladio interfecerat *in Lemovicen. Dispensationis ab irregularitate die 9 Augusti 1788 et die 8 Augusti 1789.*

118. Siquidem Franciscus du Soulier casu et involuntarie pedem premens Commilitonis nullam causam dedit ad duellum ordinatam, immo statim Commilitoni veniam postulavit: provocatus etiam ad singulare certamen, motivo religionis renuit; sed alapis iteratis publice lacessitus ac si fas est dicere, coactus consilio et mandato sui servientis campum adiit. Attamen in certamine nullus ullum vulnus intulit aut recepit, uterque mutuo consensu certamini finem posuit. Dictus Franciscus, iam sic finito certamine, nec praevidit, nec praevidere potuit, Commilitonem rursus contra se insurrecturum, tranquille et gratias agens Deo, vestimenta colligebat, cum improvise aggressus a furibundo Commilitone, mera defensione cum moderamine gladium adhuc evaginatum dumtaxat ostendens, ac minime in hostem illum impellens, in hunc gladium prorupit ac corruit male cautus nec non furore obcaecatus aggressor. Hoc homicidium tam aegre tulit du Soulier, ut eius exomologesim ac ceterorum peccatorum, vix elapsis octo diebus, fecerit. Nulla lis mota ob supradictum homicidium, nullaque satisfactio expostulata nec a consanguineis occisi, nec a quibuslibet aliis. Abiecta deinde militia, Theologiae studio vacavit, ac tandem in ordinandorum Seminario receptus dispensationem ab irregularitate postulavit. Episcopus eum gratia dignum existimavit. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 9 augusti 1788 responsum dedit: – Negative –. Iterum gratiam efflagitavit Orator. Episcopus involontarium censuit homicidium, et praefato Oratori impense favit, propter eiusdem eximiam indolem pietatem diligentiam et honestatem, et quia nemo rescivit, ipsum fuisse dicti homicidii auctorem, cum evenerit in loco plus centum leucis distante a patria, ubi commorabatur. His igitur perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Lemovicen. dispensationis ab irregularitate die 8 Augusti 1789.*

119. Qua de re postquam Sacra Congregatio dispensationem denegaverit Sacerdoti, qui homicidium ad propriam defensionem quodammodo patraverat, dein eam post lapsum duodecim annorum commendationem Episcopi

et vitae emendationem concessit *in Marianen. Irregularitatis die 7 Augusti 1773 et die 1 Martii 1777.*

120. Siquidem Simon Paulus odio prosequebatur Sacerdotem Petrum Philippum Perfetti, quem cum die 10 februarii 1765 invenisset in via, illum sclopo armatus aggressus est, et ad necem usque lacessivit; Sacerdos vero, qui et ipse armatus incedebat, nec ab aggressore aufugere poterat, prout Vicarius Generalis testatus est, sclopum explosit dictumque Simonem lethaliter vulneravit, qui sequenti die occubuit. Curia Episcopalis Sacerdotis bona proscripsit; sed cum postea Phisci Promotor ab ulteriori Causae prosequutione cessaverit, idcirco Sacerdos a poena absolutus remansit. Obtenta etiam a defuncti consanguineis venia, dispensationem efflagitavit, cum homicidium fuisset necessarium, ut suum aggressorem repelleret, quin fugam arripere posset sine magno et evidenti vitae periculo. Proposito vero dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc –, Sacra Congregatio die 7 Augusti 1773 responsum dedit: – Negative –. Rursus itaque petiit dispensationem, cum etiam Episcopus deplorabilem eius statum commiserans commendatitiam Sacrae Congregationi transmisit, ac testatus est, Oratorem – suum in hostem explosisse sclopum, dum hic armatus cum in insidiis praestolabatur, dumque terga vertere amplius non poterat sine magno et evidenti vitae periculo, ac post sequutam Simonis Pauli hostis mortem nullum dedisse scandalum morumque semper honestatem laudabiliter praesetulisse –. Unde Sacerdos contendit, se committendo homicidio servasse moderamen inculpatae tutelae. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 7 augusti 1773 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro gratia dispensationis, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo; et amplius – *in Marianen. Irregularitatis die 1 Martii 1777.*

121. Unde indulgetur tandem Parocho post decennalem poenam privationis Officii et fructuum Parochiae dispensatio ab irregularitate, cum homicidium inconsiderate et ad defensionem propriae vitae quodammodo patrasse videatur *in Agennen. Irregularitatis die 30 Iulii 1768.*

122. Iamvero Franciscus Garzias Rector parochialis Ecclesiae de Angairac, dum anno 1758 die 12 ianuarii intentus erat, ut sclopo vel occideret, vel fugaret quamdam feram bestiam nuncupatum martem in eius horto damnum inferre solitam, monitus de iniuriis contumeliis ac violentiis, quibus Franciscus nepos propriam matrem sibi sororem aggrediebatur, celeri gradu accurrit ac verbis obiurgare cepit de eius excessu nepotem; sed is ira accensus in Patruum irruit, ut ab eius manibus sclopum eriperet, quare Patruus in sui defensionem sclopum explosit et vulneravit Nepotem, qui licet saucius violenter adhuc aggressus fuit Patruum et eius pileum et pileolum abripuit, fractis tamen interea viribus, in terram cecidit, – dicendo non ho altro di quello che merito, l'ho cercata da molto tempo –, ac sequenti die obiit. Cum res ita accidisset clementia Regis remissa fuit quaevis admissi homicidii inquisitio, ac Literis mensis iulii 1758 occisor in gratiam et bona fuit restitutus. At preces pro dispensatione ab irregularitate reiectae fuerunt die 30 iunii et die 1 septembris 1759. Easdem inde, decennio iam delapso, renovavit: nam homicidium illud inconsiderate et ad defensionem propriae vitae patraverat, non vero ex proposito aut ex praeparatione; consanguinei defuncti ultro pacem et benevolentiam pristinam ipsi restituerant. Episcopus et Vicarius Generalis eumdem moribus humanitate et doctrina commendabilem renunciabant et dispensatione dignum censebant, unde is iam senio confectus in aetate septuaginta septem annorum post decennalem poenam privationis Officii et fructuum Parochiae dispensationem mereri contendit. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Agennen. Irregularitatis die 30 Iulii 1768.*

123. Qua de re dum omnis propriae defensionis ratio absit haud indulgetur quidem dispensatio ab irregularitate Sacerdoti homicidae, cum praesertim post homicidium patratum Missam celebraverit, etiamsi cuncta concurrant, quae dispensationem suadere videntur, constito exinde vero, quod homicidium commiserit incogitanter potius, quam ex voluntate, ac novem elapsis annis a die patrati

criminis, indulgetur facultas celebrandi Missam, extra locum tamen commissi criminis *in Nullius S. Benigni Irregularitatis die 5 Iunii 1790 et die 3 Martii 1792.*

124. Siquidem lapidibus post coenam diei 25 augusti 1783 a nonnullis Montanarii Oppidanis appetitus, gladium Sacerdos Michael Taraglio e proxima sua sumpsit domo, ut contumeliam vindicaret, sive iuxta extraiudiciales Testes, ut redeuntem tueretur fratrem; sed inter densas noctis tenebras Ioannem Bonaudi eius amicum, qui cum ipso coenaverat incaute transfodit, Missamque deinde ad celandum homicidium semel celebravit. Re autem cognita, damnatus in contumaciam fuit per annos quinque cum dimidio ad carcerem, Partemque componendam et Fiscum, ac duplici ex capite patrati homicidii et celebratae Missae declaratus est irregularis. Nondum transacto tempore poenae, quam ex indulgentia Abbatis commendatarii S. Benigni propriae expiabat domi, dispensationem efflagitavit, sed Sacra Congregatio die 24 martii 1787 rescripsit: – Supplicet post expletam poenam –. Sententia in omnibus adimpleta, iterum pro gratia dispensationis supplicavit Orator, cui impense favit Abbas; licet enim omnem propriae defensionis rationem excluderet, homicidium tamen tribuit repentinae Oratoris irae eiusque igneae naturae et vino, cui forte ratione excepti hospitis amici plus solito indulserat. Dum autem dispensationi obesse videbatur omnis propriae defensionis ratio nec non celebratio Missae post patratum crimen, indulgentiam EE. PP. excitare poterant diuturna privati carceris poena, emendatio vitae, Partis et Fisci satisfactio, miserrima rationis conditio et abiectio, Montanariensis Populi votum, Abbatis favor. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 iunii 1790 responsum tulit: – Negative. – Tertio gratiam, elapsis novem annis a die commissi criminis, Orator imploravit; namque Parochus loci testabatur, quod is incogitanter potius, quam ex voluntate homicidium patraverit, ac indubitanter in bono perseveraret proposito pietatis. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate, dummodo non celebret in loco patrati homicidii – *in Nullius S. Benigni Irregularitatis die 3 Martii 1792.*

125. Hinc Sacerdos, qui ob homicidium ad propriam quodammodo defensionem patratum damnatus fuerat in poenam exilii per quinquennium, post octo annorum lapsum a die criminis tandem obtinet dispensationem ab irregularitate, licet iam bis eiusdem preces fuerint reiectae *in Murana Irregularitatis die 12 Martii 1763.*

126. Siquidem Sacerdos Ianuarius Pacella de Oppido Balvani die 18 februarii 1755 se contulit cum Ministris Curiae ad praedium Octavii Passanante sui debitoris, ad effectum exequendi super illius Vaccis mandatum pro suo credito obtentum in Curia laicali. Et cum Petrus Passanante debitoris filius, ab earum Custode accersitus, e vicina domo erupisset securi armatus, et post conatus interpositos pro impedienda pignoris captura in Sacerdotem creditorem irruens necem ei minaretur, nec illius hortationibus aut Uxoris et Sororis conatibus induci potuerit, ut sisteret gradum et iram deponeret, Sacerdos Pacella, ad vitandam instantem mortem, aggressorem praevenit et ictu sclopi, quem parvis onustum globulis pro usu venationis perdicum deferebat, illum interfecit. Praefatus Sacerdos, sponte in carceribus prius, inde in Palatio Episcopali quatuor circiter annis detentus, tandem in poenam exilii per quinquennium fuit damnatus. Obtenta dein ab occisi Uxore venia et pace, pluries petiit dispensationem, sed eius preces die 24 novembris 1759 et die 17 ianuarii 1761 reiectae fuerunt, edito consueto Rescripto: – Lectum –. Tertio rediit, et probare contendit, se non esse irregularem, quum homicidium patraverit ad propriam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, vel saltem sibi concedendam esse dispensationem. Exhibuit etiam remissionem exilii ab Episcopo indultam die 3 martii 1762. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, pro gratia dispensationis – *in Murana Dispensationis die 12 Martii 1763.*

127. Idcirco Sacra Congregatio primum negavit, dein concessit dispensationem post lapsum quindecim annorum Sacerdoti, qui patraverat homicidium ad vindicandum proprium honorem et ad se tuendum ab insidiis occisi *in Parmen. Irregularitatis die 3 Septembris 1701 et die 27 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum.*

128. Iamvero – ortis nonnullis dissidiis inter Sacerdotem Iacobum aliosque fratres de Fermentinis nec non Michaelem Pellatum iuvenem malae qualitatis et famae ex causa cuiusdam inhonesti amoris, quo dictus Michael flagrabat erga Margaritam de Fermentinis illorum sororem, fratres praedicti admoneri curarunt eumdem Michaelem, ut a tali amore desisteret, qui tamen magis audax effectus incepit insidias tendere erga eosdem et inimicitias patefacere; procurata postmodum pace mediante interpositione nonnullorum amicorum, dictus Pellatus promisit, se ante fores domus supradictorum fratrum imposterum amplius non permansurum. At hoc minime per eumdem servato, ad apertas insidias denuo rediit et armis munitus incedens declaravit, illo interficere velle. Post haec die 20 mensis iulii 1688, cum Iacobus praedictus rediens una cum alio Sacerdote e Villa Marmianti admonitus fuerit, ut, ad evadendas Pellati insidias, per aliam viam pertransiret, consuetum iter declinavit; sed dum ad proprios lares revertebatur, videns dictum Pellatum sibi occurrentem, ira correptus, sclopum venatorium, quem prae manibus habebat, contra eum explosit, qui ex tali ictu vulneratus post paucas horas occubuit. Super quibus omnibus, constructo per Curiam Episcopalem processu, dictus Sacerdos, obtenta prius pace a consanguineis occisi ac Fisco concordato, praevia solutione scutorum quinquaginta, Locis Piis applicandorum, liberatus remansit –. Petiit deinde dispensationem: Episcopus censuit, – Oratoris instantiae annui posse, cum agatur de homicidio patrato iam a promoto, tam ad vindicandum proprium honorem, quam ad se tuendum ab insidiis occisi, nec non attento lapsu tredecim annorum a die patrati homicidii –. Sacra Congregatio vero die 3 septembris 1701 instantiam reiecit. Renovatis exin per Oratorem precibus, proposito dubio: – An petitae dispensationi sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia – *in Parmen. Irregularitatis die 27 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum.*

129. Unde primum quidem denegavit, sed inde septem elapsis annis a die homicidii, quod Sacerdos ad sui defensionem patrasse videbatur, Sacra Congregatio dispensationem, attentis poenitentiae signis certo exhibitis inopia ac precibus ipsius Episcopi, qui eamdem pro eo implorabat, concessit, dummodo tamen celebraret extra locum commissi delicti *in Maioricen. Dispensationis ab irregularitate die 27 Novembris 1784 et die 19 Augusti 1786.*

130. Enimvero nonnullis ortis dissidiis inter Sacerdotem Ioannem Myry Lebres et Aloisiam Villaseras, res eo usque die 4 septembris 1779 devenit, ut Sacerdos, arrepto cultro, Mulierem circa lumbos percusserit et calcis ictu in terram proiecerit, quae paulo post occubuit, ipso Sacerdote Myry adstante et sacramentalem praebente absolutionem. Fugam arripuit Sacerdos, et Neapolim primum, deinde ad Urbem venit, atque in Nosocomio S. Mariae Montis Serrati se recepit, precesque exhibuit pro dispensatione ab irregularitate, quam nec incurrisse contendit, vel solum ex eo contraxisse, quod moderamen inculpatae tutelae non servaverit, cum Mulier furens cultro armata in ipsum irruere tentaret. Addidit, nec defunctae Aloisiae Matrem et consanguineos reclamasse, cum is homicidium defensionis necessitate patraverit. Demum exposuit, se omnibus bonis expoliatum esse et victum emendicare, et post homicidium resipiscentiae signa dedisse. Episcopus eum gratia dignum censuit, facilem esse retulit Fisci satisfactionem, cum aliqua Oratoris immobilia bona adessent, addens: – Nec mihi certo constat, inhonestam fuisse eiusdem cum Muliere conversationem, ceterum suspicione non caret –. Putavit etiam Orator, fuisse a Muliere provocatum. Proposito tamen dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 novembris 1784 respondit: – Negative –. Iterum Orator gratiam dispensationis imploravit, exhibens satisfactae partis monumentum, peramplam scilicet renunciationem viduae Matris occisae Aloisiae. Episcopus te-

status est, satisfactum esse Fisco, atque enixius pro eo dispensationem postulavit. Superior Ecclesiae S. Mariae Montis Serrati indubiam fecit fidem, quod Orator post patratam culpam semper exemplum praebuisset humilitatis compunctionis et poenitentiae. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione, dummodo celebret extra locum commissi delicti – *in Maioricen. Dispensationis die 19 Augusti 1786.*

131. Quum itaque Presbiter Leonardus Lombardi supplicaverit pro dispensatione super irregularitate ab ipso contracta, ob internecionem Ioannis Baptistae Marracini primarii extorris, in quem ad vitam suam tuendam manum intulerat, Sacra Congregatio annuit pro gratia ita tamen, ut in loco commissi delicti et per viginti milliaria circiter Missam non celebraret *in Triventina Irregularitatis die 11 Decembris 1694.*

132. Sacerdos autem Thomas Sini ex Oppido *Ploaghe* quum laesus esset in honore a conterraneo suo Ioanne Maria Pirastru Ledda, quem die 17 iulii 1808 ad Gubernatorem localem detulit, unde postridie dum nocte-sceret redeuntem ab agro Sacerdotem adortus est villicus Pirastru falce armatus et in equum, quo Sinius insidebat, impetum facere visus est, sed praefatus Sacerdos parvam ballistam igneam explosit villicumque sauciavit, quo vulnere post novem dies occubuit; quumque Sinius post haec aliquoties Missam celebraverit, in articulo mortis in defectum alterius Sacerdotis Sacramentalem absolutionem concesserit, et in contumacia leviter fuerit damnatus, quin tamen poena inflicta dignosceretur, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate et pro commutatione poenae a Curia ecclesiastica Turritana inflictae in aliquam salutarem poenitentiam in casu etc. –, Sacra Congregatio, licet cuncta concurrerent, quae dispensationem suadere videbantur, responsum dedit: – Dilata, et deceat de poena inflicta a Curia Turritana – *in Turritana Irregularitatis die 27 Aprilis 1816.*

133. Ceterum Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum agens in Cap. 7 sess. 14 de reformatione de eo, qui repellendo vim vi a persona propria homicidium patravit, eidem – iure quodammodo dispensatio debeatur –, habere locum etiam in persona Patris *in Dubium ad Cap. 7 sess. 14 de reformatione Posit. 19 pag. 330.*

134. Hinc attentis tandem precibus Parochi et Magistratus loci eiusdem Ecclesiae utilitate Archiepiscopi voto et lapsu octo supra decem annorum a die commissi criminis, indulgetur dispensatio Diacono, qui Patruum ob sui Patris Matris et Sororis defensionem interfecit *in Taurinen. Irregularitatis die 4 Aprilis 1772.*

135. Enimvero Ioannes Fracchia ex Oppido *Cavalier Maggiore* vir fuit ad iram pronus audax multiplicique culpa inquinatus. Ob corruptos hos mores Pater eius Ioannes Baptista, instituto filio in sola legitima, in quam imputari voluit libras centum in eius causam iam erogatas, heredem sibi scripsit Diaconum Ioannem ex altero filio nepotem morigerum pluribusque animi dotibus commendatum. Causa hinc indignationis et odii Patrui in Nepotem atque origo dissidiorum. Haec Parochi ope et amicorum consilio compesci aliqualiter potuerunt, non tamen penitus extingui. Tradita enim ab herede aestimatione legitimae exceptis libris centum, Patruus tanta exarsit iracundia, ut quadam die, districto gladio, ad domum Diaconi accesserit, et in eum licet absentem contumeliosis primum prolatis verbis, deinde in Matrem et Sororem lapides iniicere tentaverit, quae, clauso ostio, in domum sese recipere coactae fuerunt. Occurrit Populus et clamoribus excitatus Diaconus Ioannes Baptista, qui in domo e regione sita manebat, furentem Patruum et peiora minitantem conspexit, absque eo quod ex atrio suae domus posset removeri. Timens itaque proximam iamque comminatam caedem Matris et Sororis, anno 1754 arreptis duobus sclopis ad propriam domum accessit. Hunc vero ut vidit Patruus, gladii ictum in eum cominus vibravit. Tunc Diaconus sclopum explosit et lethaliter vulneravit Patruum, qui tamen fugientem Nepotem insequutus atque aggressus septem in eum vulnera inflixit, ob quae graviter ad necem usque aegrotavit. Ipse vero, lethali sclopi

ictu saucius et ad mortem properans, Nepoti data venia, postridie occubuit. Curia Archiepiscopalis Diaconum irregularem renunciavit, ac damnavit ad carcerem per semestre in Religiosa Domo. Post lapsum annorum sexdecim Diaconus pro dispensatione supplicavit. Proposito autem dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 decembris 1770 responsum tulit: – Negative –. Iterum Diaconus supplex gratiam exoravit, quam etiam Parochus et Magistratus loci exoptabant, qui omnes de bonis eius moribus ac de vivendi ratione ecclesiastico viro digna testabantur, eumque maxime profuturum existimabant illius Oppidi Ecclesiae, quae Sacerdotibus indigebat. Id ipsum confirmavit Archiepiscopus. Unde Diaconus censuit, ex eo etiam se mereri dispensationem, quod homicidium ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, nec non pro necessaria defensione Patris Matris et Sororis patraverat. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Taurinen. Irregularitatis die 4 Aprilis 1772.*

136. Quum itaque Sacerdos Franciscus Durante clamorosae venationi vacans die 25 martii 1800 incidisset in proscriptos Latrones, qui eius Patrem barbare interfecerunt, eosque aggressus fuisset cum Sociis, unde unus ex illis interfectus, alter in certamine saucius extitit, quin tamen is aliquem occiderit aut vulneraverit, sed auxilium praestiterit consociis certantibus, quumque ab crimine patrato vix elapsis mensibus quinque dispensationem ab irregularitate postulaverit, Sacra Congregatio, licet nulla in Oratorem instituta fuerit inquisitio, nullum Pars laesa ius haberet propter proscriptionem occisi, poenitentiam egerit, eumque teste Ordinario Populus loci celebrantem desideraret, primum die 13 septembris 1800 proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, responsum dedit: – Expectet –, dein attento testimonio Ordinarii de laudabili vita et bonis moribus Oratoris nec non de Sacerdotum deficientia Oppidi Lutiorum, dum ibi pauci inveniebantur, qui ad Sacerdotium promoveri valerent, respondit: – Affirmative – *in Bisinianen. Irregularitatis die 16 Maii 1801.*

137. Qua de re licet Sacerdos ad iram ex quadam pietate erga Patrem excitatus, dum iniuriis ab altero filio afficiebatur, nec ex animi ferocia, sed ex primo impetu fratricidium patraverit, et ipsi Frater antequam moreretur veniam in scriptis dederit, bis fuit reiectus ad effectum, ut daret maiora signa poenitentiae et constantis emendationis, ac tandem cum ipse Ordinarius ob eius etiam inopiam gratiam flagitaret, elapso fere sexennnio a commisso crimine, dispensationem ab irregularitate obtinuit, peractis tamen per decem dies spiritualibus exercitiis *in Sorana Irregularitatis die 13 Ianuarii die 27 Aprilis et die 24 Augusti 1816.*

138. Siquidem Antonius Monti centurio militum legionariorum, cum apud Patrem suum Philippum Cancellarium Oppidi Casae Oliverii institisset sub mense novembris 1810, ut relaxaret fidem pro quodam milite necessariam ad ineundum Matrimonium, atque hoc a Patre denegatum esset, vetantibus id legibus Regni, sub poenis mulctae et carceris, filius in Parentem acerbe et contumeliose invehi cepit. Aderat praesens alter Philippi filius Sacerdos Hyacinthus Monti, qui Fratrem de contumelia in Patrem obiurgans, in rixam cum eo venit; et calentibus ira animis, eo res processit, ut Sacerdos Hyacinthus arrepto veru, quod in illo cubiculo ad torrendas carnes iacebat, Fratrem primo ictu in ventre sauciavit, ex quo vulnere post triduum occubuit: at antequam moreretur cum Fratre se reconciliavit, et noscens, ipsum dedisse causam fratricidio, illi veniam in scriptis dedit. Latitavit primum Sacerdos Hyacinthus, deinde ultro se sistitit, apud tribunal criminale, a quo ad vincula per quinquennium damnatus fuit, tandem post triennium passae relegationis mense maii anni 1816 dimissus et absolutus fuit ex indulto a Ferdinando IV vulgato, cum avitum Regnum recuperavit. Post haec dispensationem ab irregularitate flagitavit. Vicarius Capitularis affirmavit, Oratorem bonam vitae rationem tenuisse ante patratum crimen, et meliorem etiam post passam poenam carceris, Antonium nullam reliquisse sobolem, Patrem re-

habilitationi assentiri, Populo scandalo non futurum, si ad Sacrum operandum rediret, cum facinus in aestu irae quasi involuntarie patrasset. Nihilominus Sacra Congregatio die 13 ianuarii 1816 rescripsit: – Det maiora signa poenitentiae et constantis emendationis, et commendatus ab Episcopo recurrat –. Sese itaque recepit Orator in Conventum S. Francisci Civitatis Atinae, et post duos menses iterum dispensationem postulavit, iterumque die 27 aprilis 1816 reiectus fuit edito Rescripto: – In decretis sub die 13 ianuarii proxime praeteriti –. Exinde vero ipse Vicarius Capitularis, attentis non dubiis Oratoris emendationis signis per quatuor menses in dicto Convento, non sine magna Fratrum illorum admiratione exhibitis, eiusdem inopia, ob quam ipse eiusmodi dispendio diutius ferendo par non erat, gratiam dispensationem deprecatus est, cum casu potius et inopinato in irae primis motibus effectu, quam animi pravitate, et multo minus feritate deliquisset. Proposito hinc dubio. – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, peractis per triennium spiritualibus exercitiis per decem dies in Domo religiosa etiam quoad tempus intra annum arbitrio Vicarii Capitularis designandum – *in Sorana Irregularitatis die 24 Augusti 1816.*

139. Nam irregularitas contracta ob defensionem Parentum dispensabilis est, quemadmodum ex mente Sacrae Congregationis loquitur Fagnanus in Cap. *Petitio* de homicid. n. 15, dum agens de irregularitate incursa a Clericis, qui in bello iusto contra Infideles ex necessitate hostem occiderint, haec habet: - Eiusmodi enim irregularitas est dispensabilis ad instar illius, quae contrahitur ex homicidio ob necessariam Parentum defensionem, ut in subiecta declaratione Sacrae Congregationis Concilii, videlicet an Concilium cap. 17 sess. 24 dum agit de repellendo vim a persona propria, ut irregularitas sit dispensabilis, habeat etiam locum in persona Patris, Sacra Congregatio censuit, habere locum. Nam permissio vim vi repellendi et alium offendendi pro tutela corporis sui iuxta legem etc. habet locum etiam pro tutela Patris vel Filii Matris vel Uxoris etc. Et licet Glossa in Clem. 1 de homicid. dicat, quod Clemens volens eum, qui mortem aliter evadere non valens suum occidit invasorem, non esse irregularem, non procedit in Patre et Filio, sed tantum in eiusdem persona.., tamen illud est verum, quando volumus excusare a contrahenda irregularitate; illa enim etiam sine culpa contrahitur. In casu autem Concilii non agitur de excusando, ne irregularitas contrahatur, sed de excusando, ut contrahatur irregularitas dispensabilis, quia vis vi repulsa est, et ideo in Concilio comprehenditur etiam persona Patris – *in Taurinen. Irregularitatis die 14 Martii 1772 §. Si.*

Item *in Consentina Irregularitatis die 30 Iulii 1785 §. Etsi.*

140. Unde dispensabilis est irregularitas, quam frater contrahit propter homicidium ad iustam Sororis defensionem patratum, cum huiusmodi defensio aequiparatur propriae, ut sentiunt Fagnanus in Cap. *Suscepimus* n. 16, et Cap. *Petitio* n. ult. de homicidio, Pirhing lib. 5 iur. can. tit. 12 sect. 3 §. 1 n. 81, Reiffenstuel eod. lib. et tit. §. 4 n. 137 de homicidio *in Bergomen. Irregularitatis die 19 Ianuarii 1793 §. Notandum.*

141. Idcirco attentis vitae emendatione, lapsu decem ac novem annorum a commisso crimine et compositione Partis et Fisci, indulgetur dispensatio ab irregularitate Sacerdoti, qui Fratris percussorem ictu sclopi interfecit *in Reatina Irregularitatis die 8 Februarii 1817.*

142. Iamvero Sacerdos Victorius Lanna ex Oppido Collisalti die 10 iulii 1798 cum Fratrem suum a Michaele Cassini baculo percussum humi proiectum et prope moriturum vidisset, ira accensus eo vel magis, quia Cassinus pridie duas eiusdem Sorores turpi, sed inutili conatu adortus erat, cum fortuito in illum incidisset, exploso missili igneo, eumdem sauciavit, ex quo vulnere paullo post occubuit. Criminalis quaestio a Curia Episcopali constituta est in Sacerdotem Lanna, qui e carceribus evasit in tumultu insurgentium et procul a patria octennio exulavit. Anno tandem 1806 stipulato instrumento die 25 septembris Mater Frater et Sorores occisi Cassini pace facta et remissione indulta consenserunt, ut apud patrium Oppidum Collisalti rediret, dummodo per alios tres annos

procul abesset et expensas reficeret. Qua ex re Curia ecclesiastica eumdem absolvit ab homicidii crimine, dummodo conditiones servaret a Consanguineis occisi interpositas. Has omnes adimplevit Sacerdos Lanna. Interea supplicavit Sacrae Congregationi pro dispensatione ab irregularitate, et mense septembris 1807 rescriptum fuit: - Supplicet elapso triennio -. Quo expleto, in patriam reversus, sed ob rerum publicarum perturbationem, haud potuit ad S. Sedem iterato recurrere. Inde post undeviginti annos, quibus fuit irregularitati obnoxius, dispensationem postulavit. Episcopus testatus est, irreprehensibilem fuisse vitae rationem a Sacerdote habitam ante patratum homicidium, postea nihil haberi contra mores et ecclesiasticam mansuetudinem; sed poenitentiam salutarem impositam peregisse Lanna, de certo asserere non poterat, sed probabiliter credendum erat, ex ipsa vitae moderatione, proindeque non scandalum in Populo timendum ex rehabilitatione Oratoris ad divina peragenda, imo potius desiderabatur. Utilem quoque et necessarium iudicavit Oratorem in Diaecesi, quae carebat Sacerdotibus; proindeque censuit, rehabilitandum esse, attenta quoque diuturnitate temporis, ex qua erat patratum homicidium. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, peractis exercitiis spiritualibus pro tempore et loco arbitrio Episcopi designandis – *in Reatina Irregularitatis die 8 Februarii 1817.*

143. Unde Sacerdos, qui in actu primo primi ictu sclopi occisorem proprii Fratris interfecerat ac inde a Fisco Decretum absolutorium obtinuerat, ex quo constitit, homicidium patravisse ad sui defensionem, dispensationem ab irregularitate postulans, primum responsum habuit, ut expectaret et denuo commendatus ab Episcopo recurreret, dein his impletis eam elapso quinquennio a die commissi criminis obtinuit, cum cuncta concurrerent, quibus huiusmodi dispensatio indulgetur *in Frequentina Irregularitatis die 26 Martii et die 6 Augusti 1808.*

144. Siquidem veteres calebant inimicitiae inter familias Cappuccio et Mattano ex Oppido Mirabelli, quae die 26 februarii 1803 ad extremum discrimen utramque familiam adduxerunt. Nam conspirantes illi de familia Mattano in Marcianum Cappuccio, hunc Camillus Mattano, qui eorum caput erat, interfecit explosa ignea ballista, cuius fragorem audivit Sacerdos Clodealdus Cappuccio frater occisi, dum Pueros ex suo instituto erudiens domi manebat. Ad fenestram accurrens vidit advenientem Camillum Mattano, qui erectum deferebat igneum missile. Extimuit Sacerdos Cappuccio vicinae mortis periculum, quam coniurati Mattano uniuersae eius familiae inferre minitabantur. Quare aestu doloris percitus in actu *primo primi* arrepto sclopo, qui interfectus frater utebatur, de fenestra advenientem Camillum Mattano interfecit. Carceribus mancipatus est Sacerdos Cappuccio, et post quatuor annos ab Uxore occisi remissionem obtinuit et a Fisco Decretum absolutorium, ex quo constabat, homicidium commissum fuisse ad sui defensionem. Petiit inde dispensationem ab irregularitate. Episcopus testatus est, Oratorem – a puero animum mentemque lenem ac mitem gessisse, in hoc Diaecesano Seminario multis annis vitam laudabiliter traduxisse, ac proinde ludis et venatione semper abstinuisse, exemplo potius ceteris praeluxisse, Pueros et Adolescentes literis non minus, quam pietate edocuisse, neminem unquam verbis vel re laesisse –. Addidit, post commissum crimen impetratamque absolutionem, – Oratorem facti poenitentem non solum a Sacris usque modo abstinuisse ac pro defuncti anima suffragia pro viribus persolvisse, sed etiam sponte patriam Mirabelli dereliquisse, et in Terra Cryptae Minardae moram et domicilium fixisse, ubi nunc honeste vivit, Pueros edocet, et cunctis vita et moribus exemplo praeit, seque humillimum gerit, quod poenitentis animi praeclarum iudicium praefert –. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio die 26 martii 1808 rescripsit: – Expectet, et denuo commendatus ab Episcopo recurrat –. Rediit igitur; eumque sic Episcopus commendavit, ut ipse, attenta etiam eiusdem summa paupertate, preces offerret, ut ab irregularitate dispensaretur. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in

casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Frequentina Irregularitatis die 6 Augusti 1808.*

145. Idcirco Sacerdos, qui in rixa ad Fratrum defensionem sclopi ictu adversarium interfecit, etiamsi ipse et occisus, antequam obierit, publice sibi invicem pepercissent, et Fiscus sileret, et verax esset de patrato facinore poenitentia, dispensationem ab irregularitate assequi non potuit, nisi transacto triennio a die commissi criminis *in Messanen. Irregularitatis die 17 Iulii 1802 et die 20 Augusti 1803.*

146. Siquidem anno 1800 die 29 augusti cum in agro Civitatis Sagni rixarent inter se hinc Fratres Naselli, illinc Cataldus Barreca eiusque Fratres, prodiit armatus ballista ignea Sacerdos Paulus Naselli, ut a iurgio Fratres suos dimoveret. Factus est ei obviam Cataldus, et in eum primum iniuriosa verba, mox ballistam convertit, qua explosa, sauciatus est Sacerdos Naselli, qui ingenti cruore perfusum se conspiciens, subito animi impetu abreptus, et ipse Barrecam sclopi ictu vulneravit. Ab acceptis tamen vulneribus brevi convaluit Sacerdos Nasellius, dum vicissim Barreca post viginti dies occubuit, licet duo Medici opinarentur magis quam a vulnere processisse a febri, in quam ipse incidit. Obtenta exinde absolutione a Sacra Poenitentiaria, postulavit dispensationem ab irregularitate, cum ipse et Barreca, antequam e vivis excesserit, publice sibi invicem pepercissent, unde Fiscus processum nullatenus condidit, nec instaurare videbatur. Obstabat tamen, quod recens erat memoria criminis a biennio commissi, licet verax esset de patrato facinore in rixa, ut opitularetur Fratribus, poenitentia. Proposito itaque dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 iulii 1802 responsum dedit: – Negative –. Iterum elapso anno pro absolutione supplicavit; et Episcopus testatus est, Oratorem – usque adhuc continua verae poenitentiae indicia dedisse, bona Christifidelibus exempla praebuisse, ad sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum frequenter accessisse, pueros christianae doctrinae institutionem docuisse, iugiter SS. Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos per modum viatici defertur, sociasse, copiosam iuxta suas vires stipem erogasse, aliaque pietatis opera exercuisse –. His igitur perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Recedendum a decisis, dummodo non celebret in loco patrati criminis – *in Messanen. Irregularitatis die 20 Augusti 1803.*

147. Similiter Sacerdos, qui ad fratris defensionem homicidium patraverat, sed haud cum moderamine inculpatae tutelae, dispensationem ab irregularitate assequi non valuit, nisi elapso decennio a die patrati criminis, licet ab iuvenili aetate vitam semper exemplarem ac laude dignam duxisset *in Caputaquen. Irregularitatis die 7 Septembris 1793 et die 14 Martii 1795.*

148. Enimvero dum mense martio anni 1785 facinorosus et homicida Satellitum Dux Ioannes Cortazzo emissurus erat in rixa igneae ballistae ictum in Vincentium Feola eiusque fratrem Sacerdotem, repentinam his tulit opem tertius frater et Sacerdos pariter Conus. Quum enim a proxima egrediens Ecclesia Oppidi Massascusa fratres vidisset in discrimine vitae, aggressorem tenuit a tergo, apprehensaque ballista, luctari quodammodo cum illo cepit, alter ut e manibus evaderet, alter ut iracundum teneret armatum. Suis tandem diffidens viribus, ac sibi suisque fratribus timens, si robustior vinceret Cortazzo, mucronem Sacerdos Conus ab illius latere avulsit, eumque proprio ferro interemit. Condito hinc processu a Curia Caputaquensi, praeter declarationem irregularitatis, pulsus ad sexennium fuit in exilium a Diaecesi: expleta autem poena, supplicavit pro dispensatione ab irregularitate. Vicarius Generalis ei favit, cum ante et post patratum crimen ad propriam defensionem vitam duxisset exemplarem. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 septembris 1793 responsum dedit: – Negative: –. Preces Orator renovavit: Pro-Vicarius Generalis amplissimum ab eius iuvenili aetate usque in praesens testimonium fecit. Reproposito itaque dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio

respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Caputaquen. Irregularitatis die 14 Martii 1795.*

149. Hinc et Sacerdos, qui ad vindicandas Sororis contumelias et verbera, hominem facinorosum et bannitum proscriptum igneae ballistae interemit, frustra bis petiit dispensationem ab irregularitate, licet cuncta eam suadere viderentur, quam tamen, elapso fere sexennio a die patrati criminis, et attentis eius bonis moribus et paupertate nec non ipsius Episcopi precibus, subinde obtinuit *in Bergomen. Irregularitatis die 23 Februarii 1793 die 21 Iulii 1794 et die 28 Decembris 1795.*

150. Siquidem ad vindicandas Sororis contumelias et verbera, statim Sacerdos Ioannes Baptista Piccinelli die 10 novembris 1789 proscriptum Ioannem Micheli aggressorem per ictum igneae ballistae interemit. Facile absolutoriam obtinuit sententiam die 29 maii sequentis anni 1790, atque hinc de licentia Ordinarii Romam petiit pro dispensatione ab irregularitate. Episcopus retulit, pacem sequutam fuisse inter parentes interfecti et interfectorem, atque compositum fuisse Fiscum, Oratorem non dubia signa poenitentiae et emendationis dedisse et dare, bonis moribus se gerere, nec populo scandalum afferre posse eiusdem restitutionem communioni Fidelium: atque ex his dixit, preces dicti Sacerdotis exaudiri posse. At voluntarium videbatur homicidium, et vix lapsum erat ab eo triennium; attamen fortasse timuit Orator vitae Sororis ab homine facinoroso et proscripto, qui facile a verberibus et contumeliis excurrere potuisset ad necem, unde homicidium patratum censeri poterat ad iustam Sororis defensionem, quae aequiparatur propriae. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 februarii 1796 responsum tulit: – Negative –. Iterum Piccinellius supplicavit pro dispensatione, eique rursus Episcopus ob eius etiam miserrimum statum favit. Reproposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 iulii 1794 respondit: – In decisis –. Tertio Orator gratiam postulavit; atque Episcopus ipse eamdem deprecatus est, cum is vitam ageret laudibus refertam, utilis foret Ecclesiae Parochiali de Vicolungo, ac in extrema fere paupertate versaretur. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro gratia absolutionis et dispensationis – *in Bergomen. Irregularitatis die 28 Novembris 1795.*

151. Qua de re Sacra Congregatio pluries denegavit, dein attentis precibus Archiepiscopi, Sacerdoti, qui in aggressorem fratris irruerat cultro spoliaverat et ad necem percusserat, facultatem primum indulsit celebrandi Missam extra locum delicti, demum etiam in patria in Oratorio privato vel in Ecclesia publica hora minus a Populo frequentata *in Consentina Irregularitatis die 8 Maii die 11 Septembris 1784 die 30 Iulii 1785 die 20 Maii 1786 et die 17 Aprilis 1790.*

152. Iamvero ab Ecclesia excedens Sacerdos Augustinus Frezza, in qua Sacrum expleverat, cum fratrem diffugientem vidisset nuntiatumque Iuliani cultro illum insequi districto, commotus periculo, in aggressorem irruit, cultro spoliavit, ad necem percussit. De crimine in plurima hominum frequentia admisso a Curia ecclesiastica inquisitus, quin latitasset in carceribus se ultro constituit, delictum fassus est, defensionibus renunciavit, lubensque acceptavit sententiam, a qua exul esse ad vicennium iussus fuerat. Quadriennio nec exacto petiit dispensationem ab irregularitate, sed reiectus ex Rescripto diei 8 maii 1784: – Supplicet expleto exilii tempore –, novas obtulit preces die 3 iulii sequentis. Archiepiscopus Consentinus eum gratia dignum censuit, cum iamdudum is Parti satisfecisset, bonis castigatisque moribus tam antea, quam post delictum, fuisset imbutus, ac, depauperato eiusdem patrimonio, exul a patria vitam miserrime duceret. Sacra Congregatio tamen die 11 septembris eiusdem anni rescripsit: – In decretis sub die 8 maii currentis anni –. Supplex iterum adfuit, exhibuitque in forma probante Archiepiscopi Decretum, quo ab ulterioris exilii poena absolutus fuit. Proposito vero dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 iulii 1785 responsum tulit: – Negative, et expectet –. Exinde Archiepisco-

pus ipse, non tam de congruitate gratiae testimonium perhibuit, quam pro ea intercessit et precatus est, vademque se et sponsorem esse dixit, quod EE. PP. benignitas in immeritum non caderet Sacerdotem. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.–, Sacra Congregatio die 20 maii 1786 respondit: – Attentis peculiaribus Archiepiscopi precibus pro gratia, peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua domo Religiosa arbitrio Archiepiscopi, et dummodo non celebret in loco commissi delicti, per Bullas –. Supplicavit demum Orator pro facultate celebrandi in loco commissi delicti nempe patria, in quam eius affecta valetudo regredi cogebat, teste ac favente Archiepiscopo, qui addidit, – eius Patrem senio confectum filii sui opem expostulare, cui in propria Patria opitulari non potest; nec timendum, ne, si is in sua Patria Sacris operam navet, scandalum inde sit exoriturum –. Reproposito itaque dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20 maii 1786 quoad prohibitam celebrationem in loco commissi delicti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, pro arbitrio et conscientia Archiepiscopi, dummodo celebret in Oratorio privato aut etiam in publica Ecclesia, hora tamen minus a Populo frequentata, et ad Secretarium cum Sanctissimo – *in Consentina Irregularitatis die 17 Aprilis 1790.*

153. Unde indulgetur dispensatio Clerico post lapsum triginta duorum annorum a crimine homicidii, qui opem ferens fratri nequiter aggresso dubitat, num ipse illud patraverit *in Fulginaten. Irregularitatis die 4 Martii 1758.*

154. Siquidem Petrus et Michael Angelus Marini fratres noctu in agrestium hominum turbam inciderunt, sed Petrus cum aquam transilire non posset remansit in via, et agrestes illi homines in eum irruerunt, unde is accepit vulnus in femore ab ictu tormenti bellici; haud tamen territus et genibus subsistens terram reciprocavit, exploso in proximiorem tormento suo. Vires autem defecerunt, clamavitque fratri, ut sibi morienti opem ferret. Clericus duos ictus tormenti sui e campo, in quo erat, explosit, quare turba illa huc illuc dilapsa est, et Clericus aqua transiliens ad fratrem iacentem pervenit, eumque suis humeris ferendo vexit in Civitatem. Instructo processu contra Petrum, visum est Iudicibus homicidium ab eo commissum fuisse ob tutelam vitae suae, et eumdem non esse molestandam iusserunt, constito de consensu et pace consanguineorum occisi. At Clericus post duos supra triginta annos ab eo homicidio volens sacros Ordines suscipere ac dubitans, num ipse Rusticum illum occidisset, petiit dispensationem ad cautelam. Proposito hinc dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo super dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Fulginaten. Irregularitatis die 4 Martii 1758.*

155. Ubi enim actum est de homicidio non ex industria, neque ex proposito, sed quia rei licitae operam dans, diligenter non caverit, vel quia tantum rei illicitae dabatur opera, vel quia res accidit in calore irae ac mentis effervescentia cum aliquali vitae discrimine, vel quia casus erat omnino fortuitus et non praenoscibilis, Sacra Congregatio rerum circumstantias expendit *in Terracinen. die 19 Aprilis 1766* §. *Ubi.*

Item *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Quando; in Agennen. Irregularitatis die 9 Iulii 1768* §. *Ubi.*

156. Quae itaque perpendi solent, ut gratia concedatur, vel denegetur, haec potissimum traduntur a Fagnano in cap. *Henricus* de Cleric. pugn. in duello: – An homicidium fuerit commissum per industriam seu praemeditate et per insidias, an occidens fuerit rixae auctor vel provocatus, an tantum temporis excesserit a die patrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset scandalum, anve ab eo tempore Orator a ministerio Altaris abstinuerit; rursus an obtinuerit pacem a Parentibus vel Consanguineis defuncti, anve cum Fisco concordarit, item an esset alias bonae conditionis et famae, et an post delictum semper laudabiliter vixerit ex literis testimonialibus Ordinarii –, aliaque id genus plura – *in Tranen. Irregularitatis die 26 Martii 1768* §. *Quae.*

Item *in Agennen. Irregularitatis die 9 Iunii 1768* §. *Hinc; in Agrien. Irregula-*

ritatis die 10 Martii 1770 §. *Ne; in Camenecen. Dispensationis ab irregularitate die 30 Iulii 1785* §. *Huic; in Lemovicen. Dispensationis ab irregularitate die 12 Iulii 1788* §. *Vix.*

157. Ad solvendum enim vinculum irregularitatis decennium a die patrati homicidii excidere debet, iuxta sententiam Rotae in Melevitana 8 Februarii 1751 §. 15 coram Elephantutio, vel saltem triennium cum emendatione vitae, ex doctrina Abbatis in Cap. 21 n. 2 de accusatione, et Antonelli de regim. Eccles. lib. 1 cap. 6 *in Bisinianen. Irregularitatis die 13 Septembris 1800* §. *Deliberandum.*

158. Unde Sacra Congregatio fere semper dispensationem differt, eamque postmodum probata constanti vitae emendatione concedit *in Agennen. Irregularitatis die 9 Iulii 1768* §. *Ubi.*

159. Idcirco Parochus, qui Virum ad Uxorem verberandam incitavit auxiliumque praebuit, unde eadem [mox occubuit, nonnisi attenta supplicatione ipsius Episcopi ob Sacerdotum penuriam post elapsum quinquennium a die patrati criminis dispensationem assequi valuit ac ea simul adiecta lege, ne Missam celebraret, nec curam animarum exerceret in loco patrati criminis *in Canadien. Dispensationis ab irregularitate die 27 Novembris 1790 et die 21 Aprilis 1792.*

160. Enimvero temulentus Sacerdos Adamus Bramberger Steierdorffii Parochus nedum Sebastianum Stegmaier eius parochianum ad aegrotam Sacramenti munitam Uxorem verberandam incitavit, sed ei quoque virgarum praebuit fasciculum manibusque infelicem tenuit Mulierem, ut commodius ille nefarium facinus patraret. Tertio itaque vapulata post triduum decessit infirma, damnatusque fuit Parochus die 1 iulii 1787 biennii carceris poena. Hac expleta, pro dispensatione supplicavit. Episcopus retulit, Oratorem Fisco et Parti satisfecisse, vitam eius omnino inculpatam ante adeptam Parochiam fuisse, saepius postea inebriatum, ita ut non immerito censeri valeret, ut – vini potus largior ad eam quoque inhumanam actionem illum deduxerit, aut potius praecipitaverit –; biennio tamen – sibi omni prorsus vino interdixisse, certissimumque praebere sequutae emendationis argumenta –. Hinc attenta etiam Sacerdotum penuria censuit, indulgeri posse dispensationem, ut alio in loco munus parochiale exerceret. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 novembris 1790 responsum tulit: – Negative –. Exinde gratiam Oratori a Summo Pontifice imploravit Episcopus, cum sufficientes pro cura animarum Sacerdotes non haberet; quin imo censuit, Parochum Marito consuluisse, – ut hic Uxorem suam iustis de causis fine correctionis verberaret –; sed Maritus fines mandati excessit, adeoque Parochus irregularitatem non incurrit. Insuper affirmavit, quod mors ipsa non fuit sequuta ob verbera, sed ob alias circumstantias Mulieris, quae iam morbo implicata erat, ex quo ob defectum peritorum Chirurgorum percurari non poterat. Reproposito itaque dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Attenta supplicatione Episcopi, praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro gratia, dummodo non celebret nec curam animarum exerceat in loco patrati criminis – *in Canadien. Dispensationis ab irregularitate die 21 Aprilis 1792.*

161. Qua de re licet Sacerdos occidendi animum non habuisse videretur et cuncta dispensationem suadere, eam tamen assequi non valuit, nisi elapsis decem annis a die commissi criminis, adiectaque lege, ne in loco patrati criminis Missam celebraret *in Comen. Irregularitatis die 7 Iulii 1781 die 29 Novembris 1788 et die 21 Augusti 1790.*

162. Siquidem dum vespere diei 2 aprilis 1780 Virum inter et Antonium nuncupatum Rotella sedebat Maria Ramponi in foro parochialis Ecclesiae Vervii in Plebe Matii Vallistellinae, eam Parochus Ioannes Antonius Saligari, cui fuerat in famulatu, in parochiales avocavit aedes, Viroque illam flagitante, per diversam ianuam dimisit. Huiusce dimissionis ignarus, a Viro fuit Rusconius, vimque foribus parochialis domus inferre cepit. Igneam ad eum terrendum e ferreis repagulis ostentavit ballistulam Parochus, quam semel ab illius manibus ereptam et iactanter redditam, in anteriori parte Rusconius apprehendit, et dum rursus avellere conare-

tur, repentino eius ictu occubuit. Qua de re Comensis Curia declaravit, – Parochum reum convictum et confessum de culpabili homicidio fore esse perpetuo irregularem –; eumque a Parochiali suspendit munere. Dispensationem exinde Saligarius imploravit. Episcopus retulit, Oratorem a commisso homicidio ferme semper in Conventibus Regularibus vitam ad praescriptum regularis observantiae traduxisse, undequaque constantis de culpa poenitentiae testimonia detulisse, vix ullam ei superesse prophani patrimonii copiam, habere Patrem propemodum octogenarium, Parti et Fisco satisfecisse: hinc censuit, dispensationem indulgeri posse, ut divina, remoto tamen a loco homicidii, celebraret; alias enim gravissimum Populo scandalum obveniret. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio die 7 iulii 1781 et die 29 novembris 1788 preces reiecit per Rescriptum: – Lectum –. Tertio eamdem postulavit gratiam, cui adeo modernus Episcopus favit, ut ipse eam deprecaretur, ex eo etiam quod necessarium quodammodo dicebat illius ministerium Universitati Grossupti, cum in montibus existeret ac sine ullo Sacerdote reperiretur. His itaque post elapsum decennium a die patrati criminis perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, dummodo non celebret in loco patrati criminis – *in Comen. Irregularitatis die 21 Augusti 1790.*

163. Hinc et Sacerdoti, qui contra adversarios inter tenebras explodens igneam ballistam homicidium patraverat, attenta constanti criminis poenitentia atque Episcopi commendatione, concessa est dispensatio ab irregularitate, dummodo tamen non celebraret in loco commissi delicti *in Constantien. Irregularitatis die 26 Novembris 1796.*

164. Enimvero quum invidi quidam homines noctu transcendere consuevissent hortulum, quem Clericus Beneficiatus et Sacerdos Laurentius Klaile annorum 48 ad summam aedem Friburgi Brisgoviae possidebat, ibique recens consitas vellere aut succidere arbores aliaque diripere consuevissent, aliquoties idcirco ad avertenda damna in eodem hortulo pernoctavit Sacerdos. Dum ita excubabat nocte 24 iulii 1794 mittere ceperunt homines illi adversus aediculam horti frequentes lapides, ac post inutilem clamorem e fenestra inter tenebras explosit Sacerdos igneam ballistam plumbeis onustam globulis, qui in Lepores adhiberi solent, et studentem quemdam interfecit. In eum propterea sequenti mane alii irruperunt studentes, sed publica ab eorum manibus ereptus auctoritate, missus fuit in carcerem, deindeque ad sedandos studentes Constantiam transmissus, ad annum in catenis damnatus est carcerem. Post sex vero menses a passo carcere in libertatem ex gratia rediit, degitque exinde semper inter Alumnos Constantiensis Seminarii cum vera poenitentia delicti. Supplicavit itaque pro dispensatione ab irregularitate, eique favit Episcopus pro restitutione ad ministerium Altaris extra locum delicti, cum ipse nunquam Brisgoviam esset rediturus. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, dummodo non celebret in loco patrati criminis – *in Constantien. Irregularitatis die 26 Novembris 1796.*

165. Quin imo licet Sacerdos homicidium patrasse videretur primo impetu atque involuntarie, unde absolutus fuit cum clausula, ne ulterius molestaretur, ac Parti et Fisco satisfecerit nec non de vitae emendatione constaret et in extrema versaretur egestate, pluries reiectus vix tandem post quinquennium a die commissi criminis et impensum Episcopi votum dispensationem ab irregularitate obtinuit, quin tamen Missam celebrare posset in loco patrati criminis *in Lunen. Sarzanen. die 27 Februarii 1790 die 7 Maii 1791 die 12 Maii 1792 et die 16 Martii 1793.*

166. Siquidem dum Sacerdos Terentius Gervasi de Casula Florentini dominii pomeridianis horis die 17 februarii 1789 ad proximum Lucanae Ditionis Oppidum Minucciani dimissam alloquebatur Ancillam, ac de eius rebus penes se relictis agebat, supervenerunt Franciscus Perniciotti Archangelus Sarteschi et Antonius Garzonotti, nocte iam ingruente. His igitur Minuccianum versus euntibus, comitem se Mulier addidit Garzonotto, qui a Sacerdote rogatus, suppressit iter, eique permisit, ut seorsim adhuc alloqueretur. Quum longius secreto procederet

sermocinatio, morae Garzanottus impatiens, altercare cepit, eoque mutua processerunt convicia, ut lapide Sacerdotis tempora cum sanguinis effusione percusserit. Ira hac de re percitus, in percussorem citato gradu contendebat Sacerdos; sed ab interposito detentus Archangelo Sarteschi, cum eo colluctatus est, acceptoque in femore pugionis ictu, cum ipsomet Sarteschi ferro, eum in renibus vulneravit. Paullo hinc circa locum pugnae versati, alter ut ereptum reciperet ensem, alter ut delapsum colligeret pileum, per diversa itinera discesserunt. Quinto autem die ex vulnere Sarteschius occubuit. Curia Episcopalis, condito processu, definivit, – in casu pro homicidio Sacerdotem Gervasi non esse ulterius molestandum –. Episcopus retulit, homicidium primo impetu sine advertentia atque involuntarie contigisse, compositum fuisse Fiscum, nec occisum nec eius Patrem quidquam petiisse; testatus est de Oratoris emendatione, et scandalum exclusit, – tum quia etiam in patria occisi iusta omnino creditur absolutoria sententia, tum quia per octo circiter milliaria distat a loco originis et domicilii eiusdem Sacerdotis et sub diverso Principe –, atque ex his gratiam eum promereri censuit. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 februarii 1790 responsum tulit: – Negative –. Iterum Orator EE. PP. clementiam imploravit; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 maii 1791 respondit: – In decisis –. Tertio gratiam imploravit, cum praesertim constaret, quod in summa esset egestate, ac alias mendicare cogeretur. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 12 maii 1792 respondit: – Expectet –. Quarto demum pro dispensatione institit, eique Episcopus impense favit. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione, dummodo non celebret in loco commissi delicti – *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis ab irregularitate die 16 Martii 1793.*

167. Unde Sacerdos, qui in rixa homicidium patravit, expleta poena exilii per sexennium satisfacta Parte et certis emendationis signis exhibitis, facultatem primum obtinuit celebrandi Missam extra locum patrati criminis, exin post novennium etiam in praedicto loco, hora tamen minus a Populo frequentata, cum ibi bona ac domum possideret et memoria homicidii extincta esset *in Melevitana Irregularitatis die 19 Ianuarii 1788 et die 19 Iunii 1790.*

168. Enimvero adeo vehementer Sacerdos Borg rixantem Philippum Hasciac ligno percussit, ut paullo post decesserit. Eum hac de causa in exilium ad sexennium egit Episcopus a Diaecesi, damnavitque ad refectionem damnorum et interesse. Rem occisor per solutionem scutorum 818 et tarenorum novem Melitensis monetae cum heredibus occisi composuit, et in exilium abiit. Post annum a patrato delicto petiit dispensationem ab irregularitate; sed Sacra Congregatio die 14 decembris 1782 rescripsit: – Supplicet, expleta poena –. Transacto igitur exilii quinquennio, iterum supplicavit. Episcopus haec habuit: – Cum a tempore latae sententiae honeste hucusque semper vixerit, bonaeque vitae exemplum praebuerit, exoptatam ab irregularitate dispensationem ipsum promereri putarem –. Nam Orator animum deliberatum occidendi non habuerat. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1788 responsum tulit: – Affirmative, dummodo non celebret in loco patrati criminis –. Supplicavit exinde, ut hoc etiam sibi liceret. Episcopus causas, quibus id postulavit, probavit in haec verba: – In Civitate Pinto eius patria (in qua patravit crimen) consanguineos bona propriamque domum possidet, quae ab aliis locis est longe dissita; neque scandalum esse posset ob hocidium, cuius memoria (ob novem elapsos annos) extincta est –. Proposito itaque dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 19 ianuarii 1788 quoad prohibitam celebrationem in loco commissi delicti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, pro gratia iuxta petita arbitrio Episcopi, dummodo celebret hora minus a Populo frequentata, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Melevitana Irregularitatis die 19 Iunii 1790.*

169. Idcirco oeconomus Curatus, qui mala inita consuetudine cum muliere particeps fuerat homicidii ab ea patrati in proprium Virum, licet poenam solvisset, indubia emendationis signa exhibuisset, et a commisso crimine anni ultra decem effluxissent, dispensationem ab irregularitate haud obtinuit, quam tamen subinde ob extremam etiam paupertatem peractis exercitiis spiritualibus assequi valuit *in Beneventana Irregularitatis die 20 Decembris 1817 et die 13 Februarii 1819.*

170. Siquidem secus ripam fluminis Sabati, quod Beneventanam regionem interfluit, die 24 maii 1805 repertum fuit cadaver Francisci Santagelo incolae Casali Meccabei, quod Pagum erat in Beneventano parum a flumine Sabato distans. Inspecto delicti corpore per Peritos deputatos a Tribunali criminali, cum mortuus esset manibus ligatis et fune circa collum reducto, iudicarunt iidem Periti praedictum Franciscum iugulatum. Instituta criminali inquisitione et cumulatis indiciis, in suspicionem venit, ream criminis fuisse Elisabeth Ferraro interfecti Francisci uxorem, et criminis participem fuisse Sacerdotem Vincentium Zolli, tunc oeconomum Curatum dicti Pagi Meccabei. Constitit enim de mala inter utrumque consuetudine, quam aegre ferens Franciscus saepe verberibus coercebat Uxorem, quibus haec irritata, opitulante Zolli, Virum iugulaverit. Atque suspicio huiusmodi aucta ex eo est, quod Sacerdos Zolli Elisabeth carceribus mancipatae subsidia vitae suppeditarit. Hinc censuit Tribunal criminale praecipere, ut Sacerdos caperetur, qui ubi id suboluit noctu aufugit, et Exequutores elusit. Facta in eius domo perquisitione, invenerunt mucronem, vulgo *Baionetta a due tagli*, praecipue vetitum: sed profugus captus est in Regno Neapolitano, et ad carceres Beneventi traductus, in iisdem mansit per quatuor annos, durante criminali quaestione in eum instituta, damnatus tandem fuit ad poenam detentionis per decem annos, (femina vero per quinque) quae poena in gradu revisionis moderata fuit ad septennium, nempe ad annos quinque pro imputato homicidii crimine, et annos duos pro retentione vetiti mucronis. Solverat poenam annorum quinque, quum anno 1816 forte concitata populari seditione e carceribus aufugit. Ex indulto a Duce Austriaco vulgato residuum poenae tempus remissum fuit: atque Sacerdos Zolli reintegrato Pontificio regimine ex Rescripto diei 30 iunii 1817 eamdem poenae remissionem obtinuit ea conditione, ut per mensem spiritualibus exercitiis operam daret in religiosa Domo, ut clericaliter viveret, neque ad patrium Oppidum occisi accederet, neque eiusdem coniunctos offenderet. Omnia se impleturum spopondit Sacerdos Zolli, et secessit in domo Capuccinorum Civitatis Beneventi, in qua per mensem sedule spiritualibus exercitiis vacavit. Petiit inde dispensationem ab irregularitate. Archiepiscopus testatus est, Oratorem anteactae vitae maculas eluisse, Populo aedificationi et exemplo esse, unde eius habilitationem Populo iam aedificato ex constanti vitae emendatione nullum scandalum afferre posse, Fisco satisfecisse; hinc licet occisi Francisci Fratres obstinato animo iniuriae remissionem impertiri renuerent, Archiepiscopus censuit, etiam ne Sacerdos mendicare cogeretur propter suam paupertatem, petitam dispensationem concedi posse, – firma tamen remanente obligatione alias per ipsum emissa, signanter de non accedendo ad occisi patriam, saltem donec ab eiusdem occisi Fratribus remissionem reportaverit –. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 decembris 1817 respondit: – Negative –. Preces Orator subinde iteravit, cui pariter Archiepiscopus favit. Elapsis itaque quatuordecim fere annis a commisso crimine, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione iuxta votum Emi Archiepiscopi, et peractis exercitiis spiritualibus pro tempore et loco arbitrio eiusdem Emi Archiepiscopi – *in Beneventana Irregularitatis die 13 Februarii 1819.*

171. Sacerdos autem Franciscus Antonius Mazzadi Parochus olim Strepeti damnatus prae ceteris a Curia Placentina tamquam reus rixosi homicidii in caupona patrati ineunte augusto anni 1790 ad quinquenne exilium a loco commissi criminis seu Vicariatu Complani, petens dispensationem ab irregularitate,

primum die 21 aprilis 1792 responsum habuit: – Habebitur ratio, expleta poena relegationis et exilii a Vicariatu Complani –, dein illa expleta, etiamsi Episcopus ipsi faveret, Parti et Fisco satisfecisset, emendationis signa praebuisset, et inopia premeretur, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 iulii 1796 responsum tulit: – Negative –; ac inde reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, respondit: – In decisis – *in Placentina Irregularitatis die 9 Septembris 1797.*

172. Ceterum Subdiaconus, qui praemeditati homicidii fuit accusatus, quin tamen criminis auctor dignosceretur, ob idque in carcerem detrusus et ex Regia clementia absolutus, composita Parte et Fisco nec non elapso decennio a sequuto crimine, petens dispensationem ab irregularitate, responsum habuit: expectet et det maiora signa constantis emendationis, ac hisce impletis dispensationem quidem obtinuit, sed renovatis exercitiis spiritualibus per tempus arbitrio Episcopi praefiniendum *in Tropien. Irregularitatis die 15 Decembris 1804 et die 20 Iulii 1805.*

173. Enimvero ex causa praemeditati homicidii in personam laicam anno 1794 commissi accusatus fuit Subdiaconus Antonius Bruni, in quem carceribus detrusum capitalis quaestio constituta est. Utrum ipse auctor fuerit homicidii latebat omnino. Negavit enim, se esse culpae affinem, nec suas sanguine scelerasse manus, nec consilio aut impulsu in illum conspirasse: fatebatur tamen, se praescivisse attentandum homicidium, nec, quominus successu careret, obstitisse; fuisse sibi cum interfecto inimicitias. Ex qua imputatione per quinquennium iactatus, tandem in populari tumultu anni 1799 a carceribus ereptus est. Paullo post, eas copias sequutus est, quae Neapolim ad officium revocarunt. Restituta tranquillitate, Regiam clementiam consequutus, Partem et Fiscum composuit. Postulavit itaque dispensationem ab irregularitate, ut ad sacrum Diaconatus ordinem promoveretur. Episcopus retulit, ex confessione Oratoris patere, eum nulla unquam adhibuisse arma, nec propterea occidisse aliquem, vel mutilasse; exercitia spiritualia egisse per tres menses intra septa Monasterii Capuccinorum Civitatis Amantheae cum odore bonorum operum, et successive vitam traduxisse honestam. Proposito vero dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 decembris 1804 responsum tulit: – Expectet, et det maiora signa constantis emendationis –. Preces Orator renovavit; et Episcopus testatus est, eum peracta poenitentia assidua praebuisse ac praebere signa constantis emendationis. Idcirco censuit, – locum dari posse petitae Apostolicae dispensationi et absolutioni a censuris etiam consulendo verae necessitati et utilitati Ecclesiae illius loci, ob penuriam Sacerdotum. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, renovatis exercitiis spiritualibus per tempus arbitrio Episcopi praefiniendum, per Breve – *in Tropien. Irregularitatis die 20 Iulii 1805.*

174. Qua de re Sacerdos gladio armatus, quem adversarius in rixa offenderat eoque interfectus fuerat, dispensationem ab irregularitate postulans, licet concurrerent lapsus decennii a patrato crimine, Fisci et Partis compositio, constans vitae emendatio, atque Emi Urbis Vicarii favor, responsum habuit: – Expectet – *in Marsorum seu Romana Irregularitatis die 27 Augusti 1796.*

175. Siquidem orta Romae noctu 30 aprilis 1785 inter Sacerdotem Raymundum Nitoglia et Marcum Antonium Ricupera gravi rixa, colluctare ceperunt rixantes, exstinctisque luminibus, dum Marcus Antonius in terram caderet vel humi prostratus colluctaretur, districtum a Sacerdote offendit gladium, eoque interfectus est. Coniectus idcirco fuit Sacerdos in vincula, deindeque ad domum poenitentiae damnatus ad decennium. At post quinquennium ab eo aufugit loco, seque in patriam, in Oppidum nempe Oriculae Diaecesis Marsorum, recepit. Obtento autem anno 1794 consensu a filio occisi, absolutus tandem fuit pristinaeque restitutus libertati a Card. Ursinio Urbis Vicario, cui hac de re Summus Pontifex potestatem dederat; et postulavit inde dispensationem ab irregularitate. Vicarius Generalis Marsorum testatus est, eum a quatuor annis moram duxisse in eius pa-

tria, totoque tempore in habitu et tonsura incessisse, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentasse, sacris functionibus ac servitio Ecclesiae assidue interfuisse, morumque probitatem et specimen, quae ecclesiasticum Virum decent, semper dedisse. Emus Urbis Vicarius eidem pariter favit, ob morum probitatem; adeoque gratia dispensationis dignum censuit. At licet Orator non vibraverit gladium, contra tamen sanctitatem viri ecclesiastici incedebat armatus; idque propterea dispensationem impedire poterat. Proposito itaque dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Expectet – *in Marsorum seu Romana Irregularitatis die 27 Augusti 1796.*

176. Hinc et Archipresbiter, qui contumeliosis verbis provocatus ac ira magna correptus hominem ictu sclopi occidit, petens dispensationem ab irregularitate, bis responsum accepit: – Negative, et expectet –, licet eidem impense faveret Emus Episcopus; sed tandem transacto alio biennio nec non attentis precibus localis Archipresbiteri et Officialium indubiis emendationis signis ac necessitate numerosi Populi, Sacra Congregatio dispensationem, elapsis novem annis a die commissi criminis, indulsit *in Sabinen. Irregularitatis die 17 Iunii 1786 die 28 Iulii 1787 et die 27 Iunii 1789.*

177. Enimvero vix Federicus Petracchi vidit quemdam Stephanum de Silvestro adeuntem domum Archipresbiteri Francisci Seraphini die 6 ianuarii 1780, continuo dixit elata voce: – mo si và in gabinetto –; qua de re leniter a dicto Archipresbitero obiurgatus fuit. At eodem die ad vesperam declinante, idem Petracchius dicto suo Archipresbitero obviam occurrens, alia in eum contumeliosa verba protulit: – Se fossi buon Arciprete, staresti in casa tua –. Ad haec exanduit Archipresbiter, dixitque: – se vuoi niente, vieni su –, atque alter reposuit: – se vuoi niente, vieni giù –. Nec multa: descendit Archipresbiter, Petracchius eum cultro semel et iterum sauciat, magnaque ira tunc percitus Archipresbiter Petracchium ictu sclopeti ad mortem percussit. Confestim Archipresbiter aufugit, Archipresbiteratum renunciavit, et post emensos quinque annos veniam ab Episcopo obtinuit, obtento prius consensu Partis offensae, et completis triginta diebus spiritualium exercitiorum in religiosa domo. Petiit dein dispensationem ab irregularitate. Episcopus retulit, Oratoris mores, dum suum Archipresbiteratum retinebat, non ita bonos fuisse, ut Populus imitari posset, postquam vero in patriam rediit, bonitatis specimen praebere, eumdemque gratia dignum censuit. Proposito tamen dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 iunii 1786 responsum tulit: – Negative, et expectet –. Iterum pro eadem supplicavit gratia, eique impense favebat Emus Episcopus. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 iulii 1787 respondit: – In decisis –. Tertio post biennium dispensationem exoravit. Emus Episcopus retulit, Oratorem adeo valida poenitentiae ac verae emendationis indicia praebuisse, ut Archipresbiter localis et Officiales uno ore gratiam expostularent, ob necessitatem etiam numerosi Populi, spirituali non mediocriter auxilio destituti. Proposito hinc dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 17 iunii 1786 et 28 iulii 1787 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro gratia absolutionis et dispensationis – *in Sabinen. Irregularitatis die 27 Iunii 1789.*

178. Unde Sacra Congregatio, attentis diuturna poenitentia constanti vitae emendatione gravique paupertate ac voto Episcopi, dispensationem ab irregularitate concedendam esse declaravit favore Sacerdotis, qui voluntarie senem occiderat, peracta prius tamen poena ei imposita, nec non elapsis viginti quinque annis a die patrati criminis *in Anglonen. et Tursien. Irregularitatis die 17 Augusti 1793 et die 25 Ianuarii 1794.*

179. Iamvero quum die 11 aprilis 1768 negligenter grandaevus Dominicus Allegretti nonnullos custodiret boves, iique satum ingressi essent praedium Sacerdotis Philippi Magliacchini, illum Sacerdos gravi percussit ligno, quod Regnicolae vocabant *paraccola*, nostrates *mazzarella*, adeoque vehementer ictus iteravit, ut post decendium infelix se-

nex, exposita tamen querela, decesserit. Curia Episcopalis eum irregularem declaravit; sed, attenta etiam remissione Partis, per decennium damnavit ad regulare claustrum. Fisco inde, Sede Episcopali vacante, composito, reliquae poenae commutationem obtinuit a Vicario Capitulari in exercitia spiritualia per mensem apud Missionarios SS. Redemptoris Capitis Sileris. Post annos viginti quatuor a commisso delicto supplicavit pro dispensatione ab irregularitate. Episcopus favit, ob diuturnitatem temporis, constantem vitae emendationem, Sacramentorum frequentiam, Ecclesiae servitium in solemnioribus festis, interesse habentium compositionem, nullumque in Populo periculum scandali. Sacra Congregatio die 24 novembris 1792 rescripsit, ut Orator doceret – de peractis per mensem exercitiis spiritualibus a Vicario Capitulari demandatis –. Episcopus retulit, nunquam ab Oratore Decretum Vicarii Capitularis adimpletum fuisse, propter distantiam milliariorum circiter quinquaginta, viamque ut plurimum asperam et montuosam, quae ad Congregationem illam interponebantur, ac propter huiusmodi paupertatem, ut nullimode eam petere potuisset, ac eidem pro alimentis contributionem facere. Proposito interim dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 augusti 1793 responsum dedit: – Dilata, et Orator peractis exercitiis spiritualibus per mensem in loco commodiori ab Episcopo designando, recurrat –. Hoc adimpleto Rescripto, iterum Orator supplicavit pro dispensatione. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Anglonen. et Tursien. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1794.*

180. Quin imo licet tres supra viginti annos elapsi fuerunt a die homicidii, non tamen per industriam per insidias et ex proposito patrati, Sacra Congregatio pluries instantiam occisoris, exemplarem vitae tenorem ducentis a tredecim annis, primum semper reiecit, sed inde dispensationem indulsit ad effectum, ut interim promoveri posset ad reliquos minores Ordines, non vero sacros etiam Presbiteratus *in Placentina die 28 Iulii et die 30 Septembris 1724.*

181. Siquidem viginti et tribus circiter ab illinc annis cum Thomas Arcelli in iuvenili aetate constitutus familiari confidentia cuidam Matronae inserviret, et res haec animum Mariti in turbationem coniecerit, Thomas ab inde citra minus frequenter et maiori cum cautela praedictam Matronam domi visitare incepit, sed cum quadam die, dum haec ruri moraretur et Thomas eam salutaturus domum esset ingressus, inexpectatus supervenit Maritus, a quo veritus mortem sibi intentari terrore correptus, cum nullus alius evadendi modus superesset, archibusium, quod gerebat pilis ferreis onustum, explosit, et Maritus vulneratus paulo post mortuus est. Nullus super hoc delicto confectus est processus, cum rumor invaluisset, infelicem Maritum inter nemora adiacentia periisse, vel Pado se funeste commisisse; sed paulo post diffusa fama delicti a Thoma patrati, ipse longe aufugit, qui deinde in patriam rediit, ac per tredecim annorum spatium adeo bonum et exemplarem vitae tenorem exhibuit, ut Episcopus speraret, cessurum esse in totius Populi et praecipue Cleri secularis aedificationem. Supplex Thomas petiit dispensationem ab irregularitate, ut promoveri posset ad reliquos minores et sacros etiam Presbiteratus Ordines, sed pluries et pluries reiectus est. Tandem proposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio primum die 28 Iulii 1724 respondit: – Iterum proponatur –, dein responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, pro dispensatione pro nunc ad reliquos minores Ordines – *in Placentina die 30 Septembris 1724.*

182. Unde Subdiaconus de homicidio voluntario accusatus et damnatus in poenam excommunicationis et quinquennalis exilii dispensationem ad effectum ascendendi ad ulteriores sacros Ordines assequi non valuit, nisi elapsis duobus supra viginti annis a die commissi delicti, licet is assereret, se haudquaquam dictum homicidium patravisse *in Bracharen. Irregularitatis die 12 Aprilis 1710 die 24 Ianuarii 1711 die 16 Iulii 1712 die 4 Februarii 1713 die 4 Augusti 1714 et die 13 Aprilis 1715 lib. 60 61 62 63 64 65 Decretorum.*

183. Iamvero patrato homicidio die 29

aprilis 1694 in personam Diaconi Lupi de Ameyda Castelbianco in loco et Parochia nuncupatis Dei Christi, a Sacerdote Emmanuele Castelbianco germano fratre occisi accusatus extitit in Curia Archiepiscopali Subdiaconus Gaspar Pinherio eiusdem loci, quae per sententiam diei 11 aprilis 1698 eum damnavit incursum in excommunicationem, irregularem declaravit, nec non mulctavit in scutis centum monetae exolvendis Actori, aliisque scutis triginta pro expensis Curiae, ac demum in poenam relegationis quinquennalis in Statu Brasileensi. Iudex inde a Sede Apostolica delegatus revocavit ac moderatus fuit sententiam quoad excommunicationem et irregularitatem, id relinquens dictamini eiusdem rei conscientiae, sed eum mulctavit poena exilii biennalis, et expensarum refectione, nec non eumdem devinxit ad oblationem certi numeri Missarum pro anima occisi. Ab hac sententia provocavit Actor germanus defuncti, et Iudex a S. Sede delegatus confirmavit in omnibus sententiam primam Curiae Archiepiscopalis Bracharensis, moderata solum poena pecuniaria applicanda Actori in scutis octoginta et expensis Curiae in scutis duodecim. A tertia sententia neutiquam appellatum fuit: sed reus, ut e carceribus se eximeret, obtulit Actori poenam pecuniariam, Actor vero dictam poenam condonavit, facta ulterius remissione delicti, pacto tamen et conditione adiecta et acceptata, ut dictus Gaspar adimpleret relegationem quinquennalem in Brasilia, utque, ea finita, per aliud quinquennium abesset a primodictis loco et Parochia Dei Christi. Cumque Gaspar iam adimplevisset utrumque quinquennium poenae, postulavit gratiam dispensationis ab irregularitate non quidem ex homicidio, quod asserebat nunquam ab eo commissum neque legitime probatum, sed solum ob infamiam ortam ex praefatis sententiis et supportatione poenarum, ad effectum ut ascendere valeret ad sacros ulteriores Ordines. Proposito vero dubio: – An Orator sit dispensandus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 aprilis 1710 respondit: – Negative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12 aprilis 1710 in casu etc. –, Sacra Congregatio, licet Orator exposuisset, iam facinoris memoriam obliteratam remansisse, pacem ab occisi coniunctis promeruisse, decennale quoque exilium in Regno Brasiliae sustinuisse, subinde longo confecto itinere dispensationem impetraturum ad Urbem accessisse, ceterum sententiae criminali ob extremam ipsius paupertatem acquievisse, et post consumptum in huiusmodi Causa integrum patrimonium litem prosequi non potuisse, die 24 ianuarii 1711 die 16 iulii 1712 die 4 februarii 1713 die 4 augusti 1714 semper respondit: – In decisis –. Tandem elapsis duobus supra viginti annis a die patrati homicidii, novisque rationibus adductis, reproposito dubio sub eadem formula, responsum dedit: – Pro gratia – *in Bracharen. Irregularitatis die 13 Aprilis 1715 lib. 65 Decretorum.*

184. Qua de re Sacerdos, qui venationi vacans in rixa ictu igneae ballistae homicidium patraverat, attentis lapsu viginti annorum a die commissi criminis, constanti vitae emendatione, deficientia Sacerdotum in eiusdem Paraecia, atque Partis compositione, dispensationem ab irregularitate tandem obtinuit *in Mutinen. Irregularitatis die 28 Februarii 1795.*

185. Siquidem dum Sacerdos Petrus Borelli venabatur anno 1774 in nemore Paraeciae Saxiguidani, altercare cepit cum Dominico Antonio Chiodi, qui errantem quaerebat bovem, eumque tandem ob acceptas contumelias ignea ballista interemit. Suspensus idcirco fuit a divinis, et per quinquennium in contumaciam damnatus ad carcerem. Parte interim composita, obtinuit anno 1776 absolutionem a poena corporali, supplicavitque pro dispensatione ab irregularitate; sed Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1782 rescripsit: – Lectum –. Renovavit exinde preces Sacerdos, eique favit Episcopus, ob constantem vitae emendationem, ob Sacerdotum deficientiam in eius Parochia, et ob lapsum viginti annorum, quin scandalum in Populo oriri posset. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Mutinen. Irregularitatis die 28 Februarii 1795.*

186. Quin imo indulgetur ei, qui casualiter homicidium patravit, dispensatio ab ir-

regularitate elapsis decem et octo annis a die criminis commissi, cum Parti et Fisco satisfecerit, se bonis spectatisque moribus ostendat, ac eidem Episcopus faveat, licet nec necessitas aut utilitas adesse videatur *in Urbevetana Irregularitatis die 20 Martii 1790.*

187. Siquidem igniario elato, Ficulli nemus venandi causa ingressus fuit anno 1772 Thomas Brocchetti e Villa S. Christophori annum agens vigesimum secundum, ac inopinato igneae balistae ictu Angelum Francisci interfecit. In contumaciam hac de re ad quinquennem triremem damnatus, Fiscum elapso quinquennio Partemque composuit, et in libertatem rediit. Integram deinde inter Tertiarios Patrum Conventualium et Canonicorum Regularium SS. Salvatoris per decennium duxit vitam, pieque demum in Castro vivebat Fabri. Post octodecim annos dispensationem postulavit ab irregularitate. Episcopus ei favit, cum homicidium casualiter commissum censeret, licet nec necessitas aut utilitas urgeret, ex eo quod in Terra Ficulli aderant viginti duo Sacerdotes, moram tamen trahebat Orator in dicto Castro Fabri et bonis spectatisque moribus se ostendebat. Redargui poterat Orator, quod igniarium non demiserit, cum periculis plenum ingressus fuerit nemus; sed id imperitus iuvenis non fecit, quod provecti dumtaxat venatores solent. Proposito itaque dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative - *in Urbevetana Irregularitatis die 20 Martii 1790.*

188. Hinc et Sacerdos sclopo armatus amicum inter iocosa verba occidens, nonnisi post octo supra decem annorum lapsum a die criminis commissi dispensationem ab irregularitate per Breve assequi valuit *in Civitaten. die 11 Martii 1786.*

189. Iamvero Sacerdos Antonius Giva ex Oppido de Colangianos die 22 decembris anni 1768 sclopo armatus cum iocosa quaedam protulisset verba adversus Dominicum Mossam Sardum, similiter et iste subridens consedisset in quodam cacumine seu eminenti loco ad confinia dicti Oppidi, ex quo per ludibrium seu scurrilem iocum nates ostendit praedicto Sacerdoti, qui longe aberat passibus centum quinquaginta, amicum quodammodo provocans in haec verba: - En scopum, si vis explodere -; cumque alia subsequuta essent dicta, praefatus Sardus denudatas nates exhibuit, quo inspecto, dictus Sacerdos sclopum, quem versus illum paratum habebat, explosit, pilaque plumbea mortale vulnus inflixit praedicto Sardo, qui sequenti die ab humanis excessit. Compilato processu, Giva declaratus fuit per sententiam reus homicidii et irregularis, poenaque detrusionis in Collegio Scholarum Piarum atque exilii a Diaecesi ad quinquennium per Curiam Episcopalem mulctatus fuit. Supplicavit pro dispensatione; sed frustra: preces dein renovavit. Episcopus testatus est de compositione Partis et Fisci deque bonis moribus Oratoris tum ante, tum et magis post patratum crimen, eumdemque post adeo longum tempus graves labores et incommoda tulisse ad egestatem, dignum adeoque gratia existimavit, ex eo etiam quod homicidium casuale appellavit, attentis amicitia inter eum et occisum, nec non distantia pedum 585, qua posita, verisimilis erat in occisore persuasio, explosionem in irritum fore cessuram. His itaque perpensis, proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative per Breve - *in Civitaten. die 11 Marti 1786.*

190. Idcirco Sacerdos, qui licet homicidium patrasse absque dolo videretur, pluries reiectus, quin etiam preces amplius recipi deberent, tandem elapsis septemdecim annis a die patrati criminis, attentis peculiaribus circumstantiis, dispensationem ab irregularitate obtinuit *in Marsicana Dispensationis ab irregularitate die 30 Augusti 1776 die 18 Iulii 1778 die 30 Augusti 1788 et die 15 Maii 1790.*

191. Iamvero suis ruri vacans rebus, igneam anno 1773 explosit ballistam Sacerdos Ianuarius de Rosa in alienum Custodem bovum, qui praedium depascebant, ut eum terreret: at plumbeis ille globulis vulneratus, uno de viginti die decessit. Curia Sacerdotem post annum carceris ad bienne exilium damnavit. Expleta poena, dispensationem ab irregularitate postulavit; sed Sacra Congregatio eum reiecit die 30 augusti 1776 per

Rescriptum: – Lectum –. Iterum post biennium pro ea supplicavit; sed Sacra Congregatio die 18 iulii 1778 rescripsit: – Lectum, et preces amplius non recipiantur –. Tertio ex Rescripto Summi Pontificis EE. PP. clementiam imploravit, cum Episcopus testaretur, quod in patrato crimine dolus abfuisset, culpa non defuisset, quod – Mater orphani praemortui in arenam descendere, ut damno et iniuria resarciretur, licet requisita, expresse renuit–, quodque–de bona vita bonisque moribus (Oratoris) ex attestationibus R. Cleri praedictae Terrae (Viggiani) et Universitatis eiusdem clare patet –. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 augusti 1788 responsum dedit: – Negative –. Quarto gratiam Orator efflagitavit, eique favebant Episcopus Administratores dictae Terrae Parochus et Capellani SS. Petri et Pauli eiusdem Oppidi, testantes de extrema illius paupertate ac de necessitate eiusdem, ut Sacramenta numerosis loci animabus sex millium administrari possent. Insuper a die patrati criminis lapsi erant septemdecim anni. His itaque perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Attentis peculiaribus circumstantiis, recedendum a decisis – *in Marsicana Dispensationis ab irregularitate die 15 Maii 1790.*

192. Quando enim abfuerit animus occidendi, licet mors evenerit, post lapsum sexdecim annorum indulgetur dispensatio Sacerdoti, qui acta poenitentiae egit *in Bracharen. Irregularitatis die 3 Aprilis 1756.*

193. Enimvero ab irreverentia Ludovici Fernandez Chaminkeiri, qui in villa cuiusdam nobilis viri exequutionem fecerat, commotus Sacerdos Emmanuel Dantas, Praefectus domo eiusdem nobilis, Servis suis praecepit, ut Ludovicum fustibus caederent, et ipse eumdem vapulabat, tenuit, ne fugeret. Post octo dies obiit Ludovicus a fustium contusione. Instructo a Curia Archiepiscopali processu, damnatus fuit Emmanuel, ut a Sacrorum ministerio abstineret, ut pro anima defuncti centum Sacra fieri curaret, ut certam pecuniae vim et heredibus defuncti et Fisco persolveret, ut demum certo tempore a Diaecesi abesset. Mandata Iudicis implevit Emmanuel, et post sexdecim annorum lapsum rursus dispensationem postulavit, cum res non esset de homicidio voluntario, sed de casuali, ex eo quod abfuerat animus occidendi, licet inde mors evenerit. His hinc perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Bracharen. Irregularitatis die 3 Aprilis 1756.*

194. Quin imo post etiam quatuordecim annorum poenitentiam indulgetur dispensatio ab irregularitate Parocho, qui praeter intentionem vulnus in rixa intulerat suo Parochiano, ex quo post quatuor dies hic obiit, dimissa tamen vel permutata prius Parochia cum alio Beneficio non curato, et dummodo non celebret in loco commissi delicti *in Virdunen. Dispensationis ab irregularitate die 2 Augusti 1760.*

195. Siquidem Sacerdos Ioannes Baptista Herbellet Rector parochialis Ecclesiae de Theil in Gallia die 7 septembris 1746 percussit lethali vulnere in oculo Iacobum Barrè parochianum suum, qui post quatuor dies occubuit. Querelam occisi Uxor detulit ad Iudicem laicum: is, auditis Testibus, iussit Reum apprehendi; sed occisor patrati criminis veniam a Galliarum Rege impetravit. Pluries Ioannes Baptista dispensationem, adiunctis etiam precibus Vicarii Generalis Vicarii Capitularis et Decani Parochorum, postulavit, sed instantiae fuerunt semper reiectae. Nam ex Testibus coram Iudice examinatis evincebatur, quod Orator aegro ferens animo vulnus mane inflictum Patri suo a quodam Famulo Iacobo et iniurias ab eo eiusque familia iampridem acceptas, cum sero domum rediret, occurrentem sibi eumdem Iacobum conviciis primum corripuit, mox, orta rixa, illum non quidem ex industria et homicidii animo, sed praeter eius intentionem lethali vulnere in oculo percussit. Tandem vero post longam quatuordecim annorum poenitentiam et moderni Episcopi commendationem, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo super dispensatione ab asserta irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative post dimissam vel permutatam Parochiam cum alio Bene-

ficio non curato, et dummodo non celebret in loco commissi delicti; et amplius – *in Virdunen. Dispensationis ab irregularitate die 2 Augusti 1760.*

196. Hinc et Primicerius Cathedralis Ecclesiae, qui una simul cum Leviro in rixa hominem ita percussit ac vulneravit, ut post paucas horas is decesserit, nonnisi post lapsum duodecim annorum a die criminis, concurrentibus precibus Universitatis Populi et ipsius Episcopi ob eius probitatem mores et doctrinam, dispensationem ab irregularitate assequi valuit *in Termularum Dispensationis ab irregularitate die 30 Maii 1778 die 18 Septembris 1779 et die 29 Aprilis 1780.*

197. Enimvero die 4 decembris 1768 Sacerdos Ioannes de Alexandro Primicerius Ecclesiae Cathedralis Termularum una cum Notario Constantino Quici eius leviro et cum Operariis accessit ad suas frumentarias foveas, ad effectum frumentum ex iisdem foveis extrahendi et alibi transvehendi: verbalis contentio, cui facta successerunt, exorta fuit inter Nicolaum Bevilacqua unum ex Operariis et Notarium Quici, qui lignea virga, quam prae manibus habebat, eum graviter verberavit; superaccedente vero Primicerio et e manibus alterius ex Operariis arrepto instrumento ligneo nuncupato *Pala,* is etiam Nicolaum verberibus affecit, quorum unum, et in actu illius vibrationis se incurvescente Nicolao, caput eius percussit et vulneravit. E loco discessit Nicolaus suamque domum repetiit, ac per ipsum exposita in Curia laicali Termularum querela contra Notarium Quici, iure sibi reservato eam pariter exponendi contra Primicerium in Curia ecclesiastica, post paucas horas decessit. Primicerius die 17 augusti 1770 ab Curia ecclesiastica damnatus fuit in poenam detentionis per septennium in Conventu Patrum Minorum Reformatorum S. Francisci. Elapso subinde septennio pro dispensatione ab irregularitate supplicavit; sed die 30 maii 1778 Sacra Congregatio rescripsit: – Lectum, et preces amplius non recipiantur –. Primicerius tamen preces enixius iteravit, cum probationes, pro declarando ipso homicidii reo, incertae essent ambiguae et contradictoriae, ex eo quod etiam Notarius percussiones Nicolao intulerant. Communitas et Populus Primicerium summopere laudabant ac instabant, ut absolveretur ab irregularitate, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae mandatum agendi contra eum revocavit. Reproposito interim dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 septembris 1779 respondit: – Dilata et scribatur Emo Archiepiscopo Beneventano iuxta mentem –. Mens autem fuit, ut Emus Archiepiscopus inquirere ac referre Sacrae Congregationi deberet, utrum instantiae promotae nomine Communitatis favore Primicerii Cathedralis Ecclesiae Termularum veritati nitantur sintque legitimae, et an homicidium Nicolai Bevilacqua ex culpa potius Constantini Quici, quam ex ictibus ab eodem Primicerio inflictis evenerit. Mandatis satisfecit Emus Archiepiscopus. Universitas et Populus rursus institit pro gratia Primicerio concedenda. Episcopus Termularum commendans doctrinam probitatem et mores eiusdem et ipse pro eo dispensationis gratiam postulavit, qua eum dignum iam Emus Archiepiscopus Beneventanus renunciaverat. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate – *in Termularum Dispensationis ab irregularitate die 29 Aprilis 1780.*

198. Idcirco Parocho, qui baculo crassitiei unius pollicis Aurigam percussit, et hanc ob causam is post paucos dies e vivis excessisse videbatur, Sacra Congregatio post etiam novem annorum lapsum a die criminis ac vitae emendationem dispensationem ab irregularitate indulsit *in Agrien. Irregularitatis die 31 Martii 1770.*

199. Siquidem post meridiem diei 8 decembris 1761 Sacerdos Ioseph Redei Parochus Ecclesiae Szihalmensis impatiens morae, qua Auriga currum instruebat, nodoso arrepto baculo crassitiei unius circiter pollicis ad stabulum venit, et Aurigam bis in capite ac etiam in latere dextero percussit. Auriga instructo curru, dominum perduxit ad diversorium Sofreviense dimidium circiter horae dissitum, et modico temporis spatio domum rediit. Sequentibus duobus diebus solita sua Officia, sed aliquantulum remissius obivit, mox

vero in lectum se recepit, ac Parochum mortis suae auctorem ad extremum usque renuncians, post paucos dies e vivis excessit. Curia ecclesiastica, pluribus examinatis Testibus, Parochum tamquam probabilissime auctorem mortis Aurigae irregularem declaravit, ac in Monasterium detrusum Beneficio Parochiali privavit. Subinde is saepius frustra dispensationem petiit: tandem, elapso spatio novem annorum a die criminis, preces renovavit aiens, in corpore defuncti vix parvos vibices sive livores repertos fuisse, hos nunquam causare potuisse mortem, quae referri debebat ad malam Aurigae valetudinem, vel ad superventum morbum, attenta praesertim qualitate baculi non excedentis crassitiem unius pollicis. Addidit, debitam iam et diuturnam luisse poenam culpae, constantis suae vitae emendationem certa argumenta dedisse, antea fructum in vinea Domini edidisse, ipsumque Episcopum preces iterasse pro dispensatione, ne Ecclesia Dei tam utili destitueretur Operario. Proposito hinc dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Agrien. Irregularitatis die 31 Martii 1770.*

200. Hinc ter quidem negavit, sed inde Sacra Congregatio dispensationem ab irregularitate per Breve post lapsum novem annorum a die commissi criminis concessit adolescenti, qui rixae et homicidio interfuit, quin tamen ipsius auctor et praecipuus reus extitisset, quique Fisco satisfecit veniam a Parentibus occisi obtinuit, ac optima morum constantisque emendationis testimonia exhibuit *in Pampilonen. die 9 Aprilis 1785.*

201. Iamvero sub die 28 aprilis 1776 in Oppido Ayequi, quo studiorum causa plurimi conveniebant, orta fuit vespere inter adolescentes Regni Navarrae et adolescentes Regni Castellae gravis iniuriarum provocatio. Interea Clericus Romanus de Azqueta Orator in Oppidum regressus ab Estellae proxima Civitate, quo cum alio scholastico itineris socio perrexerat, iniunxit se Navarris suis, et sole occiduo redintegratum est saxis fustibusque cum Castellanis adolescentibus bellum veluti civile, quod supervenientes Apparitores dissiparunt. Sed multa inde nocte cum novum invicem commisissent certamen, Andreas Viarra ex Castellanis adolescentibus, qui erat ense armatus, cecidit humi: illius ensem continuo occupavit adversarius Gregorius de Salanveta ex Oratoris sociis, lethalique vulnere Andream percussit, ex quo mortem obivit. Confecto processu, Praetor Gregorium homicidii reum sexennali relegatione in Africae partes ac successivo quadriennii exilio damnavit, eiusque socios, quos inter Oratorem, exilio ad sexennium a Regno Navarrae. Orator, qui ab anno 1777 Romam venerat, anno 1781 dispensationem postulavit, ut posset ad Ordines promoveri. Episcopus retulit: - Haec est EE. PP. totius criminalis processus summa, ex qua dictum Romanum de Azqueta rixae et homicidio interfuisse quidem, sed ipsius auctorem et praecipuum reum non fuisse, et Regio Fisco satisfecisse videtur; quibus addendum existimo, Andreae de Viarra defuncti Parentes suo iuri sponte cessisse –. Sacra Congregatio tamen die 23 februarii 11 maii et 23 novembris 1782 preces Oratoris reiecit. Novis inde precibus adstitit, exhibens optima morum constantisque emendationis testimonia, nec non binas commendationes ab Hispaniarum Regis Oratore eius favore exaratas anno 1782 et 1784. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, ut possit Orator promoveri in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative per Breve – *in Pampilonen. die 9 Aprilis 1785.*

202. Qua de re Diaconus, qui in rixa fuit et Fratrem e manibus Satellitum exemit, quin tamen Fratrem ad patrandum homicidium instigasse videretur, expleto sexennio a die commissi criminis, atque attentis vitae morumque emendatione, gratia Principis et Partis conciliatione, dispensationem ab irregularitate assequutus est *in Squillacen. Irregularitatis die 30 Iunii 1804.*

203. Enimvero dum sex ab illinc annis Parochus Oppidi Galeati rem sacram faciens concionem Populo habebat, rumor in Ecclesia concitatus est, dum nonnulli armati Satellites Ecclesiam ingressi manus iniecerunt supra Gregorium Ghareri, ut illum secum abducerent. Diaconus Petrus Ghareri, Gregorii frater, statim accurrit, et facto impetu Fratrem suum e manibus capientium exemit. Sed tum

supervenit Dominicus Pelaggi ballista ignea armatus, et denuo concitata rixa se convertit in Gregorium, qui ictu parvi sclopi Pelaggium interfecit. Uterque frater, in carcerem detrusus et accusatus de homicidio, subiectus fuit criminalibus quaestionibus. Sed Gregorius inter vincula ultimum vidit diem, et Diaconus Petrus ex Regio indulto a iudicio fiscali liberatus est et in patriam revocatus. Supplicavit itaque pro dispensatione ab irregularitate, quatenus ab eo incursa fuerit. Vicarius Capilaris putavit, quod homicidium a Gregorio commissum fuerit, minime instigante Diacono Petro; ac retulit, Diaconum bonis moribus et fama praeditum signa emendationis dedisse, Fiscum declarasse, se nullam partem habere, et inter familias Ghareri et Pelaggi odia a duobus annis cessisse, et aversiones omnesque causas inimicitiae mutuo eorum tractatu sublatas esse, et praesenti tempore pacifice inter se agi atque versari, quin compositio pecuniaria locum habere posset, quum ea ex usu execrabilis, utpote pretium sanguinis, censeretur. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Squillacen. Irregularitatis die 30 Iunii 1804.*

204. Unde Acolythus, qui necessariam haud adhibens diligentiam in perscrutanda ignea ballista, impleta nec ne esset pulvere tormentario plumbeisque globulis, priusquam de ea periculum faceret, inopinata eiusdem explosione Ancillulam vulneraverat, et Puerum interfecerat, attentis lapsu sexennii a patrato homicidio bonis eius moribus ac necessitate Ecclesiae loci, dispensationem ab irregularitate obtinuit *in Lucerina Irregularitatis die 21 Ianuarii 1797.*

205. Iamvero ut causa salutis venatum iret, mutuo accepit accolythus Vincentius Radago ab eius amico igneam ballistam, illius assertione vacuam: sed dum ei mense decembris 1790 ad suae domus fenestram deficiens aptabat igniarium, inopinata eiusdem ballistae explosione vulneravit in opposito solario Ancillulam Medici Ioannis Baptistae Perrone eiusque filiolum annorum quatuor Franciscum Antonium, quorum altera post nonnullos dies convaluit, alter occubuit. Per sententiam idcirco Lucerinae Curiae Episcopalis pulsus fuit triennii exilio ab Oppido Apricenae eius patria et loco delicti, atque expleta poena, supplicavit pro dispensatione ab irregularitate. Episcopus retulit, Oratorem bonis esse moribus praeditum, et Ecclesiam Apricenae Sacerdotibus indigere, adeoque gratia dispensationis dignum censuit. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Lucerina Irregularitatis die 21 Ianuarii 1797.*

206. Quum itaque, ob timorem a Sacerdote Vincentio Maurelli mulieri Rosariae Carino incussum, haec in abortum incidisse videretur, licet ipsa postea fassa fuerit, huiusmodi causam abortioni haud praebuisse, Sacra Congregatio dispensationem ipsi denegavit die 28 septembris 1771, sed inde attentis poenitentia per plures annos peracta certisque aedificationis et constantis emendationis signis nec non commendatione Archiepiscopi, qui de ipsius pietate bonisque moribus testabatur, ac ob eiusdem paupertatem illius favore dispensationem implorabat, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Sancti Marci Irregularitatis die 28 Augusti 1773* (1).

207. Hinc dum Clericus venationi prohibitae vacans et armis imperitus casuale patraverit homicidium, elapso quinquennio a die commissi criminis, attentis egregiis ingenii dotibus paucitate Operariorum atque Episcopi voto, dispensationem ab irregularitate obtinuit *in Cadurcen. Dispensationis ab irregularitate die 16 Maii 1789.*

208. Iamvero armorum imperitus prohibitaeque autumnalibus feriis anni 1784 vacans Perdicum venationi, materni praedii stabulum petiit Clericus Ioannes Franciscus Valriviere, ut quiesceret. Carrum ibi reficiebat Faber eius Parentibus addictus. Aliquantulum se Clericus inflexit, ut ei salutem fer-

(1) Species ac reliqua ad rem facientia prostant in Verb. *Abortus*, n. 4 ad 7, Tom. I.

ret; sed igneam prae manibus habens ballistam, repentino illius ictu exanimatus cecidit Faber, et urbanitatis officia conversa fuerunt in luctum. Diu infelicem deploravit casum; sed de ecclesiastico solicitus statu, dispensationem ab irregularitate anno 1788 efflagitavit. Episcopus retulit, homicidium fuisse casuale atque Oratorem in eo dumtaxat fuisse inculpandum, quod insuetus et imperitus arma tractaret atque venationi Clericis prohibitae vacaret; ipsum per compositionem satisfecisse Parti et Fisco, sanae esse doctrinae et pollere egregiis ingenii dotibus, quae magnam spem offerebant, ipsum futurum esse perutilem Ecclesiae Ministrum atque etiam necessarium, si spectaretur Operariorum paucitas et temporum iniuria, bonisque moribus esse ornatum, gratia dignum propterea censuit, cum nec citatus esset pro dicto homicidio, nullaque sententia prolata, nec ideo canonicam egisset poenitentiam. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Cadurcen. Dispensationis ab irregularitate die 16 Maii 1789.*

209. Quum igitur Puer decimum tertium annum agens Clericum in aetate quatuordecim annorum constitutum in rixa occiderit, elapsis quinque annis a die criminis commissi absolutionem et dispensationem ab irregularitate obtinuit, constito tamen de satisfactione Fisci *in Brugnaten. Irregularitatis die 6 Maii 1786* (1).

210. Qua de re Clericus, qui non malo animo nec ab iracundia ductus hominem facinorosum, in quem praemium erat talionis, occidit, elapsis quatuor annis a die patrati criminis, cum Ecclesiae utilis foret ex ipsius Episcopi testimonio, dispensationem ab irregularitate obtinuit *in Brictinorien. Irregularitatis die 24 Novembris 1792.*

211. Siquidem dum ad facinorosos arcendos exules excubabat anno 1788 urbanus miles et clericus Lazarus Gori in Villa S. Ioannis in Galilaea, iubente Duce eius patruo, igneam illi nocturno tempore in eum sine effectu exploserunt ballistam. Idem ipse cum effectu non malo animo, nec ab iracundia ductus, sed trepidans fecit, ac lethale inter tres aggressores intulit vulnus famoso Sancti Garelli inter malos pessimo, in quem praemium erat talionis: eoque paullo post defuncto, nedum damnatus non fuit, sed oblationem etiam accepit praemii, quod constanti animo recusavit. In aetate inde annorum viginti quatuor dispensationem postulavit, ut ad Sacerdotium ascenderet, eique favit Episcopus, cum Ecclesiae utilem censeret. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Brictinorien. Irregularitatis die 24 Novembris 1792.*

212. Idcirco indulgetur dispensatio ab irregularitate Clerico, qui accusatus de homicidio per insidias patrato primum dimissionem e carceribus cum praecepto de se repraesentando, ac dein absolutionem, uti repertus inculpabilis, obtinuit, ex eo quod is praeter morum honestatem et vitae emendationem utilis ac necessarius Ecclesiae Parochiali loci ob inopiam Sacerdotum censeatur, iamque elapsi sint undecim anni a sequuto homicidio *in Feretrana Irregularitatis die 5 Aprilis et die 22 Novembris 1794.*

213. Siquidem per insidias occisus fuit anno 1782 in Civitate S. Marini Clericus Virgilius Lolli, quin criminis auctor innotuisset. Homicidium tamen ex pluribus indiciis Patricio illius Reipublicae nonnulli imputabant, alii Clericum Iosephum Belzoppi familiarem eius amicum aut complicem aut saltem conscium suspicabantur. Hunc igitur in carcerem detrusum, ob defectum probationum, post annum circiter Fiscus dimisit, – praestita fideiussione de se repraesentando –; atque hoc tandem deleto praecepto, mense augusti 1793 eumdem a fideiussione liberavit, – tamquam non repertum culpabilem –. Reportato Partis etiam consensu, Belzoppius pro dispensatione ab irregularitate, quatenus in eam incidisset, supplicavit, ut in adulta quadraginta trium annorum aetate sacris Ordinibus initiaretur. His de precibus Episcopus decernendum reliquit ex relatione Archipresbiteri S. Marini, qui testabatur, Oratorem honestis probisque moribus esse praeditum, utilem ac necessa-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 31 et 32, Tom. I.

rium fore ob inopiam Sacerdotum. Obstare tamen videbatur infamia iuris, cum Orator absolutus non fuisset ex capite innocentiae, nec non infamia facti, quae tamen tollitur absque dispensatione per eam vitae emendationem, quae maculas priores non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, ita ut sinistrae famae successerit bona existimatio in casu praesertim, ubi praeter morum honestatem ac vitae emendationem elapsi erant undecim anni a sequuto homicidio. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 aprilis 1794 responsum tulit: – Affirmative –. Exequi tamen renuit Episcopus Apostolicum dispensationis Breve veluti subreptitium et obreptitium; sed Orator sustinuit, Apostolicum Breve subreptitium dici non posse, ob non expressam ab eius extensore dimissionem e carceribus cum praecepto de se repraesentando, et successivam absolutionem ob non repertum culpabilem, dum utramque ipse exposuerat circumstantiam in precibus ad Summum Pontificem et penes Sacram Congregationem. Reliqua etiam, quae quoad mores et vestes clericales in ipsum obiiciebat Episcopus, refutare studuit Orator. Proposito itaque dubio: – An sit exequendum Breve Apostolicum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit. – Affirmative, exhibitis tamen Episcopo documentis, de quibus in novis precibus – *in Feretrana Irregularitatis die 22 Novembris 1794.*

214. Unde indulgetur iuveni, qui casuale haud tamen inculpatum homicidium patravit, dispensatio ab irregularitate ad effectum amplectendi statum ecclesiasticum, cum constans sit illius pietas ac Diaecesis Sacerdotibus indigeat *in Calaritana Irregularitatis die 19 Ianuarii 1793.*

215. Siquidem quum ad paternum iturus agrum e domo descenderet Aloisius Azzeni die 25 maii 1785 per fortuitam igneae ballistae, quam humeris gestabat, explosionem lethale inflixit vulnus domesticae Ancillae, ex quo paullo post infelix Mulier occubuit. Ita ex processu laicae Curiae Oppidi Sinai, et sententia absolutoria a culpa et poena. Aliter vero rem narrarunt Testes Archiepiscopo Calaritano, quod manibus nempe gestans ballistam, eam Aloisius, per iocum ad Ancillam direxit, et ad elatum non advertens igniarium per contactum lingulae ictum explosit; idque Aloisius ipse fassus fuit. Dum hoc evenit annum agebat decimum sextum, ecclesiasticum exinde inhians statum, dispensationem petiit, cui Antistes favit; nam constans erat illius pietas, quam bonorum morum exemplum, assidua scholae frequentia, debita erga Superiores reverentia, et crebra Sacramentorum susceptio comprobabant. Accedebat assiduus et quotidie a Diaecesi decrescens Sacerdotum numerus. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Calaritana Irregularitatis die 19 Ianuarii 1793.*

216. Qua de re Sacra Congregatio per duas quidem vices negavit, sed exin concessit dispensationem ei, qui Tonsura insignitus in aetate duodecim annorum in rixa provocatus Puerum interfecerat *in Veliterna Irregularitatis die 28 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

217. Siquidem dum anno 1698 in exigua platea prope Ecclesiam Monialium S. Clarae Civitatis Velitrarum circa secundam noctis horam accensi ignes a Populo inspiciebantur, nonnulli Pueri ad rixam devenerunt, inter quos Franciscus Xaverius de Montibus Orator, tunc annorum duodecim et prima Tonsura insignitus, contentionem habuit cum Petro Paulo Trulla, qui dictum Oratorem variis contumeliis et lapidum ictibus afficiendo, eumdem coegit pro sui defensione, ut ipse iureiurando affirmavit, primo impetu in eum irruere cum parvo cultro ad aptandum calamos inserviente, non quidem ut illum occideret, prout pariter suo iuramento testatus est, sed ad solum timorem incutiendum. Res autem se aliter habuit, cum idem Trulla, obviam se faciens Oratori et insimul pugnando, ex vulnere accepto post aliquot dies interfectus remanserit. Dictus Orator in contumacia damnatus fuit in poenam exilii octo annorum, a qua tamen concordatis Parte et Fisco anno 1700 absolutionem reportavit. Petiit itaque dispensationem: et Ordinarius censuit, exaudiendas esse preces eiusdem, cum Fiscales Testes non convenirent in facto recensendo,

et Orator impuber provocatus fuerit, ac inde laudabilem vixerit vitam, nec non ad philosophiae moralis theologiae iurisque studia operam impendere curaverit. Addidit, ex Oratoris promotione nullum prorsus scandalum oriturum, sed potius Ecclesiae utilitatem ob multa Missarum onera perpetua, quibus Civitas illa affluebat. Sacra Congregatio vero per duas vices instantiam reiecit. Tandem proposito dubio: – An petita dispensatio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Veliterna Irregularitatis die 28 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

218. Hinc licet Sacra Congregatio primum denegaverit, copia tamen processu dein exhibita, dispensationem concessit Clerico, qui casu Mancipium Avunculi occiderat *in Melevitana Dispensationis die 17 Novembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

219. Iamvero – decimum quintum circiter aetatis annum agens Clericus Ioannes Muscat loci Birchircarae huius Diaecesis, cum de anno 1699 quadam die una cum duobus suis germanis fratribus natu minoribus sese contulisset ad domum Sacerdotis Francisci Zummit proprii Avunculi, eodem aliisque de eius familia inde absentibus, parvum apprehendit sclopum in eadem domo fortuito repertum, et non advertens esset nec ne ad ictum aptatus, illum e rubigine detergere cepit in id parte foculi, ex quo ignis scintillat; cumque in id opus incumberet, accidit, ut illuc supervenire eiusdem Avunculi Mancipium nomine Solimanus, quodam gravi pondere in humeris onustus, cui pulsanti ianuam cum alter ex supradictis fratribus ad eam aperiendam occurreret, casus dedit, ut eodem ferme tempore, quo Mancipium introgrediebatur domum, sclopus in eum displosus fuerit, ex quo in capite percussus paulo post infelix Solimanus interiit. Post id factum sponte comparuit praefatus Clericus Ioannes in Curia Episcopali, in qua examini subiectus supra expositam facti seriem iuramento recensuit, quam itidem iureiurando comprobarunt non alii Testes, quam primodicti duo germani fratres natu minores, alter novem, alter vero annorum duodecim circiter, quapropter ab eadem Curia per sententiam latam die 31 ianuarii primodicti anni fuit idem Ioannes biennali exilio e dicto loco Birchircarae mulctatus, a qua tamen poena ex gratia Episcopi fuit restitutus sub die 25 februarii tum subsequentis –. Sacra Congregatio vero die 28 martii 1705 instantiam Ioannis, ut ad ulteriores Ordines promoveri posset, reiecit. Copia tamen processus dein exhibita, proposito dubio: – An dispensatio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Melevitana Dispensationis die 17 Novembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

220. Idcirco Sacra Congregatio, postquam pluries decreverit, non esse concedendam dispensationem Iosepho Martino Nieto ob concomitantiam in homicidio, tandem eam ipsi concessit, cum et idem Ordinarius ea dignum censebat *in Salamantina Irregularitatis die 17 Decembris 1701 die 13 Maii 1702 die 21 Aprilis die 18 Augusti 1703 die 26 Ianuarii et die 19 Aprilis 1704 lib. 51 52 53 et 54 Decretorum.*

221. Enimvero Ioseph Martinus Nieto contendit, se non esse irregularem ob homicidium a quodam Socio eiusdem de anno 1689 patratum. Ordinarius retulit: – Cum dictus Ioseph Martinus quodam vespere certamen privatum habuisset cum Iosepho de Carmona, die sequenti enarravit iniuriam sibi illatam Mathiae de la Concha suo concivi amicitiaque coniunctissimo, ut illum vindicaret; armatique ambo gladiis et sclopetis perrexerunt simul in scholas huius universitatis ad eum quaerendum, ut vindictam sumeret de iniuria; cumque invenisset dictum Iosephum de Carmona statim unus ad alterum aggressi fuerunt, videnque dictus Mathias de la Concha dictum Iosephum Martinum certantem cum dicto Iosepho Carmona a tergo inflixit ei vulnus lethale, ad quod mors cum effectu sequuta fuit –, et postea subdens, factum hoc constare per publicam vocem et famam, conclusit, Oratorem esse irregularem ob concomitantiam in homicidio voluntario, et propterea renuisse illum sacris Ordinibus insignire. Sacra Congregatio die 17 decembris 1701 respondit: – Oratorem esse irregularem, et non esse dispensandum; – et iterum die 13 maii 1702: – In decisis, et amplius –, ac inde die 21 aprilis 1703: – In decretis –. Inde Orator sub fundamento, quod in dictis propositionibus nullae fuerint al-

latae rationes ad iurium defensionem, exhibuit quamdam consultationem trium Doctorum Universitatis Salamantinae, qui censebant, dictum Oratorem non incurrisse irregularitatem, et in omnem casum esse dispensandum. Propositis interim dubiis: – I. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi cum retentione Beneficii in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 augusti 1703 respondit: – Ordinario pro meliori informatione –. Ordinarius, se remittens ad primam relationem, censuit Oratorem petita dispensatione dignum, cum nec ipse interfecerit, neque ex actibus recensitis homicidium appareret voluntarium. Repropositis vero dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 26 Ianuarii 1704 respondit: – ad primum, Affirmative –. Ad secundum, Negative; et amplius –. Impetrata autem per Oratorem nova audientia, iura noviter protulit. Repropositis hinc dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, Oratorem in irregularitatem incidisse, respondit: – Recedendum a decisis, et pro absolutione – *in Salamantina irregularitatis die 19 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

222. Unde Canonicus mitis aliunde et lenis bonisque moribus imbutus, qui subita ira arreptus in Puerum nepotem fere incorregibilem fugientem ferreum batillum proiecerat, cuius ictu statim hic occubuerat, dispensationem ab irregularitate obtinuit, imposita tamen aliqua salutari poenitentia arbitrio Episcopi *in Abellinen. Irregularitatis die 21 Ianuarii 1809.*

223. Iamvero Sacerdos Canonicus Thomas Parziale, defuncto fratre suo, domi recepit Nepotem ex eo Sabinum Parziale. De eius educatione sollicitus a Ludimagistro cum accepisset, Puerum illum a Sodalibus abductum a bonis moribus divertere et sero domi se recipere, Patruus eum saepe commonuit, sed die 3 novembris 1807 puer Parziale minime audiens longe post meridiem domum rediens increpatus acriter a Patruo in fugam se coniecit, et Sacerdos Parziale subita ira arreptus ferreum batillum in eum fugientem proiecit, quo ictu percussus Puer ad laevam partem capitis illico occubuit. Dolore enectus Sacerdos Parziale se ipsum sponte detulit Curiae Episcopali, eoque in carcerem detruso, audito Promotore Fiscali et dato consensu a Nicoletta Guerrieri matre defuncti, die 22 iunii 1808 latum est Decretum in Curia Episcopali, – quod carcer passus per Canonicum Thomam Parziale cedat in poenam, verum ad exemplum aliorum exequatur sequens appuntamentum (1). Postquam omnia implevit Sacerdos Parziale, et e domo Religiosa egressus est, summopere dolens dispensationem ab irregularitate postulavit. Episcopus testatus est, Presbiterum Parziale – mitem aliunde esse ac lenem, nunquam alias ad hanc Episcopalem Curiam de quocumque vel minimo crimine delatum, quin immo bonis semper vita fama et moribus, ac proinde pro audiendis confessionibus utriusque sexus adprobatum –. Hinc censuit – Oratorem dignum, qui possit ab irregularitate, si quam pro hoc involuntario et casuali contraxit reatu, absolvi et dispensari –. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, imposita aliqua poenitentia arbitrio Episcopi – *in Abellinen. Irregularitatis die 21 Ianuarii 1809.*

224. Indulgetur itaque dispensatio ab irregularitate et rehabilitatio ad exercitium Presbiteratus, si quis bonus ceteroquin imbutus moribus homicidium casuale patraverit, ac illegitime dispensatus subreptitie dimissorias, ut promoveretur ad Sacerdotium, obtinuerit, Sacrumque nonnullis mensibus fecerit *in Nolana Irregularitatis die 24 Ianuarii 1795.*

225. Enimvero dum Diaconus Petrus Sperandeo, spiritualibus peractis exercitiis, promovendus erat ad Presbiteratum, surdam Anum alta inutilique voce monitam confregit interemitque cisio, cuius concitatos equos

(1) Scilicet – Si è appuntato, che il R. Tomasso Canonico Parziale sia tenuto per lo spazio di mesi cinque dá cominciare a decorrere dal giorno del presente Decreto in una Casa religiosa destinanda da Monsignor Vescovo con fare constare a questa Curia Vescovile la sua esistenza in ogni fine di mese con valido documento di quel Superiore locale, e ciò attenta anche l'età avanzata di esso Canonico Parziale –.

continere non potuit. Eum idcirco ab ordinatione reiecit Nolanus Episcopus: sed cum homicidium censeretur casuale, fuit a Vicario Capitulari per absolutoriam sententiam in forma liberatus ita tamen, ut ad cautelam dispensationem ab irregularitate a Summo Pontifice vel ab alio facultatem habente obtineret, qua mox mense decembris, eiusdem anni 1793 obtenta a quodam Presbitero, qui huiusmodi facultatem dispensandi iactabat, facultatem impetravit ab Sacra Congregatione Vicario Capitulari concedendi Dimissorias pro eius promotione ad Presbiteratum cum assueta clausula, - dummodo ab Ordinario praedecessore non fuerit reiectus -, nulla tamen facta homicidii, reiectionis Episcopi, et dispensationis mentione; atque ita ascendit ad Sacerdotium, Sacrumque nonnullis mensibus fecit. Conscientiae vero stimulis exagitatus, imploravit Apostolicam dispensationem et rehabilitationem ad exercitium Presbiteratus. Vicarius Capitularis retulit: - Quoad mores vero et vitam, nullam Orator patitur exceptionem. Semper enim bene se gessit, nulloque, si hoc excipiatur homicidium, vel levi crimine suam famam maculavit, nullumque de se unquam scandalum praebuit -. Proposito itaque dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione et rehabilitatione in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Nolana Irregularitatis die 24 Ianuarii 1795.*

226. Idcirco indulgetur Sacerdoti dispensatio ab irregularitate, quum ab ipsa Parte querelante et ab ecclesiastica Curia homicidium in rixa commissum fuerit declaratum casuale et involuntarium, quin etiam constet, quod is reapse illud patraverit *in Aquilana Irregularitatis die 15 Maii 1790.*

227. Enimvero ad sedandum Virum, qui nocturnas inter tenebras die 9 decembris 1787 cum Sacerdote Nicolao de Stephano eius fratre de re domestica rixabatur, pugnae se immiscuit uxor et fratria Theresia, et sive ab uno, sive ab altero inconsiderate impulsa graviterque in occipite ad mensulae cuspidem contusa, post triduum occubuit. Ab ipso defunctae Mulieris Patre querelante et ab ecclesiastica Curia declaratum fuit homicidium casuale et involuntarium, hinc libere dimissus est mense iulio 1789 Sacerdos Nicolaus, qui exinde pro dispensatione ab irregularitate exoravit, quatenus in eam incidisset. Unde Populus ipsae Terrae Cambiani, ubi commissum fuit homicidium, dispensationem postulabat. Nam rixae auctor fuit Oratoris frater, nec certo affirmari valebat, unum potius, vel alterum infelicem mulierem impulisse. His igitur perpensis, proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative - *in Aquilana Irregularitatis die 15 Maii 1790.*

228. Quum itaque die 13 ianuarii 1725 Franciscus Maria Sigue Canonicus Turritanus tanta violentia et impetu irruit in Sacerdotem Ioannem Andream Sacaioni Officialem rationarium Cathedralis Ecclesiae, ut eum in humum in publico atrio Ecclesiae coram pluribus personis proiecerit, idemque aliquo temporis spatio sanguinem ex ore expuens veluti exanimis permanserit, Sacra Congregatio, relata causa inter summaria precum, die 22 septembris 1725 mandavit, - quod Vicarius, quatenus opus esset, auctoritate etiam eiusdem Sacrae Congregationis declararet Canonicum Franciscum Mariam Sigue excommunicatum et ab omnibus evitandum nec non irregularem et ad mentem, quae fuit, ut scriberetur Vicario, quod quatenus instaret pro absolutione, eum absolveret ab excommunicatione, satisfactis Parte et Fisco -; sed praedictus Canonicus ad Urbem inde accessit et institit pro descriptione Causae in folio, hinc proposito dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis 22 septembris 1725? -, Sacra Congregatio respondit: - Incurrisse in censuram et esse irregularem, et datur facultas Vicario Generali absolvendi et dispensandi, attenta remissione Partis, et ad mentem - *In Turritana die 30 Martii 1726.*

229. Similiter indulgetur dispensatio ab irregularitate Clerico bonis imbuto moribus, qui in iocosa rixa fratrem vulneravit, ex quo hic paulo post obiit, sed Medicus et Chirurgus testantur, vulnus non fuisse lethale, sed mortem contigisse ex alia causa *in Guatimalana Irregularitatis die 14 Maii 1729 et die 22 martii 1732.*

230. Siquidem Clericus Antonius de Gagiga die 1 februarii 1721 nonnullis verbis per

iocum prolatis a Michaele eius fratre lacessitus, aliis verbis asperioribus istum repulsit; sed impugnato baculo per Michaelem, eoque in iocosa rixa disrupto, praefatus Clericus ensem Patris suscepit, quo fratrem in coxa percussit, paulo post ac vix elapsa hora Michael syncope correptus, ab hac vita migravit. Quocirca constructo processu, examinati fuerunt Testes, quorum duo, nempe Medicus et Chirurgus, qui a principio morbi accesserunt, formiter deposuerunt, vulnus ensis nec profundum fuisse, nec lethale, sed mortem vulnerati contigisse ex superventa syncope producta a morbo stomachi, quo Michael saepe angebatur. Antequam Curia Causam definiret, comparuit communis Pater coram Vicario Generali, protestans de recursu ad S. Sedem pro declaratione, quod Filius incursus non esset in irregularitatem, vel pro dispensatione ad cautelam ad effectum suscipiendi sacros Ordines. Proposito interim dubio: – II. An sit dispensandus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 maii 1729 respondit: – Ad secundum, dilata; et scribatur Episcopo pro informatione et voto, iuxta instructionem –. Datae idcirco fuerunt Literae, quibus praecipiebatur, ut Episcopus significaret primum, quaenam ibi invaluisset firma aut communis opinio de conditione criminis; deinde, an in Sacerdotum penuria versaretur Diaecesis; postremo, quinam essent Antonii mores et ratio vivendi. Episcopus ad primum respondit, existimari communiter rixam fuisse iocosam, nec animo inferendae necis Antonium eo vulnere affecisse fratrem, offensionem in cives haudquaquam emanasse. Ad alterum quaesitum respondit, amplitudinem Diaecesis plurium certe sacrorum Ministrorum operam poscere, quam qui tunc existebant. Denique multis verbis commendavit vitae institutum ac mores clerici Oratoris, qui tunc in secundo supra trigesimum aetatis anno versabatur; ideoque dispensationis gratia dignum censuit. Reproposito hinc dubio sub éadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia – *in Guatimalana Irregularitatis die 22 Martii 1732.*

231. Nam Innocentius III in cap. *Significasti* 2 de homicidio rescripsit: – Si percussio Medicorum iudicio lethalis non fuit, percussor post poenitentiam ad cautelam iniunctam poterit in officio sacerdotali ministrare – *in Aversana Irregularitatis die 2 Augusti 1755* §. *Haec.*

232. Quum igitur non satis constet, an mors ex percussione evenerit, seu potius ex naturali morbo, aut mala affecta valetudine, vel ex neglecta cura, proclivius dispensatio indulgetur *in Tranen. Irregularitatis die 16 Decembris 1769.*

233. Enimvero cum efferretur die 11 octobris 1763 cadaver Petri Bullo de Terra Corati, mulier quaedam Isabella Canullo dictitavit, illum interiisse ex ictibus in sinistrum humerum cum baculo et in ventrem calcibus ei triduo ante illatis a Sacerdote Matthaeo Iacobetti, qui illum reperierat auferentem uvas in eius vinea. Educto dein cadavere ex sepultura, Medici et Chirurgi, eo rite inspecto, retulerunt Curiae Archiepiscopali, nullam subesse causam, cur interitus Petri vel percussioni, vel contusioni, vel aliis huiusmodi causis tribueretur, cum ex sola pectoris percussione contingat, quantumvis raro, ut mors, nullo etiam relicto signo, sequatur. Tres tamen humilis conditionis Mulieres affirmarunt, se vidisse Sacerdotem Iacobetti baculo et calcibus percutientem Petrum Bullo, tres aliae una cum Philippo Petrizelli de ictu tantummodo baculi super humeris deposuerant, ceteri autem omnes de publica solum voce et fama et de auditu ab Isabella Canullo testati fuerunt. His in facto pòsitis, Curia illa Iacobettum irregularem declaravit; eique praecepit, ut per annum in Religiosa domo poenitentiam ageret. Expleto poenitentiae tempore, ex iuribus sibi reservatis contendit, sententiam Curiae aequitati haud consonam fuisse, cum dictae Mulieres depositionem retractaverint, vel eam metu carceris emiserint; constare, Petrum Bullo continuis morbis affectum fuisse, eiusque Parentes illius morbum neglexisse. Itaque constanter negavit crimen, cuius accusabatur. Proposito tamen dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 martii 1768 responsum dedit: – Negative –. At reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 26 martii 1768 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, esse locum dispensationi ab irregu-

laritate – *in Tranen. Irregularitatis die 16 Decembris 1769.*

234. Hinc Sacra Congregatio primum denegavit, dein transacto triennio, concessit dispensationem ab irregularitate Clerico, qui calce percutiens adolescentulum huius mortis causa post sex menses fuisse videbatur, cum ex Medici curantis depositione dubium esset, an mors eiusdem sequuta fuerit ex illato calcis ictu *in Senen. Dispensationis die 28 Augusti 1773 et die 30 Martii 1776.*

235. Siquidem Clericus Ioseph Morandi Senensis, dum erat in aetate annorum octo supra decem et iam minoribus Ordinibus constitutus, cum in eo Sacrario Ecclesiae, cui servitium praestabat, urceolos pro Missis parasset, fuit ab adolescentulo minoris aetatis nedum verbis provocatus, sed etiam calce et alapa percussus: ira Clericus accensus fugientem adolescentulum insequutus est, ut eum pede feriret. Ast eodem tempore et momento, quo Clericus calce ictum vibravit adversus fugientem adolescentulum, iste suum corpus vertit e conspectu Clerici, ex quo evenit, quod calcis ictus, qui posteriorem corporis adolescentuli partem percutere debebat, accidentaliter illius anteriorem et inferiorem percussit, unde adolescentulus post sex menses occubuit. At ex Medici curantis depositione dubium erat, an mors illius sequuta fuerit ex illato ictu, seu potius ex aliis superventis syntomatybus. Pater defuncti pacem dedit Clerico; Fiscus siluit ac censuit, Oratorem uti praeditum bonis moribus esse dispensandum. Sacra Congregatio vero die 28 augusti 1773 rescripsit: – Lectum –. Preces renovavit Orator, quibus adhaesit Archiepiscopus. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, consulendum Sanctissimo pro dispensatione arbitrio Archiepiscopi – *in Senen. Dispensationis die 30 Martii 1776.*

236. Imo licet Sacra Congregatio pluries negaverit, tandem dispensationem concessit Diacono, qui fere fortuito ac leviter quidem vulneravit Puerum, sed hic ex mala vulneris cura, Chirurgi imperitia, ac aeris mutatione post viginti dies occubuit – *in Nullius Corropoli Irregularitatis die 21 Aprilis die 15 Decembris 1703 et die 5 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

237. Siquidem – Ludimagistri munus exercens in Terra Corropolis Diaconus Nicolaus de Ruggeriis, corrigendo quadam die mensis aprilis 1701 discipulum Iosephum Riccium ob defectus commissos in rebus scholasticis, eumque ad locum suum deinde transmittendo, ferulam in ipsum proiecit: at dum Puer ictum evasit, alius discipulus in capite leviter vulneratus remansit, qui ex mala vulneris cura, Chirurgi imperitia, ac aeris mutatione, cum permanentia facta in quadam habitatione campestri, post viginti quinque dies sic vulneratus ex hac vita migravit. Sponte constitutus in Abbatiali Curia Diaconus praedictus, confectus fuit processus, ac stante casualitate delicti et obitu ex causis praemissis sequuto, cum pars concordari noluerit, damnatus extitit dumtaxat in poenam exilii per biennium, quo expleto concordatisque Parte et Fisco, exoptans ad Sacerdotalem dignitatem ascendere, ac oneri suarum Missarum in hebdomada annexo eius Beneficio, quod obtinet, satisfacere, dubitans de incursu in irregularitatem, preces porrexit huic Sacrae Congregationi pro dispensatione ad cautelam, super quibus audito Ordinario recensitam facti seriem confirmante, relataque per duas vices instantia per summarium sub diebus nempe 21 aprilis et 15 decembris anni praeteriti, placuit EE. VV. illam semper reiicere, renovante autem preces Oratore supra praedicto pro gratia dispensationis, ex iuribus plenius per manus EE. VV. circumferendis enixe supplicat declarari: – An indigeat dispensatione? *Et quatenus affirmative.* – II. An sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad utrumque – *in Nullius Corropoli Irregularitatis die 5 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

238. Qua de re primum denegata est dispensatio ab irregularitate Parocho, qui in rixa Consobrinum stylo in baculo incluso vulneraverat, ac is paucos post dies non ex vulnere, sed ex febri obiisse videbatur, sed inde poena inflicta soluta, composito Fisco et Parte, nec non elapso octennio a commisso crimine, ea concessa est, dummodo tamen non celebraret in loco patrati criminis, quatenus iudicio Ordinarii scandalum obvenire

posset *in Iadren. Irregularitatis die 30 Maii 1807 et die 27 Maii 1809.*

239. Enimvero mense septembris 1800 orta rixa inter Consobrinos Presbiterum Simeonem Kakar Parochum Villae *Sale* et Natalem Brumetta, cum ille in calore iracundiae elevasset baculum, ut percuteret Natalem, et hic manu baculum tenuisset, ut percussionem vitaret, Parochus extracto stylo in baculo incluso (solebant enim rustici illius regionis huius generis baculos gestare, quo se a canibus defenderent) in femore dextero Brumetta vulneravit. Statim consenuit ira et consanguinitatis charitas successit, atque rixantes Consobrini osculo pacis complexi inter se Nicolaus veniam dedit Parocho, et hic illum in Civitatem Iadrae traduxit, ut curationem vulneris faceret, sed paucos post dies Natalis occubuit. Unde in Parochum quaestio constituta est, et Periti, qui corpus defuncti inspexerunt, testati sunt, vulnus inflictum fuisse sine periculo vitae, et Medicus, qui vulnerato adfuit, affirmavit, occubuisse *da febbre perniciosa.* Nihilominus damnatus fuit et relegatus in Conventu S. Francisci Civitatis Iadrae, in quo mansit usque ad annum 1806, in quo impetrata venia a Sororibus defuncti, et composito Fisco, e Conventu et a poena dimissus est. Inde imploravit dispensationem ab irregularitate; sed Sacra Congregatio die 30 maii 1807 responsum tulit: – Negative, et scribatur iuxta instructionem –. Reproposito vero dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, dummodo non celebret in loco commissi delicti, quatenus iudicio Ordinarii scandalum obvenire possit – *in Iadren. Irregularitatis die 27 Maii 1809.*

240. Unde Diaconus, qui in rixa ictu cultri et securis Fratrem sauciavit, sed Periti existimarunt, eumdem subinde obiisse ex causa apoplexiae, non vero vulnerum, primum obtinuit Rescriptum, ut supplicaret expleta poena et reportata compositione Fisci, dein hisce impletis, transacto quadriennio a die patrati criminis et attentis vitae emendatione nec non utilitate et Ecclesiae necessitate, dispensationem ab irregularitate assequi valuit *in Nullius Montis Casini Irregularitatis die 12 Maii 1804.*

241. Siquidem dissociatis animis Fratrum Sylvestri et Diaconi Dominici Antonii Troianelli Oppidi S. Petri, eo res processit die 16 martii 1800, ut cum in iurgium venissent et Sylvester offensiones minitatus esset in Diaconum Dominicum Antonium, hic ictu cultri et securis Fratrem saucium prostravit. Dum infirmus lecto iacebat subita apoplexia correptus in terram resupinus decidit, et contusus paucos post dies occubuit. Nihilominus Fiscus detulit nomen Diaconi Dominici Antonii, tum ob inflicta vulnera, tum ob contusionem et mortem Fratris. Compilato processu legitimisque omnibus expletis, Vicarius Generalis Cassinensis die 7 ianuarii 1802 definitive decrevit, – quod Diaconus Antonius Troianelli, inquisitus et carceratus de gravibus vulneribus cultri et securis ictibus commissis in personam Sylvestri Troianelli fratris sui, detineatur per duos annos in Coenobio Fratrum strictae observantiae etc., et proinde sic obligatus excarceretur. Quo vero ad alteram partem de contusione et eiusdem Sylvestri morte sequuta liberetur in forma. Et interim ad tollendam omnem scandali et scrupuli occasionem praefatus Diaconus se abstineat ab exercitio Diaconatus et a susceptione Presbiteratus, usque dum ordinario consulto super irregularitate quoquo modo forsan incursa fuerit ad cautelam legitime dispensatus –. Diaconus a Sacra Poenitentiaria die 7 augusti 1801 absolutionem obtinuit a censuris; sed quoad irregularitatem nondum adhuc transacto biennio, quo in religiosa domo ad luendam poenam manere debebat, Sacra Congregatio die 12 februarii 1803 rescripsit: – Supplicet expleta poena, et reportata compositione Fisci –. Renovavit preces Orator, postquam poenam explevit. Ordinarius affirmavit, –de solis vulneribus iudicialiter constitisse, non autem de contusione, ex qua mortem sequutam fuisse Testes periti existimarunt. Nam contusio iuxta probationes ab eodem Fisco acquisitas accidit ex apoplexia Sylvestro superventa tempore infirmitatis, quando de lecto cecidit et in terga supinavit. Fiscus tunc poenae acquievit. Pars vero, Pater nempe, cum actionem querelae iuxta Regni leges non habuerit, nullam persequutionem in iudicio fecit. Diaconus tandem pro poena eidem inflicta clausus fuit in domo religiosa, emendatus ab huiusmodi excessibus constan-

tissime apparet, et, attenta eius literatura ac bonis moribus, suum servitium Ecclesiae utilitati et necessitati profuturum iri spes non obscura effulget –. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affimative – *in Nullius Montis Casini Irregularitatis die 12 Maii 1804.*

242. Idcirco Clericus, qui annum agens decimum tertium coetaneum in ludo vulneravit, est dispensandus ad cautelam, licet is in trigesimo primo die post receptum vulnus febri maligna obierit *in Hortana Irregularitatis die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

243. Enimvero Franciscus Coluccius in minoribus Ordinibus constitutus petiit declarari, an incurrerit in irregularitatem nec ne super facto, quod Episcopus retulit, ita se habere: – Franciscus Colucci de Suriano in decimo tertio aetatis suae anno constitutus et tempore, quo idem una cum Eutitio Ciavatti coetaneo ludebat in dicta Terra Suriani, vulneravit eumdem Eutitium cultro vulgo dicto *temperino* in latere dextero, qui a tunc temporis Chirurgo curatus per spatium decem dierum circiter e domo discessit, et ambulans per dictam Terram et cibans se uvis et fructibus usque ad vigesimam diem post receptum vulnus, a quo erat penitus resanatus, maligna febri praeventus in trigesimo primo die ex hac ad meliorem vitam migravit, prout ex fidibus Parochi tam quoad aetatem dicti Francisci, quam quoad obitum praedicti Eutitii, et depositionibus trium testium, quas hic reverenter adnecto. Causa dicti vulneris illati per supradictum Franciscum praedicto Eutitio fuit (ut mihi asseritur) in Curia Gubernatoris Suriani fabricatus processus, et per Chirurgum data relatio sine periculo vitae et sequuto obitu dicti Eutitii de ordine Patris Francisci Oratoris fuit per Medicum et Chirurgum dictae Terrae ac alium Chirurgum forensem ad hoc specialiter vocatum recognitum cadaver antedicti Eutitii, qui secundum eorum peritiam attestati fuerunt, praedictum Eutitium febri maligna obiisse, quare postea dictus Franciscus a supradicto Gubernatore fuit absolutus –. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Orator incurrerit in irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit dispensandus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse dispensandum ad cautelam – *in Hortana Irregularitatis die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

244. Hinc Sacra Congregatio concessit dispensationem ad cautelam Sacerdoti Dominico Mirri, qui gravibus corripuerat minis Ioannem Baptistam Gavoni simulque manu eumdem impegerat, dum una cum Sociis fundum eius praetereundo sibi racemos uvae diripiebat, adeo ut in terram cadens Gavoni nimio pavore correptus exinde statim in lectum deciderit vitamque vigesimo ab hoc die, quo haec gesta fuerunt, absolverit post continuatam aegrotationem, sed Chirurgi retulerunt, alia de causa illum obiisse, unde lata est sententia a Vicario Generali, qua dictum Dominicum ab impicto homicidii crimine fuit absolutus; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus dispensationi in casu etc. –, respondit: – Esse locum dispensationi ad cautelam – *in Imolen. Irregularitatis die 28 Ianuarii 1741.*

245. Qua de re dum quaerebatur: – An is, qui mandavit aliquem baculo verberari, eo expresso, ne occideretur, si Mandatarius armis percusserit et occiderit, intelligatur incidisse in hoc Decretum Concilii Cap. 7 sess. 14 de reformatione, adeo ut omni Ordine atque Beneficio et Officio ecclesiastico absque spe dispensationis perpetuo carere debeat? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Dubium ab Cap. 7 sess. 14 de reformatione Posit. 19 pag. 330.*

Item *die 20 Novembris 1585 ad dictum Cap. 7 sess. 14 de reformatione Posit. 22 pag. 59.*

246. Hinc proposito dubio: – Utrum is, qui gravibus ab aliquo affectus iniuriis Famulo mandavit, ut illi in faciem vulnus leve caesim infligeret, inhibuitque, ne illum interficeret, si Mandatarius fines istos excedens pluribus mortiferis vulneribus ei mortem intulerit, censeatur incidisse in irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario, adeo ut omni spe dispensationis ad praescriptum Decreti Concilii Cap. 7 sess. 14 perpetuo ca-

rere debeat? –, Sacra Congregatio respondit: – Incidisse in irregularitatem, sed non eam, quae provenit ex homicidio voluntario, ac propterea Oratorem Decreto Concilii non excludi a spe dispensationis, imo perpensis eius qualitatibus dignum esse dispensatione, atque ita referendum Sanctitati Suae – *in Alben. die 7 Septembris 1604.*

247. Qua de re Parochus, qui in rixa vulneratus remansit, et mox, eo absente, eiusdem frater alterum ex contendentibus interfecit, dispensandus est ad cautelam *in Aprutina Irregularitatis die 15 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

248. Siquidem Felix Antonius Mutius Parochus loci Moriconis die 2 decembris 1706 prope palatium Episcopale altercationem habuit cum Michaele Pennella super quarumdam olivarum collectione sistentium in quodam Oliveto dicti loci Moriconis, quas eorum quilibet respective ad se pertinere contendebat. In sequenti die acrior recruduit rixa in loco oliveti, cum Michael securis ictum in Parochum iaculatus fuerit, qui illum declinando in manu vulneratus remansit; sed aliis accurrentibus, contendentes fuerunt divisi, et Felix Antonius sanguinolenta manu prorsus inde discessit. Paulo post supervenit illuc Gregorius Pennella similiter germanus dicti Michaelis et Antonii Pennella, qui, renovato certamine, sarculum, quem gestabat, in Iosephum de Mutiis dicti Felicis Antonii fratrem direxit, qui tamen ictum avertendo gladio, quo armatus erat, Gregorium in gutture feriit, ex quo statim is mortem obivit. Episcopus Parochum a divinis suspendit, Oeconomum in cura apposuit ac sequestravit omnes eius reditus patrimoniales, sed super incursu irregularitatis subiecit se prudentissimo EE. PP. iudicio. Sacra Congregatio vero die 3 decembris 1707 reiecit preces Parochi pro absolutione porrectas; sed Orator rursus institit pro absolutione contendens etiam, se haud incidisse in irregularitatem. Propositis itaque dubiis: – I. An Orator incurrerit in irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit absolvendus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse dispensandum ad cautelam – *in Aprutina Irregularitatis die 15 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

249. Quum itaque Sacerdos in rixa vulneratus abscessisset, eo absente, unus ex Sociis eiusdem alterum ex Irrisoribus interfecerit, Sacra Congregatio censuit, eum esse dispensandum ad cautelam *in Novarien. Irregularitatis die 16 Iulii 1712 lib. 62 Decretorum.*

250. Siquidem ex trium Testium depositione in Curia Episcopali recepta eruebatur, quod sub primam noctis vigiliam 16 iunii 1711 Sacerdos Ravizzottus cum altero eiusdem Cognato fortuito occurrit atque comes se dedit quibusdam musicas gratulationes nobilibus feminis agentibus. Inter procedendum vero, cum nonnulli Mediolanenses festivum hunc comitatum ludificarent et sibilis prosequerentur, dictus Ravizzottus a suscepta rixa abducere primum contendit Antonium Portium aliosque ingenioris notae homines, qui eiusmodi iniuriam prosequi intendebant, iis tamen non acquiescentibus, et ipse ad ianuam cuiusdam domus processit, in qua Irrisores sese receperant atque hispanico sermone, Testibus examinatis incognito, cum ipsis fari cepit, a quibusdam tandem inflicto caesim ense vulnus in facie reportavit. Ita plane sauciatus a Comitatu Ravizzottus abscessit: verumtamen Sociis contentionem ensibus districtis prosequentibus, postremo Antonius Portius ictu brevioris sclopi alterum ex Mediolanensibus interemisse asserebatur. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Sacerdos Andreas Ravizzottus incurrerit irregularitatem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, esse dispensandum ad cautelam – *in Novarien. Irregularitatis die 16 Iulii 1712 lib. 62 Decretorum.*

251. Similiter indulgetur dispensatio ad cautelam Clerico, qui cum convocaverit ac urserit Satellites ad aliquem in vincula coniiciendum, hic unum ex illis interfecit *in Rossanen. Irregularitatis die 20 Martii 1734.*

252. Enimvero accidit die 11 aprilis 1726, quod, cum Dominicus Pisarra comites habens plures Satellites curasset comprehendi et in vincula coniici Demetrium Pisarra, hic, catapulta explosa, praedictum Dominicum interfecerit. Caedis huius culpa a nonnullis collata fuit in Clericum Antonium Marchia-

no, qui Clericis Italo-Graecis annumerabatur. Quaestione adversus eum instituta, plures in Episcopali Curia Testes rite interrogati fuerunt, e quorum testimonio eruebatur, causam, ob quam detrudendus in carcerem erat Demetrius Pisarra, non aliam extitisse, quam quod spreta Iudicis inhibitione excolere cepisset agrum quemdam, de quo lis erat cum Maria Pisarra, nec non ad praedictum Clericum Antonium Marchiano, ut eidem Mariae faveret, adscivisse Satellites, eosque vehementer stimulasse ad Demetrium vinculis et custodia coercendum, ostensa etiam schedula, quae asserebatur scripta a Patre eiusdem Clerici Antonii Marchiano fungente Iudicis munere, et per quam praecipiebatur comprehensio Demetrii, poena sex ducatorum indicta iis, qui parere neglexissent. At Clericus ad removendam a se quamcumque culpam, tres produxit Testes. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Clericus Antonius Marchiano ex causa praemissa irregularitatem contraxerit? *Et quatenus affirmative.* II. An sit cum eo dispensandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione ad cautelam, et amplius – *in Rossanen. Irregularitatis die 20 Martii 1734.*

253. Unde locus est dispensationi ad cautelam favore Sacerdotis, qui ad necem alterius causam quodammodo dedisse videtur *in Senogallien. Irregularitatis die 15 Februarii 1772.*

254. Iamvero Infantem ex illicito actu susceptum necavit die 22 septembris 1770 Maria Antonia Limata addicta servitio Sacerdotis Lucae Baldoni. Vulgato Infanticidii rumore, Mulier aufugit patriamque Corinaldi repetiit. Veritus Sacerdos Lucas, ne molestias a Curia ecclesiastica pateretur, sollicitus adiit Oppidi Montis Portii Baronem Diaecesis Senogalliensis, ubi morabatur, habuitque de delicto sermonem, indicata persona et loco confugii delinquentis. Mox femina capta, condigna capitis poena mulctata fuit. Bona fide Sacerdos per aliquot menses Sacra peregit, sed deinde monitus a Religioso Viro de incursa irregularitate, a Missae celebratione abstinuit, precesque pro dispensatione dedit. Sustinuit tamen, se irregularitatem non incurrisse, cum is nec efficacem nec proximam in necem delinquentis causam dedisset, nec aestu vindictae vel ex levitate aut protervia in punitionem conspirasset. Non enim malo animo, sed tantum ad propriam famam honoremque servandum colloquia cum Barone habuit, qui aeque ac personam et locum confugii iam ex publica voce agnoverat. Propositis hinc dubiis: – I. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, esse locum dispensationi ad cautelam – *in Senogallien. Irregularitatis die 15 Februarii 1772.*

255. Quum igitur Leonardus Conoci die 9 augusti 1766 invenisset in puteo aqua fere pleno infantem demortuam et rumor inde exarsisset, quod Maria Zaccheo utero gravis ex prava consuetudine cum Diacono Ioanne Dominico Durante infantem peperisset eamque in puteum deiecissent, sed dubium esset, an infanticidium fuerit reapse patratum, unde praefatus Diaconus fuerat condemnatus ad exulandum per annos quatuor, sed in patriam exinde reversus assiduum in Ecclesiae servitio se praebuit, saepissime Sacramenta frequentavit, et immutationis vitae non obscura praebuit argumenta, quapropter Episcopus eum dignum dispensatione ad cautelam ab irregularitate forsan incursa censebat, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam – *in Hydruntina Irregularitatis die 30 Iulii 1774.*

256. Qua de re licet Subdiaconus damnatus fuerit ad exilium, attamen post novem supra decem annos ipsi conceditur dispensatio ad cautelam, cum plures gravesque rationes excluderent, quod is reapse venenum propinaverit, ex quo quidam Savoia obiisse videbatur *in Boianen. die 23 Septembris 1758.*

257. Enimvero acuta febri correptus Antonius Savoia Armiger Baronis Castri Perusii intra decendium decessit, putante Populo propinatum ei fuisse venenum: plures huius criminis rei dicebantur, alius nempe alium. Savoia tamen, priusquam decederet, declaravit, suspicionem suam esse in Subdiaconum Xaverium Palumbo reddita causa, ut vindictam sumeret fraudis, quam Patri fecerat ipse

Savoia ratione sui officii. Damnatus hinc fuit Subdiaconus Palumbo, ut exul esset tribus annis; sed transactis iam annis novem supra decem petiit dispensationem, ut ad alios sacros Ordines suscipiendos habilis fieret. Nullam et iniustam dixit sententiam in ipsum latam, cum Periti post duodecim dies inspecto cadavere neque concludere potuerint, obiisse Savoia propinato veneno, neque probatum extiterit, fuisse venenum ab eodem propinatum, et causa reddita a Savoia levis esset. Ex Testibus autem fiscalibus alter primam testificationem irritam fecit, alii, quo mortis genere Savoia decesserit, aperuerunt, abusu nempe spiritus vini. Vitae demum et morum honestas, qua Palumbus praeditus erat, atque a Testibus et Populo commendabatur, sed praesertim ab Episcopo. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit locus gratiae pro habilitatione ad ceteros Sacros Ordines, et quatenus opus dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro gratia dispensationis ad cautelam – *in Boianen. die 23 Septembris 1758.*

258. Quin imo licet Sacra Congregatio pluries dispensationem denegaverit Clerico, qui ob crimen impictum poculi amatorii Puellae praebiti damnatus fuerat, ipso absente, ad poenam capitalem, dein commutatam in exilium ac demum ad triremes, re tamen intimius ac mature perpensa, eidem dispensationem ad cautelam concessit, cum plures protulerit rationes, quae crimen illud excludere videbantur *in Spalaten. Irregularitatis die 28 Augusti 1745.*

259. Siquidem Hieronymus Sintronich alias Alverich, Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, accusatus crimine poculi amatorii cuidam Puellae praebiti, primum a Curia damnatus ad poenam capitalem, postea mors cum exilio fuit commutata; sed exilium spernens, ad triremes per septennium damnatus extitit. Ex gratia demum absolutus renunciabatur, hinc dispensationem ab irregularitate imploravit: verum Sacra Congregatio die 15 decembris 1736, iterumque die 26 ianuarii 1740, tertio die 10 martii 1740 eam denegavit, atque demum proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, die 12 ianuarii 1742 responsum tulit: – Ad secundum, Negative –. Rediit adhuc Orator ad Sacram Congregationem postulavitque recessum a decisis, quod crimen impictum nulla ratione probaretur; quidquid enim apud laicos Iudices egerint et obtinuerint, absente Reo, Consanguinei Puellae, satis erat Decretum moderni Archiepiscopi Laghi, quo ipsum innocentem declaravit, satis erat Decretum supremi Magistratus Venetiarum, quo absolvebatur et restituebatur contra exilium, ad quod damnatus fuerat a Iudice laico; adeoque falsum esse arguit, quod fuisset ex gratia absolutus. Pari ratione e medio sustulit, quae Antecessor Archiepiscopus adversus ipsum narraverat. Accedebat iudicium vicinioris Episcopi Macarensis, qui censuit, indignum illud facinus a Hieronymo admissum non fuisse, quique putavit, eum sacris Ordinibus et Sacerdotio ob morum probitatem posse honestari. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam – *in Spalaten. Irregularitatis die 28 Augusti 1745.*

260. Unde concessa est dispensatio ad cautelam Iacobo Antonio Mecchi, qui, aetatem novem annorum et sex circiter mensium agens, emerat iussu matris venenum ad Patri propinandum, quin tamen hac de causa hic obierit, ac inde omnes Ordines usque ad Diaconatum suscepit, sed quum, processu ex mandato Sacrae Congregationis constructo, is particeps parricidii videretur, Episcopus definitiva sententia pronunciavit, – non constitisse, neque constare de asserto parricidio, et illius divulgationem et diffamationem fuisse iniustam insubsistentem et irrelevantem, et proinde dictum Iacobum Antonium Mecchi ab omni infamia ex illa resultantem esse purgandum liberandum et absolvendum, prout purgamus liberamus et pro purgato liberato et absoluto haberi volumus et mandamus, dummodo idem Diaconus Mecchi quoad forum internum exquirat oraculum Sacrae Congregationis Concilii –; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative.* II. An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Concedendam esse dispensatio-

nem ad cautelam – *in Alexanen. Irregularitatis die 17 Decembris 1740.*

261. Idcirco licet Sacra Congregatio pluries denegaverit dispensationem Sacerdoti, qui videbatur reus homicidii, attenta subinde tamen sententia absolutoria, decrevit, eumdem dispensatione non indigere *in Bisacciarum Irregularitatis die 2 Maii 1739 die 10 Iunii 1741 die 22 Septembris 1742 et die 18 Aprilis 1744.*

262. Iamvero Uxor Birgitta penes Curiam Episcopalem affirmavit, Marinum Golia virum suum die 17 iunii 1736 a Presbitero Francisco Pavese sclopi ictu fuisse interemptum, simulque a Sacerdote Stephano de Henrico eumdem Franciscum ibidem incusavisse de alterius sclopi explosione in se facta, cuius pila inde vibrata ipsius pallium atque thoracem perforaverat. Prolata subinde condonatione seu remissione a querelantibus emissa, die 14 septembris 1737 obtinuit a Vicario Generali ex Episcopi oraculo Rescriptum: – Excarceretur, et non amplius molestetur –, adiecta tamen conditione, ut pro foro externo ad tollenda scandala et ad cautelam assequi deberet dispensationem super irregularitate. Pluries Sacra Congregatio gratiam dispensationis denegavit. Exin descripta Causa in folio, propositis interim dubiis: – I. An constet de irregularitate Sacerdotis Francisci Pavesi? *Et quatenus affirmative.* II. An concedenda sit dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et transmittantur acta compilata contra Oratorem in Curia Episcopali, nec non scribatur Episcopo pro meliori informatione, iuxta instructionem –. Episcopus processum transmisit; ac retulit, – verum quidem esse de patrato homicidio in personam Marini Golia, Carminum Freda ad praesidium clausum ad quinquennium fuisse per Curiam laicalem condemnatum –; sed quemdam probum virum sedulo perlustrasse processum in Curia laicali constructum, ab eoque accepisse: – inter alios de affecto homicidio rubricatos reperiri Sacerdotem per literas NN., ut in omnibus Curiis secularibus, cum agatur de persona ecclesiastica fieri consuevit –. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 10 iunii 1741 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 septembris 1742 respondit: – In decisis, et amplius –. At Sacerdos Franciscus Pavesius appellavit a Decreto Episcopi ad Tribunal A. C. in criminalibus, ubi probavit negativam coarctatam loco et tempore, quae crimen homicidii excludebat. Unde 6 martii 1744 praefatum Tribunal decrevit, – male et indebite iudicatum fuisse per Episcopalem Curiam, et absolvendum et liberandum fore et esse Sacerdotem Franciscum Pavese tamquam repertum non culpabilem et de iure non punibilem: processus et acta omnia desuper confecta cassantur et abolentur, Fiscoque et adhaerenti perpetuum silentium imponitur –. His igitur perpensis, repropositis dubiis sub formula: – An et in quo sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, non indiget dispensatione, attenta sententia A. C. – *in Bisacciarum Irregularitatis die 18 Aprilis 1744.*

263. Hinc Sacra Congregatio dispensationem ad cautelam concessit Sacerdoti, qui sclopum, ne carceraretur contra Birruarios explosit, absque tamen alicuius offensa, cum e converso iidem Villicum, qui eum sequebatur, interfecerunt *in Assisien. Irregularitatis die 9 Februarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

264. Iamvero – cum de mandato Curiae Episcopalis Assisiensis trasmissi fuissent Birruarii ad Terram Cannariae pro habenda captura Sacerdotis Petri Desiderii, iste de adventu Birruariorum certioratus, ut se in tuto poneret circa secundam noctis horam exiit de domo sclopo venatorio armatus iniungens cuidam Villico, qui secum morabatur, ne e domo discederet. Perventus ad plateam animadvertit, se continuo fuisse a dicto Villico associatum: cumque ibidem etiam obviam habuisset Birruarios, Orator, ne carceraretur sclopum explosit adversus eos, absque tamen alicuius offensa, unus tamen illorum e converso sclopo exonerato infelicem Villicum interfecit. Ab inde citra Orator abstinuit a celebrando dubius, an ex huiusmodi homicidio fuisset ab eo incursa irregularitas, donec concordato Fisco et lapsis sex circiter annis supplex petiit dispensationem ad cautelam,

quam Episcopus confirmans exposita concedendam credit, attenta eius resipiscentia circa modum vivendi, et maxima Matris ac eius domus paupertate –. Propositis itaque dubiis: – I. An Orator ex causa dicti homicidii inciderit in irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit ei concedenda dispensatio? –, Sacra Congregatio respondit:– Annuendum pro dispensatione ad cautelam – *in Assisien. Irregularitatis die 9 Februarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

265. Qua de re Sacra Congregatio indulsit dispensationem ab irregularitate ad cautelam ei, qui arma exploserat contra milites exteros, sed satis constare videbatur; quod nemo ex illis offensionem ullam passus fuerit *in Mantuana die 11 Maii 1709 lib. 19 Decretorum.*

266. Siquidem – humiliter petente Clerico Dominico Pellizzola dispensationem ab irregularitate, Episcopus informare requisitus, facti seriem ita describit: « de anno 1691 occasione invasionis Hispaniarum Cohortum inundantium Statum Mantuanum in Territorio Gazoli, subditi illius loci proprias domos deseruerunt, recipientes se partim in Civitatem Mantuae, partim in exterum Territorium vicinius, inter quos Orator quoque ibidem se receperat; et quia ex militum frequentibus excursionibus diripiebantur loca, hinc diversi Iuvenes audaciores congregati eruperunt simul e Civitate, inter quos Dominicus Pellizzola Orator, qui cum remansisset seorsum ex latere dextero, ceterique socii processissent ulterius versus Villam, quae dicitur Montanara, invenerunt obviam equestrem Hispanorum turbam venientem versus Mantuam, quae statim ac vidit Mantuanos armatos, desiliens ad pedes curabat circumire Mantuanos, qui prompti ad defensionem ignita exploserunt tormenta hinc inde, ex qua explosione occisi ceciderunt duo milites Hispani; inoffensis penitus Mantuanis; eodemque tempore observatum fuit a Testibus tunc praesentibus, duos alios Hispanos, separantes se a ceteris, fugam eripere, concitato cursu, contra quos se contulit dictus Orator festinans, et inter ipsos secuta fuit vicissim armorum explosio, neque ullus ex iis duobus visus fuit offensionem pati, neque sanguis apparuit, neque ex ephippio ullus se deturbavit, immo ambo prosecuti fuerunt eorum iter velociter sine clamore aut inditio alicuius vulneris, quod fuit etiam observatum ab aliis personis agricolis laboratoribus, penes quos transierunt illi duo fugientes milites. Quinimmo post secutam actionem dictum fuit, quod Orator praefatus illudebatur a sociis suis, quia illaesi evaserunt a suis manibus utrique fugientes, et commendabant ironice Oratoris robur et virtutem. Addo, quod tunc temporis Orator Pellizzola non erat Clericus, sed secularis; deinde assumpsit vestem clericalem. Nunc cupit promoveri ad Ordines sine ullo scrupulo et tuta conscientia. Quibus stantibus, ea, qua decet, reverentia, humillima essem in voto, Oratorem praefatum benigne posse dispensari ad cautelam, cum nullibi, immo contrarium constet, nullam incurrisse irregularitatem » –. Propositis hinc dubiis: – I. An Orator incurrerit irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro absolutione ad cautelam – *in Mantuana die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

267. Unde concessa est dispensatio ad cautelam Sacerdoti Ioanni Caesari, qui e Monte Falisco Viterbium solemni festiva die S. Rosae 4 septembris 1737 se contulerat visitaturus, ut ipse aiebat, Ecclesiam Beatae Mariae vulgo nuncupatam *della Quercia* mille circiter passibus e Viterbii Civitate dissitam, unde accidit, quod velociter equitans in publica platea *della Rocca* dictae Civitatis Viterbii non modico Populi numero referta, nullo edito vocis sonito, quo circumstantes caverentur, ita praeceps in quemdam irruerit hominem, ut is facile in terram prostratus in labiis superiorique oculorum supercilio ab equi pedibus vulneratus debuerit ad hospitale asportari, ubi istorum vulnerum cura nondum expleta, post quinque dies febri correptus brevi aliorum trium dierum spatio occubuit, sed Ioannes documenta producere curavit, quibus evincere censuit, se equo in eum casu prorsus fortuito et illa absque culpa offendisse, nec non Medici et Chirurgi primum testati fuerunt, praefatum hominem ex inflictis vulneribus spatio quinque dierum prorsus convaluisse, dein recensitis eius morbosis affectionibus, concluserunt, alia ex cau-

sa eumdem obiisse; his quipe in terminis propositis dubiis: – I. An Sacerdos Ioannes Cesari sit irregularis? *Et quatenus affirmative*. II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, respondit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Montis Falisci Irregularitatis die 6 Iunii 1739*.

268. Hinc dispensandus est ad cautelam Sacerdos, qui occasione venationis fuit causa accidentalis mortis adolescentis *in Spoletana die 22 Iunii 1776*.

269. Enimvero Ioannes Baptista Mazzapiotti Canonicus insignis Collegiatae Casciae et Monialium dicti Oppidi Confessarius cum vidisset Columbum in foramine turris campanariae, arrepto sclopo, ictu dictum Columbum interemit, quin tamen deciderit, cum ex vi ictus repulsus fuerit in foramen, in quo ille apricabatur. Ut illum extraheret rogavit Aloisium Luciani adolescentem fabrum murarium, eique turris praedictae clavem obtulit, qui mandato vel precibus acquiescens spe muneri allectus per funem se dimisit suspensum et mortuum Columbum eduxit a foramine, eumque ad Mazzapiotti proiecit ex alto. Ast imprudens iuvenis, cum non explorasset funis qualitatem, utrum illa vel tenuis esset, vel consumpta, nec se sustinere diu posset suspensum, distracto fune desertus et derelictus per altitudinem 82 palmorum ad terram decidit, et contusus elisisque visceribus post biduum interiit. Dispensationem ab irregularitate forsan contracta ob homicidium casuale petiit Mazzapiottus: et Episcopus retulit, ob maturam aetatem Oratoris et probitatem illius nihil posse mali contra eumdem suspicari; Fiscum, adhibitis diligentiis, non potuisse ullius delicti nancisci probationem, Parentes defuncti, recessisse ab instantia alias promota, Oratorem haud venationi nimium deditum dignum esse dispensatione. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de irregularitate in casu etc. *Et quatenus affirmative*. II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Spoletana die 22 Iunii 1776*.

270. Itaque Acolythus, qui, venationi vacans, igneam ballistam elato igniario in humeris gestabat, inopinato eiusdem ictu amicum interemit, nec biennio elapso a die patrati criminis dispensationem ab irregularitate obtinuit, cum iam dimissus fuisset tamquam inculpabilis, et Archiepiscopus testaretur, eum scientiis bonisque moribus praeditum esse, nec non maximae utilitatis Ecclesiae fore *in Salernitana Irregularitatis die 22 Augusti 1795*.

271. Iamvero dum ineunte decembris 1793 acolythus Petrus Gisolfi eiusque dilectissimus amicus Clericus Dominicus de Amato ad licitam ibant venationem, inopinato ictum explosit ignea ballista, quam Acolythus in humeris elato igniario gestabat, et Clericum, qui illius vestigia sequebatur, lethaliter vulneravit, quo ex vulnere infelix Clericus, post inutilem novem dierum curationem, in ipsius Acolythi aedibus occubuit. Sponte se constituit Gisolfi in vinculis Salernitanae Curiae Archiepiscopalis: sed, re cognita et composita Parte, dimissus fuit tamquam repertus inculpabilis; monitus tamen, ut consuleret conscientiae suae quoad irregularitatem. Supplicavit itaque pro dispensatione, et testatus est Archiepiscopus, eum scientiis – bonisque moribus praeditum esse, et illibatam vitam semper vixisse; proinde maximae utilitatis Ecclesiae illum fore, si ad sacros Ordines, praevia dispensatione irregularitatis forsan incursae, promoveri vestra Sacra Congregatio permittit –. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative – *in Salernitana Irregularitatis die 22 Augusti 1795*.

272. Hinc dignus est dispensatione ab irregularitate ad cautelam, qui in venatione casualiter fratrem occidit *in Galtellinen. Dispensationis ab irregularitatis die 12 Martii 1785*.

273. Enimvero redeuntes a venatione germani fratres Petrus et Ioannes Maria Pau Oppidi Siniscolae, quosdam sclopi ictus praefixo in loco ad signum seu metam dirigente excogitarunt. Id autem ut exequerentur, opus fuit sclopum iam paratum exonerare, illumque aptioribus instruere globulis. Dum vero e sclopo priorem educeret munitionem Ioannes Maria, ultro ictus erupit; quo ex ictu lethaliter vulneratus fuit Petrus, qui pauco post dies occubuit. Homicidii fama

percrebuit: sed compilato processu, compertum fuit, casuale homicidium fuisse, hinc Ioannes Maria innocens renunciatus est. Inde militiae ecclesiasticae nomen dare cupiens, dispensationem ab irregularitate expostulavit. Episcopus retulit, Oratorem probis moribus ac servitio Ecclesiae parochialis de Siniscola, sacris Ministris indigentis, necessarium esse, homicidium mere casuale fuisse, adeoque eum dignum petita dispensatione ad cautelam censuit. Is enim dum mors accidit, operam dabat venationi a sacris Canonibus nequaquam vetitae. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad cautelam – *in Galtellinen. Dispensationis ab irregularitate die 12 Martii 1785.*

274. Idcirco locus est dispensationi ad cautelam favore Sacerdotis optimae famae, qui ad sui defensam videtur occidisse fratrem alias homicidam et proscriptum per quatuordecim annos *in Papien. die 18 Maii 1726.*

275. Enimvero Franciscus Hieronymus Lenti contendebat, sibi deberi a Sacerdote Ioanne Maria fratre nonnullas pecunias, qua de causa eum iniuriis affecit percussit in facie ad terram deiecit declaravitque, se velle illi mortem inferre, nisi quod volebat praestitisset: sed accurrentibus Parocho alio fratre et quadam Muliere cognata, Sacerdos e manu fratris irati ereptus est, et in suum cubiculum se recepit cum Iulia communi Matre. Dum Sacerdos in dicto cubiculo permanebat, Franciscus Hieronymus illud malo spiritu ingressus est ac violenter arripuit et una manu compressit genitalia Sacerdotis, et alia manu ad crumenam extensa, tentavit pecuniam vel clavim capsae ab eo subtrahere; dumque Sacerdos eam libenter exhiberet et simul clamaret pro auxilio et aggressorem exoraret, ut se dimitteret, ex violenta enim et tenaci suorum genitalium apprehensione et compressione se mori sentiebat, ut e manu fratris evaderet et mortem sibi imminentem evitaret, cultrum domesticum vulgo *da tavola* arripuit, qui erat super mensam contiguam, et in ventrem fratris aggressoris iniecit, qui ex ictu in terram corruit, et paulo post expiravit. Ex processu habita est mala qualitas occisi, qui per annos quatuordecim a Patria exulaverat prosriptus in poenam capitis ob homicidium patratum; habita est etiam bona qualitas Sacerdotis, qui fuit semper bonae vocis et famae, non rixosus, non criminosus, nec arma solitus deferre, in quo eodem processu depositiones habebantur Matris communis et communium fratrum, qui declararunt, occisionem fuisse necessariam ad propriam defensam. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Orator sit irregularis in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An ei sit indulgenda dispensatio? –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Papien. die 18 Maii 1726.*

276. Unde Sacra Congregatio concessit dispensationem ad cautelam Sacerdoti Alphonso Sanchez Garido, qui, contra paternum sui Ordinarii monitum frequentans domum cuiusdam Mulieris coniugatae, ex improviso deprehensus a Viro ipsius in quoddam domus cubiculum se receperat et sub lectisternio ibi existente latebras quaesiverat, sed cum adversus eum dictus Vir irruisset, Uxor se interposuit, brachioque Mariti apprehenso, eumdem rogavit, ne Sacerdotem occideret aut mutilaret, cumque Vir Uxorem a se removere tentasset ipsam accidentaliter vulneravit, vulnerata paulo post vitam cum morte commutavit, praedictus autem Sacerdos irregularis declaratus et in exilium ad sexennium damnatus ab Ordinario et Iudice appellationis; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Orator irregularitatem incurrerit in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An cum eo sit dispensandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Nullius Provinciae Compostellanae die 2 Octobris 1723.*

277. Qua de re licet Sacra Congregatio primum negaverit concedere dispensationem Sacerdoti, qui causa fuit accidentalis obitus alicuius, dein attenta illius poenitentia et paupertate eam indulsit ad cautelam *in Albinganen. Irregularitatis die 23 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

278. Siquidem – cum Ioannes Baptista Ascherius de Mendatica Albinganensis Diaecesis damnatus in contumaciam ad triremes per quadriennium degeret in alio finitimo Oppido de dominio Ducis Sabaudiae et varia in dies inferret damna Territorio Mendaticae cum

magno Incolarum terrore, Magistratus dicti loci sollicitus de illius captura usus est opera et machinatione Sacerdotis Alberti Gastaldi asserti illius amici, qui feria quinta in Coena Domini anni 1691, emendicato quodam praetextu, petiit nocturno tempore domum dicti Ioannis Baptistae, illumque ad territorium Mendaticae traduxit, perventisque ambobus ad quemdam Pontem cum ad signum studiose datum per Albertum accurrissent Satellites ibidem latitantes, Ioannes Baptista, ut illorum manus evaderet, se praecipitem dedit in vicinum flumen, in quo nemine opem ferente infeliciter periit, eiusque cadaver, ne factum propalaretur de mandato Magistratus Mendaticae, eodem Alberto probante, fuit illico ac secreto sepulturae traditum in Ecclesia parochiali. Cum autem postmodum devenisset ad eorum notitiam, quod Curia superior plures faciebat diligentias in perquirendo dictum cadaver, decrevit Magistratus, ipso Alberto conscio et interveniente, quod praefatum cadaver occultaretur subtus alia cadavera in eadem sepultura existentia, commissoque negocio fratri eiusdem Alberti et alteri illius socio, isti, ut magis illud occultarent, ne unquam recognosci aut distingui posset, capite cadaveris prius abscisso et in separato loco deposito, idem cadaver vestibus, quibus erat indultum, denudarunt, quas postea in domo eiusdem Alberti, ipso praesente, igni tradiderunt. De hoc facinore tot scelera continente inquisitus Albertus in Curia Episcopali ac variis poenis mulctatus, tandem declaratus etiam fuit irregularis; cumque de anno 1695 recursum habuisset ad Sacram Congregationem pro absolutione, ea sub die 25 iunii denegata fuit. Modo Orator, ut se gratia petita dignum redderet, ad Urbem pedester et quaestuando per quatuor centum milliaria se contulit, munitus attestatione Parochi et Communitatis super vita et moribus et pace ab Uxore defuncti obtenta. Quare supplex orat in levamen extremae paupertatis atque in honorem proximarum festivitatum pro dispensatione, quam concedi posse censet Episcopus, attento quod obitus Ascherii fuerit mere accidentalis, et nullo modo volitus nec intentus ab Oratore, adeo ut in his terminis dubitari quoque possit de incursu in irregularitatem, iuxta consilium Navarri 11 de homicid. lib. 5 –. Proposito hinc dubio: – An petitae dispensationi sit annuendum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Albinganen. Irregularitatis die 23 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

279. Quapropter indulgetur dispensatio ab irregularitate ad cautelam Clerico, qui Canonicum casualiter et absque culpa interfecit *in Andrien. Dispensationis ab irregularitate die 20 Ianuarii 1781.*

280. Siquidem occurrentibus feriis autumnalibus Canonicus Nicolaus Marziani Andriensis Seminarii Rector ad rusticandum in eius vinea secum duxit Franciscum Zingarello annorum sexdecim circiter, qui in eodem Seminario degebat, ut nomen daret ecclesiasticae militiae. Tertio die, quo Rector ad vineam accesserat, nimirum die 26 septembris 1778, idem Rector oblectamenti causa venari cupiens praecepit adolescenti, ut acciperet sibique traderet igneam ballistam seu sclopum, qui in altera mansione eiusdem ruralis domus existebat. Mandatis Rectoris obtemperavit adolescens, acceptoque sclopo, hic repente se explosit, laesitque in humero dextero Rectorem, qui ex vulnere post octo dies occubuit. Curia laicalis in carceribus Zingarellum coniecit: sed interim Rector declaravit, rem evenisse accidentaliter et sine dolo et culpa Francisci, quod confirmarunt Angela Cassano et Ioseph Marziani Mater et respective Frater defuncti Rectoris. Qua de re praefata Curia ac superior pariter laicalis Curia decreverunt die 24 novembris 1778, Franciscum a carceribus liberari, et amplius non molestari. Quo peracto, Fraciscus dispensationem ab irregularitate petiit, cum homicidium casualiter et absque culpa contigisset. Proposito hinc dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad cautelam, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Andrien. Dispensationis ab irregularitate die 20 Ianuarii 1781.*

281. Unde indulgetur dispensatio ad cautelam etiam post annum iuveni, qui homicidium mere casuale in venatione patrasse videtur, ad effectum amplectendi statum ecclesiasticum, cum praesertim Partes et Fiscus

veniam dederint *in Asculana Irregularitatis die 10 Iulii 1790.*

282. Iamvero dum mense octobris anni 1789 a venatione quiescebat Bernardinus Angelini, igneam eius, quam elato deposuerat igniario, ballistam impulit Sociorum alter Isidorus Santarelli, graviterque ex inopinato illius decidentis ictu vulneratus, sequenti occubuit die. Ut clericali initiari posset Tonsura, dispensationem ab irregularitate, quatenus in eam incidisset, Angelinius postulavit, eique Episcopus favit, cum homicidium mere casuale et involuntarium fuisse ex parte Oratoris censeret, ita ut Fiscus et Partes satisfactae remanserint. Nam et ipse Santarellius fassus fuerat, fortuito suam vulnerationem et non Sociorum culpa in venatione evenisse. Ei tamen, licet rei licitae operam dabat, imputari poterat, quod assuetam Venatorum diligentiam in deponenda ballista non adhibuerit elatumque reliquerit igniarium. Agebatur tamen de Iuvene bonis moribus imbuto. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad cautelam – *in Asculana Irregularitatis die 10 Iulii 1790.*

283. Qua de re Clericus annum decimum octavum agens iamque clericali Tonsura et primis duobus Ordinibus, nulla obtenta dispensatione, insignitus, dispensationem ab irregularitate ad cautelam obtinuit, ex eo quod in aetate novem annorum constitutus inter alios Pueros ludens auctor mortis fuisse Pueri sexennis videbatur *in Tridentina Irregularitatis die 27 Martii 1784.*

284. Siquidem Antonius Tranquillini Parochiae Murii in nono aetatis anno constitutus quadam die mensis martii 1773 ab aliis Pueris associatus rus adiit recreationis causa. Cum ad quemdam montem albanum nuncupatum pervenisset per iocum, ut Puerorum mos est, omnes lapidibus sese invicem provocare et impetere ceperunt: accidit, ut ictu lapidis percussus fuerit Ioannes Bergaminus puer sexennis, qui paucos post dies, quarta scilicet aprilis, e vita migravit. Tunc autem percussor non fuit detectus, quia nempe alius alium reum indigitabat: verum maior Sociorum pars ictus mortalis auctorem retulit Tranquillinum. Is ad decimum octavum aetatis annum perventus ecclesiasticae militiae nomen dedit, nullamque obtenta Apostolica dispensatione, clericali Tonsura et primis duobus Ordinibus minoribus insignitus fuit: postea tamen dubitare cepit de contracta irregularitate, exhibuitque preces pro dispensatione, ut ad alios Ordines promoveri posset. Propositis hinc dubiis: – I. An constet de irregularitate in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione ad cautelam, facto verbo cum Sanctissimo – *in Tridentina Irregularitatis die 27 Martii 1784.*

285. Hinc Sacra Congregatio primum denegavit, dein concessit absolutionem a suspensione et dispensationem ab irregularitate Fratri laico Congregationis doctrinae christianae, qui, dimisso habitu, ex Literis Dimissorialibus sui Episcopi Ordines minores et sacros suscepit, sed postquam redierit ad praefatam Congregationem transivit ad Religionis Ordinis S. Benedicti *in Carpenctoraten. Ordinum die 5 Septembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

286. Enimvero – Ioseph Raynaud Frater laicus secularis Congregationis doctrinae Christianae in Gallia, dimisso post sexdecim annos habitu, deseruit dictam Congregationem et ad titulum Patrimonii obtinuit anno 1709 promoveri ad sacros Ordines, sed reclamante Procuratore Generali dictae Congregationis, sub die 22 februarii 1710 sequentia EE. VV. dubia fuerunt proposita: « I. An et quas poenas incurrerit Frater Raynaud Diaecesis Carpenctoratensis laicus professus Congregationis doctrinae christianae in Gallia exeundo a dicta Congregatione absque dispensatione seu facultate? II. An praefatus Frater Ioseph fuerit licite ordinatus ad Ordines minores et sacros cum Literis Dimissorialibus sui Episcopi Carpenctoratensis, postquam egressus fuit a dicta Congregatione? III. An idem Frater Ioseph sit dispensandus tam in exercitio dictorum Ordinum, quam in remanendo extra dictam Congregationem?, quibus sapientissime de more responsum fuit: » Ad primum, incurrisse poenas contentas in Constitutionibus Congregationis, non tamen suspensionis. Ad secundum et tertium, Negative; et Frater Ioseph redeat ad Congregationem ». Pa-

ruit mandatis EE. VV. Orator, humiliora exercendo suae Congregationis munera; sed anno 1713 ad Religionem Ordinis S. Benedicti transivit et sequenti anno in ea Regularem emisit professionem; cumque per libellum extra ordinem propositum die 26 septembris proxime elapsi supplicaret pro dispensatione a suspensione exercitii Ordinum, placuit EE. VV. decernere, Causam in folio esse proponendam, hinc exhibita attestatione Abbatis Commendatarii de doctrina habilitate et idoneitate sufficienti ad exercitia sacrorum Ordinum, iterum supplicat pro gratia in resolutione sequentis dubii: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 22 februarii 1710 quoad dispensationem ad exercitium Ordinum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro absolutione a suspensione et dispensatione ab irregularitate arbitrio Episcopi, praevio diligenti examine super scientia et idoneitate, et Orator omnino servet vitam claustralem sub obedientia regulari – *in Carpectoraten. die 5 Septembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

287. Idcirco Frater laicus Congregationis doctrinae christianae, qui, dimisso habitu, Congregrationem ipsam absque licentia Superioris deseruit, ac omnes Ordines suscepit a proprio Episcopo Diaecesano, sed inde morigerus ad Congregationem rediit, ac legitime mox exiit, absolutionem et dispensationem a suspensione et irregularitate ad cautelam obtinuit *in Glandeven. seu Parisien. Dispensationis die 7 Iulii 1714 lib. 64 Decretorum.*

288. Iamvero Ioseph Lyons Glandevensis Diaecesis Frater laicus in Congregatione doctrinae christianae in Gallia, tribus emissis votis simplicibus obedientiae castitatis et paupertatis cum voto seu iuramento perpetuae perseverantiae, dimisso habitu, Congregationem ipsam deseruit, nullatenus obtenta licentia Capituli vel Definitorii, quod iuramentum perseverantiae dispensare valebat; subindeque, neque petita licentia Praepositi Generalis sive Provincialis, omnes etiam Presbiteratus Ordines suscepit ab Episcopo Glandevensi ac celebravit. Sacra Congregatio ad preces Procuratoris Generalis die 18 februarii 1713 mandavit, ut darentur Decreta edita in Carpenctoraten. Voti perseverantiae et Ordinum sub die 22 februarii 1710, scilicet incurrisse in poenas contentas in Constitutiobus Congregationis, non tamen suspensionis, illicite omnes Ordines suscepisse, nec locum esse dispensationi, sed ad Congregationem redire debere. Rediit itaque Lyons morigerus ad Congregationem ac abstinuit a celebrando. Succesive vero legitima interveniente auctoritate Definitorii, praevia dispensatione iuramenti perpetuae stabilitatis, ab eadem Congregatione discessit. Hinc petiit absolutionem et dispensationem a suspensione et irregularitate, quatenus ipse esset irretitus, cum ceteroquin crederet, nullam censuram incurrisse, ex eo quod Breve Clementis X die 6 iulii 1676 procedere videbatur, quoad Clericos Congregationis, non autem quoad Laicos, et ordinatus ipse extiterat a proprio Episcopo Diaecesano Glandevensi. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad cautelam – *in Glandeven. seu Parisien. Dispensationis die 7 Iulii 1714 lib. 64 Decretorum.*

289. Quum autem Ioannes Andreas et Franciscus Antonius fratres Masci graeco ritu baptizati in Italo-Graecorum Oppido S. Georgei, vigore Literarum Dimissorialium sui Ordinarii, fuerint ritu latino ad primam Tonsuram et successive ad quatuor Ordines minores promoti a Latino Episcopo Bisinianensi absque ulla Sedis Apostolica venia, ac pluries in susceptis Ordinibus ministraverint, Sacra Congregatio declaravit, eosdem nec dispensatione ab irregularitate indigere *in Rossanen. die 14 Ianaarii 1764* (1).

290. Itaque quum Abbas Hyacintus Bagatti Iosepho Foralosso illius Converso, qui religiosum deinde habitum ex indulto Apostolico dimisit, Tonsuram et minores Ordines bona fide et incauta quadam inconsiderantia contulisset, dum prohiberetur ordinare Conversos, proposito dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit in casu etc. –, Sacra

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Absolutio*, §. VII, n. 75 ad 83, Tom. I.

Congregatio, valida declarata ordinatione, responsum dedit: - Ad secundum, Affirmative in omnibus – *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789.*

291. Unde concessa est absolutio et dispensatio ad cautelam Nicolao Ligi ex Augustiniana familia, qui, postquam subierat examen pro clericali Tonsura et quatuor minoribus Ordinibus suscipiendis, in generali ordinatione, quam in mense decembris 1731 habuit Episcopus, Tonsura fuit initiatus, deinde vero cum Minister nominatim evocasset singulos, qui ad Ostiariatum erant promovendi, Antonius Nicolaus, se inter eos appellari non audiens, errasse Ministrum credidit, et ob hanc opinionem accessit cum aliis ad Episcopum, atque Ostiariatus Ordinem suscepit, sed Episcopus, re mox sibi delata, respondit, se eo fuisse animo, ut nonnisi primam Tonsuram illi conferret, habuisse reipsa tamen deliberatam voluntatem conferendi Ostiariatum homini coram se adstanti; his quippe in terminis propositis dubiis: – III. An et in quam poenam dictus Frater Antonius Nicolaus inciderit, ut indigeat absolutione vel dispensatione? *Et quatenus negative.* IV. An sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium pro absolutione et dispensatione ad cautelam. Ad quartum, provisum in superiori – *in Perusina Ordinationis die 19 Iulii 1732.*

292. Qua de re quum die 20 septembris 1738 sacrarum ordinationum tempus recurreret, inter eos, qui promoveri debebant, Clericus erat Ioseph Caietanus Ghinettus, qui ad priores Ordines minores, Ostiariorum scilicet et Lectorum erat promovendus, sed Ministri Archiepiscopalis negligentia non inter eos, qui duobus illis Ordinibus initiandi erant, sed inter eos, quibus alii duo Exorcistarum, et Acolythorum Ordines conferendi erant, accitus fuit, atque ita ad hos posteriores Ghinettus assumptus fuit, cumque post quinquennium petierit absolutionem ab irregularitate ad effectum, ut duos Ordines praetermissos suscipere posset, proposito dubio: – An Clericus Ghinettus sit dispensandus ad Ordines Ostiariatus et Lectoratus, ac egeat absolutione, et quomodo concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse absolvendum et respective dispensandum ad cautelam tum ad Ordines omissos, tum ad alios Ordines, arbitrio Archiepiscopi – *in Florentina Ordinum die 5 Decembris 1744.*

293. Unde qui bonis est praeditus moribus et bona fide, sed illicite Tonsuram et Ostiariatum suscepit atque in iis ministravit, facile obtinet absolutionem a suspensione et dispensationem ab irregularitate *in Fabrianen. et Camerinen. Ordinationis die 19 Augusti 1797* (1).

294. Idcirco Sacra Congregatio, postquam declaraverit, esse locum ordinationi Subdiaconatus sub conditione et secreto faciendae, quum Andreas Borgo in ipso ordinationis actu voluntatem quidem eum suscipiendi non habuisset, sed Confessarius ei dixerit, Ordinationem validam fuisse, adeoque Diaconatum et Presbiteratum exinde susceperit, ac per decennium in utroque ministraverit, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Melevitana Subdiaconatus die 16 Iunii 1792.*

295. Itaque S.Congregatio concessit dispensationem ad cautelam Emmanueli Caietano Perez Luarez, qui dolose minores Ordines et Subdiaconatum susceperat, inde a Vicario Capitulari absolutus, cum certum non esset, quod is irregularitatem incurrit, nam non constabat de exercitio Ordinum susceptorum, neque constabat, quod si ministrasset, Vicarius cum eo dispensaverit super irregularitate occulte contracta, sed iam ad forum contentiosum deducta *in Mindonien. seu Oveten. Ordinationis die 25 Iunii 1763* (2).

296. Quum autem Clerici, qui, post absolutionem a Vicario Capitulari a suspensione obtentam, exercuerant Ordines illicite susceptos, incidissent in irregularitatem, Sacra Congregatio primum censuit, dispensandos esse ad cautelam, sed inde absolute mandavit, esse dispensandos *in Neapolitana Ordinatorum die 15 Decembris 1685 et die 27 Aprilis 1686.*

297. Hinc attentis silentio Fisci diuturna carceris poena bonique Oratoris moribus ac

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. VI, n. 74, Tom. I.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. VI, n. 50, Tom. I.

propitio Episcopi testimonio, Sacra Congregatio indulsit ad cautelam eidem, qui claudus paullulum erat, absolutionem et dispensationem, ex eo quod falsis Literis Dimissorialibus omnes sacros Ordines ab Episcopo, in cuius Diaecesi Beneficium obtinebat, susceperat, quin tamen, ut ipse asserebat, in susceptis Ordinibus ministrasset *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* (1)

298. At is, qui ignorantia ductus Constitutionis *Speculatores* Innocentii XII, reiectus a proprio Episcopo, omnes Ordines ab alieno suscepit et Missam celebravit, dispensationem ab irregularitate et rehabilitationem obtinuit, imposita vero salutari poenitentia arbitrio Ordinarii *in Arianen. Dispensationis die 23 Ianuarii 1808.*

299. Siquidem Franciscus Xaverius Marziano a praedecessore Episcopo suo Arianensi usque ad Lectoratus gradus promotus a ceteris Ordinibus reiectus fuit, neque Dimissoriales consequi potuit a Vicario Capitulari, qui se impeditum putabat, quominus ad Ordines admitteret eum, quem suus Episcopus arcuerat. Quare Marianus Neapolim petivit et in Regio Clero adscriptus a Regio Capellano ad reliquos omnes Ordines gradatim promotus est sine testimonialibus Curiae Arianensis contra ac Constitutione Innocentii XII *Speculatores* praescriptum erat. Quamquam ex hoc esset suspensione irretitus, attamen celebraverit, ut ipse asserebat, ignorantia ductus Constitutionum Apostolicarum. Sed monitus ab ecclesiasticis Viris ad suum Ornarium confugit, ut a suspensione liberaretur. Id quod ab ipso obtinuit, dummodo a Sede Apostolica impetrasset dispensationem ab irregularitate, qua tenebatur, ex eo quod suspensione irretitus Sacris operatus esset. Preces itaque admovit ad Sacram Poenitentiariam, quae dispensationem impertita est, – dummodo irregularitas revera sit occulta, et Orator abstineat a celebratione Missarum in locis, in quibus notum sit eius delictum, et pro opportuno remedio recurrat ad Sacram Congregationem Concilii –. Cum autem eius irregularitas nota esset, cessavit a celebratione Missarum, et apud EE. PP. dispensationem ab irregularitate imploravit. Ordinarius retulit, Oratorem idoneum esse, nec aliquid contra mores habere, et poenitentiam impositam egisse. Sacerdos insuper contendebat, non contemptu legum ecclesiasticarum, sed ignorantia se praetermisisse testimoniales proprii Episcopi, atque ubi ei exploratum fuisse, se in eas peccasse, ad proprium Episcopum confugisse, et a celebratione cessasse. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione et rehabilitatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, imposita salutari poenitentia arbitrio Ordinarii – *in Arianen. Dispensationis die 23 Ianuarii 1808.*

300. Idcirco Sacra Congregatio indulsit facultatem dispensandi arbitrio Episcopi, imposita simul salutari poenitentia, Clericum, qui furtive duos priores minores Ordines suscepit *in Aprutina Ordinum die 11 Ianuarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

301. Enimvero Ioseph Baldus loci Bellantis exoravit Episcopum, ut ei conferret primam Tonsuram et duos priores minores Ordines, sed Rescriptum obtinuit ad primam Tonsuram tantum, pro qua sola fuit examinatus, eaque suscepta in ordinatione habita die 20 septembris 1704, asserens, se ad alios minores Ordines vocatum, se immiscuit cum aliis Ordinandis, et materiam primi et secundi Ordinis tetigit; ab Episcopo vero Bullam seu literas patentes pro prima Tonsura tantum reportavit. Cumque Orator fuerit subinde praesentatus ad Beneficium de iurepatronatus ab Universitate Bellantis institit, sed obtinere non valuit ab Episcopo institutionem, nisi prius obtineret absolutionem et dispensationem ab irregularitate, pro qua Sacrae Congregationi supplicavit declarari, nullum impedimentum canonicum incurrisse, quod non posset ab Episcopo dispensari. Episcopus retulit, verum non esse, quod Orator fuerit vocatus, quum revera is se immiscuerit cum aliis Ordinandis. Retulit inde, quod ipse in actu ordinationis semper habuit intentionem saltem virtualem excludendi non examinatos pro Ordinibus, sicut in principio cuiuslibet ordinationis semper comminabatur poenam excommunicationis contra furtive accedentes.

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. VI, n. 62 et 63, Tom. I.

His itaque perpensis, propositis dubiis: – An stante supradicta ordinatione idem Clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit, quod ab Episcopo dispensari non possit? *Et quatenus affirmative.* II. An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a S. Congregatione? –, Sacra Congregatio nedum mandavit, minores Ordines esse reiterandos sub conditione, sed et respondit: – Ad primum et secundum, pro facultate dispensandi arbitrio Episcopi, imposita salutari poenitentia – *in Aprutina Ordinum die 11 Ianuarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

302. Imo Sacra Congregatio mandavit, ut Clericus, qui promotus fuit ad sacros Ordines absque Literis commendatitiis proprii Ordinarii eosque exercuit, ad eumdem recurreret pro absolutione ab irregularitate, in quam inciderat *in Hispalen. Irregularitatis die 6 Februarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

303. Iamvero – cum Archiepiscopus Hispalensis praetensionem excitaverit, Clericum Iosephum Fuentes de Lebrixa addictum obsequiis Episcopi Samensis Vicarii Generalis Oppidi de Benamixi Nullius Diaecesis in Hispania, utpote ab eodem promotum ad sacros Ordines sine Literis commendatitiis et ad titulum insufficientis Beneficii contra praescriptum sacri Concilii Tridentini, ipso iure fuisse suspensum et per Ordinum exercitium incidisse in irregularitatem, praefatus Ioseph die 15 decembris 1696 preces per Summarium porrexit huic Sacrae Congregationi, ut declarare dignaretur, se non esse irregularem, vel saltem in casu contrario ab irregularitate dispensaretur, ac suspensionis absolutio committeretur Emo Urbis Vicario. Verum quia prodiit resolutio « esse irregularem, et quoad absolutionem recurrat ad Archiepiscopum», iterato dictus Orator, suis comprobatis iuribus, ab EE. VV. petit responderi: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15 decembris 1696 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Hispalen. Irregularitatis die 6 Februarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

304. Qua de re qui sacros Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus ordines, non sine fraude et dolo suscepit, Sacra Congregatio primum denegavit, dein dispensationem, elapsis septem annis a die commissi delicti, concessit, cum indubia dederit signa emendationis et poenitentiae *in Malacitana Irregularitatis die 15 Ianuarii 1785 et die 21 Ianuarii 1786.*

305. Enimvero Ioseph Gamero et Corpas Civitatis Antiquariensis ante aetatem a iure statutam sacros Ordines Subdiaconatus et Presbiteratus Ordines suscepit, et Missae Sacrificium postea celebravit. Id autem non sine fraude et dolo egit: habebat enim Ioseph germanam Sororem natu maiorem; curavitque, ut in parochiali libro Baptismatis, in quo tam suum, quam Sororis nomen adnotatum erat, ementito charactere, ipse in locum Sororis, Soror vero in sui locum inscriberetur, atque hinc Soror minor, ipse autem natu maior appareret. Idcirco carceribus fuit mancipatus, et, probato crimine, 1779 ab Ordinum exercitio suspensus irregularis declaratus ac damnatus fuit ad mulctam ducatorum centum et ad peragenda per mensem spirituatia exercitia in Religiosa Domo. Mandatis Curiae ecclesiasticae paruit Iosephus, ac facti poenitens dispensationem efflagitavit, quam indulgendam, attenta Oratoris resipiscentia et emendatione, Vicarius Capitularis censuit. Proposito tamen dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 Ianuarii 1785 responsum tulit: – Expectet –. Orator mox ad Urbem venit, suo annuente Episcopo, ut uberiori hac delicti sui expiatione EE. PP. ad misericordiam flecteret; longi enim et difficilis itineris toleravit incommoda. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro gratia – *in Malacitana Irregularitatis die 21 Ianuarii 1786.*

306. Unde qui pugnavit in bello, Sacerdotium per saltum, omisso Subdiaconatu et Diaconatu, ementitisque sui Ordinarii Literis suscepit, absque etiam Patrimonio sacro, nonnisi post lapsum decem annorum a die criminis patrati assequi valuit dispensationes, etiamsi omnia, quae gratiam suadere videbantur, concurrerent, ac ipse Episcopus pro gratia supplex instetisset *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 27 Novembris 1784 die 18 Augusti 1787 et die 9 Augusti 1788.*

307. Siquidem Iulius Emmanuel de Valle – Labo de Torre cum esset in minoribus Ordinibus constitutus seculari militiae nomen dedit et in bello cum Idololatris dimicavit, inde vero resumpto clericali habitu, ementitis sui Ordinarii Literis Dimissorialibus absque Patrimonii titulo ac omissa ordinatione Subdiaconatus et Diaconatus, Presbiteratum suscepit et pluries Missam celebravit. Tandem inquisitus a Curia ecclesiastica, crimina confessus est; quare ad solutionem multae et ad poenam relegationis per quatuor annos damnatus fuit. Poenam relegationis in Egittaniensi Diaecesi explevit, multam vero ob paupertatem integre persolvere non potuit, eique illius pars remissa fuit. Exinde supplex oravit pro dispensatione ab irregularitate, ut in sacro Presbiteratus ordine ministrare posset. Episcopus testatus est, Oratorem sibi – iam constituisse Patrimonium, honestisque moribus vivere, assiduum in sacra Eucharistia comitanda et Gymnasio Theologiae moralis frequentando, dignumque reperiri, qui gratiam dispensationum requisitarum impetrare mereatur –. Proposito vero dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 novembris 1784 respondit: – Negative –. Triennio transacto, Romam Orator venit, iterumque rogavit pro dispensatione. Tres erant irregularitatis et suspensionis causae: is enim pugnavit in bello, Sacerdotium per saltum, omisso Subdiaconatu et Diaconatu, ementitisque sui Ordinarii Literis suscepit, idque absque Patrimonio sacro. At licet constaret, novem ab assumpto Sacerdotio elapsos esse annos, non dubia resipiscentiae signa dedisse, Sanctuaria Urbis peregrinatum esse, ipsumque pro ea Episcopum in literis testimonialibus in haec verba orare: – super qua (dispensatione) nos etiam Sacram hanc Concilii Congregationem oramus et enixe supplicamus –, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 Augusti 1787 respondit: – Expectet –. Tertio EE. PP. clementiam imploravit; et Ordinarius testatus est, – eum nec publice, nec privatim praefatum Presbiteratus ordinem exercuisse, prout mihi ex fide dignis Testibus, ipsiusque iureiurando iuridice ac legitime compertum est –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione; et ad mentem – *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 9 Augusti 1788.*

308. Hinc Sacra Congregatio primum denegavit, dein, attenta longa viginti annorum poenitentia cum constanti emendatione coniuncta nec non necessitate spirituali Accolarum loci atque Ordinarii voto, concessit absolutionem et dispensationem a suspensione et irregularitate ei, qui, omisso Subdiaconatu et Diaconatu, Ordinem Presbiteralem falsis Literis Dimissorialibus susceperat ac Missam celebraverat, atque Patrimonium sacrum falsis documentis se habere probaverat *in Granaten. Irregularitatis die 20 Augusti 1785 et die 8 Iulii 1786.*

309. Siquidem acolythus Gabriel Lopez Orosco, omisso Subdiaconatu et Diaconatu, Presbiteralem ordinem ab Archiepiscopo Hispalensi subripuit. Finxit enim Literas Dimissoriales Ordinarii sui Gratensis alteri Episcopo directas. Simulavit fidem exercitiorum spiritualium, susceptioni sacrorum Ordinum ex dispsitione Sacri Concilii Tridentini praemittendorum. Patrimonium sacrum falsis documentis se habere probavit. Dixit vero, se inde rem omnem in poenitentiali foro Archiepiscopo suo Granatensi aperuisse; moxque eo dispensante, Ordinem per saltum susceptum exercuisse, ac per plures annos Missam celebrasse, abstinuisse tamen ab exercitio Ordinum non susceptorum. Defuncto tamen Granatensi Antistite, novo Archiepiscopo et Curiae Granatensi sponte haec omnia denunciavit. Factum hinc est, ut contra eum ab eadem Curia, formali promulgata suspensionis ac irregularitatis sententia, poenas etiam subire debuerit ab eadem Curia impositas. Postulavit a Sacra Congregatione absolutionem et dispensationem ab irregularitate et facultatem ministrandi in Sacerdotali ordine, postquam susceperit Diaconatum et Subdiaconatum. Sed Sacra Congregatio die 20 augusti 1785 preces reiecit ex Rescripto: – Lectum –. Preces postea renovavit: is enim Fisco iam satisfecit, longam viginti annorum poenitentiam cum constanti emendatione egit, nisi exaudiretur, vir pius ac dives Patrimonium haud ei constitueret, in latino idiomate

et morali Theologia approbationem absolutam promeruit, Ecclesia Villae Malae patria sua unicum habebat Sacerdotem nempe Parochum, qui praesto esse non poterat omnibus Accolarum necessitatibus, Archiepiscopus eumdem censuit dignum experiendi Apostolicae benignitatis applicationem. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, imposita arbitrio Episcopi salutari poenitentia, et adiecta lege commorandi et celebrandi in Ecclesia Villae Malae, quamdiu dictae Ecclesiae necessitas postulaverit, susceptis prius Ordinibus omissis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Granaten. Irregularitatis die 8 Iulii 1786.*

310. Imo Sacra Congregatio indulsit dispensationem ab irregularitate Sacerdoti, qui ex falsis Literis Dimissorialibus ordines sacros Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus suscepisse videbatur, ob idque in carceribus detrusus, sed inde fugam arripiens Romam venerat, quin post quindecim annorum lapsum Causa penes Curiam ordinariam decisa esset, cum interim in Urbe vitam ecclesiastico viro dignam egisset, licet Archiepiscopus eum commendare non auderet *in Sanctae Severinae Irregularitatis die 24 Ianuarii et die 8 Maii 1784.*

311. Enimvero delatum fuit Curiae ecclesiasticae S. Severinae, Sacerdotem Franciscum Apa, mentito proprii Ordinarii et Cancellarii charactere, Literas Dimissoriales exarasse, quibus constabat, ipsum peregisse examinis experimentum coram proprio Ordinario et idoneum fuisse repertum, legitimam habere aetatem, et esse provisum de sufficienti Patrimonio; dispensationem ab Apostolica Sede obtinuisse, ut, non servatis interstitiis, ad sacros Ordines promoveri posset tribus diebus festivis, posse idcirco promoveri ab Episcopo Venafrano, vel eo impedito a quocumque catholico Antistite, habuisse attestationem ab Episcopo Venafri impedimenti, cuius causa ordinationes habere non posset, atque hisce suffultum documentis Ordines sacros Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus diebus 17 24 26 iulii anni 1759 suscepisse ab Episcopo Caiacensi, deindeque pluribus in locis Missam celebrasse et praesertim in patria, nempe Oppido Arcis Bernardae. Qua de re in carceribus detrusus fuit die 4 novembris 1770: sed inde fugam arripuit et ad Urbem confugit, ac dixit, immunem se esse a crimine. Sacra Congregatio vero die 7 septembris 1773 eius preces reiecit. Postulavit exinde, ut innoxius declararetur ab irregularitate, vel saltem ut sibi facultas impertiretur, ut Missam in Urbe celebrare posset. Asseruit, se pluries instetisse, ut vel condigna poena plecteretur, si reus, vel innocens absolveretur, et a die impicti criminis quatuordecim annos iam effluxisse, quin crimen praetensum ullatenus probaretur. Quin imo si crimen probatum existeret, dispensationem ab irregularitate mereretur, cum summa premeretur inopia, et quindecim anni effluxi fuerint, et toto hoc tempore vitam ecclesiastico viro dignam duxerit, omnesque sui criminis maculas deterserit. Archiepiscopus retulit, Causam in sua Curia adhuc pendere indecisam ob Oratoris culpam, nec audiri debere. Proposito itaque dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 24 ianuarii 1784 respondit: – Ad secundum, Negative, et ad mentem –. Mens autem fuit, ut scriberetur Archiepiscopo, eique commendaretur Sacerdos Orator ad hoc, ut ipse post longum tempus peractamque in Urbe vitam Ecclesiarum servitio addictam probatosque mores dispensationi assentiretur. Archiepiscopus rem iudicio EE. PP. remisit, quin eum commendare auderet. Reproposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Constito de sufficienti Patrimonio iuxta taxam Urbis coram Emo Urbis Vicario, consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis ex gratia speciali – *in Sanctae Severinae Irregularitatis die 8 Maii 1784.*

312. Unde indulgetur ei, qui falsis Literis Dimissoriis suscepit Ordines, dispensatio in forma commissoria quoad Ordines, non vero admittitur resignatio sibi facienda Parochialis Ecclesiae *in Conimbricen. Dispensationis die 13 Iunii 1733.*

313. Siquidem Simon Petrus de Mattos Tonsura et tribus minoribus Ordinibus rite initiatus, ne nuptias contraheret cum femina rapta, falsas Literas Dimissoriales confecit, quibus anno 1729 inauguratus ab Episcopo

Tudensi fuit Acolytatu Subdiaconatu ac Diaconatu. In patriam dein reversus et in carcerem detrusus post septem menses mulctatus ab Ordinario fuit pecuniaria poena ac etiam exilio per sexennium cum suspensione ab Ordinum exercitio. Anno 1733 septimum supra vigesimum annum agens Romam venit et supplex petiit impertiri sibi dispensationem, ut promoveri posset ad Ordinem presbiteralem, simulque admitti resignationem sibi faciendam Parochialis Ecclesiae Conceptionis nostrae Dominae de Conto de Lavos Conimbricensis Diaecesis, cuius annui reditus exaequabant scuta octingenta monetae Romanae. Sacra Congregatio die 14 martii 1733 rescripsit: – Quoad resignationem, lectum; quo vero ad Ordines, expectetur novus Episcopus –. Exin die 14 maii eiusdem anni respondit: – Quoad resignationem, in decretis, in reliquis vero pro gratia dispensationis in forma commissoria –. Demum proposito dubio: – An firma manente resolutione quoad resignationem, sit standum in primo, vel in secundo loco decisis quoad Ordines, vel aliter sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Firma remanente denegatione gratiae quoad resignationem, in secundo loco decisis quoad Ordines in forma Commissoria – *in Conimbricen. Dispensationis die 13 Iulii 1733.*

314. Hinc et Subdiaconus, qui crimine furti accusatus in vincula coniectus ac inde libertatus fuerat, quique ex falso dispensationis indulto sacros Diaconatus et Presbiteratus Ordines susceperat, primum post lapsum longissimi temporis absolutionem a censuris tantum obtinuit, ac demum attentis vitae emendatione extrema paupertate ac septuagenaria aetate etiam dispensationem ab irregularitate assequi valuit *in Lycien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817 die 8 Augusti 1818 et die 20 Novembris 1819.*

315. Siquidem Subdiaconus Leonardus Bianco anno 1769 furti crimine accusatus, tandem carceribus liberatus, dispensationem ab irregularitate ob infamiam contracta postulavit, sed assequi non valuit, ex eo etiam quod malam cum Vidua consuetudinem haberet. Anno 1783 ex falso dispensationis indulto promotus est ad sacros Diaconatus et Presbiteratus Ordines; sed rumor criminis falsitatis in vulgus exiit cum alio crimine simoniae. Unde Sacerdos Bianco absolutionem et dispensationem efflagitavit. At furti criminis memoria per annos quadraginta octo obliterata erat, non vero criminis falsi. Anteacta vitae ratio perdita fuerat ob minus honestam consuetudinem: non constans, sed aliqualis emendatio post moram per aliquot dies in religiosa domo, nec ulla poenitentia peracta. Idcirco Sacra Congregatio ei absolutionem a censuris tantum, imposita gravi poenitentia, die 26 aprilis 1817 concessit (1). Summus Pontifex die 30 eiusdem mensis et anni Sacrae Congregationis resolutionem probavit in haec verba: - Sanctissimus resolutionem Sacrae Congregationis quoad Oratoris absolutionem tantum benigne approbavit et respective confirmavit –. Novas inde preces, Orator obtulit; et Vicarius Capitularis retulit, - Sacerdotem Bianco modo vitam ducere non alienam a bonis moribus usque eo, ut aliis lucem profert etiam bene vivendi, idque pleno iure testatur Quintiani Decurionum coetus –. Accedebat extrema, qua laborabat, paupertas, nec non grave annorum septuaginta pondus, quae dispensationem suadere videbantur. Reproposito tamen dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum in ultima parte a decisis in casu etc.? – Sacra Congregatio die 8 augusti 1818 responsum dedit: – In decisis –. Vicarius Capitularis miseratione motus erga Sacerdotem Bianco Oratorem, tum ob huius paupertatem ac septuagenariam aetatem, tum ob poenitentiam veterum criminum iam peractam, et constantis emendationis signa, Sacram Congregationem exoravit pro illius dispensatione et rehabilitatione; sed haec nova instantia dimissa fuit Rescripto: – Reproponatur, expleto anno post novissimum Rescriptum –. Qua de re subinde preces iterum admovit, ut per Apostolicam gratiam sibi succurreretur, antequam diem videret extremum. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis et rehabilitationis, peractis

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. III, n. 26 ad 30, Tom. I.

exercitiis spiritualibus loco et tempore arbitrio Episcopi – *in Lycien. Irregularitatis die 20 Novembris 1819.*

316. Qua de re Sacra Congregatio, attentis vitae emendatione partis compositione silentio Fisci et favore Episcopi, declaravit, esse locum absolutioni rehabilitationi et dispensationi ab irregularitate quoad Subdiaconum Ioseph Chella, qui calumniatus erat Sacerdotem Antonium Pleita ob tentatam in ipsum igneae ballistulae explosionem, nec non pendente inquisitione ascenderat ad Diaconatum *in Lunen. Sarzanen. die 9 Iulii 1796* (1).

317. At Sacra Congregatio denegavit facultatem celebrandi Missam expleto tempore poenae Sacerdoti de nefando scelere a Curia Emi Urbis Vicarii die 31 Augusti 1718 damnato ad triremes per septennium, qui, licet fuerit transmissus, nunquam tamen remigavit, cum toto tempore dictae condemnationis fuerit addictus servitio Hospitalis S. Barbarae; his quippe in terminis proposito dubio: – An petitis sit annuendum nec ne? –, responsum tulit: – Negative – *in Lavellana seu Romana die 6 Iulii 1726.*

318. Ceterum Sacra Congregatio concessit dispensationem Dominico Serrano, qui praesentatus ad Beneficium simplex erectum in Ecclesia parochiali Oppidi Castellar illud assequi non poterat propter irregularitatem, in quam ob nonnulla crimina patrata incurrerat, cum quaelibet praeteritorum criminum macula detersa videbatur longa et constanti emendatione vitae, dein magis magisque comprobata ex luculentissimo testimonio nobiliorum et selectiorum ex Clero et Populo; his enim in terminis proposito dubio: – I. An sit locus dispensationi Clerici Dominici Serrano in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Terulen. Beneficii die 24 Septembris 1763.*

319. Hinc multo magis ei concessa est dispensatio, qui inciderat in irregularitatem propter delictum, nec non retentio Capellaniae de iurepatronatus pro alenda Matre paupere, et ex eo etiam quod delictum erat occultum *in Calaritana die 6 Maii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 470.*

320. Quum itaque Anna Maria Sarmiento in fundatione Capellaniae perpetuae convenisset cum Emmanuele de Villaba, cuius filios vocavit post primum nominatum, ut ipsa fructus integros perciperet, conventione ignorante Francisco Capellano, qui postquam titulo huius Capellaniae ad Sacros Ordines promotus fuit, audivit quidem, reservatos fuisse hos fructus Annae Mariae, sed non quaesivit, an hoc in ipso fundationis instrumento esset, an alio modo, immo habitavit cum Anna Maria, ad eamdem sedit mensam et mutuis reditibus sese invicem aluerunt, unde si qua simoniacae labis suspicio esse posset, absolutionem et dispensationem postulavit, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et dispensatione ipsius Francisci ad omnia praemissa in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Consulendum Sanctissimo pro absolutione et dispensatione ad cautelam – *in Vallisoletana Capellaniae die 20 Aprilis 1749.*

321. Similiter Sacra Congregatio concessit absolutionem et dispensationem ad cautelam Clerico Vincentio de Susso, qui timebat, ne sua nominatio ad Beneficium integrae portionis in Ecclesia parochiali Villa de la Puebla de Argauzon a Beneficiatis facta, labe simoniaca infecta esset, ex quod ex Testibus evinciebatur, Beneficiatum Zumarraga suum suffragium dedisse praefato Vincentio, quia huius pater mutuum fecerat cum Patre Zumarraga; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus absolutioni et dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad cautelam – – *in Calaguritana Absolutionis et Dispensationis die 8 Martii 1760.*

322. Ceterum Sacra Congregatio indulsit quidem dispensationem ab irregularitate Ioanni Francisco Gonzalez de Ulloa, qui simoniace Capellaniam obtinuerat, eamque sibi in titulum Patrimonii sacri constituerat, ac Ordines minores et Subdiaconatum susceperat ac exercuerat, sed mandavit simul, ut fructus dictae Capellaniae, si quos perceperat, restitueret *in Aurien die 9 Aprilis 1785* (2).

323. Quin imo quum Ildephunsus Valentinus Fernandez Montero nondum Tonsura

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Absolutio*, §. III, n. 66 et 67, Tom. I.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. III, n. 20 et 22, Tom. I.

insignitus ad Beneficium nominatus timens, quominus ob defectum clericatus illius possessionem assequi posset, convenisset cum Patrono, ut iste ad illam nominaret quemdam Presbiterum, qui de re tota conscius idem Beneficium dimitteret statim ac ipse Clericus fieret, ut hoc pacto per dimissionem ab eo factam in Beneficii possessionem subingrederetur et primae nominationis effectus haberetur, unde reapse id accidit et Ildephunsus illud a triennio possidebat et fructus percipiebat, sed Episcopus certior de simonia factus eum ad Ordines promovere renuebat, nisi dispensationem ab irregularitate et convalidationem tituli Beneficii obtineret, licet absolutionem pro foro interno a Sacra Poenitentiaria iam fuerat assequutus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione dispensatione et convalidatione tituli Beneficii in casu etc. –, Sacra Congregatio, etiamsi Episcopus testaretur, simoniam iuxta suam opinionem fuisse invicibiliter bona fide et ex ignorantia commissam, spectata vita et moribus tam Presbiteri, quam Oratoris, nec non qualitate Patroni laici, responsum tulit: – Dimittat, restituat fructus, et postea supplicet – *in Caurien. Censurarum die 30 Iulii 1774.*

324. Sacra Congregatio autem censuit, dispensandum esse intra tempus ab Archiepiscopo benevisum Ioannem Dominicum Benuccium Parochum Ecclesiae S. Eugeniae, qui supplicavit redintegrari ad facultatem celebrandi Missam, a qua fuerat suspensus, eo quod duas Missas eodem die pluries celebravit, ideoque ob infamiam irregularis effectus dispensationem petierat *in Senen. Irregularitatis die 16 Novembris 1686.*

325. Unde Sacra Congregatio indulsit dispensationem Sacerdoti, qui duas Missas eodem die celebraverat, post expletam tamen poenam, quam Curia Episcopalis, constructo processu, in eum inflixit, ac Episcopus mox reduxit, nec non peractis spiritualibus exercitiis per alios viginti dies *in Placentina Irregularitatis die 9 Iunii 1708 die 11 Ianuarii 1710 et die 14 Martii 1711 lib. 58 60 et 61 Decretorum.*

326. Siquidem Fabius Agosti Sacerdos loci Curtis Maioris supplicavit pro absolutionis beneficio ab irregularitate incursa, ex eo quod ex motivo lucri duplicem stipem recipiendi duas Missas per duas vices eadem die celebraverit Placentiae. Episcopus Placentinus retulit, Oratorem praemissa de causa, pendente processu, vim iustitiae evasurum, demigrasse ab ea Diaecesi, et Cremonam se recepisse, ubi ex eo quod sine Literis testimonialibus sui Sacerdotii, per plures dies Sacrum peregerit sub ementito nomine Francisci Alusii, carceribus fuit mancipatus; sed exin relaxatus est, poena pecuniaria imposita locis piis eroganda, et praecepto eidem facto de discedendo recto tramite ab ea Diaecesi. Proposito interim dubio: – II. An sit absolvendus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 9 iunii 1708 responsum tulit: – Expectetur exitus Causae, et Episcopus Placentinus procedat ad terminationem illius –. Vigore huius Rescripti Vicarius Generalis Placentinus die 9 februarii 1709 eum damnavit in poenam carceris biennalis, ac declaravit irregularem ob celebrationem duarum Missarum eadem die peractam, nec non mulctavit in poenam pecuniariam, ob delationem sclopi et consuetudinem habitam cum inhonesta Muliere. Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 11 ianuarii 1710 respondit: – Supplicet post expletam poenam –. Exinde preces renovavit; et Episcopus retulit: – Cum enim Orator ceteroquin ex honestis et civilibus Parentibus progenitus summa laboret paupertate, cuius intuitu memoratas poenas carceris et pecuniarum ad tenuem eleemosynam cuidam Loco Pio erogandam, et exercitia spiritualia per dies decem in quodam Regularium Coenobio peragenda deduxerim, ut de facto iam solvit et respective peregit, et ab inde citra castigate se gesserit, sanctissima Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta frequentando et Pueros doctrinam christianam docendo, post lapsum quatuor annorum et quinque fere mensium in gratiam imminentis Festi Natalitii D. N. I. Christi veniam mereri –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, peractis exercitiis spiritualibus per alios viginti dies – *in Placentina Irregularitatis die 14 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

327. Itaque Sacra Congregatio indulsit dispensationem arbitrio Ordinarii ad cautelam

Sacerdoti Bernardo Fernandez della Fluente, qui diebus 6 ianuarii et 13 martii anni 1768 Missae Sacrificium duabus vicibus iteraverat in Oratorio Comitis de los Corvos, deinde in Ecclesia S. Hidelphunsi Villae Matriti, sed id fecisse asseruit, quia deficiebat alius Presbiter, quem rogaverat, ut in Ecclesia S. Hidelphunsi eius vices celebrando suppleret, nec non fassus fuit, ablutionem in utraque Missa sumpsisse, immo post primam Missam refectiunculam una die degustasse affirmavit, ac ea propter post aliquod tempus valetudinis causa a carceribus fuit dimissus et in domum Missionis reclusus, ac postea patriis laribus restitutus; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An constet de irregularitate in casu etc. II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit : – Ad primum et secundum, esse locum dispensationi arbitrio Ordinarii ad cautelam – *in Toletana Irregularitatis die 15 Februarii 1772.*

328. Imo Sacra Congregatio indulsit dispensationem ab irregularitate Sacerdoti Vito Malanca, qui eam contraxerat ex reiteratione Baptismi; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative peractis exercitiis spiritualibus – *in Murana Irregularitatis die 14 Novembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

329. Unde spiritualibus exercitiis per lapsum viginti quinque dierum peractis et satisfacto Fisco, Sacra Congregatio concessit dispensationem ab irregularitate Parocho, qui novem Baptismata contulerat sub conditione, licet praemonitus fuisset ab Obstetrice de Sacramentis ob imminens periculum collatis *in Firmana die 28 Aprilis 1781.*

330. Siquidem Sacerdos Franciscus Monti Parochus Ecclesiae S. Mariae ad mare in Castro Turris Palmarum novem Baptismata iteravit sub conditione, licet ab Obstetrice monitus fuisset rotundis verbis de collatis ob imminens periculum Sacramentis. Re delata ad Curiam ecclesiasticam, Archiepiscopus Parochum vocavit, ac Civitate Firmi loco carceris assignata, praecepit, ut a Sacris ulterius abstineret, Oeconomo interim pro supplendis parochialibus muneribus deputato; ac inde decrevit, ut ad Sacram Congregationem recursum haberet pro dispensatione obtinenda ab irregularitate. Spiritualibus exercitiis per lapsum dierum viginti quinque peractis, atque Fisco satisfacto, dispensationem petiit. Archiepiscopus retulit, in libris parochialibus nullam legi adnotationem, prout opus fuisset de Sacramentis sub conditione collatis, sed omnia ita recenseri, ac si res fuisset de Sacramentis absolutis. Parochus tamen affirmabat, se sub conditione tantum rebaptizasse. Ceterum probabilior Doctorum sententia eos etiam, qui sub conditione rebaptizant absque dubio probabili prioris Baptismi, irregulares proclamat. Proposito itaque dubio: – I. An sit locus dispensationi ab irregularitate? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative facto verbo cum Sanctissimo – *in Firmana Dispensationis ab irregularitate die 28 Aprilis 1781.*

331. Concessa est hinc dispensatio ad cautelam Lucae Antonio Fabri Canonico et Vicario Curato Collegiatae Ecclesiae S. Petronii et Prosperi Terrae Lugi, ex eo quod sustinebat, Procuratorem Fiscalem teneri duo concludenter probare, et collatum prius fuisse ab Obstetrice Baptisma Infanti recens natae, et scientiam ipsius, qui sciens prudens, Baptisma domi collatum fuisse rite valideque, voluerit tamen iterum Infantem in Ecclesia baptizare, sed neutrum a Promotore Fiscali suis Testibus probari; his enim in terminis proposito dubio: – An constet de irregularitate in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse absolvendum ad cautelam – *in Imolen. Irregularitatis die 11 Decembris 1756.*

332. Qui vero licet haud valide bona Ecclesiae alienaverint, et interea Missam celebraverint, non propterea dispensatione ab irregularitate indigent, cum plures ac iustae concurrant circumstantiae *in Matilicen. Sanationis die 1 Martii 1817* (1).

333. Quum enim plures ac iustae causae concurrant, quae excusare videntur incursum in censuras et in irregularitatem, ob illegitimam bonorum Ecclesiae alienationem,

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 83 ad 88, Tom. I.

Sacra Congregatio absolutionem et dispensationem concedit ad cautelam *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* (1).

334. At quum Sacerdos Ioseph Valentini ab anno 1801 immorigeram tenuisset vivendi rationem, et licet aliquando resipuisse visus fuerit, attamen postea in eosdem reciderit errores, nec monitiones, spiritualia exercitia, iterata suspensio eumdem domuerint, et subinde suspensione irretitus Missam celebraverit et militiae seculari nomen dederit, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate et rehabilitatione in casu etc. –, Sacra Congregatio, etiamsi dictus Sacerdos ad maximam miserabilitatem redactus esset, per duos menses in Conventu Capuccinorum exercitiis spiritualibus vacasset, eique Episcopus faveret, responsum tulit: - Negative – *in Mathelicen. Irregularitatis die 3 Augusti 1816.*

335. Indulgetur autem dispensatio ab irregularitate Vice-Parocho, qui inciderat in excommunicationem latae sententiae iuxta legem synodalem, ex eo quod Matrimonio interfuit, quin inter Missarum solemnia prius fuerit publicatum *in Arboren. Dispensationis die 13 Martii 1784.*

336. Enimvero Synodali lege in Diaecesi Arborensi indicta est excommunicatio latae sententiae Parochis aliisque Sacerdotibus, qui Matrimonia benedicere praesumpserint, quae iuxta dispositionem Tridentini Concilii inter Missarum solemnia publicata non fuerint, vel dispensatio a publicationibus non fuerit impertita. In Villa Marubii dictae Diaecesis anno 1782 munus Vice-Parochi exercebat Sacerdos Franciscus Antonius Pala, qui quadam nocte mensis octobris eiusdem anni vocatus fuit, ut accederet ad domum Raymundi Piloni. Ut primum is ad eam domum pervenerit, rescivit a dicto Piloni, quod in quodam cubiculo clausi erant Antonius Sanna et Raymunda Esteri eius familiares. Vice-Parochus respondit, nihil posse agere sine Testium praesentia. Testibus hinc superventis, praefatus Antonius et Raymunda Matrimonium coram Vice-Parocho ac Testibus contraxerunt. Sequenti die Sacerdos Pala Missam celebravit: sed Vicarius Capitularis, re cognita, eidem prohibuit, ne Missam celebraret, neque munus Vice-Parochi exerceret. Mandatis paruit Sacerdos, precesque deinde exhibuit pro obtinenda dispensatione ab irregularitate. Nam ipse fassus est, legi non advertisse; et sicuti inadvertentia ipsum a culpa excusabat, ita a poena suspensionis et irregularitatis se innoxium esse, vel saltem dispensationem mereri putavit. Proposito hinc dubio:– An sit locus dispensationi in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo – *in Arboren. Dispensationis die 13Martii 1784.*

337. Quum itaque Episcopus praecepisset Capellano Dominico Blomer extraiudicialiter coram Vicario Generali, ne sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae a Civitate Savonae discederet, nisi reddita ratione adimplmenti Missarum suae Capellaniae, quas celebrare omiserat, idque in forma pariter extraiudiciali nullisque adhibitis Testibus de Ordinarii mandato renovaverit Cancellarius Episcopalis, dictus Capellanus tamen praeceptum spreverit Missam celebraverit et poenitentiae Sacramentum per plures annos ministraverit, Sacra Congregatio, valida declarata suspensione indicta, proposito dubio: – II. An sit locus absolutioni et dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, respondit: – Ad secundum, Affirmative arbitrio Episcopi, dummodo prius satisfaciat oneribus Missarum non celebratarum; et amplius – *in Savonen. die 14 Septembris 1782.*

338. Idcirco quum Archiepiscopus Beneventanus occasione Concursus ad vacantem patronalem Ecclesiam Casalis S. Nazarii sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae Presbitero Verdone Curiae Notario praecepisset, ne sineret, Sacerdotem Antonium Soricelli egredi e loco examinis vel uti libris aut scriptis manu, pro dissolvendis datis casibus opportunis, et dictus Notarius primum quidem mandatum servaverit, et ideo Soricellus fuerit reprobatus ab Examinatoribus, sed exin permiserit, ut Soricellus in contermina ingressus mansione ex inferioribus ianuae rimulis resolutionem datorum casuum acciperet, unde fuit ab Examinatoribus approbatus, ob idque constructo processu contra Marcellum in poena carceris fuerit damnatus, et ob celebrationem Missae post in-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Alienatio*, §. V, n. 115, Tom. I.

cursam suspensionem a divinis inciderit in irregularitatem, Sacra Congregatio concessit dispensationem, tum quia conniventia Marcelli nullum peperat effectum, cum suspensa esset expeditio Bullarum favore Soricelli, tum quia Archiepiscopus, attenta Oratoris paupertate, dispensationi favebat; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo – *in Beneventana Dispensationis ab irregularitate die 16 Septembris 1780.*

339. Unde indulgetur primum absolutio a censuris et poenis canonicis, dein etiam ab irregularitate Sacerdoti, qui crimine falsi convictus et a divinis suspensus sacrosanctum Missae Sacrificium celebraverit, cum praesertim ex patrata falsitate nulla provenissent mala *in Ugentina Dispensationis ab irregularitate die 30 Augusti 1777 et die 14 Martii 1778.*

340. Enimvero anno 1775 cum in Curia Episcopali Ugentina lis esset inter Sacerdotem Nicolaum Giannuzzi et Sacerdotem Vincentium Cacciatore super pertinentia patronali cuiusdam Beneficii ad familiam Cacciatore pertinentis, ad probandum ius illius, qui Nicolaum praesentaverat et respective ad excludendum ius, qui Vincentium nominaverat, penes acta productae fuerunt quaedam partitae ex antiquis Codicibus Baptismatis et Matrimoniorum extractae, quae cum falsae deprehensae fuissent, criminaliter ad instantiam Vincentii querelatus fuit Nicolaus uti reus de crimine falsi, vi cuius antedicta Curia Episcopalis citavit Nicolaum ad informandum et interim, ut se abstineret a celebrando sub poena suspensionis latae sententiae; subindeque carceribus mancipatus fuit, et ex plurium Testium depositione fuit de falsitate convictus: ac demum satisfacta Parte et Fisco, lata fuit definitiva sententia, qua, perpetuo silentio Fisco imposito, Nicolaum non esse amplius molestandum decretum fuit, ei tamen indictis spiritualibus exercitiis per octo dies. His absolutus, cum irregularitatem contraxisset, ex quo post suspensionem a divinis eidem indictam ab Episcopo et exequutam domi suae solitae habitationis, non autem personaliter, Missam celebraverat prorsus ignorans hanc suspensionem, quia tunc aberat a patria per viginti milliaria, petiit absolutionem a censuris et dispensationem ab irregularitate. Sacra Congregatio die 30 augusti 1777 rescripsit:–Quoad absolutionem, pro gratia, facto verbo cum Sanctissimo; quo vero ad irregularitatem, lectum –; et Sanctissimus die 3 sequentis mensis septembris Oratorem – a censuris et poenis canonicis absolvit, firma remanente irregularitate, arbitrio Sacrae Congregationis –. Preces renovavit Nicolaus pro dispensatione ab irregularitate, dum ex patrata falsitate nulla provenerant mala. Proposito hinc dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia, facto verbo cum Sanctissimo – *in Ugentina Dispensationis ab irregularitate die 14 Martii 1778.*

341. Qua de re quum Sacerdos Ioseph Calvi Canonicus senior Collegiatae Ecclesiae Uneliae septuagenario maior non obtemperaverit praecepto Curiae Episcopalis Albinganensis, ne sub poena suspensionis ipso facto incurrendae conversaret cum quadam femina quinquagenaria, ac ea propter declaratus fuerit irregularis, proposito dubio: - II. An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, arbitrio Episcopi – *in Albinganen. Irregularitatis die 7 Aprilis 1753.*

342. Quum autem Canonici Collegiatae Ecclesiae Civitatis Foggiae petierint absolutionem ad cautelam a quibuscumque censuris et dispensationem ab irregularitate, in quas forte incurrerant, ob neglectam aerarii communis reintegrationem summae ducatorum 1600, quae impensa fuerat in aedium complurium e terraemotu concussarum, ad illius Ecclesiae Praebendas spectantium, refectionem, proposito dubio: – An sit annuendum precibus Capituli in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevia absolutione a censuris et dispensatione ab irregularitate, imposita aliqua salutari poenitentia arbitrio Episcopi, pro gratia iuxta petita, dummodo quolibet anno deponant ducatos 200 pro reintegratione communis aerarii, et de sequuto deposito doceant coram Episcopo – *in Troiana die 21 Aprilis 1742.*

343. Hinc Sacra Congregatio concessit dispensationem ad cautelam Parocho *del Pizzone* et Sacerdoti Pane, qui excommunicati fue-

runt ab Archiepiscopo Capuano, eo quod subdole et violenter cadaver Crescentii Leone in loco *Arvalone* intra limites Paraeciae *Ciambrisco* et Calvensis Diaecesis, repentina morte correpti, ad Parochialem Ecclesiam S. Germani in Pago *del Pizzone* positam et iurisdictioni Archiepiscopi Capuani subiectam, detulerant, et non obstante praedicta excommunicatione, quae tamen nulla fuit declarata, Missam celebrarunt; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An Parochus *del Pizzone* et Sacerdos Pane incurrerint irregularitatem, sive aliqua poena sint puniendi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, pro absolutione et dispensatione ad cautelam – *in Capuana seu Calven. Iurisdictionis die 7 Septembris 1737.*

341. At quum Sacerdos Ioannes Wolfangus Baumharter, inhoneste vivens et suspensionem a divinis ab Ordinario sibi illatam spernens iugiter Missam celebrando, absolutionem et dispensationem ab irregularitate petierit, Sacra Congregatio mandavit, ut primum de obsequio doceret, et postea supplicaret *in Augustana die 12 Februarii 1735.*

345. Ceterum Sacra Congregatio, attenta paritione Sacerdotum Terrae Castri Novi, qui prius restiterant visitationi reali et personali Archiepiscopi Lancianensis, et hanc ob causam inciderant in excommunicationem, adeoque Missam celebrare non poterant, quin incurrissent irregularitatem, mandavit, – esse absolvendos nec non dispensandos ab irregularitate ad cautelam – *in Lancianen. Visitationis die 15 Ianuarii 1735.*

346. Imo indulgetur absolutio et dispensatio Parocho, qui iuste ac valide suspensus a divinis ab Episcopo, quia examen in Sacra Visitatione subire noluit, deinde incidit in irregularitatem ob contraventionem suspensionis; his enim in terminis proposito dubio: – III. An sit locus absolutioni et dispensationi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, pro gratia Episcopo in forma commissoria, constito tamen de omnimoda paritione, et peractis exercitiis spiritualibus per quindecim dies in loco ab eodem Episcopo designando; et amplius – *in Caputaquen. die 2 Aprilis 1729.*

347. Quum autem Hippolytus Macchiolus Praepositus Ecclesiae parochialis loci Uvadae sustineret, nullam fuisse suspensionem a divinis in ipsum latam a Curia Aquensi ob defectum citationis et iustae causae, ac ea propter locum esse non posse declarationi incursus in irregularitatem, propositis dubiis: – I. An sententia lata a Vicario Generali Aquensi contra Praepositum Macchiolum Rectorem Ecclesiae parochialis loci Uvadae sustineatur in casu etc. II. An suspensio a divinis et irregularitas, in quas declaratus fuit incursus idem Praepositus, sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An Curia ecclesiastica Aquensis teneatur ad refectionem damnorum expensarum et interesse praefato Proposito in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, expectetur novus Episcopus, concessa interim relaxatione suspensionis et dispensationis ab irregularitate ad cautelam usque ad exitum Causae – *in Aquen. die 4 Decembris 1723.*

348. Imo indulgetur dispensatio ab irregularitate Parocho, qui, spreto Episcopi praecepto, ne conversaret cum quadam Muliere, incidit in suspensionem a divinis, et nulla obtenta absolutione seu dispensatione Missas celebravit *in Leodien. Dispensationis die 3 Septembris 1718.*

349. Siquidem Bartholomaeus Bevaux Rector Parochialis Ecclesiae loci de Bure fuit inhibitus ab Ordinario, ne conversaret cum quadam Muliere sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae. Non obstante prohibitione, is cum Muliere conversavit; et, nulla obtenta absolutione seu dispensatione a Sede Apostolica, Missas celebravit, ita ut irregularis factus fuerit. Petiit inde dispensationem ab irregularitate. Episcopus retulit, Oratorem adimplevisse poenitentiam impositam, tum vacando exercitiis spiritualibus per duos menses in Conventu Leodiensi Ordinis Eremitarum S. Augustini, tum solvendo mulctam pecuniariam scutorum quadraginta. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione, impositis praeceptis nec non poenitentiis salutaribus, arbitrio Episcopi – *in Leodien. Dispensationis die 3 Septembris 1718.*

350. Hinc Sacra Congregatio dispensationem ad cautelam indulsit Sacerdoti Ioanni

Baptistae Rosino, qui provocatus a Iosepho Sancio Clerico coniugato suo nepote, eumdem in platea loci Iulianelli apprehensum capillis humi stravit et pugnis affecit, quique spatio decem dierum abstinuit a Missae celebratione, quam tamen, secuta etiam reconciliatione, deinde reassumpsit sub obtentu, quod dictus Ioseph non incederet in habitu et tonsura, et quod a duobus Theologis Societatis Iesu audivit, quod percutiens Clericum coniugatum non incedentem in habitu et tonsura non incurrit excommunicationem: his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Sacerdos Ioannes Baptista Rosinus irregularitatem incurrerit in casu etc. *Et quatenus affirmative*. II. An eidem sit indulgenda dispensatio? –, Sacra Congregatio respondit: – Esse concedendam dispensationem ad cautelam – *in Civitatis Castellanae Irregularitatis die 3 Decembris 1718*.

351. Ideireo quum satis non constaret, quod Sacerdos in Clericum germanum violentas reapse manus iniecisset, Sacra Congregatio absolutionem et dispensationem indulsit ad cautelam *in Civitatis Ducalis censurarum Irregularitatis die 12 Decembris 1711 lib. 61 Decretorum*.

352. Enimvero Clericus Ioannes Iosephus Faraglia exposuit penes Curiam Episcopalem, quod a Sacerdote Ioanne Iacobo germano per manuum iniectionem fuisset impultionibus et pugno in faciem affectus, quodque neglecto incursa censurarum is in sequenti die Missam celebraverit. Vicarius Generalis die 11 ianuarii 1707 eum contumacem declaravit excommunicatum, ac ceculones relaxari et affigi mandavit, qui fuerunt affixi in locis consuetis sub die 10 februarii tum sequentis. Propterea Sacerdos germanus ad Sacram Congregationem confugit atque contendit, in memorata rixa nunquam manibus pertigisse dictum Clericum, sed minas tantum in eum intendisse: nihilominus rogavit, quatenus opus esset, ad cautelam absolvi et dispensari. Episcopus declaravit, percussionem non fuisse gravem, existimavit tamen, Oratorem exemplari poenitentia dignum. Unde die 26 februarii 1707 relectae fuerunt Oratoris preces, quas inde reiteravit condolens de gravamine accepto a Curia Episcopali: ac ideo iniunctum fuit Episcopo Civitatis Ducalis transmissionem processus, ac pariter requisita informatio Episcopi Sulmonensis vicinioris referentis, sese, auditis extraiudicialiter quinque Testibus, qui fuerunt praesentes altercationibus, reperiisse, eumdem Oratorem nullo modo violentas manus iniecisse in supradictum Clericum, sed tantum inter ipsos alternas iniurias intercessisse. Tandem trasmissa copia authentica dicti processus, et saepius impartita absolutione Oratori cum reincidentia, reseriptum fuit die 24 septembris 1707, ut Causa proponeretur, citato Agente Episcopi in Curia. Quo quidem citato una cum Clerico degente in Curia, propositis dubiis: – I. An censurae sustineantur? *Et quatenus affirmative*. II. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative*. III. An sit locus absolutioni et dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad omnia tria dubia, esse locum absolutioni et dispensationi ad cautelam – *in Civitatis Ducalis Censurarum et Irregularitatis die 12 Decembris 1711 lib. 61 Decretorum*.

353. Unde quum dubium sit, num Clericus inciderit in censuras et irregularitatem, Sacra Congregatio mandat, ut absolvatur et respective dispensetur ad cautelam *in Iuvenacen. Censurarum et Irregularitatis die 23 Februarii 1709 lib. 59 Decretorum*.

354. Enimvero pendente criminali iudicio praetensi stupri usque de anno 1691 in Curia Episcopali Iuvenacensi contra tunc Clericum Horatium Saracenum ad instantiam Puellae Dominicae Grottola, idem Horatius quodam die adiit domum Gubernatoris laici dictae Civitatis pro faciendo actu confirmationis suae personae cum dicta Dominica. Qua de causa Vicarius Generalis Clericum Saracenum excommunicavit: sed exin praevia partis exculpatione, sub die 9 augusti anni 1692 ab eodem Provicario Generali per Decretum definitivum a praefati stupri imputatione tamquam innocens fuit absolutus, et nulla ulterius habita ratione dictae excommunicationis publice fuit conversatus, ad omnes sacros Ordines promotus, et in illa Ecclesia Cathedrali Canonicatum adeptus, in quibus per plurium annorum emensa curricula pacifice perseveravit. Inde autem modernus Episcopus, reperto processu super eidem huius causis constructo, eum uti excommunicatum et

irregularem a divinis suspendit, licet Horatius sustinuisset, cedulones haud unquam publicatos fuisse nec ad eius notitiam deductos. Episcopus exemplar authenticum processus transmittens asseruit, satis constare notitiam dicti Horatii de cedulonibus affixis anno 1691. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An censurae latae contra Saracenum anno 1691 sustineantur? *Et quatenus affirmative.* II. An constet de irregularitate? *Et quatenus affirmative.* III. An sit absolvendus et respective dispensandus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse absolvendum et respective dispensandum ad cautelam – *in Iuvenacen. Censurarum Irregularitatis die 23 Februarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

355. Itaque quum Episcopus censuras relaxaverit in Monachum Benedictum Victorium Cellerarium, ex eo quod hic sese opposuerat visitationi in praedio *della Bagnarola*, primum idem impetravit absolutionem ab Interdicto, dein obtinuit dispensationem ab irregularitate per quatuor menses cum reincidentia a Sacra Congregatione, quae simul mandavit, ut Episcopus se abstineret a censuris *in Caesenaten. die 13 Septembris 1690.*

356. Nullum tamen dubium, quin possit exequutioni demandari etiam absente dispensando dispensatio super irregularitate obtenta a Sede Apostolica et commissa Ordinario pro exequutione *in Andegaven. Dispensationis die 21 Februarii 1666 lib. 25 Decretorum pag. 55.*

§. X.

DISPENSATIO MATRIMONIALIS AB IMPEDIMENTIS

1. Nil cordi magis fuit Romanis Pontificibus per undecim priora secula, quam sacrorum Canonum Statuta sedulo tueri, atque a dispensationibus concedendis super gradibus vetitis affinitatis publicae honestatis et consanguinitatis sese omnino abstinere: – Canones ecclesiasticos solvere non possumus – egregie scripsit Martinus I epist. 9, – qui defensores et custodes Canonum sumus, non transgressores –; et Zacharias epist. 1 cap. 5 inquit: – Nec enim ab Apostolica Sede illa diriguntur, quae contraria esse Patrum sive Canonum institutis reperiuntur –. Hinc anno 1045 denegavit Sedes Apostolica Roberto Galliarum Regi, quam petebat, dispensationem Uxorem habendi Bertam commatrem suam, ut habetur apud Thomasinum lib. 1 cap. 6 n. 8, Natalem Alexandrum sec. IX et X pag. 834 *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Nihil.*

2. At post seculum undecimum nonnihil remitti cepit de antiquae disciplinae ac iuris rigore; Alexander enim III electus anno 1159 veniam fecit Ioanni filio Henrici II Angliae Regis, ut filiam Comitis Glocestrae sanguine sibi coniunctam duceret uxorem. Innocentius III electus anno 1198 cum Othone IV Imperatore et filia Philippi eius aemuli quarto consanguinitatis gradu coniunctis dispensavit. Ex quibus factum est, ut quae singularibus ex causis concessae fuerant dispensationes in exemplum adductae plures moverint ad similes dispensationes postulandas, Summos vero Pontifices ad eas largiendas *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Post.*

3. Concilium Tridentinum ad instaurandam autem veterem universae Ecclesiae disciplinam in cap. 5 sess. 24 de reformatione sic statuit: – In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam – *in Ceneten. die 10 Aprilis 1723* §. *Si.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Quamobrem; in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *Verum; in Uritana Dispensationis die 7 Iunii 1777* §. *Acceditque.*

4. Nec dubium, quin hic Conciliaris Textus ex declaratione S. Pii V intelligatur de gradibus affinitatis et consanguinitatis, uti habetur apud Gallemart n. 8, dummodo tamen consanguinitas vel affinitas orta sit ex

legitimo Matrimonio, uti prosequitur Barbosa ad eumdem Textum n. 27 *in Ceneten. die 10 Aprilis 1723* §. *Si.*

5. Haud vero praefatus Textus Conciliaris comprehendit impedimentum publicae honestatis: nam Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii, qua parte prohibet dispensare in secundo gradu, nisi inter magnos Principes et ob publicam causam, non comprehendere impedimentum publicae honestatis iustitiae, quod oritur ex Matrimonio rato non consumato *in Caietana die 12 Ianuarii 1619 lib. 12 Decretorum.*

6. Praeterea dispositio Concilii Tridentini in cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii, qua Contrahentes in gradu prohibito excluduntur a spe obtinendae dispensationis, non extenditur ad sponsalia etiam consumata, cum non transeunt in matrimonium *in Nicoteren. mense Martii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 230.*

7. Liberum tamen est Summo Pontifici supremumque arbitrium omne tollendi impedimentum, quo Matrimonii contractus positivo Canonum iure prohibetur, ut ad rem Fagnanus in Cap. *Nimis* n. 15 de filiis Presbiterorum, Rigantius ad Reg. 49 Cancell. n. 1 et 2 tom. 4 *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii 1762* §. *Interea.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Ambigi; in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *De.*

8. Nam haec impedimenta quum vel a Conciliis Generalibus, vel a Summis pontificibus constituta fuerint, necessario sequitur, ut nonnisi ex eiusdem Summi Pontificis dispensatione tolli possint vel abrogari, Can. *Inferior* dist. 21, *Cap. Cum inferior* 16 de maior. et obed., et Clem. *Ne Romani* §. 1 de electione *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Haec.*

9. Unde potestatem certe non habent Episcopi dispensandi super impedimentis Matrimonium dirimentibus, ubi res sit de Matrimonio contrahendo. At aeque exploratum non esse videtur, num extraordinaria saltem potestate ac praesumpto Summi Pontificis consensu dispensare valeant super Matrimonio contrahendo, quando id exigant urgentissimae causae, nec facilis pateat recursus ad S. Sedem. Et in hac etiam quaestione Doctores in varia trahuntur. Nonnulli enim adeo Episcopis illimitatam tribuunt extraordinariam dispensandi potestatem, ut eos ex gravissimis causis difficilique accessu ad Summum Pontificem dispensare posse censeant super quocumque ecclesiastico impedimento, cuiuscumque generis sit, sive occultum, sive publicum, pro contrahendo etiam Matrimonio. Quandoquidem pia Mater Ecclesia huiusmodi impedimenta et reservationes non ad destructionem, sed ad aedificationem induxit, neque vult ea subsistere, ubi damnum praeiudicium scandalum periculum pariant animarum. Quum aliquando siquidem per dilationem Matrimonii gravia oriantur mala, donec dispensatio a Summo Pontifice obtineatur, credibile idcirco praefatis Doctoribus non videtur, Ecclesiam in his circumstantiis suarum legum observantiam a Fidelibus exigere. Et ita prae ceteris sentiunt Pontius de matrim. lib. 8 cap. 13 n. 9, Pignatellius consult. 33 n. 7 tom. 3, aliique apud Ferrarium verb. impedim. Matrim. art. 3 n. 7. Alii vero licet extraordinariam quamdam in Episcopis admittant potestatem dispensandi super impedimentis Matrimonii etiam contrahendi, eam tamen ad impedimenta restringunt occulta, ac denegant in publicis, etiamsi gravissimae urgeant causae, et facilis non sit ad Romanum Pontificem accessus. Extraordinaria namque Episcoporum potestas haud se extendit – ad dispensandum contra praecipuas gravesque Ecclesiae sanctiones –, ut inquit Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 2 n, 74; ideoque se extendere nequit ad dispensandum super impedimentis publicis Matrimonium dirimentibus, quae ad praecipuas gravesque Ecclesiae sanctiones pertinent, ut observant De Iustis de dispens. lib. 2 cap. 12 n. 149, Pichler in ius can. lib. 4 tit. 16 n. 33, et Rigantius ad Regul. 49 Cancell. n. 2 *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Posita* §. *Alii.*

10. Idcirco nequeunt Episcopi ex quavis causa ac praetextu dispensare in publico impedimento, quod matrimonium dirimit; hinc iure ac merito Sacra Congregatio reiecit opinionem P. Vincentii Tancredis allatam in suis quaest. moral. tom. 1 quaest. 78, qua asserit, Episcopos in casu urgentissimae necessitatis

ante contractum matrimonium posse dispensare in impedimento publico dirimente, atque expresse declaravit, non posse Episcopos dispensare in casu urgentissimae necessitatis ante contractum Matrimonium in impedimento publico dirimente *in Syracusana Dispensationis die 13 Martii 1660 lib. 22 Decretorum pag. 66.*

11. Siquidem instante Episcopo Syracusano pro resolutione controversiae, de mandato Summi Pontificis, proposito dubio: – An Episcopus in casu urgentissimae necessitatis possit ante contractum Matrimonium in impedimento publico dispensare? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Syracusana Dispensationis die 13 Martii 1660 lib. 22 Decretorum pag. 66.*

12. Hoc immo articulo per sacram ipsam Congregationem proposito Congregationi Sanctissimae Inquisitionis ad eliminandam erroneam quorumdam opinionem autumantium, posse Episcopum in aliquibus dispensare, haec salubriter ita edixit ac declaravit: – Propositio asserens, Episcopum posse dispensare in publico impedimento Matrimonii dirimente consanguinitatis pro Matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua Contrahentes non possunt expectare dispensationem Sedis Apostolicae, est falsa temeraria scandalosa perniciosa et seditiosa –, quam declarationem confirmavit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum die 19 Ianuarii per Decretum: – Mox excriptam propositionem esse falsam et temerariam – *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Haec.*

Item *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Alii* (1).

13. Consentanee ad hoc Decretum, cum Episcopus Aegitaniensis, parum fidens invectae in aliqua Regni Portugalliae parte contrariae opinioni, proposuit dubia: – I. An dispensationes in gradu consanguinitatis cum copula per Consanguineos contrahentes obtentae et effectum suum sortitae, non peracta prius poenitentia in Bulla dispensationis praescripta, fuerint valide executae, ita ut nulla nova revalidatione egeant? II. An et quae impositorum obtinentur, sint exequendae prius quam fuerit peracta dicta poenitentia? III. An Episcopus dispensare possit in foro conscientiae tantum in impedimentis dirimentibus Matrimonium et post eius publicationem et confirmationem detectis? *Et quatenus affirmative.* IV. An possit, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum contrahentium? V. An possit, quando ob moram habendae dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiae et scandali? VI. An possit, quando impedimentum provenit ex parte Feminae passurae iacturam vitae famae et scandali, si illud detegeret? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et scribant Theologi et Canonistae. Ad secundum, Negative. Ad tertium et quartum, non posse secluso scandalo, de quo in quinto dubio; posse autem quatenus impedimentum non sit publice detectum. Ad quintum et sextum, Affirmative quoad forum conscientiae tantum – *in Aegitanien. Dispensationum die 19 Aprilis 1692 lib. 42 Decretorum.*

14. Qua de re concordant omnes, quod Episcopus potest dispensare in impedimentis impedientibus et non dirimentibus, exceptis impedimentis sponsalium et voti absoluti castitatis et Religionis, quia licet in iure id non sit expressum, nisi quoad incestum, uti habetur in cap. 2 de eo qui cognovit consanguineam, pacifica tamen consuetudo inolevit, attribuens Episcopis facultatem dispensandi super ceteris impedimentis impedientibus et non dirimentibus, exceptis allegatis impedimentis sponsalium et supradicti duplicis voti, uti tradunt Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 17 n. 15, Salmaticenses in cursu moral. tom. 2 tract. 9 de matrim. cap. 13 puncto unico n. 16 et 17, Perez de Matrim. disp. 23 sect. 8 n. 5, et Clericat. de matrim. decis. 37 n. 34 *in Ulixbonen. die 7 Septembris 1726* §. *Quoad.*

15. Nec error ignorantia bona fides iurisdictionem et potestatem conferunt non habenti, nisi in eo saltem titulus concurrat coloratus et error communis in Populo. Unde nullum Episcopus multoque minus eius Vicarius coloratum habet titulum ad concedendas matrimoniales dispensationes, ac sem-

(1) Confer Benedict. XIV de Synod. Diaeces. lib. 9 cap. 2; Rigant. tom. II comment in Reg. Cancell. in notis ad Reg. 19, n. 1 et 2.

per idcirco attentare videntur ex defectu iurisdictionis et potestatis. Quodque magis est, etsi aliquando Episcopi huiusmodi dispensationes ex colorato titulo concesserint, Matrimonia tamen earum vi bona fide contracta iudicata fuerunt nulla. Quidam sane Regularis in Hispania multas Apostolicas dispensationum Literas decem per annos confixit, easque exequuti fuerunt Ordinarii. At re cognita, quum Rex Catholicus Summum Pontificem rogasset, ut committeret Episcopo Oxomensi confirmationem Matrimoniorum, quae iam bona contracta fuerant fide, data fuit commissio Hispaniarum Nuntio, ut dispensaret cum iis, qui bona fide contraxerant, ut iterum contrahere valerent, licet ex falsis Literis Apostolicis coloratum Episcopi habuissent titulum. Idemque evenit de Matrimoniis bona fide contractis ex dispensationibus super impedimentis dirimentibus pro Belgio concessis a Cardinali Legato Germaniae, licet eo ductus fuisset communi tunc errore, quod comprehenderetur Belgium in Germania, et ad illud extenderentur facultates Apostolicae pro Germania concessae. – Nulla igitur sunt et irrita, ait Rigantius ad Reg. 49 Cancell. n. 2 tom. 4, Matrimonia inter consanguineos et affines contracta cum dispensatione ab Episcopis impertita, nec Sedes Apostolica Matrimonia praefata revalidat, permittendo, quod in iis contrahentes remanere possint, sed mandat de novo contrahi, servata forma Concilii Tridentini, solumque ubi multitudo fuit in causa, quia nempe bona fide fuerunt nulliter Matrimonia contracta inter consanguineos et affines, praeviis dispensationibus Episcoporum aut Missionariorum dispensandi facultate carentium, vidi illa in radice revalidata sine novo consensu ad evitandam stragem tot Matrimoniorum, et ne conscientiae inquietentur, ut in casu Avenionen. de anno 1693. Et modernis hisce temporibus Sedes Apostolica nec expresse dicta Matrimonia revalidat, sed rescribere solet, non esse inquietandos existentes in bona fide – *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Advertant* §. *Nulla.*

16. Hinc dispensatio obtenta a Sacerdote delegato Episcopi Samogitiae habentis facultatem concedi solitas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide et S. Officii non suffragatur ad convalidandum matrimonium nulliter contractum propter impedimentum tertii gradus affinitatis *in Luceorien. die 27 Iulii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 377.*

17. Sacra Congregatio tamen declaravit, esse locum novae dispensationi per Sedem Apostolicam concedendae, attenta bona fide eorum, qui contraxerunt *in Luceorien. die 27 Iulii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 377.*

18. Quod si necessitas vel Ecclesiae utilitas urgeat, conceditur Episcopis facultas dispensandi: quandoquidem Summus Pontifex de voto Sacrae Congregationis Episcopo Andriensi concessit facultatem dispensandi in tertio et quarto gradu quoad eos tantum, qui iam contraxerunt et paupertate impediebantur ad Sedem Apostolicam accedere, dum tamen gratis et nulla impensa dispensationes concedat *in Andrien. die 4 Maii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 43.*

Item *die 22 Decembris 1640 lib. 16 Decretorum pag. 468.*

19. Similiter id concessum fuit Episcopo Machariensi, imposita tamen gravi et salutari poenitentia dispensandis, et cum conditione, quod de novo contrahant, facta per aliquod tempus separatione *in Macharien. die 13 Aprilis 1630 lib. 14 Decretorum pag. 263.*

20. Idcirco si expressa facultas dispensandi haud fuerit a Summo Pontifice concessa, neque convalidationi Matrimonii inter Vitricum et Privignam ex facultate ipsis concessa a Vicario Generali ob assertam impotentiam recurrendi ad S. Sedem, neque dispensationi locus est, etiamsi iidem bona fide illud in faciem Ecclesiae contraxerint ac prolem susceperint, ex eo etiam quod causae, ob quas huiusmodi potestatem eis fecerat Vicarius Generalis, haud subsisterent *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796.*

21. Iamvero defuncta Maria Theresia Lixson – Noppius, fidem nubendi dedit superstes eius Vir Dionysius Collard privignae Agneti Noppius, quam in primis nuptiis ex Ioanne Baptista Noppius obita Uxor susceperat, eamque carnaliter etiam novit. Orta hinc suspicione probabilis illius graviditatis, publicisque inter vicinos obmurmurationibus, Vicario Generali Leodiensi, absente Episcopo, supplicavit Parochus Dionysii pro dispensatione super impedimento primi gradus affini-

tatis lineae rectae, ut eum cum Privigna Matrimonium iungeret, – salva auctoritate Sedis Apostolicae, ad quam (ob Gallorum incursionem in Leodiensem Civitatem) omnis praecludebatur accessus, nec praevidebatur, illum citius patere –; precibusque Vicarius Generalis annuit, – attentis circumstantiis valde urgentibus et rationibus in libello deductis, imposita Oratoribus salutari poenitentia –. Inito igitur vigore huiusce dispensationis inter Dionysium et Agnetem in faciem Ecclesiae Matrimonio proleque suscepta, moniti tandem fuerunt Coniuges de illius nullitate, ac supplices propterea Summum Pontificem adierunt pro eiusdem Matrimonii convalidatione, et quatenus opus, pro Apostolica dispensatione; retulitque Vicarius ipse Generalis ad Summum Pontificem, se dispensationem concessisse – ad evitandam praesertim praevaricationem, ad consulendum eorum saluti, et ne alii pravum haberent exemplum Matrimonii nulliter contrahendi, sed firmo animo implorandi a Sanctitate Vestra relatae dispensationis confirmationem absolutionemque –; atque insuper monuit, – quod nisi dispensationis gratia eis concederetur, damnabilem incestuosamque vitam agere continuarent, non sine summa infamia, gravissimis scandalis evidentique salutis periculo; quocirca observandum esset, quod in casu denegationis valde pertimescendum foret, ne desperatione abrepti coram municipalibus Officialibus Matrimonium contraherent –. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, eas EE. PP. ablegarunt Episcopo – Pro informatione et voto, auditis: et interim referat de tempore contracti Matrimonii, de impotentia recurrendi ad S. Sedem, et de bona fide Oratoris, et interim mandet separari assertos Coniuges usque ad exitum Causae, transmissa copia dispensationis –.

22. Vicarius Generalis, absente adhuc Episcopo, rescripsit: – Preces pro parte Dionysii Collard et Agnetis Lambertin ac Noppius sibi porrectas, in supplici libello hic adnexo contentas, una cum subinsertis dispensationum nec non Matrimonialibus literis, veritate omnino inniti; pro tunc realem ac absolutam recurrendi ad S. Sedem existere impotentiam, praefatos Oratores Sacrae Apostolico – Romanae Religionis vero cultores, in bona fide versatos esse, benevolentiaque S. Sedis revera dignos, propter eorum summam S. R. E. submissionem, ac interim illos separari non praetermisisse usque ad exitum Causae, quem felicissimum avidissime appetens (idem Vicarius Generalis) ex eo potissimum quod ex praedicto Matrimonio, iuxta Sacrae Romanae Ecclesiae ritus celebrato, ac omnibus noto, iam nata sit proles, cuius legitimationi, nec non Oratorum saluti prorsus consulendum videtur, Sacram Congregationem enixissime deprecatur, ut praemissa attendere, ac ideo dispensationem confirmare seu quatenus opus, ex integro benigne concedere dignetur –. Advertebatur vero, quod nec Episcopus concedere poterat huiusmodi dispensationem; ac potissimae dispensandi causae per Vicarium adductae non subsistebant, et vera in eius informatione reticebatur. Haud porro subsistebat, quod Privignae impraegnatio sequuta fuit, neque subsistere videbatur, quod dispensationis tempore difficilis esset accessus ad S. Sedem, dum liberum erat commercium epistolarum, per quas peti potuisset dispensatio. Vera autem et principalis causa, per Vicarium reticita, temporalis omnino fuit, ut Vitricus nempe et Privigna indivisum servarent commune negotium, quo dissoluto, uni alterum deserenti – pars mercium aedium totiusque commercii competebat, gravissimumque utrique, opera manuum suarum et industria tantum viventi, inferebatur damnum –, ut dixit Parochus in libello. Nec itaque ex praesumpta in eodem dispensante facultate, bona contrahentium fide ac servata in omnibus Sacri Concilii Tridentini forma, Matrimonium consistere valebat. Nam error ignorantia bona fides iurisdictionem et potestatem non conferunt non habenti, nisi in eo saltem titulus concurrat coloratus et error communis in Populo. Nullum autem Episcopus multo minus eius Vicarius coloratum habebat titulum ad concedendas matrimoniales dispensationes.

23. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro convalidatione Matrimonii inter Dionysium Collard et Agnetem Noppius, in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatitione super impedimento primi gra-

dus affinitatis lineae rectae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et ad mentem. Ad secundum, Negative – *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796.*

24. Hinc de impedimento affinitatis, quae vulgo dicitur proximitas Personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela, varia olim fuit disciplina. Quum enim triplex distingueretur affinitatis genus, et ad septimum usque extenderetur gradum, Innocentius III in Lateranensi Concilio anno 1216 Cap. *Non debet* de consanguinitate et affinitate ad unum tantum genus reduxit, illudque ultra quartum gradum protrahendum non esse declaravit. Verum Synodus Tridentina sess. 24 cap. 4 de reformatione matrimonii, licet quoad affinitatem ex copula licita seu coniugali nihil innovaverit, affinitatis tamen impedimentum ex fornicatione contracta et Matrimonium postea factum dirimentis – ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur – restrinxit. – In ulterioribus vero gradibus statuit huiusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere –. Idque latius declaravit S. Pius V in Constit. *Ad Romanum Pontificem* die 18 novembris 1566 *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *De.*

25. Nulla hinc requiritur dispensatio ob impedimentum affinitatis in tertio gradu ex fornicatione proveniens *in Spoletana die 19 Marti 1644 ad cap. 4 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 50 pag. 359.*

26. Quo vero iure, an positivo tantum, vel naturali etiam vetita sint Matrimonia in primo affinitatis gradu lineae rectae aut transversalis, pluries a Doctoribus disputatum est. Sed tamquam verior recepta est eorum sententia, qui pro iure tantum positivo pugnarunt, iuxta illud Deuteronomii XXV, 5: – Quando habitaverint Fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, Uxor defuncti non nubat alteri, sed accipiet eam Frater eius, et suscitabit semen Fratris sui – *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Quo.*

27. Siquidem quamplures gravissimi Auctores asserunt, prohibitum esse Matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae, quales sunt Vitricus et Privigna, a iure naturae; eodemque propterea iure irritum, si contrahatur, denegando Ecclesiae dispensandi potestatem: ita Bellarminus, Gotti, aliique apud Rigantium ad Reg. 49 Cancell. n. 18 tom. 4. Aliter vero communiter sentiunt Theologi et Canonistae, atque impediri censent tale Matrimonium iure dumtaxat ecclesiastico, ita ut super eo dispensari valeat ab Ecclesia, atque his nituntur rationibus; primo, quia non sunt interdicta huiusmodi Matrimonia apud omnes gentes; quia non opponuntur primario aut secundario eorum fini, neque in iis violatur naturalis ordo superioritatis, qui non est inter affines, sed consanguineos; tertio demum, quia permisit aliquando Ecclesia, ut in simili Matrimonio fideles permanerent, veluti desumitur ex Concilio Aureliano III anni 538, quas aliasque rationes late expendunt Gonzalez in lib. 4 Decret. tit. 14 in comment. ad cap. 1 n. 9, De Iustis de dispens. lib. 2 cap. 7 n. 48, Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 66, Rigant. ad dict. Reg. Cancell. 49 n. 20 tom. 4, et Congregatio S. Inquisitionis habita coram Benedicto XIV *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Prae.*

28. Unde quando res non est de Matrimoniis contrahendis in primo gradu affinitatis lineae recte, sed de Matrimoniis bona fide contractis, huiusmodi Matrimonia – sua dispensatione rata habet Ecclesia –, teste Natal. Alex. ad sec. VI cap. 5 art. 15 §. Canon decimus. Reque ipsa Concilium Aurelianense III anni 538 can. 10 sic statuit: – De incestis coniunctionibus ita quae sunt serventur, ut hi, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali praedicatione antea in notitiam non venerunt, ita novitate conversionis ac fidei suae credidimus consulendum, ut contracta hucusque huiusmodi coniugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis coniunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur; idest, ut ne quis sibi sociare sub coniugii nomine praesumat relictam patris filiam uxoris etc. – *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Illudque.*

29. Qua de re dispensatio in primo gradu affinitatis lineae rectae centies a Summo Pontifice implorata, toties ab ipso, de voto etiam Sacrae Inquisitionis fuit denegata, li-

cet a magnis Principibus petita, et copula inter affines intercessisset. Varia huius generis exempla adducit Rigantius ad Reg. Cancell. 49 n. 23 tom. 4, pluresque n. 27 enumerat Doctores, qui testantur, nunquam ad illorum tempora similes dispensationes concessas fuisse *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Obstat.*

30. Licet vero fere semper denegatae fuerint dispensationes in primo gradu affinitatis lineae rectae, haud omnino tamen contraria desunt exempla, eaque praesertim de Iuditha Caroli Calvi Francorum Regis filia nupta Privigno, et de Sorore Theodoberti nupta item Privigno Varnorum Principi, de quibus Rigantius in Reg. 49 Cancell. n. 21, et Petav. tom. 1 lib. 7 cap. 7. Haec sane exempla valde dura videntur, quum inverso reverentiae ordine nupserint novercae, quae personam gerunt Matris, privignis, qui locum tenent filiorum, eisque subditae evaserint, quod non evenit in casu, quo privigna per Matrimonium subiicitur vitrico, cui iam naturali Ordine subest. Quod ea autem Matrimonia contracta fuerint ex dispensatione Ecclesiae, non obscure innuit Rigantius. Illorum namque refert exempla ad confirmandam veriorem sententiam, quod Matrimonia in primo affinitatis gradu lineae rectae prohibita non sint iure naturali, sed ecclesiastico, ut ibidem n. 20 21 et 22 *in Leodien. Matrimonii die 28 Maii 1796* §. *Licet.*

31. Divus Thomas autem in supplem. 3 part. quaest. 55 art. 4 ad 2 defendit, ex Matrimonio rato et non consummato affinitatem oriri. Nec adversatur Constitutio *ad Romanum* 62 S. Pii V: nam illa, reprobata sententia eorum, qui opinati fuerant, impedimentum ex Matrimonio rato procedens, uti solius iustitiae publicae honestatis, primum gradum non excedere, iuxta Decretum Concilii sess. 24 cap. 3 de reformatione matrimonii, declaravit, Concilii Decretum esse intelligendum de solis sponsalibus de futuro, non etiam de Matrimonio rato, – cum (sunt verba Constitutionis) longe maiorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de praesenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere, a nemine dubitetur –. Et licet aliorum opinionem sequutus Corradus in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 n. 15 teneat, solum publicae honestatis impedimentum oriri ex Matrimonio rato, attamen fatetur sub n. 16, affinitatem quoque illud vocari, saltem initiative, si non perfecte et consummate; et sub n. 18 et 20 testatur, illud a Dataria appellari impedimentum affinitatis – ad retrahendos Oratores omnesque alios a petitione similium dispensationum, cum perinde sit ac si esset impedimentum primi vel secundi, vel alterius gradus affinitatis, quoad dispensationes super eo impetrandas – *in Animadversionibus Secretarii in Causa Gadicen. Dispensationis die 11 Septembris 1762* §. *Altera.*

32. Enimvero divus Thomas in dicto supplement. quaest. 55 n. 4 haec tradit: – Matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam Matrimonium naturale est: unde et affinitas contrahitur ex ipso contractu Matrimonii per verba de presenti ante carnalem copulam – *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *Non.*

33. Hanc sententiam sequuntur nonnulli, quos refert Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 64 n. 24 ea innixi ratione, quod per vinculum coniugale cum potestate ad copulam Vir et Uxor uniuntur in ratione principii ad generationem. Alii vero tenent, ex Matrimonio rato et non consummato affinitatem oriri non proprie, sed initiative et lato modo sumptam. Alii demum sustinent, impedimentum contrahi tantum publicae honestatis, non autem affinitatis, quia haec non intercedit, nisi ex copula perfecta et consummata, qua Vir et Uxor una caro efficiuntur, ut ait Corrad. in prax. dispensat. lib. 8 cap. 7 a n. 15, et hanc fuisse Sacrae Congregationis sententiam testatur idem Corradus sub n. 13, aliique relati a Sanchez de Matrim. loc. cit. n. 25 *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *Non* § *Alii.*

Item *in Acheruntina Dispensationis die 8 Iunii 1771* §. *His; in Mindonen. Dispensationis die 3 Augusti 1771* §. *Impedimentum.*

34. Siquidem ex Matrimonio rato tantum oriri vinculum publicae honestatis iustitiae, non autem affinitatis praescribitur in Can. *Si quis desponsaverit*, ibique Gloss. Caus. 27

quaest. 2: – Si quis desponsaverit sibi aliquam, et praeveniente mortis articulo, eam cognoscere non poterit, Frater eius non potest eam ducere in uxorem –; et rationem allegat Glossa, quia – hoc casu est impedimentum publicae honestatis iustitiae, non affinitatis, quia illa non est, nisi interveniat carnalis copula –. Similiter habetur ex declaratione arboris affinitatis §. Et insurgit post caus. 35 quaest 5: – Et insurgit affinitas ex coitu interdum cum publica honestate, interdum sine, et publica honestas, interdum sine affinitate, ut si cognosco uxorem vel sponsam, hic impedimentum est publicae honestatis et affinitatis; si cognosco non sponsam, hic affinitas sola est; si sponsam nondum cognovi, ibi sola publica honestas –. Idque sancitum est etiam in Cap. *Duo Pueri* de despons. impuberum, sustinentque, pluribus allegatis Doctoribus, Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 64 n. 25 et 27, respondens sententiae divi Thomae aliorumque sequentium, ait, non aliter, nisi arctius vinculum publicae honestatis oriri ex Matrimonio rato, quam ex sponsalibus, et initium quoddam affinitatis, non tamen vere affinitatem, et Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24 cap. 3 de reform. matrim. n. 13, qui etiam sub antecedenti n. 12 refert, et quoque S. Pium V in sua Constitutione *Ad Romanum* declaravisse, quod ex Matrimonio rato non consummato minime oriatur affinitas, sed iustitia publicae honestatis dirimens Matrimonium *in Uritana Dispensationis die 7 Iunii 1777* §. *E converso* §. *Similiter* §. *Idque*.

35. Unde super impedimento affinitatis in primo gradu, sive affinitas sit initiative, sive perfecte et consummate, non ea facilitate dispensatur, sicut in impedimento pucae honestatis proveniente ex sponsalibus de futuro, ut tradit idem Corradus loc. cit. n. 17. Satis enim perspicua est censura Sacri Concilii Tridentini in sess. 24 cap. 5 de reformatione matrimonii, ubi, nulla facta distinctione inter impedimentum consanguinitatis et affinitatis, generaliter statuitur, quod in gradibus prohibitis nonnisi raro et ex causa dispensationes concedantur, quodque – in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam –: quamobrem eo magis prohibita videri potest dispensatio in primo gradu affinitatis, quoties postuletur a privatis et ex privata causa illorum utilitatis *in Animadversionibus Secretarii in Causa Gadicen. Dispensationis die 11 Septembris 1762* §. *Utramque*.

36. Idcirco Cardinalis de Lugo consultus a s. m. Urbano VIII circa dispensationem petitam a Mantuae Duce super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae, respondit, posse quidem huiusmodi dispensationem concedi a Summo Pontifice –; sed non expedire, ob maximam illius coniunctionis turpitudinem –, et eiusdem sententiae fuit Sacra Congregatio sanctissimae Inquisitionis, ut refert Rigantius ad Reg 49 Cancell. n. 25. Maxima quidem est coniunctionis turpitudo in primo gradu affinitatis lineae recte, sed non levis est turpitudo coniunctionis in primo gradu affinitatis lineae transversalis, cum Uxoris soror sororia appelletur respectu Viri, quasi eius soror, Mastr. in 4 sent. disp. 7 n. 482 tom. 4, et Matrimonium inter eos contractum speciem quandam praesefert turpitudinis, quam gigneret Matrimonium contractum inter Fratrem et Sororem *in Animadversionibus Secretarii in Causa Gadicen. Dispensationis die 11 Septembris 1762* §. *Et licet*.

37. Nec sane dispensationes super primo affinitatis gradu in linea transversali admodum antiquae sunt in Ecclesia; primusque omnium Martinus V anno 1418 illam concessit Comiti Tuxensi pro ducenda Vidua sui Fratris, filia ducis Bavariae: et successores Pontifices usque ad s. m. Clementem XI rarissime illas concesserunt, atque in fine XVI seculi, ne scandalum oriretur in Populo, fuit a Clemente VIII denegata Regi Poloniae dispensatio contrahendi Matrimonium cum defunctae Uxoris Sorore Archiducissa Austriae, licet illam postea concesserit s. m. Paulus V in Concistorio habito die 2 septembris 1605, teste Rigantio loc. cit. n. 33 *in Animadversionibus Secretarii in Causa Gadicen. Dispensationis die 11 Septembris 1762* §. *Nec refert*.

38. Nec refert, successivis temporibus concessas aliquando fuisse similes dispensationes etiam privatis. Poterant enim in casibus adeo graves circumstantiae concurrere, ut recte moveri Summus Pontifex potuerit ad dispen-

sandum; nec ideo huiusmodi dispensationes videntur in exemplum adducendae, – cum frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo Personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud sit, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire –, ut inquit Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 18 de reformatione *in Animadversionibus Secretarii in Causa Gadicen. Dispensationis die 11 Septembris 1762* §. *Nec refert.*

39. Ceterum Summi Pontifices iustis de causis etiam post Concilium Tridentinum pluries dispensarunt, praesertim in primo gradu affinitatis in linea transversali: nam Paulus V hanc ipsam concessit dispensationem, Urbanus VIII tredecim, Innocentius XII duas, Alexander VII octo, Clemens IX unam, Clemens X octo, Innocentius XI duas, et Clemens XI quamplurimas, Rigant. ad reg. 49 Cancell. n. 34 *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *His.*

40. Validum itaque censetur Matrimonium initum ex dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis iam ante contractae ob illicitam consuetudinem Viri cum Sorore Sponsae ea simul conditione concessa, ne coniuges sub gravissimis poenis habitarent in loco, ubi praedicta Soror commoraretur, alias Literae dispensationis quoad forum conscientiae nullatenus suffragarentur, etiamsi huiusmodi clausulae seu legi paritum non fuerit, hinc et locus est absolutioni a poenis ob id incursis *in Conimbricen. Matrimonii die 3 Aprilis 1734.*

41. Iamvero Antonius Ioannes, ut Matrimonium iniret cum Francisca Dias, Pontificiam dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis iam ante contractae ob illicitam consuetudinem cum Sorore eiusdem Franciscae. In ipsis autem Literis Apostolicis ad summovendam deinceps periculi occasionem adiectum de more fuit hoc Decretum: – Iniuncto eisdem Oratoribus sub gravissimis poenis, ne in Civitate Oppido seu loco, in qua seu quo praedictae Oratricis Sororem pro tempore commorari contigerit, habitent; et si mandato huiusmodi non paruerint, praesentes Literae eis, quoad forum conscientiae, nullatenus suffragentur –. Paritum huic praecepto non fuit: nam post initum Matrimonium Coniuges in eodem loco domicilium habuere pluribus annis, suscepta etiam interea prole. Itaque Curia Episcopalis censuit, Matrimonium esse invalidum; ac Ordinarius pronunciavit, Antonium esse mulctandum poena carceris per annum, deindeque exilio per quinquennium. Cum sex iam anni praeterlapsi, in quorum intervallo Antonius et Francisca seorsum vixerunt, iamque etiam e vivis excesserit eiusdem Franciscae soror, supplex postulavit Antonius, ut declararetur, an Matrimonium fuerit nullum: si autem validum esse visum fuerit, rogavit absolvi a poenis, quas ab eo subeundas decrevit Curia Episcopalis, ut Coniuges libere simul in posterum vivere possent. At prima pars clausulae, sub qua dispensationis impertiendae facultas tribuebatur, respiciebat tempus praecedens celebrationem Matrimonii, ideoque cavere debebat Executor dispensationis, ut prius relabendi occasio removeretur; adeoque ob non servatam formam commissionis et mandati in dispensando Matrimonium videri poterat nullum, ut notat De Iustis de dispens. lib. 1 cap. 8 n. 202 203 et 204. Sed maior difficultas versabatur in altera parte praedictae clausulae seu legis impositae. Praeceptum quippe, ne Coniuges in vetito loco habitarent, debebat quidem praecedere executionem dispensationis et celebrationem Matrimonii, sed paritio et praecepti observatio, quae ad Coniuges pertinebat, respiciebat tempus subsequens Matrimonium. Si ergo deinde huiusmodi praecepto non paruerint, non videbatur per hoc inferri posse nullitas Matrimonii iam ante valide contracti; quia in Matrimonio, tametsi dari possit conditio suspensiva eius validitatis, non tamen ei convenit conditio resolutiva ob indissolubilitatem, quae non patitur, quod Matrimonium ab initio validum ex futuro eventu reddatur dissolutioni obnoxium, ut habetur in Cap. *Cum sis* de convers. Coniugatorum, in Cap. *Quicumque* de condit. apposit., et Fagnan. in Cap. *Cum in Ecclesiis* de maiorit. et obedientia. Alias enim in arbitrio Coniugum esset positum Matrimonium vinculum dirimere. Nec obesse videbantur verba – quoad forum conscientiae –; nam huiusmodi clausula sic explicari oportebat, ut, salva validitate Matrimonii, Coniuges non obtemperantes iniuncto praecepto subiecti red-

derentur peccato, cui seclusa dispensatione essent obnoxii, proindeque Matrimonium dumtaxat redderetur illicitum.

42. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu, de quo agitur? – II. An sit concedenda Antonio absolutio a poena carceris et exilii ob non servatum praeceptum imposita in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. – Ad secundum, Affirmative – *in Conimbricen. Matrimonii die 3 Aprilis 1734.*

43. Qua de re quum quis obtinuisset dispensationem super impedimento affinitatis ex copula illicita cum Matre Sponsae antecedenter habita, quin eadem executioni demandari potuerit propter notitiam aliorum impedimentorum, adulterii videlicet et veneni primae Uxori propinati, Sacra Congregatio, attenta admodum infirma horum criminum probatione, declaravit, procedendum esse executioni Brevis Apostolici, obtenta tamen dispensatione per Secretarium a Summo tifice super falsa imputatione praetensorum impedimentorum, de quibus agebatur, nec non renovato consensu coram Parocho et Testibus, ex eo quod Sponsi Matrimonium interim inierunt *in Reatina die 13 Iulii 1725.*

44. Siquidem cum die 11 novembris 1710 ex hac vita migrasset Catharina uxor Amici de Federico, idemque exoptasset ad alia vota transire cum Beatrice de Luce, obtinuit a Sacra Poenitentiaria Breve dispensationis super impedimento affinitatis ex copula illicita, nam praecedenter rem habuerat cum Matre praedictae Beatricis; sed illud executioni demandari non potuit propter clausulam – si occultum –, quae apponitur in Brevibus dicti Tribunalis, copula quippe cum Matre Beatricis erat publica et notoria. Unde die 13 aprilis 1711 Amicus aliud Breve dispensationis assequutus est per organum Datariae Apostolicae, sed nec istud potuit executioni demandari, cum tempore intermedio habita fuerit notitia aliorum duorum impedimentorum, adulterii videlicet ab ipso commissi cum Beatrice tempore, quo Catharina prima uxor vivebat, cum promissione eam ducendi in uxorem post eius obitum, et etiam veneni praedictae primae Uxori propinati, ut Matrimonium cum dicta Beatrice contrahere posset. Pertaesus Amicus longioris morae Matrimonium contraxit cum Beatrice coram Parocho et Testibus, et cum ea cohabitavit et ab ea tres liberos habuit. Exinde Sacerdos Gregorius della Pezza Congregationis Piorum Operariorum de adeo infelici eorum statu admonitus enixe egit, ut S. Sedes opem auxiliumque afferret. Itaque ex transmissa Episcopi relatione et D. Florelli restrictu patebat, nullam adesse difficultatem de adulterio commisso, cum Amicus illud ingenue fateretur, sed difficultatem consistere in promissione ducendi adulteram in uxorem; promissio enim haec non innitebatur, nisi cuidam revelationi, quam Parochus sibi factam fuisse dixit a Victoria adulterae matre; sed eadem Beatricis mater ad examen formale subinde vocata, etiam iuramento interposito, dixit, se nihil scire de promissione, nec unquam Parocho revelasse. Quatuor autem Testes deposuerunt, Catharinam mense maii anno 1710, et sic per sex menses ante suum obitum, quamdam portionem farris coxisse, eamque comedendam tradidisse Petronillae nepti et aliis consanguineis, qui doloribus statim et vomitu correpti sunt, eumdemque farrem subinde datum fuisse Gallinis ad comedendum, quae paullo post mortuae sunt. Alii duo Testes dixerunt, se audivisse a Petronilla, quod Amicus nescio quid albi in farre cocto miscuerat, et quod Catharina existimabat, ex ea causa vomitum processisse. At Petronilla non potuit examinari, utpote mortua ante compilatum processum; idcirco infirma admodum haec exhibiti veneni probatio existimabatur. Duo praeterea Testes retulerunt, die omnium Sanctorum, et sic paullo ante obitum Catharinae, fuisse ipsi ab Amico marito exhibitum quemdam panem una cum uvis ad comedendum, et quemdam liquorem ad bibendum, quem in nonnullis vasculis retinebat, et Catharinam post commestionem et potum acrius fuisse morbo vexatam, quo deinde occubuit die 11 novembris. Quum omnes vero Testes concordarent, praedictam Catharinam fuisse delicatae naturae, et pati consuevisse quolibet anno dolores colicos et febres, iisdemque fuisse vexatam in ultima aegritudine; et Parochus S. Anatoliae et alii Sacerdotes eiusdem loci non solum in hoc concordarent, sed etiam superadderent, nullam conti-

gisse in cadavere Catharinae mutationem, nec ullum in eo apparuisse veneni signum, hisce de causis conclusit Episcopus, probationes propinati veneni esse debiles et aequivocas, et sic sibi videri, annuendum esse petitis, facultati videlicet contrahendi Matrimonium, ut etiam consuleretur honori Beatricis et Amici incolumitati, cuius vita dicebatur insidiis exposita, propter inimicitiam ipsi indictam a Fratribus Beatricis, si Matrimonium non sequeretur. Unde cum probatione impedimenti criminis insufficientes viderentur, locus esse poterat executioni dispensationis super alio impedimento ex copula illicita: sed interim necessaria censebatur renovatio consensus coram Parocho et Testibus, ex eo quod praedictum impedimentum ex copula illicita erat publicum, etiamsi durante impedimento Matrimonium fuisset contractum in faciem Ecclesiae et coram Testibus et Parocho, ad differentiam casus, in quo haec facta fuissent, sed in terminis impedimenti occulti, iuxta praxim Sacrae Poenitentiariae, de qua Navarrus consil. 4 de sponsalibus, et resolutiones Sacrae Congregationis apud Fagnanum in Cap. *Is, qui fidem* n. 14 de sponsal., et concordantem Rotam decis. 900 coram Seraphino.

45. His mature perpensis, propositis dubiis: I. An sit procedendum ad executionem Brevis Datariae super impedimento affinitatis ex copula illicita in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An consensus a contrahentibus sit renovandus coram Parocho et Testibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative obtenta dispensatione per Secretarium a Sanctissimo super falsa imputatione praetensorum impedimentorum, de quibus agitur. Ad secundum, Affirmative – *in Reatina die 13 Iulii 1725.*

46. Nulla igitur ac irrita est dispensatio Apostolica, cum non agitur de impedimento occulto et secreto a Coniugibus delato ad Sacram Poenitentiariam, quo casu Confessario mandatur, adiecta conditione, – dummodo impedimentum occultum sit –, ut dispenset, certioribus redditis Coniugibus de nullitate, renovatoque secreto inter eos consensu, ut tradit Corrad. in prax. dispens. lib. 8 cap. 3 a n. 42 et cap. 4 n. 34 et cap. 8 n. 9 *in Montis Falisci Nullitatis Matrimonii die 28 Augusti 1751* §. *Appellavit.*

47. Unde quando res est de impedimento pluribus cognito et delato ad Curiam Episcopalem, a qua iniuncta fuit Coniugum separatio, et inde ad Datariam Apostolicam, a qua data fuit Bulla dispensationis, quae nihil aliud erat, quam mandatum dispensandi seu facultas Coniugibus iterum contrahendi, non vero approbatio Matrimonii, quod illicite et invalide contractum fuerat, ut bene tradunt Rosa de exequut . Litt. Apost. cap. 4 a n. 217, et late Piton. discept. eccles. 52 n. 32, sequitur, ut dispensatio in irritum cedat et effectu vacua remaneat, nisi Coniuges, servata forma Decreti Conciliaris, consensum renovent coram Parocho et Testibus, sine quo Matrimonium nullum convalescere potest, licet impetrata fuerit Apostolica dispensatio, cum possit alteruter ex Coniugibus sive ante, sive post impetratam dispensationem poenitere, et liber evadat, si praestare nolit consensum, ut tradunt Guttier. quaest. canon. lib. 1 quaest. 22 n. 18, Barbos. de Paroch. cap. 2 n. 84, Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 3 a n. 35 et cap. 4 n. 62 et 63, late Ursaya discept. eccles. 17 n. 7 et 8 tom. 1 et discept. 19 n. 5 et 6 tom. 4 part. 2, Piton. discept. 52 n. 5, *in Montis Falisci Nullitatis Matrimonii die 28 Augusti 1751* §. *Sed.*

48. Iamvero post contractum anno 1744, servata forma Tridentini, Matrimonium inter Ioannem Nicolaum Magliozzi et Magdalenam filiam Francisci quondam Caesaris et Dominicae Callisti Terrae Celleni, et post prognatos ex hoc Matrimonio duos filios, quorum alter obiit, alter superstes erat, delatum fuit ad Episcopalem Curiam, Coniuges hos quarto consanguinitatis gradu esse coniunctos, ideoque ab eadem Curia decretum fuit, ut separarentur. Ioannes Nicolaus sine scientia et consensu Magdalenae postulavit obtinuitque a Summo Pontifici dispensationem, adiecta Literis, ut fieri solet, lege, ut exquisito Viri et Mulieris consensu, eoque praestito coram Parocho et Testibus, coniungerentur, servata forma Decreti Conciliaris. At ubi requisita fuit de hoc consensu a Parocho renuit Magdalena; et Ioannes ut par pari referret, valedixit Matrimonio, declaravitque nolle illud contrahere, atque ita in irritum cessit Aposto-

lica dispensatio. Ut igitur Magdalena alteri Viro nubere posset, petiit a Sacra Congregatione, ut declararetur nullum Matrimonium, quod cum dicto Ioanne contraxerat. Sacra Congregatio die 17 iunii 1747 rescripsit: – Utatur iure suo coram Ordinario –. Ordinarius nullum atque irritum declaravit Matrimonium. Appellavit Defensor Matrimonii; sed proposito dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Montis Falisci Nullitatis Matrimonii die 28 Augusti 1751.*

49. Hinc Sacra Congregatio renuit concedere dispensationem a primo publicae honestatis et affinitatis gradu ei, qui, ut commodius inhonestam consuetudinem haberet cum uxore alterius, eiusdem filiam in uxorem duxerat, ac inde e vivis erepto respective Coniuge et Patre, cum uxore illa filiam procreavit, nec non Matrimonium contrahere exoptabat *in Neapolitana Dispensationis die 28 Martii 1716 lib. 66 Decretorum.*

50. Enimvero – Hyacinthus Porporá, ut inhonestam consuetudinem, quam habebat cum Caecilia Nicolai uxore, specie affinitatis commodius faciliusque continuaret, simulavit primum amorem cum Elisabeth Caeciliae filia et cum illa, sive aliquo metu a Nicolao Patre incusso, sive tantum pravo animi motu ductus, Matrimonium et contraxit et consummavit. Defuncto autem Nicolao Viro et Patre respective dictae Caeciliae et Elisabeth, Hyacinthus instetit et obtinuit, Matrimonium initum cum Elisabeth declarari nullum; hac tamen clausula in sententia apposita: « Quatenus Matrimonium praedictum dispensatione Apostolica reconvalidare noluerint », sed Hyacinthus et Helisabeth, ut ostenderent, qua mente Matrimonium dissolutum iniverant, statim mutuo ac iurato consensu declararunt nolle Matrimonium contrahere, et post paucos dies Elisabeth Nicolao Francisco Grimaldo nupsit. Successive Hyacinthus et Caecilia continuantes, ut ipsimet exponunt, improbam consuetudinem, procrearunt filiam; et fugientes, ut supponunt, iram fratrum Caeciliae vindicem laesi honoris seu poenas Curiae ecclesiasticae, pervenerunt ad Urbem, et Sanctitati suae supplicarunt pro dispensatione a primo publicae honestatis et affinitatis gradu, eorumque preces remissae fuerunt EE. VV. pro voto. Emus Archiepiscopus Neapolis suam relationem ita concludit: « Hyacinthus et Caecilia cum dispensatione Apostolica Matrimonium simul contrahere summopere procurant, sub praetextu restaurandi laesum honorem Caeciliae. Certum tamen est, quod si huiusmodi dispensatio permitteretur, grave scandalum horroremque exinde oriturum, cum tam horrendum et detestabile facinus in hac Civitate sit publicum et communiter detestatum, maxime tamen cum, post Decretum a Curia nostra datum, rumor invaluerit, quod Testes falsum dixerint; et Orator quando contraxit Matrimonium cum Elisabeth dispensationem obtinuerit a suprema Poenitentiaria. Propterea existimarem, ad evitandum evitanda, ac ne talis aditus aperiretur peccantibus, minime Oratorum precibus esse deferendum ». His omnibus accedit, quod Elisabeth in examine deposuit: « Il Padre spirituale mi avea consultato, che avessi fatto detto Matrimonio stante mia Madre faceva venire la dispensa dalla S. Poenitentiaria ». Demum in informatione Oratorum legitur: « Omnes cum Hyacintho unum continet cubiculum, unumque angustum cubile, nempe Caeciliam, Hyacinthum, filiam pubertati nimis proximam » –.

51. Proposito hinc dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et ad D. Secretarium iuxta mentem (1) – *in Neapolitana Dispensationis die 28 Martii 1716 lib. 66 Decretorum.*

52. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, non esse praestandum Summo Pontifici consilium dispensandi super impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita in linea collaterali et forsan publicae honestatis, cum Vir primum inierit Matrimonium, et, mortua Uxore, illud nullum fuerit declaratum utpote vi et metu contractum, dein Sororem eius carnaliter cognoverit et cum eadem Matrimonium inire exoptaverit, ne ipsa innupta

(1) Et mens est, ut incumbat collocationi mulieris filiarum et filii in Conservatoriis, communicato consilio cum Eleemosynario, Ursaya discept. eccles. 12, tom. 4, part I, n. 32.

et diffamata remaneret *in Ceneten. die 24 Aprilis 1723.*

53. Siquidem Iacobus Garza laicus Cenetensis et in Civitate Venetiarum a duodecim annis commorans carnaliter cognovit Mariam Mioli, incussisque sibi vi et metu ab eius fratre germano, Matrimonium coram Parocho et Testibus cum eadem contraxit. Mortua Maria, Iacobus institit pro declaratione nullitatis praefati Matrimonii, et favorabilem obtinuit sententiam. Cumque subinde Iacobus vesana libidine victus, absque tamen spe facilius obtinendi dispensationem, carnaliter cognoverit Paulinam sororem Mariae primae Uxoris, et, ne eadem innupta et diffamata remaneret, vellet cum ipsa Matrimonium contrahere, per organum Datariae dispensationem cum absolutione a censuris et poenis incursis postulavit. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, praesupposita Matrimonii nullitate absque revalidatione, inspectio reducebatur ad dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita in linea collaterali, cui obstabat dispositio Sacri Concilii sess. 24 cap. 4 de reformatione, ubi statuitur, impedimentum proveniens ab affinitate contracta ex fornicatione, et sic a quocumque illicito concubitu, uti fuse explicat Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 67 n. 6, dirimere Matrimonium, sed restringi ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, ita ut quoad alios Matrimonium nedum sit validum, sed licitum iuxta Bullam 14 S. Pii V in 3 declarat. Bullar. tom. 2. Reducebatur ulterius controversia ad videndum, an obstaret impedimentum publicae honestatis; ex uno enim capite adesse videbatur hoc impedimentum, cum Matrimonium, licet nullum ex defectu consensus, per aliquod tamen temporis spatium fuerit saltem in implicito statu validitatis in foro exteriori, iuxta deducta per Sanchez loc. cit. disp. 68 n. 14, et alia parte non adesse videbatur dictum impedimentum, cum illud non inducatur ex Matrimonio nullo ex defectu consensus, iuxta Textum in Cap. unico, ibique Passerinus n. 10 de sponsalibus in 6, non obstante, quod Matrimonium fuerit habitum pro valido per aliquod temporis spatium in foro exteriori, uti late prosequuntur Salmaticenses tom. 2 tract. 9 cap. 12 puncto 7 n. 84, 85, et multo magis quando, prout hic, Matrimonium fuit nullum declaratum propter vim et metum: in hoc quippe rerum statu cessasse videtur indecentia, ex qua ortum ducit impedimentum publicae honestatis, iuxta Textum in Cap. *Iuvenis* de sponsalibus. Ad effectam autem dispensandi aut super primo, aut super utroque impedimento, sequentes allegabantur causae, diffamatio videlicet Paulinae stupratae, periculum, quod ea innupta remaneret, nec non aliorum malorum, quae verisimiliter sequi poterant. Pauperes et miserabiles iidem etiam erant.

54. Proposito vero dubio: – An sit Sanctissimo Domino Nostro consilium praestandum pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Ceneten. die 24 Aprilis 1723.*

55. Maxima enim est coniunctionis turpitudo in primo affinitatis gradu, quum Uxoris soror – sororia appelletur respectu Viri, quasi eius soror –, ut ait Mastr. in 4 sent. disp. 7 tit. 41 et 42 *in Acheruntina Sponsalium die 21 Februarii 1835* §. *Denique.*

56. Itaque Sacra Congregatio primum renuit concedere dispensationem ab impedimento primi et secundi gradus iustitiae publicae honestatis nec non dispensationem super impedimento primi et secundi gradus affinitatis ex copula illicita ei, qui, post obitum Uxoris, qua cum nulliter Matrimonium contraxisse asserebat, mulierem ex istius sorore neptem carnaliter cognoverat et prolem susceperat, unde cum eadem Matrimonium inire cupiebat, sed inde cum documentum exhihuerit, quo constabat, illud fuisse clandestinum ob deficientiam proprii Parochi, nec cum praedicta Uxore cohabitasse unquam videbatur, mandavit, ut Orator instaret coram Ordinario pro declaratione nullitatis Matrimonii, et postea supplicaret pro dispensatione *in Hispalen. dispensationis die 18 Iunii 1701 et die 18 Februarii 1702 lib. 51 et 52 Decretorum.*

57. Siquidem – contraxit nulliter, ut asserit, Matrimonium Aloisius Fernandez de Fuen–Mayor Diaecesis Hispalensis cum Mencia de Castro die 1 maii 1683 in aliena Parochia et absque Parochi licentia, sequutaque postea simultanea cohabitatione per plures menses, absque eo quod unquam Coniugii opus expletum fuerit, ut pariter idem Aloisius testatur, obiit dicta Mencia, post cuius mortem Magdalena

Isabella ex istius sorore neptis fuit ab eodem Aloisio carnaliter cognita, et ex hac carnali copula fuit quoque proles suscepta. Cum autem uterque statuerit, sese Matrimonii vinculo iugare, supplicarunt Sanctissimo, ut dispensare cum ipsis dignaretur super impedimento primi et secundi gradus iustitiae publicae honestatis, proveniente ex dicto Matrimonio rato et non consummato cum praefata Mencia, vel, quatenus illius consummatio praesumenda foret in foro externo ob dictam simultaneam cohabitationem per plures menses sequutam, dispensationem concedere super impedimento primi et secundi gradus affinitatis ex copula illicita seu fornicaria; quibus precibus ad Sacram Congregationem Sanctissimae Inquisitionis, et ab ista ad EE. VV. remissis, grave modo non erit sapientissime de more respondere: - An et quae dispensatio sit concedenda Aloisio Fernandez ad effectum contrahendi Matrimonium cum Magdalena Isabella de Castro in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Hispalen. Dispensationis die 18 Iunii 1701 lib. 51 Decretorum.*

58. At – non acquiescens huic resolutioni dictus Aloisius, exhibuit novissime fidem publicam Inquisitoris Civitatis Hispalis modo Vicarii Generalis Archiepiscopi, in qua testatur, primo quod dictus Aloisius volens Matrimonium contrahere cum dicta Mencia in praedicto anno 1683, et timens, ne secus Pater illud impediret, postulavit a tunc temporis Archiepiscopo modo defuncto, ut dispensaret super tribus denunciationibus a Sacro Concilio praescriptis, quam tamen dispensationem concedere noluit, quia comperiit, non adesse legitimas causas pro ea concedenda; secundo quod per totum dictum annum 1683 dictus Aloisius et Mencia fuerunt Parochiani et incolae Parochiae S. Ioannis de la Palma, sed quia eadem Mencia profecta ad Parochiam S. Ioannis de Acre eiusdem Civitatis, tunc subiectam in spiritualibus Religioni Equitum Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani illiusque Priori in dicta Parochia residenti et Parocho in ea constituto, supposuit, eidem se esse suam parochianam, Matrimonium coram eo contraxit die prima maii 1683 in Sacristia dictae Ecclesiae, non factis denunciationibus in dicta Parochia S. Ioannis de Palma, sed tantummodo in supradicta Parochia S. Ioannis de Acre, suppressis tamen cognominibus contrahentium eorumque Parentum; tertio quod dictus Parochus S. Ioannis de Acre nec habuit licentiam in scriptis, nec oretenus, neque a Parochis adhuc existentibus in dicta Parochia S. Ioannis de Palma, neque a tunc temporis Archiepiscopo, generali Parocho amborum contrahentium, quodque isti immediate post contractum Matrimonium, eodem die redierunt ad domos suorum Parentum, et in eamdem Parochiam S. Ioannis de Palma, absque eo quod unquam sive antea, sive postea cohabitaverint in dicta Parochia S. Ioannis de Acre; et quarto denique quod huiusmodi Matrimonium clandestinum nunquam fuit revalidatum, quia Mencia paullo post illud contractum aegrotavit, et ob eius infirmitatem transactis duobus annis et ultra mortua est, quod dicta Magdalena neptis praefatae Menciae fuit carnaliter cognita ab eodem Aloisio, quodque de omnibus constitit ex informatione quinque Testium, quorum duo sunt iidem Parochi, qui existebant dicto anno 1683 et actu existunt in dicta Parochia S. Ioannis de Palma, ex libris dictarum Parochianorum et fide supradicti Matrimonii –.

59. Reproposito hinc dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Instet coram Ordinario pro declaratione nullitatis Matrimonii, et postea supplicet pro dispensatione – *in Hispalen. Dispensationis die 18 Februarii 1702 lib. 52 Decretorum.*

60. Hinc Mulier, quae decepta Matrimonium contraxit cum Viro, qui liberum se dicens iam Uxorem habebat, ideoque nullum irritumque agnita fraude declaratum fuit, nequivit absque dispensatione Apostolica inire Matrimonium cum alio, qui cum praedicto Viro secundo et tertio consanguinitatis gradibus coniunctus erat, licet ipsa sustineret, nullum adesse affinitatis vel publicae honestatis impedimentum, ex eo quod Matrimonium illud nullum irritumque fuisse dicendum esse videbatur non solum ratione vinculi, sed etiam defectu consensus *in Valentina Dispensationis die 15 Aprilis 1752.*

61. Enimvero captus amore Mariae Seraltae honestae formosaeque Puellae Ioseph

Zimenes, Uxorem licet haberet, liberum tamen se dicens, Mariam decepit, et cum ea Matrimonium contraxit, quod, inde agnita fraude, nullum irritumque declaratum fuit. Decepta vitiataque Mulier sese praebuit Francisco Moreno, qui cum Iosepho Zimenes secundo et tertio consanguinitatis gradibus coniunctus erat ; cupiens Franciscus Mariam uxorem ducere, petiit dispensationem ad cautelam, si forte aliquo detinerentur impedimento, quo Matrimonium contrahi non posset. Archiepiscopus censuit, huic Matrimonio obstare impedimentum publicae honestatis in secundo et tertio gradu, ortum ex Matrimonio cum Iosepho Zimenes praecedenter a Maria contracto, quod nullum irritumque declaratum fuit non defectu consensus, quo casu nullum contractum fuisset impedimentum, sed ratione vinculi, idque ea ratione probavit Archiepiscopus, quod Ioseph Zimenes affectum et voluntatem contrahendi Matrimonium habere potuerit, quamvis impedimentum dirimens, quo detinebatur, optime sciret, argumento educto ex Cap. 1 de spons. in 6, et ex Clementina unica de consanguinitate. Disputarunt autem Maria et Franciscus, Matrimonium sine ulla dispensatione contrahi posse, cum nullum adesset sive affinitatis sive publicae honestatis impedimentum ex Matrimonio, contracto inter Mariam et Iosephum Zimenes, nam illud nullum irritumque fuisse dicendum erat non solum ratione vinculi, sed etiam defectu consensus, cum Ioseph, qui sciebat Coniugem suam legitimam vivere, ficte solum et simulate animoque tantum decipiendi Mariam consensum praestitisse dicendum esset; eoque amplius quod, etsi voluisset secundo Matrimonio cum Maria consensum praestare, ne potuisset quidem, quum viva Uxore non esset Dominus, neque facultatem haberet hunc consensum praestandi. Cessare vero difficultatem omnem defectu consensus Mariae, sine quo Matrimonium consistere non potuit, quod requirebat consensum utriusque contrahentis; defecisse consensum Mariae inficiari non posse, illa enim Matrimonium contraxit reputans, Iosephum esse liberum, neque Matrimonium contraxisset, si scivisset Uxorem habere. Erravit igitur in conditione Viri, et hic error adimit consensum ab actu, ideoque Matrimonium defectu consensus Mariae nullum fuit.

62. His mature perpensis, proposito dubio: – An Franciscus et Maria possint absque dispensatione Apostolica invicem Matrimonium contrahere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Valentina Dispensationis die 15 Aprilis 1752.*

63. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, dispensationem obtentam ab impedimento publicae honestatis iustitiae ob Matrimonium contractum et non consummatum, quod immo censebatur resolutum in sponsalia tantum, eo quod Puella erat impubes et adeo morbo laborans, ut post biduum a contracto matrimonio decesserit, non esse exequendam, cum non costaret de nullitate dicti Matrimonii *in Rossanen. seu Bisinianen. Dispensationis die 16 Novembris 1715 et die 24 Aprilis 1717 lib. 65 et 67 Decretorum.*

64. Siquidem – Franciscus Ciminus Matrimonium contraxit die 8 augusti 1706 cum Victoria Spadaro impuberi, uti nata die 17 decembris anni 1696, et tam mala valetudine oppressa, ut post biduum decesserit; successive dictus Ciminus pro Matrimonio contrahendo cum Hieronyma dictae Victoriae sorore dispensationem Apostolicam ab impedimento iustitiae publicae honestatis ratione sponsalium tantum obtinuit. Hinc ante exequutionem dictae dispensationis, ut dignosci posset ex certis documentis, an validum fuisset Matrimonium cum dicta Victoria contractum, ex mandato EE. VV. per Iudicem subdelegatum facta fuit confrontatio fidum Baptismatis Matrimonii et obitus dictae Victoriae sub die 24 mensis martii superioris anni cum libris, a quibus fuerant extractae. Et quamvis dictae fides a die 4 dicti mensis martii productae appareant in processu remissoriali, nihilominus extractae a suis originalibus sub die 5 subsequentis mensis septembris semel iterum et tertium enunciantur, cumque Secretarius mensibus elapsis hanc facti incompatibilitatem Procuratori Cimini demonstraverit, exhibita fuit alia extractio dictarum fidum novissime facta per Vicarium Capitularem, non citato Defensore pro Matrimonio praecedenter deputato. Praeterea fides Matrimonii primo loco producta, et

data in Summario praeteritae propositionis n. 3, est in omnibus partibus quoad verba et eorum formulas diversa ab illa in processu existente, et tertia novissime producta cum prima concordat, et a secunda omnino discrepat. Insuper in prima duo tantum adsunt Testes ultra Sacerdotem loci Parochi, qui ante examen decesserunt; in secunda vero et tertia adest novus et tertius Testis, qui in processu remissoriali examinatus fuit una cum Sacerdote, qui Matrimonio interfuit, cum expresse in instructione iniunctum fuerit, ut Testes Matrimoniales examinarentur. Demum Decretum Curiae Archiepiscopalis remittentis denunciationes, enunciatum in fide Matrimonii, et requisitum in instructione, non reperitur. Verum plures Testes formiter examinati et in Summario EE. VV. exhibendi comprobant exposita per Ciminum Oratorem, nempe Victoriam non fuisse tunc temporis Viri potentem, omnemque consummati Matrimonii suspicionem abesse ratione aetatis et gravis morbi, quo tempore contracti Matrimonii laborabat –.

65. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Matrimonium contractum inter Franciscum Ciminum et Victoriam Spadaro Terrae Coriolani Rossanensis Diaecesis fuerit validum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An Literae Apostolicae dispensationis obtentae a supradicto Francisco Cimino et Hieronyma Spadaro sorore dictae Victoriae super impedimento primi gradus publicae honestatis proveniente ex sponsalibus sint exequendae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 novembris 1715 respondit: – Ad primum, esse coadiuvandas probationes, iuxta instructionem. Ad secundum, dilata –. Repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, non constare de nullitate Matrimonii. Ad secundum, Negative – *in Rossanen. seu Bisinianen. Dispensationis die 24 Aprilis 1717 lib. 65 et 67 Decretorum.*

66. Denegata hinc est dispensatio ab impedimento publicae honestatis Mulieri, quae post Matrimonium legitime initum, ac rite nullum ob Viri impotentiam naturalem et perpetuam declaratum, sponsalia contraxerat et copulam successive habuerat cum alio Viro in tertio gradu consanguineo dicti prioris Viri *in Brixinen. Dispensationis die 10 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

67. Iamvero – ob impotentiam naturalem et perpetuam Iacobi Philippi de Gonera loci Puechenstam Chirurgorum et Medicorum iudicio pro insanabili recognitam, per Officium Curiae Brixinensis lata fuit sententia declarans, nullum fuisse Matrimonium ab eodem Iacobo Philippo contractum cum Maria de Vallaxa eiusdem loci, liberumque esse dictae Mariae cum alio quocumque Viro ulteriores nuptias contrahere, quam quidem sententiam ab utraque Parte acceptatam fuisse Plebanus dicti loci testatur. Eadem igitur Maria, cum Silvestro Pezzei in tertio gradu consanguineo praedicti Iacobi Philippi prioris Viri sui, et sponsalia contraxit et copulam successive habuit. Cumque postea iidem Sponsi per Datariam dispensari institissent ab impedimento publicae honestatis in tertio gradu proveniente ex Matrimonio rato cum dicto Iacobo Philippo, remissae fuerunt eorum preces pro habendo voto ad hanc Sacram Congregationem, quae primo rescripsit Episcopo pro informatione et voto, deinde vero processum transmitti mandavit. Transmissa itaque informatione, in qua praedicta omnia confirmantur, et voto Oratorum precibus conformi, totoque demum processu superius exposita comprobante, EE. VV. consulere dignabuntur: – An sit locus petitae dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et inhibeatur, ne transeat ad alia vota – *in Brixinen. Dispensationis die 10 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

68. Imo Sacra Congregatio declaravit, concedendam non esse dispensationem Mulieri, quae post obitum Viri duas filias cum fratre procreaverat cum eodemque Matrimonium inire ad turpitudinem reparandam exoptabat, etiamsi iuramentum emisisset, se haudquaquam cum praedicto Viro ob eiusdem imbecillitatem Matrimonium consummasse, adeoque solo detineri publicae honestatis, non vero affinitatis impedimento *in Leodien. Dispensationis die 10 Maii 1755.*

69. Enimvero nuptiis contractis anno 1743 inter Arnoldum Coemans et Catharinam Claes, individuam vitae consuetudinem servarunt Coniuges ad annum usque 1748, quo Arnol-

dus decessit. E vivis erepto Viro, Catharina, quae in eadem domo cum Socero et Ioanne Coemans defuncti germani fratre permanserat, et familiari cum Ioanne conversatione mutuum amorem contraxit, et ab eo compressa utero gravis reddita fuit, filiam tandem enixa. Ad hanc turpitudinis notam delendam et sobolem legitimandam, Matrimonium inter se contrahere cogitarunt et Apostolicam dispensationem postularunt ab impedimento publicae honestatis, quod oriebatur ex Matrimonio cum defuncto Arnoldo Ioannis fratre contracto, quod ratum dumtaxat, non vero consummatum ob imbecillitatem Viri Catharina asserebat. Dispensationem tamen impetrare non potuerunt, cum defuncti Viri imbecillitas non probaretur. Igitur Catharina coram Parocho et Testibus iusiurandum praestitit de inertia Viri defuncti, seque ab eo intactam inviolatamque fuisse. Hoc Sacramento supplere posse censuit probationes, quas impossibile erat habere, quum, vivo Viro, nullum verbum fecerit de illius imbecillitate, praeterquam in sacramentalibus confessionibus, et Confessarius, licet ei facta fuisset a Catharina potestas narrandi, quae hac de re ipse audiverat, non recordaretur. Post haec iterum petita fuit dispensatio: dum hac de re Romae agebatur, familiaris illa conversatio inter Ioannem et Catharinam in causa fuit, ut ipsa iterum ex Leviro conciperet, alteramque post novem mensium lapsum peperit filiam. Precibus pro impetranda dispensatione oblatis rescriptum fuit: – Instent post obtentam sententiam ab Ordinario super Matrimonio rato et non consummato –. Re Examinatoribus Synodalibus commissa, iidem ita decreverunt: – Visa examinataque praesenti supplicatione cum omnibus circumstantiis in ea contentis, auditoque desuper Parocho seu Vice Parocho Oratorum, censemus eis credi posse –. Tertio igitur supplicatum fuit pro dispensatione. Hinc Oratores sustinuerunt, Matrimonium ratum solum fuisse, non vero consummatum, ideoque nullum affinitatis impedimentum inesse, sed solo detineri eos impedimento publicae honestatis, ut declaravit S. Pius V in Constitutione 62, et pluries ab Sacra Congregatione definitum fuisse testatur Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 7 n. 15 et 20, a qua etiam in his casibus dispensationem concedi consuevisse referunt idem Corrad. eod. cap. 7 n. 2, Aldan. in compend. resol. lib. 1 tit. 8 n. 55, Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24 cap. 3. Unde iuramento Mulieris standum esse videbatur, cum locus esse non posset inspectioni corporis eiusdem et Viri, ex eo etiam quod, cum praestitum fuerit iuramentum, postquam de nullitate dispensationis, si peieraret, monita fuit, magnam sibi fidem conciliabat, praesumendum haud enim erat, peierare eam voluisse, ut actum faceret nullum. Accedebat, quinquennio illo, quo vixit Arnoldus, nullum apparuisse conceptionis signum, quod tamen bis apparuit, postquam a Ioanne Viro forti vitiata fuit: nullus quoque huic dispensationi se praestabat contradictorem; ac agebatur de reintegranda fama Mulieris et sobole legitimanda. Periculum etiam erat, ut hi amantes in proxima haereticorum loca secederent.

70. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Leodien. Dispensationis die 10 Maii 1755.*

71. Nec itaque dispensationi est locus, etiamsi Vir pariter iuramento affirmet, se nunquam Matrimonium consummasse cum Uxore ob assertum morbum hecticum, remque post eius obitum cum Sorore eiusdem nequaquam animo habuisse, ut facilius dispensationem obtineret, nec secus proles legitimari et Mulieris fama reintegrari nec non scandala alias oritura evitari possent *in Leodien. Dispensationis die 22 Maii 1762.*

72. Iamvero Ioannes Henricus Hirsch Matrimonium inivit die 17 octobris 1751 cum Barbara Iosepha Dutz, quae paucis elapsis mensibus mortua est die 12 februarii 1752. Post Uxoris obitum insana aestuans libidine, rem habuit cum Maria Anna Dutz defunctae Uxoris sorore, quae utero gravis reddita est. Damnum autem huic Puellae illatum cupiens legitimis nuptiis reparare, supplicavit Summo Pontifici pro dispensatione a publicae honestatis impedimento, quod illis dumtaxat obstare autumabat, ex quo Barbaram Iosepham uxorem hectico morbo, ut etiam duo Medici testabantur, affectam, se haud unquam cognovisse iureiurando affirmabat, inde inferens, ex Matrimonio cum ea rato et non

consummato impedimentum subortum fuisse non affinitatis, sed tantum publicae honestatis, iuxta Constitutionem *Ad Romanum 62* S. Pii V, et declarationes Sacrae Congregationis relatas a Corrado in prax. lib. 8 cap. 7 n. 15 et 20. Officialis Leodiensis narratorum veritatem comprobavit; advertit tamen, Medicos haud declarasse, quod talis fuerit febris hectica Iosephae Barbarae Dutz, ut Matrimonium consummari cum ea non potuerit. Transmisit etiam Oratorum preces a Parocho loci subscriptas, quibus narrabatur, pauperes quidem et miserabiles esse Oratores, sua industria suarumque manuum labore viventes, sed catholicos atque orthodoxae fidei cultores vere existere sub obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae, vitam mortemque obire paratos, ac optare invicem Matrimonii vinculo iungi ad legitimandam sobolem, et ne Mulier diffamata et innupta remaneret, neve gravia exinde orirentur scandala, quae verisimiliter timeri poterant; eosque tandem praestito in manibus Parochi iuramento affirmasse, patratam nequaquam fuisse copulam animo facilius obtinendi dispensationem. Disputarunt itaque Oratores, deferendum esse Viri iuramento de nunquam sequuta consummatione, cum mortuae Uxoris corpus inspici amplius non posset, ut definivit Rota, ad effectum tamen excludendi bigamiam, in decis. 38 a n. 14 post Zacchiam quaest. medic. legal. tom. 2. Proposito autem dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Leodien. Dispensationis die 22 Maii 1762.*

73. Hinc nec etiam Mulieri Sacra Congregatio censuit dispensationem esse concedendam, quae post obitum Viri geminos filios susceperat cum fratre illius, licet eadem iuraverit, se Matrimonium non consummasse ob dicti Viri morbum, de quo octo Testes iurati fidem faciebant *in Annicien. Dispensationis die 29 Iulii 1769.*

74. Siquidem Matrimonium inierat Maria Anna Charrier cum Ioanne Petro Laussac, qui, cum iam phtisi laboraret, paucos post menses diem obiit supremum, Matrimonio non consummato. Ex protracta vero Annae Mariae cohabitatione cum Carolo Laussac defuncti Viri Fratre factum est, ut, insano amore invicem accensi, rem inter se habuerint geminosque filios susceperint. Ad evitanda proinde scandala depellendamque tum infamiam, tum sceleris poenam, atque consulendum prolis illegitimitati et propriae conscientiae, preces Summo Pontifici obtulerunt pro dispensatione a publicae honestatis impedimento. Sacra Congregatio, cui preces huiusmodi remissae sunt, audiendum censuit Episcopum, et processum iussit, servatis servandis, conficiendum. Hoc interim non absoluto, Oratores dixerunt, Matrimonium cum defuncto Petro Laussac ratum tantummodo fuisse, sed nunquam consummatum; idque satis recte evinci ex iurata Mariae Annae Uxoris declaratione, nec non ex octo iuratis Testibus, atque ex impotentia defuncti, ex tali scilicet eius febri, quae rei venereae obsistebat. Hinc ad obtinendam dispensationem ab impedimento publicae honestatis tantum, legitimas subesse causas sustinuerunt, nimirum sobolis procreationem, cum sequuta non fuisset animo dispensationem obtinendi, ac etiam scandalum in Populo, ob prolem ex illicitis amplexibus susceptam adhuc existentem. Addiderunt, se ita devinctos esse, tum rei pecuniariae rationibus (Mercaturae enim societatem a defuncto Viro exercitae inter se inierunt et adhuc servabant), tum amoris perseverantia, tum susceptorum filiorum cura, ut nullo modo divelli invicem possent. Quod si dispensationem non obtinerent, tantam fore inquiebant desperationem, ut ambo parati essent proprium solum deserere et in longinquas regiones transmigrare. Episcopus, etsi convenire videretur circa non sequutam prioris Matrimonii consummationem, atque idcirco dispensationi assentiretur, nihilominus suam epistolam in haec verba conclusit: – Ceterum propter rei gravitatem, talis dispensationis insolentiam et novitatem in Anniciensi Diaecesi et locis adiacentibus perniciosas, quae inde oriri possunt, consequentias, negotium illud totum Sanctitatis Suae iudicio humillime submittit –. Inquirendum itaque erat, an concludens haberetur probatio non sequutae inter Ioannem et Mariam Annam Matrimonii consummationis. Advertebatur etiam, facilius concedi dispensationem Viro, qui Matrimonium cum Sorore praedefunctae Uxoris contrahere cupiat, quam Mulieri, quae

Fratri Viri defuncti nubere velit, ut in Cap. XVIII, 18 Levitici notat Rigantius ad Reg. 49 Cancell. n. 43.

75. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab impedimento publicae honestatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Annicien. Dispensationis die 29 Iulii 1769.*

76. Idcirco licet Mulier iureiurando deposuerit, se copulam tantum imperfectam cum defuncto Viro lethali morbo laborantem habuisse, idque duo Testes formiter examinati et Officialis Curiae Episcopalis confirmaverint, Sacra Congregatio renuit concedere dispensationem ad effectum ineundi Matrimonium cum germano fratre praefati defuncti Viri *in Colonien. Dispensationis die 5 Iunii 1779.*

77. Siquidem Petrus Benedictus Ioseph de Baring die 19 martii 1773 Matrimonium in faciem Ecclesiae celebravit cum Margarita Gisberta de Breidenbach, qui ambo erant Diaecesis Coloniensis. Vix sexto elapso mense a die celebrati Matrimonii, nimirum die 4 octobris eiusdem anni 1773, Petrus Sponsus fato cessit. Contubernium et familiaritas Margaritae viduae cum Philippo Ignatio de Baring defuncti Petri Viri germano fratre in causa fuit, ut iidem mutuo amore devicti cuperent Matrimonii nexu sese iungere, data vicissim Matrimonii fide sub spe obtinendae Apostolicae dispensationis. Compilato processu super non consummatione Matrimonii, Margarita vidua iureiurando deposuit, Virum defunctum tam ante, quam tempore constantis Matrimonii et usque ad obitum lethali morbo laborasse, ipsamque pluries habuisse quidem carnalem copulam, semper tamen imperfectam cum Petro Viro suo; et ipsum copulae eiusdem imperfectionem fassum fuisse, et de ea quoque iudicasse Margaritam. Idque confirmabatur ex iurata depositione duorum Testium formiter examinatorum, nimirum Doctoris Physici et Parochi Amblaviensis. Idcirco cum ex huiusmodi copula Matrimonium consummatum haud censeretur, ex eodem impedimentum publicae honestatis tantum oriebatur. Officialis coloniensis censuit, dispensationem esse concedendam, cum haberetur tantum impedimentum publicae honestatis. Plures etiam legitimae causae concedendae dispensationis adesse videbantur, scilicet diffamatio Margaritae scandala iurgia inimicitiae, ac alia huiusmodi. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Colonien. Dispensationis die 5 Iunii 1779.*

78. Unde id etiam definitum fuit a Congregatione particulari a Sanctissimo deputata Emorum DD. Cardinalium a Lanceis Praefecti Castelli et Antonelli in Causa Strigonien. Dispensationis proposita die 16 septembris 1775, in qua fuit responsum: – Non constare de non consummatione Matrimonii, ideoque non esse dandam dispensationem – *in Uritana Dispensationis die 7 Iunii 1777* §. *Nodus.*

79. Quando enim non constet de non sequuta consummatione Matrimonii, haud indulgetur dispensatio in primo gradu publicae honestatis *in Nicien. Dispensationis die 27 Iunii 1778.*

80. Enimvero Camilla Seassala Niciensis die 24 augusti 1772 servatis solemnitatibus a S. Concilio Tridentino praescriptis Matrimonium per verba de praesenti contraxit cum Petro Ramoin phthisi laborante, qui proinde post tres menses a die contracti Matrimonii, nimirum die 26 novembris eiusdem anni 1772, fato cessit. Quia vero superstes uxor Camilla morabatur cum Francisco Ramoin eius leviro, hinc ambo humana fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt, et ex hac consuetudine filia adnata est. Ad hanc legitimandam prolem, ad proprium vindicandum honorem simul et ad evitanda scandala, iidem Franciscus et Camilla postularunt dispensationem super impedimento primi gradus publicae honestatis iustitiae in forma pauperum ob extremam ipsorum paupertatem asserentes, Matrimonium fuisse tantummodo ratum, non vero consummatum. Confecto autem processu, Medicus formiter examinatus dixit, Petrum Sponsum iam ante Matrimonium affectum fuisse morbo phthisis, sed huiusmodi morbum impedire haud potuisse consummationem Matrimonii. Chirurgus censuit, eumdem ob dictum morbum habilem haud fuisse ad Matrimonii consummationem, li-

cet huiusmodi morbus ipsum impotentem ad usum Matrimonii reddere non valeret. Episcopus ita conclusit: – Et quoniam de non consummato priore Matrimonio unum mihi videtur haberi expressum Mulieris testimonium, illudque est in propria causa; si contigerit, ut Emi ac Rmi Patres Oratorum votis perbenigne annuendum censeant, illud peto, ut ad securitatem Apostolica detur facultas super impedimento etiam affinitatis in primo gradu ex copula licita, quae fuisset occulta –. Eaedem itaque circumstantiae, quae in praesenti Causa aderant, in relata Strigonien. Dispensationis die 16 septembris 1775 concurrebant.

81. Propositis hinc dubiis: – I. An constet de Matrimonio rato et non consummato Petri Ramoin cum Camilla Seassala in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque – *in Nicien. Dispensationis die 27 Iunii 1778.*

82. Quoties igitur aliquod de consummatione dubium et prudens aliqua suspicio extet, haud conceditur dispensatio in primo publicae honestatis gradu ex Matrimonio rato et non consummato exorto, etiamsi alias lites dissentiones et inimicitiae probabiliter sint oriturae *in Mindonen. Dispensationis die 31 Augusti 1771.*

83. Iamvero obtenta dispensatione super consanguinitate in tertio et quarto gradu ac pupillari Raphaelae de Presno et Parga aetate, quae duodecimum annum nondum compleverat, mense martio 1769 cum interim ad legitimam aetatem praedicta Raphaela pervenisset, Matrimonium in faciem Ecclesiae contraxit per Procuratorem cum Vincentio de Luazez et Somoza, dum hic Palentiae apud Episcopum patruum degebat, Raphaela autem cum Matre sua commorabatur in Oppido Vivarii, quod in Diaecesi Mindonensi situm erat et quinquaginta circiter leucis distabat a Civitate Palentiae. Postea ter Sponsus Vivarium accessit salutatum visendamque Sponsam, mense nimirum decembris 1769, eaque vice triduum eius domi moratus ste, secunda vice mense februarii 1770 aliud biduum cum ea commoratus est, ac demum mense aprilis eiusdem anni, quo tempore nec per integrum quidem diem Vivarii mansit. Mindonium subinde reversus Vincentius ac violenta febre correptus, diem obiit supremum mense iulii, quo nuptiarum solemnitas fuerit indicta. Ad avertendas lites iurgia et inimicitias orituras, ex eo quod Familia de Luazez conspicuos sumptus pro Matrimonio a defuncto Vincentio inito repetere posse putabat, sed restitutioni haud ita facilem se praebebat Familia de Presno, placuit consilium de Matrimonio contrahendo inter eamdem Raphaelam et Emmanuelem de Luazez defuncti Vincentii germanum fratrem. Ambo itaque dispensationem efflagitarunt ab impedimento publicae honestatis. Contenderunt enim, primum Matrimonium ratum tantummodo fuisse, cum constaret, ob nimiam teneram gracilemque structuram corporis Raphaelae ultro Coniuges de protrahenda coniugali cohabitatione consensisse. Constabat pariter, defunctum Vincentium tribus tantum vicibus sub eodem Uxoris tecto mansisse, absque eo quod nullus inter eos mutuus coniugalis amplexus intercesserit, cum Vir in separato lecto dissitoque cubiculo noctu cubaverit, Uxor dormierit cum Famula, quae ostium diligenter obseraverat, nec nisi postridie recludebat, diurno autem tempore expositos semper fuisse oculis comitantium, qui ab eorum latere nunquam discesserunt. Addiderunt, ab experimento die 9 aprilis 1771 peracto, compertam fuisse Raphaelae virginitatem ab honestis Matronis, quae iureiurando affirmarunt, ne minimum quidem laesae virginitatis indicium apparuisse, et de hac Raphaelae virginitate publicam invaluisse famam, quae adhuc perseverabat; nec deesse iustam concedendae dispensationis causam, quam repetebant ex litibus et dissentionibus, cum ex stylo Datariae dispensationem praecipue concedi sustinerent ad sedandas lites et inimicitias. Episcopus censuit, haud fuisse consummatum Matrimonium, et iustam dispensandi adesse causam, desumptam ex litibus dissentionibus et inimicitiis probabiliter exorituris.

84. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in primo gradu publicae honestatis ex Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio re-

sponsum tulit: – Negative – *in Mindonen. Dispensationis die 31 Augusti 1771.*

85. Quin imo licet satis constare videretur, quod Vir Matrimonium cum Uxore non consummaverit, ac ideo petierit dispensationem ab impedimento publicae honestatis dumtaxat, non vero affinitatis, ad effectum ineundi Matrimonium post obitum praedictae Uxoris cum Sorore eiusdem, ut haec restitui posset honori suo et plures tollerentur inimicitiae, quae inter consanguineos utriusque oriri potuissent, non propterea Sacra Congregatio censuit, locum esse dispensationi *in Pinnen. Dispensationis die 29 Maii 1756.*

86. Iamvero Matrimonium contraxerunt die 27 octobris 1753 Floridaurus Albentius Terrae Forcellae Aprutinae Diaeceseos et Rosa Liberatore Terrae Carminiani Diaeceseos Pinnensis; et quia in ea regione mos erat, ut nova nupta in domum Viri non deduceretur, nisi post aliquot dies, ut interim omnia, quae ad pompam nuptialem pertinebant, parari possent, ideo Rosa ab Ecclesia in domum reversa est, comite Matre ceterisque consanguineis. Vix reversa in febrim incidit, ut Floridaurus, et more patrio et febri obstantibus, eam cognoscere non potuerit, rediitque Forcellam. Aucta vi morbi, auctum fuit impedimentum deductionis Rosae in domum Viri, qui ob morbum intactam atque inviolatam relinquebat. Post viginti quatuor dies decessit Rosa, et cum Floridaurus eamdem domum tamquam consanguineus aliquando reviseret, tandem captus fuit amore Dorotheae sororis defunctae Rosae. Res eo pervenit, ut Vicinia et Terra illa universa sermones de his amoribus agitare ceperit, non sine nota Puellae, quae Virum ob id fortasse non inveniret: ad hanc notam delendam sponsalia contraxerunt, et Floridaurus postulavit dispensationem ab impedimento publicae honestatis, quod Matrimonium cum Rosa contractum ratum dumtaxat fuerit, non consummatum. Vicarius Capitularis, auditis tribus Testibus negantibus consummationem, censuit, dispensationi esse locum; sed Sacra Congregatio die 2 augusti 1755 rescripsit: – Coadiuventur probationes super cohabitatione numquam habita in Mariti domo –. Edidit Floridaurus testimonium Pro-Vicarii Generalis, qui certior hac de re factus cohabitationem negavit: sed satius visum est audire novum Episcopum, qui, auditis aliis Testibus ipsoque Floridauro et Dorothea eiusque Matre, cum ex his accepisset, Matrimonium cum Rosa contractum non fuisse consummatum, quum numquam cum Floridauro habitasset; consuetudinem vero Floridauri cum Dorothea culpa quidem vacare, sed a suspicione vulgi immunem non esse, ita ut innupta remaneret, si Floridauro non iungeretur, censuit et ipse, locum esse dispensationi. Hinc Floridaurus contendit, satis constare, quod Matrimonium non fuerit consummatum, ideoque nullam ex eo affinitatem fuisse contractam, obstare dumtaxat publicae honestatis impedimentum, a quo, aliqua concurrente iusta causa, dispensari solet; iustam causam esse, quod restitui posset honori suo Puella in opinione vulgi laesa, et graves tolli inimicitias, quae ex eadem ratione oriri potuissent inter consanguineos Dorotheae et Floridaurum.

87. His tamen perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi Apostolicae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Pinnen. Dispensationis die 29 Maii 1756.*

88. Quapropter licet abunde constaret, quod post Matrimonium initum Coniuges illud haud consummaverint, ac notoria esset copula Mulieris, quam haec inde habuit cum Fratre praedefuncti Viri, nec non perpetua infamia dictae Mulieri illata, atque imminens vitae periculum, nihilominus Sacra Congregatio dispensationem ab impedimento publicae honestatis denegavit, ex eo etiam quod quatuor Testes affirmabant, Matrimonium cum praefata Muliere initum fuisse in articulo mortis, ut eiusdem fama reintegraretur *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770 et die 8 Iunii 1771.*

89. Siquidem contractis sponsalibus per verba de futuro inter Ioséphum Ioannem Serio et Annam Catharinam del Pomo, antequam Matrimonium iniretur, accidit, ut Iosephus lethali vulnere saucius iamiam esset moriturus. Interrogatus autem a Sacerdote adstante eique extrema pietatis officia persolvente, utrum vellet cum Anna copulari, annuit Iosephus, et Matrimonium iuxta ritum Ecclesiae contraxit, et paullo post occubuit, absque eo quod illud consummaverit.

Defuncto Iosepho, cogitavit Sabinus Serio illius frater de desponsanda sibi Anna del Pomo, et hac de causa familiariter cum ipsa conversatus est: verum animadvertens obstare impedimentum, quod publicae honestatis appellat, proveniens ex Matrimonio cum praedefuncto Fratre rato et non consummato, supplex adiit Emum Pro-Datarium pro obtinenda dispensatione, deduxitque causam evitandi scandalum et infamiam, quae ex mutua Viri et Mulieris consuetudine oriri potuissent. Censuit autem laudatus Emus Pro-Datarius in re tanti momenti votum exquirere Sacrae Congregationis. Sex itaque Testes, praeter Sabinum Serio, fuerunt examini subiecti, omnesque Matrimonii consummationem uno ore excluserunt. Imo Sacerdos Angelus Volpicelli testatus est, Iosephum Ioannem Serio vix Matrimonium iniisse, post horae quadrantem illico diem supremum obiisse. Anna Catharina affirmavit, nullam ipsam inter et Iosephum sive post inita sponsalia, sive post Matrimonii celebrationem, carnalem copulam intercessisse. Sacerdos Ioseph Piarulli dixit, ex conversatione inter Iosephum et Annam murmur quidem in loco fuisse evulgatum, sed carnalem actum exclusit. Existimavit autem graviora scandala eventura maioremque infamiam subituram Mulierem, nisi cum Sabino Matrimonio iungeretur; idque confirmarunt Sacerdos Volpicelli et Sacerdos Sabinus Romanelli, quin Mulier diffamata amplius nubere posset. Tres Mulieres asseruerunt, diffamationem coactam fuisse ex familiari Annae cum Sabino consuetudine, non vero cum praedefuncto Iosepho, quem quidem ab omni culpa immunem duo ex dictis Mulieribus existimabant, sed tertia de carnali copula dubitabat. Archiepiscopus quae dicta sunt confirmavit, praesertim, quoad Oratorum infamiam ex multa familiaritate contractam; testatus est etiam de ipsorum paupertate, de qua alii Testes deponebant.

90. Quibus omnibus rite perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770.*

91. Sabinus et Anna instantiam renovarunt et addiderunt, reticitam fuisse carnalem copulam, quae inter eos intercesserat, sub spe obtinendae dispensationis ab impedimento publicae honestatis, quam spem effectu haud carituram pollicebantur epistolae ad Sabinum missae. Id insuper accedebat, quod post notitiam denegatae a Sacra Congregatione dispensationis, pandita per Annam Catharinam eius cum Sabino illicita consuetudine Parentibus ac Fratribus, hi furore et ira abrepti mortem ipsi et Sabino minabantur, nisi speratum sequeretur Coniugium: ex quo factum, ut ille ad evadendam necem profugus cum Gervasio fratre patrios lares deserere fuerit adactus. Aderat igitur copula notoria nec non perpetua infamia praedictae Annae illata ac imminens vitae periculum, quemadmodum aperte asserebant duodecim Testes atque ipsemet Archiepiscopus. Animadvertendum tamen erat, quatuor ex Testibus in formali examine affirmasse, Matrimonium cum Anna Catharina in mortis articulo initum fuisse – per reintegrarla nella fama –, insuper – per rimettere detta Anna nella primiera sua stima –, ulterius – per non farla restar lesa nella stima, – ac demum – per risarcire la stima a detta Anna –. His igitur perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Acheruntina Dispensationis die 8 Iunii 1771.*

92. Similiter etiamsi satis constaret de non sequuta consummatione Matrimonii et copula haud intercesserit sub spe faciliorem reddendi gratiam dispensationis, Sacra Congregatio censuit, non esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione in primo gradu publicae honestatis *in Uritana Dispensationis die 7 Iulii 1777.*

93. Enimvero die 23 iunii 1771 Antonius Adorante Terrae Lateani morti proximus, praetermissis proclamationibus, Matrimonium per verba de praesenti celebravit cum Francisca Xaveria Pulli, cum qua antea sponsalia per verba de futuro contraxerat. Biduo post huiusmodi celebratum Matrimonium, hoc est die 25 dicti mensis iulii Antonius decessit. Ex familiaritate Paschalis Adorante defuncti Antonii germani fratris cum Fratria, istius diffamatio quum exorta fuisset, e re sua putavit Paschalis eam in uxorem ducere, adeoque ad Urbem accessit ac dispensa-

tionem petiit. Episcopus, compilato et transmisso processu, retulit, Paschalem ad patriam reversus insano devictum amore compressisse Fratriam et ab ea natum fuisse filium, illosque in publico concubinatu vivere a Sacramentis omnino alienos; Paschalem et Franciscam Xaveriam adeo esse pauperes et miserabiles, ut eorum industria et laboribus vix se alere possent, ita concludens: – in tot malorum scandalorumque angustiis animarum perniciem nostrique Summi Dei offensam respicientibus, quid faciendum? nedum expedire, sed oportere cum Oratoribus praedictis fore indulgendum censeo enixeque deprecor –. Quinque Testes formiter examinati de non sequuta consummatione Matrimonii deposuerunt, cum Antonius Adorante tempore celebrati Matrimonii gravissimo morbo laboraret et in lecto iaceret, utpote viribus omnino destitutus. Copula autem inter Paschalem et Franciscam haud intercessisse videbatur sub spe faciliorem reddendi gratiam dispensationis, quemadmodum id probabant tres ex dictis Testibus formiter examinatis, praeter iuratas depositiones dictorum Paschalis et Franciscae Xaveriae. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: – I. An constet de Matrimonio rato et non consummato Antonii Adorante cum Francisca Xaveria Pulli in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Non esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Uritana Dispensationis die 7 Iulii 1777.*

94. Unde Mulier, quae Matrimonium praevia dispensatione Apostolica super secundo gradu consanguinitatis inierat, ac post obitum Viri prolem susceperat cum defuncti Viri Fratre, frustra cum eodem supplicavit pro gratia dispensationis secundi gradus consanguinitatis et publicae honestatis, etiamsi de non sequuta Matrimonii consummatione cum dicto praemortuo Viro abunde constaret, nec non iustae concurrere causae viderentur, atque favorabile Episcopi votum accederet *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768.*

95. Siquidem Iacob Gerspacher Diaecesis Constantiensis, post initum anno 1765 Apostolica dispensatione Coniugium cum Maria Wchelin in secundo gradu consanguinea, brevi fato cessit. Continuatio contubernii et familiaritatis Mariae cum Ioanne Michaele defuncti Viri Fratre id mali secum tulit, ut iidem insano amore invicem succensi ex illicitis amplexibus prolem susceperint. Ad repellendas itaque et futuram infamiam et sceleris poenas et prolis illegitimitatem atque etiam consulendi causa propriae conscientiae, ambo supplicarunt pro gratia dispensationis tam secundi gradus consanguinitatis, quam publicae honestatis ortae ex primo Coniugio Mariae, quod ratum et non consummatum affirmabant. Licet enim Coniugium inter Iacobum et Mariam ad aliquot menses viguerit, iidemque Coniuges coniugales amplexus actus experiri tentaverint, ipsa tamen Maria constanter iuramento affirmavit, vere a Iacobo Viro cognitam non fuisse, quum ob naturalem eius imbecillitatem par non esset ad coniugale munus implendum. Parochus autem et cum eo tres Testes iuramento testabantur de bona fama et pietate Mariae, affirmantes eidem fidem praestandam esse, saepiusque ab eadem audivisse defuncti Viri impotentiam ac intactum sui corporis pudorem. Unde haesitari non posse videbatur, quin primum Mariae Coniugium cum defuncto Iacobo fuerit tantum ratum, non consummatum, quum in praesenti iudicio id satis evinceretur ex dictis declarationibus Mariae tempore non suspecto emissis, nec non ex repetita eiusdem iurata affirmatione. Iustae etiam causae concurrere videbantur, cum res esset de Matrimonio ineundo in regionibus haeresi finitimis, ad arcendum scandalum dedecus et infamiam, ad avertendas poenas, ad consulendum conscientiae et decori, et ad prolem legitimandam. Episcopus Constantiensis haec habuit: – Equidem agnosco ipsemet, quanti propter reverentiam sanguinis intersit, ut dispensationes in gradibus usque adeo propinquis non multiplicentur; in hoc tamen obversante casu ob causas urgentissimas pauperibus hisce de S. M. Ecclesiae benignitate succurrendum esse arbitror, ob speciales circumstantias in his partibus raro admodum occurrentes, propter quas timendum non erit, ne exemplum trahatur in praeiudicium –. Ponderandum tamen erat, an causae, quae ad impetrandam dispensationem proferebantur, tales essent, ut prae-

poni deberent indecentiae huiusmodi Coniugiorum, ex qua factum est, ut tot Decretis prohiberentur.

96. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768.*

97. Quod si evidenter constet de Matrimonio tantum rato et non consummato ac adsit infamia Mulieris, quam facile ipsius Parentes vindicaturi sint, Sacra Congregatio indulget dispensationem in primo gradu publicae honestatis, ut Vir Matrimonium ineat cum Sorore praedefunctae Uxoris *in Visen. Dispensationis die 24 Novembris 1787.*

98. Enimvero Matrimonium anno 1784 per Procuratorem contraxit Franciscus de Paula Cardozo Visensis cum Anna Elisabeth de Mello ex Oppido Travanca. Paucis mensibus in materna domo supervixit Sponsa eamque semel adiit Sponsus, ut de modo ac tempore migrandi in domum suam conveniret, iterumque ut gravi morbo laborantem inviseret. Post illius obitum adamare cepit germanam Mariam Ritam, adeoque frequenter cum ea conversatus est, ut copulae suspicio percrebuerit. Ut infamatae igitur nuberet Puellae, dispensationem a Dataria Apostolica super primo publicae honestatis gradu postulavit. Confecto ad rem processu, Cardotius iuravit, nunquam se defunctam Coniugem cognovisse: eius dictum sub formali examine confirmarunt Francisca Bernarda Defunctae mater, Eleonora Rita soror, et Clara Elisabeth amita. Una enim voce deposuerunt, nullam omnino nec in primo, nec in secundo illius accessu ad Sponsam occasionem consummandi Matrimonium fuisse; eam semper coram omnibus alloquutum fuisse, seorsim ab ea dormiisse, adeoque se in reliquis gessisse, ac si eius Vir non esset. Hoc ipsum dixerunt reliqui iudiciales Testes, Francisca nempe de Almeida famula, et Emmanuel Ribeiro Procurator domus de Mello, ac Emmanuel de Almeida Osorio Parochus Ecclesiae de Travanca, eorumque omnium depositiones aliunde etiam comprobavit Iudex delegatus. De publica vero Mariae Ritae diffamatione alii quatuor Testes deposuerunt, qui etiam putabant, quod Parentes praefatae Mariae Ritae vindictam fortasse agerent, nisi Matrimonium contraheretur. Episcopus pariter censuit, Matrimonium haud consummatum fuisse cum praedefuncto Viro; ac ita conclusit: – Denique praedictam Mariam cum eodem Francisco iam pati infamiam, quod ipse eam frequenter visitaverit, et eam esse sanguine coniunctam cum Familiis nobilissimis, praedictam infamiam aegerrime laturis et facile vindicaturis, nisi Matrimonium Deo acceptissimum contraxerint –. His igitur perpensis, proposito dubio: – An constet de Matrimonio rato et non consummato, ita ut sit locus dispensationi in primo publicae honestatis gradu in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus – *in Visen. Dispensationis die 24 Novembris 1787.*

99. Idcirco Sacra Congregatio indulsit dispensationem ab impedimento publicae honestatis Annibali Lampato et Fulviae de Iuliis, cum certum esset, quod Matrimonium a praedefuncto Viro non fuisset consummatum *in Caven. die 17 Novembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 174.*

100. Unde in concedendis dispensationibus ab impedimento publicae honestatis non adeo facilem se praebuit Sacra Congregatio, quae iuxta casuum circumstantias illas quandoque concessit, aliquando denegavit, cum praesertim de non sequuta consummatione haud satis constaret: sane in praedicta Caven. 17 novembris 1629, ut etiam refert Ursaya discept. eccles. 12 n. 13 tom. 4 part. 1, illam concessit, quia certum erat, Matrimonium a praedefuncto Viro non fuisse consummatum *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii 1762* §. *Et quatenus.*

Item *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *In.*

101. Nam Summus Pontifex non solet, nisi in rarissimis quibusdam casibus concedere dispensationem in primo affinitatis gradu *in Acheruntina Sponsalium die 21 Februarii 1835* §. *Animadvertit.*

102. Qua de re ex stylo Datariae in supplicationibus porrigendis pro dispensatione super impedimento publicae honestatis facienda est expressio, quod Mulier – ab Oratore in nullo penitus attentata remanente – decessit, ut refert Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 7 n. 20 et 22 *in Animadversio-*

nibus Secretarii in Causa Gadicen. Dispensationis die 11 Septembris 1762 §. Duplex.

103. Attentis itaque peculiaribus circumstantiis, indulgetur dispensatio super impedimento publicae honestatis ac etiam affinitatis favore Viri, qui post obitum Uxoris rem habuit cum Sorore illius, licet claustrum praedictae Uxoris penetraverit, sed semel et absque seminis effusione perfecta, ita ut is iuramentum roboratum opinione Testium et infirmitate Mulieris emiserit de nunquam sequuta Matrimonii consummatione *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii et die 25 Septembris 1762.*

104. Iamvero Petrus Darrot, natione Gallus, Urbis Gadicensis incola, die 26 novembris 1755 Matrimonium contraxit cum Ioanna Lenormand, quae mox carcinomate et phthisi absumpta mortem obiit die 6 Maii 1756. Ut novas iniret nuptias cum Clara defunctae Uxoris Sorore, Summo Pontifici supplicavit Petrus pro dispensatione super impedimento publicae honestatis, quod solum ortum affirmabat ex primo Coniugio rato et non consummato. Episcopus retulit, Petrum iureiurando fuisse testatum, quod prima initi Coiugii nocte Matrimonium nisus consummare Mulieris claustrum penetravit, sed foedi tumoris contactu in eius pectore et vehementi illius thussi commotus recessit, absque seminis effusione perfecta, nec amplius copulam cum illa tentavit. Sed veritus Episcopus, ne Petrus, ceteroquin fide dignus, decipi posset, censuit, – non sufficere, ad Matrimonium contrahendum cum Sorore praedefunctae Ioannae, publicam tantum honestatem dispensari, nisi dispensetur affinitas –. Quare preces reiectae fuerunt Rescripto: - Lectum –. Interea Petrus Darrot, cum nunciatum fuerat, optatam dispensationem facili negotio se fore obtenturum, rem habuit cum Clara, quae utero concepit, et abortum passa est. Gravi ergo et immani dolore ipse et Clara affecti sunt, cum audierunt denegatam dispensationem. Qua de re supplices dispensationem petierunt super impedimento publicae honestatis et super affinitate – ad summum ad cautelam tantum –, cum Petrus novo subiectus examini testaretur, nunquam sequutam fuisse seminum commixtionem cum defuncta Uxore. Unde ipsius iuramento deferendum esse videbatur, cum corroboratum esset opinione Testium et infirmitate Mulieris, quae verisimiliorem reddebat non sequutam consummationem, iuxta firmata per Rotam in decis. 509 n. 7 part. 2 Recentiorum relatam post Zacchiam quaest. medic. legal. decis. 38 n. 15 et 16. Idcirco ob periculum animae et corporis Oratorum ab Episcopo relatum, et ob eiusdem Episcopi votum, nec non ut communi honori et orituris scandalis occurreretur, dispensatio concedenda esse videbatur, cum praesertim dispensatio peteretur a Viro pro secunda Uxore desponsanda, quod facilius, quam si Mulier ducere vellet alterum Fratrem, ut notat Rigantius ad Reg. 49 Cancell. n. 43. Nec ideo obstare censuit resolutiones in Leodien. die 10 maii 1755, in Pinnen. 29 maii 1756, et in altera Leodien. 22 maii 1762, quia in prima agebatur de dispensatione petita a Muliere, ut duceret alterum sui Viri Fratrem, in secunda deerat concludens probatio non sequutae consummationis, et in tertia ex praetensa praemortuae Uxoris infirmitate non excludebatur Matrimonii consummatio.

105. His itaque perpensis, proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione super impedimento publicae honestatis et etiam affinitatis – *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii 1762.*

106. At perspecta maxima suffragiorum scissura, certamen renovari iussit Summus Pontifex, ut in gravi negotio veritas saepius examinata clarius elucesceret, iuxta responsum Innocentii Papae ad Episcopos Macedones, relatum in Canone *Grave* 35 quaest. 9. Hinc Secretarius Sacrae Congregationis pro officii munere aliquas animadversiones exaravit. In primis enim animadvertit, quod Petrus Darrot ea non videretur pollere honestate, quae eius assertioni fidem conciliaret; et quatenus fide dignus reputari vellet, iuxta opinionem Episcopi et Testium, deferendum plane non fuisset illius testimonio, quia potuit decipi in concubitus aestu, praesertim quia – apud omnes opinio invaluerat de Matrimonio non solum rato, sed etiam consummato –. Praeterea advertit, quod ex Matri-

monio etiam rato et non consummato affinitatem oriri defendat divus Thomas in supplem. 3 part. quaest. 55 art. 4 ad 2, quin obstaret Constitutio *Ad Romanam* 52 S. Pii V. Unde super impedimento affinitatis in primo gradu, sive affinitas sit initiative, sive perfecte et consummate, non ea facilitate dispensatur, sicut in impedimento publicae honestatis proveniente ex sponsalibus de futuro. Plura enim aderant exempla, quibus dispensatio huiusmodi fuit denegata per Summos Pontifices etiam Regibus. Multo magis igitur deneganda esse videbatur Petro Darrot negotiatori, qui ob habitum etiam commercium cum Uxoris Sorore potius indignus reddebatur ad nuptias contrahendas, Cap. *Transmissae* 4, Cap. *Tuae fraternitati* 10 de eo, qui cognovit consanguineam. Et revera Sacra Congregatio denegavit dispensationem in Leodien. 10 maii 1755, cum copula intercesserat, licet certior esset defectus consummationis cum Viro defuncto; quin obstaret, quod tunc ageretur de Matrimonio ineundo cum Viri defuncti fratre, per legem etiam Mosaicam prohibito in Levit. XVIII, 16. Nam sicuti ex defuncto Viro filios non susceperat, ideo prohibitum non erat lege Mosaica tale Coniugium, ut in Deuter. XXV, 5; et etiam lege nova toleratur in Neophitis iuxta Textum in Cap. fin. de divortiis, verumtamen in lege evangelica ex instituto Ecclesiae eadem est turpitudo Coniugii cum defuncti Viri Fratre, quam cum defunctae Uxoris Sorore ex firmatis per Rigantium ad Reg. 49 Cancell. n. 44. Eamdem dispensationem denegavit Sacra Congregatio in Pinnen. 29 maii 1756, licet praeter Viri iuramentum de non sequuta copula, quod contra rei veritatem negatum fuit in libello Darrot, plures adducerentur probationes exclusivae condormitionis et conversationis inter Coniuges. Et eamdem sententiam amplexa erat paullo ante Sacra Congregatio, denegando in Leodien. 22 maii 1762 dispensationem pro contrahendo Matrimonio cum defunctae Uxoris Sorore, cum qua commercium post Uxoris obitum Vir habuerat.

107. His tamen haud obstantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius – *in Gadicen. Dispensationis die 25 Septembris 1762.*

108. Quandoque enim ipsa dubietas, circa relevantiam probationum quoad non sequutam Matrimonii consummationem, quae certitudinem impedimenti affinitatis excludit, sufficiens videtur ad faciliorem reddendam gratiam dispensationis super impedimento publicae honestatis, ut monet Pichler in ius can. lib. 1 tit. 2 de rescriptis n. 86, et Pitonius in discept. eccles. 144 tom. 4 *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii 1762* §. *Et quatenus.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Et.*

109. Unde irregularis ac exorbitans non esse videtur gratia dispensationis super impedimento publicae honestatis, quod inter minima numeratur, ut inquit Reiffenstuel in ius can. tom. 4 append. super impedimento §. 3 de caus. n. 35, et Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 18 n. 4, et quod solum oritur ex Matrimonio rato et non consummato, iuxta Constitutionem *Ad Romanum* 62 S. Pii V, et resolutiones Sacrae Congregationis, relatas a Corrad. in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 n. 15 et 20 *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii 1762* §. *Et autumant.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Publicae.*

110. Quum enim non desint exempla dispensationum etiam in primo et secundo gradu affinitatis, immo etiam consanguinitatis, facilius concedenda videtur super impedimento in primo publicae honestatis ex Matrimonio rato et non consummato resultante *in Gadicen. Dispensationis die 12 Iunii 1762* §. *Et quatenus.*

111. Qua de re Apostolica Sedes facilius elargiri solet dispensationem super impedimento publicae honestatis, quoties legitimae et rationabiles causae concurrant, Corrad. in prax. dispen. Cap. 7 n. 21, Card. De Luca de Matrim. disc. 7 n. 8, Ursaya tom. 4 part. 1 discept. 12 n. 13. Inter has vero causas potissimum recenseri tum sobolis procreationem, quando sequuta non fuerit animo dispensationem obtinendi, Reiffenstuel in ius can. tom. 4 in appen. de dispens. super impedim. §. 3 n. 49, Fagnan. in Cap. *Quia circa* de consanguinitate et affinitate, tum etiam scan-

dalum in Populo, ob prolem ex illicitis amplexibus susceptam adhuc existentem, Fagnan. loc. cit. n. 7, Sanchez de Matrim. lib. 8 disp. 19 n. 9 *in Annicien. Dispensationis die 8 Iulii 1769* §. *Hinc.*

112. Siquidem dispensatio ab impedimento publicae honestatis orto ex Matrimonio rato et non consummato facilius conceditur Viro, ut secundae nubat Sorori, quam Mulieri, quae alterum ducere velit Fratrem, Rigant. ad Reg. 49 Cancell. n. 43, eoque magis si oritura sint scandala, Corrad. in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 n. 21 *in Visen. Dispensationis die 24 Novembris 1787* §. *Quatenus.*

113. Unde publica honestas est propinquitas iure ecclesiastico oriens ex sponsalibus, ut ex Matrimonio rato. Huiusmodi impedimentum ad eosdem olim gradus extendebatur, ad quos impedimenta consanguinitatis et affinitatis, Can. 11 12 et 15 caus. 27 quaest. 1, Cap. *Duo Pueri* de despons. Impuberum, locumque habebat, etiamsi sponsalia, quavis de causa, non tamen ex defectu consensus fuissent invalida. At Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 3 de reformatione matrimonii rem hunc in modum immutavit: – Iustitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat –. Huiusmodi autem Decretum S. Pius V in Constit. *Ad Romanum Pontificem* declaravit: – Ad aures nostras pervenit, multos esse qui dubitent, an Decretum oecumenici Concilii Tridentini sess. 24 cap. 3 de reformatione matrimonii, quo cavetur, impedimentum publicae honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum ... de sponsalibus per verba, ut aiunt, de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam Matrimonia per verba de praesenti contracta, non tantum consummata comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit ... Declaramus et definimus, Decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante praedictum Decretum Concilii introductum erat – *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Publica.*

Item *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *Quidquid; in Mindonen. Dispensationis die 3 Augusti 1771* §. *Impedimentum.*

114. Itaque de potestate Summi Pontificis dispensandi super impedimento publicae honestatis dubitare non licet; quoniam illud neque ex naturali, neque ex divino iure descendit, prout Academiae omnes catholici Orbis responderunt in celebri Causa inter Henricum VIII et Catharinam defuncti Arturi fratris viduam. Maximum in veteri Mosayca lege erat discrimen inter casum, quo Frater cum filiis, et casum, quo sine filiis decessisset. Siquidem in cap. 18 et 20 Levitici reprobata omnino erant Coniugia cum Uxore defuncti Fratris, qui, relictis filiis, obiisset: e converso autem, si nulla relicta prole interiisset, permissa erant, immo demandata huiusmodi Connubia, ad suscitandam demortui Fratris semen, ut ex Deuteronom. cap. 25. In nova vero lege tolerantur haec Matrimonia, et praevia Apostolica dispensatione permittuntur in Neophitis, – si tamen Fratres sine prole decessissent –, quemadmodum resultat ex Textu in Cap. fin. de divortiis, ubi legitur, quod Innocentius III potestatem fecerit Livoniensibus ad fidem conversis, ut cum Vidua defuncti Fratris, qui sine prole obiisset, Matrimonio iungerentur *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770* §. *De.*

115. Hinc non desunt, quamvis raro inveniantur, huiusmodi dispensationum exempla. Iulius III dispensavit cum Henrico VIII, ut desponsaretur sibi Catharinam Austriacam post mortem Arturi Fratris, qui Matrimonium cum ea inierat, sed non consummaverat. Similiter Innocentius X dispensationem concessit cuidam nobili Pragensi, qui Imperatori a consiliis erat, ut Matrimonio iungeretur cum Vidua defuncti Fratris, quamvis filios reliquisset, ut melius isti educari possent apud Matrem, quae in domo eiusdem nobilis a multis annis permanserat. Tria prostant in Familia Farnesia istarum dispensationum exempla, ut testatur Rigantius ad reg. 49 Cancell. n. 45 *in Acherun-*

tina Dispensationis die 16 Iunii 1770 §. Non.

116. Verum cum Matrimonia, de quibus agitur, redoleant turpitudinem, idcirco nonnisi ex urgentioribus causis dispensatio concedi solet, ad formam Concilii Tridentini sess. 24 cap. 5 de reformatione *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770 §. Verum.*

117. Quare monet Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 7 n. 21, dispensationem huiusmodi tunc solum concedi, quando afferuntur causae, quae allegari solent in dispensationibus super impedimento consanguinitatis seu affinitatis in proximioribus gradibus, vel quando intercesserit copula, aut ex ipsius suspicione oriretur infamia, vel aliae huius generis iustae et graves causae deducantur *in Acheruntina Dispensationis die 16 Iunii 1770 §. Verum.*

118. At in primo rectae lineae gradu permittere nequit Summus Pontifex Matrimonium, quum inter Patrem et Filiam, Matrem et Filium prohibitae sint nuptiae de iure naturae, de quo Paulus Apostolus ad Romanos 1 et 2 *in Leodien. Dispensationis Matrimonii die 14 Decembris 1793 §. Ex.*

119. Unde inter cetera impedimenta Matrimonium dirimentia locum habet nedum affinitas et publica honestas, sed et consanguinitas. Itaque ad consanguinitatem quod attinet, praetermissis, quae sub Higini Fabiani et Iulii Romanorum Pontificum nominibus a Gratiano referuntur, Decretis, Can. *Si qua Mulier* caus. 35 quaest. 1, Can. *De propinquis* caus. 35 quaest. 3, et Can. *Nullum* caus. 35 quaest. 2, comperta res est, variam fuisse per duodecim priora secula Ecclesiae disciplinam circa consanguinitatis impedimentum, et hoc ad septimum usque gradum, iuxta canonicam computationem fuisse aliquando productum, Cap. *Quod dilectio* 3 de consanguinitate et affinitate. Innocentius vero III, in Lateranensi Concilio anno 1216 Cap. *Non debet* 8 de consanguinitate et affinitate probe animadvertens, quae et quanta ex hac impedimenti extensione usque ad septimum gradum sequerentur incommoda, decrevit, ut – prohibitio copulae coniugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari –. Hoc ipsum confirmavit Tridentina Synodus sess. 24 cap. 5 de reformatione matrimonii. Hunc autem quartum gradum iuxta canonicam computationem sumendum esse liquet ex Gregorio IX Cap. fin. de consanguinitate. Quidquid autem sit de Matrimonio in primo consanguinitatis gradu lineae collateralis, utrum scilicet naturali etiam iure, nedum positivo illicitum sit, de quo disputant Doctores; dubitandum sane non est, in ulteriori gradu lineae rectae collateralis Matrimonium solo iure ecclesiastico esse vetitum, arg. Cap. *Gaudemus* §. de divortiis, S. Thomas 1. 2 q. 105 art. 4, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 52 n. 6 *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768 §. Inter §. Innocentius §. Quidquid.*

120. Siquidem controversia est, num eadem obstet naturalis lex quoad coniunctos in primo laterali gradu, fratres nempe et sorores. Affirmant Sotus in 4 dist. 40 quaest. unic. art. 2, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 52 n. 11, De Iust. de dispens. matrim. lib. 2 cap. 3 n. 67, Sibil. de grad. consanguin. part. 1 cap. 1 §. 1 disp. 1: negant D. Thomas 2. 2 quaest. 154 art. 9 ad 3, et in dist. 40 quaest. unic. art. 3, Pont. de matrim. lib. 7 cap. 32 n. 3, Clericat. eod. tract. decis. 22 n. 28. Affirmativam vero sententiam tenuisse videntur Summi Pontifices, dum nunquam hactenus dispensarunt super primo consanguinitatis gradu in linea laterali. Huiusmodi immo dispensationem denegavit Clemens VII inter Ducem Richemont naturalem filium et Mariam legitimam filiam Henrici VIII Anglorum Regis, teste Varillas Istor. dell' Eresia tom. 4 lib. 9. Culpatur quidem ab Haereticis Martinus V permissi inter fratrem germanamque sororem Matrimonii; sed eum ab hac vindicat impostura Natal. Alex. Hist. eccles. secul. 15 et 16 part. 1 cap. 1 art. 3 n. 6, qui ibidem art. 7 falsam etiam demonstrat dispensationem Callisti III, ex qua Comes Armaniacus post expressam illius Pontificis repulsam germanae nupsit sorori *in Leodien. Dispensationis Matrimonii die 14 Decembris 1792 §. Ex.*

121. His vero exceptis, indulgetur quoad alios consanguinitatis gradus dispensatio cum iusta subsit causa: unde licet Pater Sponsi obstitisset petitioni dispensationis Apostolicae ad effectum contrahendi Matrimonium cum

Puella ex consobrina sorore nepte, rationibus tamen utrinque prolatis mature expensis, Sacra Congregatio declaravit, locum esse praedictae dispensationi *in Romana Dispensationis die 13 Martii et die 15 Maii 1717 lib. 67 Decretorum.*

122. Iamvero – Franciscus Gimnasius die 12 elapsi mensis octobris sponsalia cum Isabella Bentivola eius ex consobrina sorore nepte contraxit, cumque Sponsorum nomine petita fuerit in Dataria dispensatio Apostolica, eiusque concessioni Dominicus Gimnasius Sponsi Pater se opposuerit, controversiam exortam uti maximi momenti EE. VV. decidendam Emus Pro-Datarius delegavit. Contendit dictus Dominicus Gimnasius, legitimam dispensandi in tam arcto consanguinitatis gradu causam non adesse, renuente praecipue Patre, qui optimum inire pro filio consilium praesumitur. Ipse autem, ultra assertam violentiam et seductionem inter causas sui dissensus plenius ab eo ore et scriptis exponendas, praecipue allegat sponsalia non solum contracta sine dote et cum amplissima Sponsae renunciatione cuicumque successioni tam ex testamento, quam ab intestato, sed ulterius Franciscum filium non sine gravi rei familiaris iactura Sponsae dotem scutorum trium millium cum conventione etiam lucri dotalis constituisse. E converso impugnantur causae paterni dissensus, uti in iure vel in facto non subsistentes, et filius officio suo satisfecisse praetendit, cum Patris consensum die 3 decembris opera et medio Parochi S. Mariae in Via imploraverit. Pro legitimis autem dispensationis causis recensentur defectus dotis Puellae et iniuria, quae, ut inquiunt, ei propter publicationem sponsalium irrogaretur. Demum utraque Pars ad sui favorem ob oculos ponit inimicitias et scandala, quae, vel concessa, vel denegata dispensatione, exorientur –. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 martii 1717 responsum tulit: - Dilata ad mentem – (1); sed mox reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius - *in Romana Dispensationis die 15 Maii 1717 lib. 67 Decretorum.*

123. At quum satis constaret, quod Oratores essent coniuncti in primo laterali gradu, nempe alter frater et altera soror, Sacra Congregatio renuit concedere dispensationem ad effectum ineundi Matrimonium, etiamsi binos genuerint filios, ac valde dubitaretur, quin incestuosam continuarent nefariamque consuetudinem *in Leodien. Dispensationis die 14 Decembris 1793.*

124. Enimvero Ioannes Ioseph Tasset, qui secundum baptismalem codicem naturalis erat filius Mariae Tasset et Petri Brune, dispensationem postulavit nubendi Deodatae Brune legitimae eiusdem Petri filiae, cum qua binos genuit filios. Vicarius Generalis retulit, Parochum ex publica fama dictum Ioannem Iosephum Tasset, uti filium naturalem Mariae Tasset et Petri Brune, in libro Baptizatorum inscripsisse: sed Oratores plura in medium protulisse, ut famam illam et inscriptionem falsas ostenderent. Mater vero constantissime ac solemniter declaravit, se praedictum Ioannem Iosephum Tasset ex facto dicti Petri Brune tunc liberi et soluti enixam fuisse; idque tot et talibus vestiebat circumstantiis, ut nullum circa veritatem assertorum remaneret dubium. Unde ex accurata Leodiensis Synodi inquisitione leviter dubitandum videbatur de consanguinitate Ioannis Iosephi Tasset et Deodatae Brune in primo laterali gradu. Romani Pontifices vero nunquam concesserunt dispensationem super primo consanguinitatis gradu in linea laterali. Gravis contra notanda erat circumstantia duplicis filii per Iosephum Tasset ex Deodata Brune suscepti. Valde quippe dubitandum, quin incestuosam continuaret nefariamque consuetudinem cum aeterna animae suae et sororis perditione. Adeo enim fervebat utriusque concupiscentia, ut ad palliandum saltem incestum turpissima etiam tentaverint sponsandi media. Ponderandum tamen, num iusta haec esset causa inducendi novum dispensationis exemplum, sequendo scilicet sententiam divi Thomae de non resistente iure naturae. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit consu-

(1) Scilicet Sacra Congregatio Vicario Generali Urbevetano commisit, ut, explorata voluntate, ea qua polleret sedulitate, Sacram Congregationem certioraret de assensu vel dissensu in huiusmodi Matrimonio contrahendo, *ceu videre est in Reg. litt. lib. 25 die 24 Aprilis 1717.*

lendum Sanctissimo pro dispensatione super primo consanguinitatis gradu in linea laterali in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Leodien. Dispensationis Matrimonii die 14 Decembris 1793.*

125. Ceterum Sacra Congregatio indulsit dispensationem ab impedimento criminis ei, qui post Matrimonium legitime contractum aliud cum altera Muliere contraxit ac duas filias suscepit, cum prima Uxor exinde decesserit atque ipse poenam triremium per septennium solverit, adiecta tamen lege, ut, renovato consensu in faciem Ecclesiae, nec non facta separatione pro tempore beneviso Ordinario, aliqualis salutaris poenitentia imponeretur *in Sancti Severi die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

126. Siquidem – Nicolaus Russo Bituntinae Civitatis, post Matrimonium legitime contractum ac etiam consummatum cum Angela de Michele eiusdem Bituntinae Civitatis, aliud in faciem Ecclesiae contrahere non dubitavit cum Victoria Balduina honesta femina de loco Turris maioris Diaecesis Sancti Severi penitus ignorante praecedens legitimum dicti Nicolai coniugium, atque ex ea duas quoque filias iste suscepit. Inde vero pro huiusmodi polygamiae delicto de mandato Sacrae Congregationis universalis Inquisitionis fuit a Curia Episcopali Sancti Severi per septennium damnatus ad triremes, et, eadem condemnatione durante, dicta Angela prima illius uxor vita decessit. Nunc absoluto poenae sibi constituto tempore, idem Nicolaus statu liber praedictam Victoriam, cum qua de praesenti conversari non desistit, in Uxorem legitime ducere desiderat. Cumque Episcopus facultatem ad id necessariam ipsi denegaverit, dubitans obstare impedimentum criminis, super quo a Sede tantum Apostolica dispensari valeat, propterea EE. VV. declarare dignabuntur: – An et quomodo dispensatio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia dispensationis, renovato consensu in faciem Ecclesiae, nec non facta separatione pro tempore beneviso Ordinario, et imposita aliquali salutari poenitentia – *in Sancti Severi die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

127. Alias enim dispensatio super polygamia reservata est soli Deo, et concedi nequit a Summo Pontifice Cap. *Gaudemus* de divortiis *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Quod denique.*

128. Quum autem Matrimonium inter Virum et Mulierem initum ob Mulieris arctitudinem, omisso triennalis cohabitationis canonico experimento, fuerit formiter nullum declaratum, ac ideò Vir aliud Matrimonium cum altera Muliere contraxerit, et subinde eadem Mulier grandior facta copulam habuerit cum alio Viro cum eoque aliud Matrimonium contrahere concupiverit, sed Curia Episcopalis mandaverit, eam esse restituendam primo Viro, qui tamen eam recipere renuens dispensationem petiit, ut perseveraret in secundo Matrimonio contracto, et ipsa Mulier similem dispensationem exoravit, ut habilitaretur ad secundum Matrimonium ineundum, Sacra Congregatio ad vitanda scandala et dissidia cum utrisque dispensandum esse censuit, renovato tamen consensu per dictum primum Virum ad formam Concilii *in Oriolen. Dispensationis die 16 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

129. Iamvero – de anno 1702 inito Matrimonio in faciem Ecclesiae inter Paschasium Quesadam pharmaçopolam suae aetatis annorum viginti quinque et Rosam Fort puellam annos quindecim natam, post eorum cohabitationem fere duorum mensium, cum simul carnaliter commisceri non possent, ob nimiam Rosae arctitudinem, haec doloris impatiens, Virum exosa ab eo divertit, et ad maternos lares confugit. Quesada itaque usu Coniugis spoliatus, cupiens eam sibi restitui, officium Vicarii seu Officialis Generalis Oriolensis imploravit. Cepto igitur iudicio, Vicarius, omisso triennalis cohabitationis canonico experimento, assignavit Rosae terminum sex dierum ad suae arctitudinis impedimentum probandum, quapropter fuerunt adhibiti quatuor Chirurgi et una Obstetrix, qui per eorum inspectionem Rosam praedictam perpetuo arctitudinis impedimento gravari suo iuramento firmarunt. Verum ut cautius in re magni momenti procederetur, vocato Promotore Fiscali, iussit Vicarius, ut deveniretur ad aliud examen per duas Matronas in nuptiali opere expertas ac bonae opinionis et alios quatuor Chirurgos, qui

iureiurando adstricti, accedente septima propinquorum manu, similiter per inspectionem Rosae arctitudinis impedimentum perpetuum insanabile ac absolutum consona voce testati sunt. In omnibus hisce actibus audito, sed reclamante Quesada, eoque tamen in suis probationibus deficiente, devenit Vicarius ad sententiam de anno 1704 prolatam, in qua declaravit nullum et irritum Matrimonium inter praefatos Sponsos contractum, ob perpetuum et absolutum impedimentum arctitudinis praedictae Rosae, separationemque per eam factam a Quesada vigere, eisdemque propterea facultas indulta fuit transeundi ad alium statum sibi benevisum, iuxta eorum habilitatem. Adstantibus Partibus huic decisioni, lapsisque fatalibus, dictus Quesada de anno 1706 ad secundas nuptias, iuxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, convolavit cum Maria Antonia Perez puella aetatis annorum viginti, ex eaque post triennalem cohabitationem prolem suscepit subinde defunctam.

130. His itaque praehabitis, antedicta Rosa Fort grandior effecta cum Antonio Ximenes sub spe Apostolicae dispensationis sponsalia contraxit, ac vesano amore percita, cum eodem carnaliter commixtà fuit, exindeque institit coram Episcopo, quatenus sibi liceret cum Ximenes Matrimonio iungi. Sed ex adverso contradicente Promotore Fiscali, atque instante, quatenus Rosae aptitudo comperiretur, eam restituendam fore Paschasio Quesadae primo viro, fuit proinde eadem tradita inspicienda duabus Obstetricibus ac quatuor Chirurgis, qui sane iuramento asseverarunt, dictam Rosam esse cognoscibilem et ad viriles amplexus aptam inveniri; qua de re secundo nuptis facta inhibitione quoad torum et mensam, Maria Antonia reposita est in domo honesta. Nihilominus renuit Quesada redire ad Rosam, tum quia ab ea fuit separatus iudiciali sententia, tum pariter ob honoris leges, quae non sinunt ipsum coniugalem vitam ducere cum ea, quae carnalem commixtionem admisit cum Ximenes, quemadmodum pars viciniae et ipsimet Sponsi testati sunt, sed potius esse eidem restituendam Mariam Antoniam Perez sibi canonice copulatam, ne innupta maneat, et Rosam Fort copulandam cum Antonio Ximenes, ne rixae et iurgia inter eorum consanguineos suboriantur. Quapropter recursum habuerunt ad Sanctissimum Dominum Nostrum, precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, tam scilicet Paschasius Quesada et Maria Antonia Perez, rogantes pro dispensatione perseverandi in Matrimonio contracto, quam Antonius Ximenes et Rosa Fort pro simili dispensatione exorantes, ut habilitentur ad Matrimonium invicem contrahendum. Datis itaque Literis Episcopo Oriolensi pro informatione, respondit eius Vicarius Generalis, qui uberius confirmando expositorum veritatem, ad evitanda scandala et dissidia, Oratorum precibus indulgendum censuit, prout fusius ex eius relatione ac aliis documentis transmissis in Summario exhibendis. Hinc Oratores ipsi eorum enixas repetunt preces, pro reportanda gratia –.

131. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse locum dispensationi cum utrisque, renovato consensu inter Quesadam et Mariam Antoniam ad formam Concilii – *in Oriolen. Dispensationis die 16 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

132. Hinc subsistit quidem adhuc Matrimonium in Iudaismo contractum et consummatum, si Uxor fidem catholicam amplexa fuerit, quin ad alia vota transierit, dum Vir postea nedum aliud matrimonium iniit et consummavit, sed et cum secunda Uxore ad fidem conversus est, ita ut is cum prima Uxore redire teneatur, resoluta haud tamen fuerunt dubia, an prima Uxor cogi possit ad cohabitandum cum praedicto Viro, an Summus Pontifex dispensare possit, ut Vir conversus permaneat cum secunda Uxore, et an praestandum sit consilium Summo Pontifici pro concessione dictae dispensationis *in Florentina die 27 Iulii 1726 et die 29 Martii 1727.*

133. Iamvero Ricca Ester, dum erat iudaea Matrimonium contraxit cum Abraham hebraeo, et illud consummavit. Post aliquod temporis spatium Ricca Florentiae iudaicam perfidiam abiuravit et ad catholicam Religionem conversa est, relicto Abraham post canonicam consuetam monitionem in sua iudaica perfidia. Ricca ad alia vota non transivit et adhuc remanebat innupta, sed Abra-

ham anno 1721 aliam hebraeam nomine Blancham duxit in Uxorem, et Matrimonium consummavit. Inde Abraham et Blancha unanimi consensu cupiebant catholicam Religionem amplecti et cathechismo subiiciebant, sed voluissent post Baptismum receptum perseverare, quatenus liceret, in Matrimonio inter ipsos, uti supra contracto, et Ricca suum praestabat assensum, cum nullo modo vellet redire ad Abraham etiam post abiuratam ab ipso iudaicam perfidiam et conversionem ad nostram Sanctam Religionem. Certum sane videbatur, quod Abraham posts uam et Blanchae conversionem teneretur ad redeundum cum Ricca, quae nullum adhuc contraxerat Matrimonium, et Blancham relinquendam; sed an possit Pontifex dispensare in Matrimonio in infidelitate consummato, postquam Coniuges ad fidem conversi sunt, Secretarius Sacrae Congregationis, cuius officio tunc De Lambertinis, seu postea Benedictus XIV, fungebatur, haec advertere censuit: – In hac controversia affirmativa opinio placet Sanchez lib. 2 de matrim. disp. 17, et in terminis terminantibus Iudaei, qui habebat Uxorem, quae conversa est, et quae remansit innupta, quique duxit secundam, et deinde ipse cum secunda conversus est, quod possit Papa dispensare, ut cum secunda remaneat, dissoluto quoad vinculum primo Matrimonio in infidelitate contracto, latissime ostendit Navarrus cons. 3 lib. 3 a n. 12 de conversione infidelium edit. Lugdunensis anni 1594: at cum tam doctrina Sanchez, quam Navarri consilium late impugnetur a Pontio de Matrim. lib. 9 cap. 2, cui adhaeret Perez de matrim. disp. 20 sect. 10 per totum, nec adsint, quod sciam exempla consimilis dispensationis, quidquid sit de Pontificia Auctoritate, quam sartam tectam in omnibus esse debere sentio, eius exercitium absque dubio esset in casu periculosum –.

134. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An adhuc subsistat Matrimonium in Iudaismo contractum inter Riccam et Abraham? *Et quatenus affirmative.* II. An Abraham post suam et Blanchae conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca et Blancham relinquendam? *Et quatenus affirmative.* III. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso? *Et quatenus affirmative.* IV. An Summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in Matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blancha? *Et quatenus affirmative.* V. An consilium praestandum sit Sanctissimo Domino Nostro pro concessione dictae dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative; in reliquis dilata, et scribant Theologi et Canonistae, et perquirantur exempla, et ad mentem – *in Florentina die 27 Iulii 1726.*

135. Mens fuit, ut scriberetur Archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut, citra praeiudicium conversionis ad fidem catholicam, Abraham separaretur a Blancha et ad Riccam rediret; item, an Ricca esset in statu Virum ducendi, aut emittendi professionem religiosam in aliqua religione, per hanc enim viam credebatur evitari posse resolutionem dubiorum propositorum et non resolutorum. At Florentinus Archiepiscopus retulit, possibile non esse, ut Abraham separaretur a Blancha, et Riccam nolle vel aliud Matrimonium contrahere, vel religiosae professioni nomen dare. Necessitas hinc fuit procedere ad dubiorum non resolutorum discussionem: et quoad tertium spectabat, Ricca cogi non posse videbatur ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso. Nam, durante adhuc vinculo cum Ricca, Abraham more suo Matrimonium contraxerat cum Blancha, adeoque adulterium notorium et publicum patraverat, cum Infidelis ad alia vota transire non possit, nisi postquam Fidelis solutus est, quae solutio non datur, nisi per novum Matrimonium, quod ab ipso post conversionem contrahatur. Nedum praeterea ex causa adulterii, sed etiam ex causa molestae cohabitationis, de qua fidem faciebat Archiepiscopus Florentinus, cogi non poterat Ricca ad cohabitandum cum Abraham, quum ex huiusmodi causis locus sit separationi tori et habitationis. E contra videbatur, non posse Ricca adulterium Abrahae opponere, cum certum sit certitudine fidei, sublatam esse per Christum Dominum libellum repudii a Moyse permissum; hinc si Uxor repudiata, vivente Viro repudiante, transeat ad alia vota, adulterium committit, iuxta illud Matthaei cap. 5. Et certum etiam est, quod secuta Mariti conversione ad fidem

christianam, si Uxor in infidelitate repudiata in statu infidelitatis transeat ad alia vota, et deinde convertatur ad fidem, antequam Maritus aliam duxerit Uxorem, non potest Maritus ei obiicere, quod contrahendo Matrimonium moechata sit, sed tantum obiicere poterit adulterium, si cum alio Viro sibi per Matrimonium non copulato rem habuerit, iuxta solemnem decisionem Textus in Cap. *Gaudemus* de divortiis. Nihil proinde supererat Ricchae pro evitanda cohabitatione cum Abraham ad fidem converso, nisi causa odii et inimicitiarum, propter quam non rigorosum divortium, sed abstinentia conceditur a cohabitatione et a toro ad tempus certum, vel incertum. Quoad quartum et quintum autem dubium in primis animadvertebatur, quod si ambo Coniuges infideles instent pro dissolutione Matrimonii responderi debet cum Apostolo: – Quid ad nos de his, qui foris sunt, iudicare? Praeterea si Matrimonium fuerit contractum et consummatum in infidelitate, et uterque Coniux post suam conversionem ad fidem christianam et sine nova Matrimonii consummatione post conversionem instent pro dissolutione, responsio negativa haberi posset pro tutiore, cum in hoc Matrimonio utraque validitas verificetur, quod videlicet sit Matrimonium fidelium et consummatum: demum si Matrimonium fuerit contractum et consummatum in infidelitate, et post unius ex Coniugibus conversionem et alterius permanentiam in infidelitate, promovetur instantia pro dissolutione, ut in casu, de quo agebatur, in eius resolutione discrepant Theologi a Theologis, Canonistae a Canonistis, itaut utraque opinio tanquam prohabilis habeatur a Diana in edit. coordinata tom. 2 tract. 6 resol. 125 n. 4, et controversia tanta ab aliis existimetur, ut super ea expectandum dicant iudicium Sedis Apostolicae, uti habetur apud Clericatum de Sacram. matrim. dec. 12 n. 16.

136. Itaque ad huiusmodi controversiam resolvendam, iuxta mandata Sacrae Congregationis, scripserunt Theologi et Canonistae, sed in varias abierunt sententias. Siquidem illi, qui asserebant, Summum Pontificem posse dispensare, in eo mordicus institerunt, quod Matrimonium infidelium sit minus firmum, quam Matrimonium fidelium ratum et non consummatum. Qua de re Summi Pontifices passim concesserunt, ut dicti infideles ad fidem conversi possent permanere cum ea Uxore, quae ad fidem convertitur, relicta prima, quae in infidelitate permansit; idque fieri non potuisset, nisi dissoluto quoad vinculum primo Matrimonio contracto in infidelitate consummato, alias enim sequeretur, quod Pontifex super polygamia dispensasset contra ius divinum, quae dispensatio soli Deo est reservata, uti probat Textus in Cap. *Gaudemus* de divortiis. Quod vero Summi Pontifices huiusmodi dispensationes concesserint, desumitur ex Brevi S. Pii V die 2 augusti 1571 expedito et impresso apud Veracrux in speculo Coniugum part. 3 art. 8 conclus. 5, in quo cum exposuisset, Indos in infidelitate plures insimul habere Uxores, – cum itaque sicut accepimus Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur Uxores –, et aliquando dari casum, ut Maritus convertatur ad fidem, et una cum Marito Uxor convertatur, non prima, sed alia, prima remanente in incredulitate; – sed quia durissimum esset separare eos ab Uxoribus, cum quibus ipsi Indi Baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam Coniugem reperire –, ex Apostolica benignitate concessit, ut permanerent cum Uxore, quae Baptismum recepit, et huiusmodi Matrimonium validum declaravit, – ut Indi sic, ut praemittitur, baptizati et in futurum baptizandi cum Uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere debeant tamquam cum Uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica Auctoritate tenore praesentium declaramus, Matrimonium huiusmodi legitime inter eos consistere, sicque per quoscumque Iudices et Commissarios iudicari et definiri debere –. Et praeter has Literas Apostolicas alia occurrunt Gregorii Papae XIII impressae apud Pontium de Matrim. lib. 7 cap. 48. Exponitur enim in his, quod plures ex Angola Aethiopia, Brasilia, et aliis Indicis regionibus, ab eis exterminantur, ita ut proprias cogantur relinquere Uxores; exponitur, hos aliquando ad fidem christianam converti, et non posse interpellare Coniugem fidelem, an velit converti. Facta hac expositione, Pontifex ait, – idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter Infideles contracta vera quidem,

non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint –, et deinde concedit non solum, ut contrahere possint Matrimonium et consummare cum Muliere fideli, postquam summarie constiterit, non potuisse interpellare Coniugem infidelem, – ut eorum quilibet, etiam superstite Coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, responso non expectato, Matrimonium cum quovis fideli alias tamen rite contrahere, et in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet summarie (hoc est Missionariis), et extraiudicialiter Coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus eidem monitioni paefixum suam voluntatem non significasse –, sed ad ulteriora procedendo valida et firma declaravit haec Matrimonia contracta ab infideli converso cum Muliere christiana, etiamsi deinde probaretur, primam Coniugem non potuisse iustis de causis suam voluntatem explicare, et etiam quod ipsa non erat infidelis seu fidelis tempore secundi Matrimonii contracti, – quae quidem Matrimonia, etiamsi postea innotuerit, Coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi Matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse –. Denique pro concedenda dispensatione non est necessarium definire, quod Pontifex possit dispensare in huiusmodi Matrimoniis; sed satis est, ut sententia favens Pontificiae potestati suam habeat probabilitatem.

137. Alii e contra, qui dubitabant de Pontificia potestate et multo magis de usu, contenderunt, quod Matrimonium suam obtinuit indissolubilitatem in ipso mundi principio, iuxta illud Genesis Cap. 2 et Matthaei Cap. 19; quodque saltem procedit in Matrimonio saltem consummato, iuxta responsum Alexandri III in Cap. *Ex publico* de conversione coniugatorum. Unde ab divinis illis eloquiis desumitur indissolubilitas Matrimonii saltem consummati iure naturali divino et evangelico, uti exposuit Bonifacius VIII in Cap. unico de voto et voti redemptione, et concordat Concilium Tridentinum in doctrina de Sacramento Matrimonii. Idcirco solus Deus huiusmodi iuri derogare potest, iuxta illud Apostoli ad Corinthios cap. 7, – quod si Infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est Frater aut Soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus –, quod est idem ac dicere, cum unicus sit dissolutionis casus a Deo per Apostolum Paulum expressus, quando videlicet Coniux infidelis, non vult cohabitare, vel si vult id facere, non vult id exequi sine contumelia Creatoris, iuxta Textum in Canone *Si infidelis* 2, et Cap. *Gaudemus* de divortiis: extra consequenter hunc casum solvi non potest vinculum Matrimonii consummati, ita ut per consequens interdictum dici debeat Summo Pontifici solvere Matrimonium in infidelitate consummatum, vel quando ambo Coniuges permanent in infidelitate, vel quando ambo sunt conversi, vel quando alter est conversus, et alter vult converti, nec enim in hoc casu Infidelis discedit, sed potius venire dicendus est. In casu propterea dispensatio concedi non posse videbatur, cum et legitima causa atque exempla deficerent: nam quod exempla pariter requirantur, desumitur nedum ex praxi Sedis Apostolicae, sed etiam ex solemni facto Summi Pontificis Clementis VIII, petita quippe per Henricum Ducem Barrensem a dicto Pontifice dispensatione ducendi in uxorem Catharinam sororem Henrici Regis Galliae haeresi Calvini addictam, ut apud Spondanum in continuatione Annalium ad annum Christi 1600 n. 3, Summus ille Pontifex Congregationem particularem deputavit, in qua examinari iussit primo, an esset potestas; secundo, an concurrerent causae; et tertio, an exempla consimilis dispensationis reperirentur, protestatione emissa, quod nulla fieret indago de primo et secundo, nisi tertium concurreret, ex quo novae dispensationis exemplum in Ecclesia introducere nolebat, uti plene refertur in tom. 5 epist. Card. D' Ossat epist. 317. Quod autem aptum ad rem, de qua agebatur, deesset exemplum, ponebatur in claris. Si enim aliquot aptum adesset exemplum, esset illud, super quo Navarrus suum edidit consilium 3 lib. 3 de conversione Infidelium, in quo agebatur de Iudaeo, qui instabat pro dissolutione Matrimonii in infidelitate consummati, et de eius Uxore ad fidem praecedenter conversa, et quae adhuc innupta remanebat, suumque consensum dissolutioni

praestabat, et in quo Auctor ille, de potestate Summi Pontificis, inquit, dubitandum non esse, multoque minus de causa dispensandi, ex quo agebatur de conversione tum Viri, tum secundae Uxoris, quam duxerat in infidelitate post primae conversionem ad fidem Catholicam; sed hoc consilium suo caruit effectu, cum Summus Pontifex Sixtus V petitam dispensationem concedere noluerit, teste insigni Theologo Societatis Iesu Gabriele Vasquez in tertiam partem divi Thomae tom. 4 disp. 2 cap. 6 de Matrim. n. 58: – Id quod (sermo est de praedicta dispensatione) anno Domini 1558 cum ego Romae essem a Summo Pontifice Sixto V obtinere pro viribus contenderunt, sed repulsam passi sunt, in quorum sententiam nunquam subscribere volui –. Neque, his admissis, putarunt quidquam obesse posse argumentum, quod Papa dispensat in Matrimonio rato Fidelium, et sic multo magis dispensare valet in Matrimonio consummato Infidelium, cum vinculum illius utpote Sacramenti sit fortius vinculo huius, quod est simplex contractus: negatur enim, quod vinculum Matrimonii rati inter Fideles sit fortius vinculo Matrimonii consummati Infidelium, quia dari posset inter Fideles Matrimonium validum atque indissolubile, licet non sit Sacramentum, quando scilicet contrahentes in peccato mortali ac nolentes committere novum peccatum, ad invicem paciscerentur cum intentione faciendi contractum, non vero Sacramentum, ut Mastrius in 4 sent. tom. disp. 7 n. 10, Diana in edit. coord. tom. 2 tract. 6 resol. 118, Gonett. in Clypeo Theolog. Thomisticae tom. 5 disp. 2 art. 2 §. 3 n. 52; et quia Matrimonium ratum significat unionem Christi cum anima iusta, et Matrimonium consummatum significat unionem inter Christum et Ecclesiam per carnem assumptam, iuxta responsum Innocentii III in Cap. *Debitum* de Bigamis. Idcirco imperceptibile est, quod vinculum Matrimonii rati sit fortius vinculo Matrimonii consummati inter Infideles, quin obsit quod Matrimonium consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, sed inter fideles, non autem inter Infideles. Nam etiam inter Infideles Matrimonium consummatum praedictam significat unionem, ut in puncto respondit Card. de Laurea de Matrim. disp. 16 art. 9 §. 6 n. 231, et Vasquez loc. cit. 37, et in Cap. *Gaudemus* de divortiis Matrimonium Infidelium appellatur Sacramentum, non vero gratiam conferens, sed large sumptum, hoc est uti misterium, et sic significans unionem Christi cum Ecclesia.

138. Absque eo quod praxis in ordine ad Matrimonia consummata infidelium argui valeat ex supra citato Brevi S. Pii V; tum quia in illo nullum sit dispensationis verbum, sed verba potius important iuridicam sententiam; tum quia, ut ex Brevi S. Pii V argui posset dispensatio in Matrimonio consummato Infidelium, ostendendum esset, eumdem Summum Pontificem supposuisse, repertam fuisse primam Uxorem, cum qua ab Infideli subinde converso ad fidem Matrimonium consummatum fuit in infidelitate, et hoc minime obstante, eumdem Pontificem declarasse validitatem Matrimonii cum secunda aut tertia Uxore ad fidem conversa, et ad effectum pariter concludendae dispensationis in Matrimonio consummato Infidelium, necesse esset demonstrare, quod prima Uxor esset parata ad amplectendam fidem christianam, cum autem Sanctus Pius V tantum abest, quod admiserit primae Uxoris reperitionem, quod hanc potius excluserit, uti colligitur ex verbis Brevis,- maxime quia difficillimum foret primam Coniugem reperire –; cumque in eodem Brevi nullum fiat verbum de praeparatione primae Uxoris ad recipiendam fidem christianam, id quod ex Brevi desumi potest, non est, quod Papa dispensaverit, sed quod habuerit pro dissoluto quoad vinculum Matrimonium cum prima Uxore contractum et in infidelitate consummatum, ex quo ipsa discedit, iuxta Apostoli verba, et haberi debet pro discedente, etiamsi iuxta morem non fuerit interpellata, an vellet converti; concurrentibus enim legitimis circumstantiis et signanter difficultate reperiendi primam Coniugem, probabilis est opinio Doctorum, interpellationem omitti posse, et sine ea permissum esse Coniugi converso ad alia vota transire, Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 74 n. 14 et 15. Neque est maioris momenti aliud Breve allegatum Gregorii XIII: tres quippe habet partes; in prima dicitur, quod Matrimonia Infidelium, necessitate suadente, dissolvi possunt, et hoc est verum, sed non videtur facere ad rem;

in secunda parte Brevis dicitur, non posse Coniuges ad fidem conversos propter longum terrarum intervallum monere Coniuges Infideles, an velint sine contumelia Creatoris cohabitare, et decernitur, Coniugem fidelem posse ad alia vota transire; non absolute tamen et simpliciter, sed qualificate, – dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter, Coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse –. At haec secunda pars non probat, quod Papa dispensaverit in Matrimonio consummato Infidelium, sed tantum quod rigorosae interpellationis morem temperaverit, et licet usus sit verbis importantibus dispensationem, – concedimus facultatem dispensandi –, dispensatio tamen percutit et respicit interpellationem, cum etiam concurrentibus gravissimis circumstantiis, probabilis sit opinio Doctorum, necessariam esse Pontificiam dispensationem, ut vel omittatur in totum, vel in parte temperetur interpellatio. Tertia demum Brevis Apostolici pars est ceteris difficilior: in ea enim Papa decernit validitatem secundi Matrimonii, etiamsi prima Uxor ostenderet, se non discessisse, sed venisse, hoc est se non fuisse infidelem, sed fidelem tempore, quo a suo Viro ad fidem conversò secundum Matrimonium contractum fuit. Verum respondetur, Summum Pontificem non dispensasse super vinculo prioris Matrimonii, sed tantum decrevisse, ut fides non praestaretur Coniugi, quae requisita et latitans non expressit voluntatem de cohabitando sine contumelia Creatoris, et deinde post contractum a Coniuge converso Matrimonium cum christiana, comparet et asserit, se tempore, quo illud contractum est, iam fuisse conversam: responsio haec est Pontii in lib. 9 cap. 2 n. 17; et quamvis a nonnullis dicatur divinatoria, uti talis tamen qualificari non potest, quia alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod Papa dispensasset in Matrimonio consummato in infidelitate post utriusque Coniugis conversionem, et sic in Matrimonio consummato Fidelium, cum tale dicatur etiam illud, quod est in infidelitate consummatum, postquam Coniuges conversi sunt, etsi post conversionem non fecerint consummationem.

139. His utrinque perpensis, repropositis dubiis non resolutis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Scribatur iuxta instructionem – *in Florentina die 29 Martii 1727.*

140. Quin imo nec facilem se praebet Sacra Congregatio ad concedendas dispensationes ad effectum ineundi Matrimonium inter Catholicos et Haereticas: quandoquidem non solum fuit negata dispensatio contrahendi Matrimonium inter Catholicum et Haereticam, sed et responsum est, nullo modo esse concedendam *in Dubium ad Cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

141. Unde, si urgens adsit causa, dispensatio super Matrimonio inter Haereticam et Catholicum ineundo haud conceditur sine clausula, – abiurata prius haeresi –: quandoquidem sine praefata clausula consimiles non conceduntur dispensationes, uti testantur Card. Albitius de inconst. in fide cap. 18 n. 44, Card. Petra in notis ad Constitutionem 12 Ioannis XXII tom. 4 pag. 76 n. 14, et concordat praxis Tribunalis sanctissimae Inquisitionis *in Traiecten. die 22 Novembris 1721* §. *Huic.*

142. Similiter Sedes Apostolica super impedimento ad machinationem in mortem Coniugis una cum adulterio haud consuevit dispensare, quoties illud publicum sit, uti testantur Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 9 a n. 4, De Iustis de dispens. matrim. lib. 2 cap. 16 a n. 64, Schmalzgrueber ad tit. decret. de eo, qui duxit in matrimonium a n. 65, Miglioruce. iur. can. tom. 2 pag. 242, ubi distinguunt inter impedimentum proveniens ex adulterio cum promissione contrahendi Matrimonium, et impedimentum proveniens ex adulterio una cum machinato uxoricidio; asseruntque, in primo casu esse locum dispensationi, et non in secundo, iuxta praxim Romanae Curiae *in Ulixbonen. die 7 Septembris 1726* §. *Atque.*

143. Quin imo quum Vir tertio consanguinitatis gradu coniunctus per dolum et nulliter Matrimonium inierit cum Muliere, frustra se opposuit dispensationi, quam alter petiit, ut cum dicta Muliere Matrimonium inire posset *in Casertana Matrimonii die 27 Februarii 1717 lib. 67 Decretorum.*

144. Siquidem – Ioseph Iaquinto annorum tresdecim et in tertio consanguinitatis gradu

coniunctus Constantiae Farinae die 2 aprilis superioris anni « coram Parocho et Testibus per dolum (ut refert Episcopus) in propria domo tunc adductis, dispensationibus super gradu prohibito et super defectu aetatis minime obtentis, denunciationibus praetermissis» Matrimonium cum dicta Constantia contrahere praesumpsit, comparente et stipulante nomine eiusdem Constantiae Dominico Russo asserto Procuratore, qui praetensum mandatum procurae exhibuit in parva schedula nullis Testibus munitum, tribus distinctis characteribus et tot tantisque vitiis refertum, ut Episcopus testetur, de nullitate et falsitate eiusdem non ambigi, et addit: « Constantia iureiurando affirmabat, schedulam assertae procurae a se minime subscriptam, quod aliis scripturis itidem convicebat, ac proinde conscriptores, si qui fuerint comperti, aliosque, qui eo mandato usi fuerint, uti falsos rigorose puniendos fortiter instabat, prout et scriptis in actis instare non destitit ». Ulterius idem Ioseph Iaquinto seu eius Pater et Patruus Literas pro informatione huius Sacrae Congregationis immediate post praetensum Matrimonium Episcopo praesentarunt obtentas super supplici libello inscripto nomine Catharinae Lombardo Matris dictae Constantiae, recursus et instantiae omnino ignarae. In hoc rerum statu cum Petrus Lombardus et praefata Constantia Farina in tertio consanguinitatis gradu coniuncti signari supplicationem dispensationis obtinuerint, ut rite et valide Matrimonium contraherent, expeditioni dictae dispensationis se opposuit dictus Ioseph Iaquinto, et Emus Pro-Datarius remisit controversiam EE. VV. decidendam. Ioseph Iaquinto vim metumque inferri Constantiae Farinae conqueritur, sed Episcopus testatur, « in praesenti facto abesse, quod potius ad libertatem tuendam ipsam Iuvenem inexpertam, ne, dote pro sui conditione superfluente, minus congruo pretio iniquitatis intercedente, nuptui traderetur, paterne fuisse tutatam ». Praefata insuper Constantia solemniter constituit Procuratorem ad impugnandum praetensum Matrimonium cum dicto Iaquinto, et ad obtinendam dispensationem pro Matrimonio cum Petro Lombardo contrahendo, hancque eius liberam et determinatam voluntatem plenissime Episcopus testatur, ut ex eius informatione in Summario exhibenda –.

145. Propositis hinc dubiis: - I. An constet de valido Matrimonio inter Constantiam Farinam ac Iosephum Iaquintum? *Et quatenus negative.* II. An et ad cuius favorem sit relaxanda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative favore Lombardi – *in Casertana Matrimonii die 27 Februarii 1717 lib. 67 Decretorum.*

146. Unde quum Vir et Mulier coram Parocho dolose accersito Matrimonium contraxerint, sed mox detecto inter ipsos impedimento consanguinitatis in tertio gradu, Vir ille dispensationem petierit, cui tamen se se opposuerit alia Mulier, ob sponsalia cum ipsa prius inita, ac Testes exhibuerit ad probandum, dictum Virum habuisse scientiam praefati impedimenti consanguinitatis, Sacra Congregatio mandavit, ut examinarentur formiter Testes per Episcopum viciniorem *in Cusentina Dispensationis die 18 Februarii et die 27 Maii 1702 lib. 52 Decretorum.*

147. Enimvero – Ioseph Nicolaus filius Antonii Perri et Catharinae Caputo usque ab infantia educatus in domo quondam Dominici Longo sui Tutoris, ad decimum quintum aetatis suae annum perventus, deliberavit sese Matrimonio iugare cum Beatrice Longo filia dicti quondam Dominici, cum qua tunc convivebat; et de facto licet consanguinei dicti Iosephi pluries per Regium Consilium Neapolitanum demandari curassent eidem Dominico sub certis poenis, ne tale Matrimonium contrahi permitteret, quadam die mensis octobris proxime praeteriti de nocte coram Parocho Cathedralis Cusentinae dolose accersito et aliquibus Testibus, omissis debitis denunciationibus, praefatus Ioseph Nicolaus cum dicta Beatrice Matrimonium contraxit, quo sequuto, dictus Ioseph illico se recepit in Coenobium PP. Minorum de Observantia illius Civitatis, et successive ambo praedicti Sponsi declarati fuerunt excommunicati per Curiam ecclesiasticam, praevia relaxatione cedulonum. Interim vero factis denunciationibus Matrimonii praedicti, detectum fuit in actis eiusdem Curiae, adesse inter Sponsos praefatos impedimentum consanguinitatis in

tertio gradu, quod postmodum comprobatum extitit ex nonnullis Testium depositionibus formiter receptis in Curia praedicta. Quapropter praefatus Ioseph Nicolaus preces porrexit Sanctissimo ad effectum obtinendi dispensationem super dicto impedimento, ad quam tamen impediendam se opposuit Catharina Piro sub fundamento, quod idem Ioseph cum ipse contraxerit sponsalia cum iuramento. Verum remissa Causa per Emum Pro-Datarium ad hanc Sacram Congregationem pro voto, requisitaque de more informatione Ordinarii, Vicarius Capitularis, Sede tunc vacante, suam transmisit relationem, in qua praefatam facti seriem confirmando concludit, quod assignato termino praedictae Piro ad deducendum suas probationes, nullas usque adhuc exhibuit. His igitur stantibus, ad probanda supradicta sponsalia praefata Catharina exhibet in praesenti copiam authenticam capitulorum matrimonialium initorum sub die prima ianuarii 1700 inter ipsam et supradictum Iosephum Nicolaum, in quibus sic habetur: « In primis esso Giuseppe e Niccola promette e con giuramento si obbliga sotto la pena di oncie 100 da applicarsi etc. ad ogni istanza di essa Catarina contrarre solenne e legitimo Matrimonio con la medesima in faciem Ecclesiae per verba de praesenti vis et volo, ed esso riceve per sua cara e legittima Sposa, precedenti tutte le solennità stabilite dalla S. Madre Chiesa e Sacro Concilio di Trento. Item essa Catarina sotto il medesimo giuramento e pena etc. promette ad ogni istanza e richiesta del detto Giuseppe Niccola con esso contrarre solenne e legittimo Matrimonio per verba de praesenti vis et volo in faciem Ecclesiae, e riceverlo per suo caro vero e legittimo Sposo precedenti etc.» –.

148. Partibus interim utriusque monitis et informantibus –, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio matrimonialis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata – *in Cusentina Dispensationis die 18 Februarii 1702 lib. 52 Decretorum.*

149. Inde renovatis precibus pro parte Iosephi, – exhibet praefata Catharina nonnullas depositiones Testium super notorietate sponsalium cum ipsa initorum, ac publicam attestationem aliorum quatuor Testium ad probandum, dictum Iosephum habuisse scientiam praefati impedimenti consanguinitatis –. Reproposito hinc dubio super eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Examinentur Testes formiter per Episcopum viciniorem – *in Cusentina Dispensationis die 27 Maii 1702 lib. 52 Decretorum.*

150. Concedenda vero est dispensatio super impedimento tertii gradus consanguinitatis, cum Sponsi Matrimonium ineuntes huiusmodi impedimentum ignoraverint, licet illud absque venia Episcopi contraxerint, ac Vir cum alia Muliere secunda sponsalia inierit *in Boianen. Dispensationis et Sponsalium die 16 Ianuarii 1751.*

151. Siquidem sponsalia contraxit die 15 decembris anno 1749 cum Carmelia Coticoni Georgeus Caroscia Civitatis Campobassi Diaeceseos Boianensis: spe inde maioris dotis alia post triduum iniit sub conditione certae dotis sponsalia cum Anna Felice Scipio. Mutato demum consilio, aurique fame deposita, rediit ad fidem Carmeliae datam; statuitque cum ea Matrimonium contrahere. Metuens, ne praepediretur ab Anna Felice, postulavit ab Episcopo, ut una tantum futurarum nuptiarum denunciatio praemitteretur. Semel itaque denunciatis futuris nuptiis, nihil denunciatum fuit, et Georgeus et Carmelia die 1 ianuarii 1750 Matrimonium coram Parocho et Testibus contraxerunt, quod cum sine venia Episcopi contractum fuisset, cavere sibi satius duxerunt Coniuges publico instrumento, quo declararunt, seorsim vivere velle, donec a Curia Episcopali venia iis indulgeretur. Praevenerat Anna Felix in Episcopali Curia Boianensi longe dissita a Civitate Campobassi, et opposuerat sponsalia, quae cum ipsa Georgeus contraxerat. Post Matrimonium rumor exortus est, Georgeum et Carmeliam tertio consanguinitatis gradu coniunctos esse: unde Coniuges postularunt dispensationem, – tamquam de ignoranter contracto Matrimonio –. Coniuges itaque disputarunt, teneri Annam difficillimam scientiae impedimenti probationem facere, ne dispensationi esset locus: sed impossibile prorsus esse, ut haec fieret probatio, cum ipsi impedimentum illud ignoraverint; sponsalia autem contracta a Georgeo nulla atque irrita esse, cum devinctus is esset primis cum Carmelia contractis,

hinc nullum esse coactioni locum, quod vellet Anna Felix. Episcopus retulit, Matrimonium attentatum fuisse, impedimentum Coniuges ignorasse, nec quidquam dolose commisisse vel fraudolenter contra canonicas sanctiones. Addidit: – Carmelia ipsa prorsus est cuiuscumque culpae exors, adeoque non indigna, ut famae eius consulatur, et Apostolica dispensatione super huiusmodi tertio consanguinitatis gradu dignetur –.

152. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit concedenda dispensatio super impedimento, de quo agitur, in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An constet de validitate Sponsalium inter Georgeum Caroscia et Annam Felicem Scipio in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et quomodo sit cogendus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. In reliquis, provisum in primo – *in Boianen. Dispensationis et Sponsalium die 16 Ianuarii 1751.*

153. Quum itaque dubium exortum fuerit, an Sponsi essent consanguinei in quarto gradu, Sacra Congregatio declaravit, Oratores indigere dispensatione ad cautelam *in Tranen. Impedimenti die 2 Octobris 1717 lib. 67 Decretorum.*

154. Siquidem – cum Christophorus Taricone et Ioanna Bove ex Oppido Corrati Matrimonium contrahere vellent, dubium exortum est, an sint consanguinei in quarto gradu, et an saltem rumor et fama huiusmodi consanguinitatis ipsis obstet ad textum in Cap. *Cum in tua* de spons., et Gloss. in Cap. *Super eo* verb. fama de consanguinitate et affinitate. Oratores in quarto gradu citra controversiam essent consanguinei, si Nicola Mater Ioannae filia esset Ioannae Novellae. Tres expositae anno 1658 fere contemporanee cum eodem nomine Nicolae Cataldae baptizatae fuerunt, una die 5 ianuarii, altera die sequenti, tertia die 18 martii eiusdem anni, et quoad omnes in libris Baptismatis adnotatum fuit, ortas esse ex incertis Parentibus. Una ex dictis tribus Puellis, quae cognomen successive Colellae assumpsit, Mater est Ioannae Oratricis, et septem Mulieres examinatae deponunt, ex fama a sexaginta annis et auditu dictam Nicolam Cataldam seu Colellam filiam esse Ioannae Novellae, quamvis omnes concludant, rem aliter se habere posse, et famam forsan vanam et insubsistentem esse, ut plenius EE. PP. ex earum depositionibus in Summario exhibendis dignoscent. Vicarius Capitularis praedicta omnia confirmat. Proposito hinc dubio: – An Oratores indigeant dispensatione ad effectum contrahendi Matrimonium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad cautelam – *in Tranen. Impedimenti die 2 Octobris 1717 lib. 67 Decretorum.*

155. Quod si Vir dispensationem a Sancta Sede procuraverit et obtinuerit in solo quarto gradu, non expresso tertio de industria, inscia harum omnium rerum Muliere, et sic Matrimonium cum ea inierit et consummaverit, haud ille contraxisse videtur inhabilitatem ad Matrimonium perficiendum cum aliis Mulieribus, quoties illud fuerit nullum; quia non est in iure imposita poena inhabilitatis ad alias nuptias per hoc, quod quis incestum commiserit extra figuram, vel in figura Matrimonii, ut in puncto docet Textus in Can. *De incestis* 33 quaest. 3: – Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris Coniugii libertatem –; et rursus in Can. *Haec salubriter* 33 quaest. 8: – Qui autem et quae in quarto vel in quinto gradu coniuncti inventi fuerint, separentur etc. Sane quibus coniunctio interdicitur illicita, habebunt ineundi Coniugii melioris libertatem –; et in Can. *Si duo* 35 quaest. 6: – Si se Episcoporum iudicio segregaverint, si iuvenes sunt, alia Matrimonia contrahere non prohibeantur –: et contraria procedunt, quando incestuosi adeo insimul convixerint, ut alter eorum occubuerit durante adhuc incestu: – Et si alter eorum morte praeventus fuerit, alter quamdiu vivit graviter poeniteat, et sine spe Coniugii maneat – *in Luceorien. Matrimonii die 28 Februarii 1722* §. *Haec.*

156. Verius tamen inhabilitas huiusmodi Viri ad contrahendum cum aliis Mulieribus Matrimonium desumitur ex Canone *Qui propinquam* 35 quaest. 2 et 3, ubi sic legitur: – Qui propinquam sanguinis Uxorem ducunt et separantur, non licebit eis, quamdiu utrique vivunt, alias Uxores sibi in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur –; et firmat Menochius, et favere dicitur stylus Datariae, iuxta quem in dispensationibus matrimonia-

libus, quae expediuntur pro incestuosis consanguineis, apponitur semper clausula, quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe coniugii remaneat, uti habetur apud Corradum in prax. dispens. lib. 8 cap. 3 n. 60 *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 7 Septembris 1720* §. *A primo.*

157. Huius inhabilitatio, quidquid nonnulli scribentes asseruerint, mentio habetur in Regestis Sacrae Congregationis; concluso enim Concilio Tridentino, institutaque Sacra Congregatione Concilii, Summi Pontifices pro regulandis materiis Datariae, in quibus Sacrosanctum Concilium aliquid iuris induxerat, omnes pene supplicationes ad hanc Sacram Congregationem remittere consueverunt *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 7 Septembris 1720* §. *Huius.*

158. Unde Secretarius praefatae Sacrae Congregationis testatur: – Inter alias tunc remissas, quamdam supplicationem Papien. seu Ianuen. inveni, in qua actum fuit de indulgenda dispensatione cuidam nobili Adolescenti, qui sub spe futurae Pontificiae dispensationis fuit a Parentibus nobilis Puellae suae consanguineae inductus ad habendam rem cum ipsa, prout habuit de facto, ipsamque praegnantem effecit, manuque cl. me. Cardinalis Alciati adnotatum inveni, quod fieri deberet supplicatio Sanctissimo cum narratione casus et cum petitione, quod tolleretur inhabilitas ex eo contracta ad ducendam aliam uxorem, et paullo post eadem manu adnotatum pariter inveni, quod poterat in casu concedi dispensatio, licet Adolescens propter incestum factus esset inhabilis ad contrahendum cum aliis – *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 7 Septembris 1720* §. *Inter.*

159. Itaque post declaratam nullitatem Matrimonii inter consanguineos contracti et consummati, post obtentam dispensationem a non habente facultatem, et expressa causa paupertatis, quae non habebat subsistentiam, praesuppositum fuit in genere, quod ex incestuoso Coniugio contracto fuisset inhabilitas ad contrahendum Matrimonium cum aliis, disputatoque dubio: – An Mulier in specie facta esset inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis? *Et quatenus affirmative.* An esset cum ea dispensandum? –, responsum fuit, non fuisse a Muliere contractam inhabilitatem, ex quo decepta praedictum contraxerat Matrimonium et cum ignorantia impedimenti *in Pragen. Matrimonii die 29 Maii 1677 lib. 29 Decretorum.*

Item *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 7 Septembris 1720* §. *Rursus.*

160. Quod si Pontifex dispensationem concesserit super quarto gradu consanguinitatis, quin expressum fuisset, quod Sponsi etiam in tertio gradu essent coniuncti, atque executor sciens, non fuisse expressum Summo Pontifici gradum propinquiorem, processerit ad Brevis executionem, non petitis nec obtentis Literis Declaratoriis ad formam Bullae Pianae, Matrimonium sic contractum censetur ac est tantum illicitum, non vero invalidum, adeoque dicti Sponsi separari debent et in separatione continuare tenentur, donec obtinuerint praefatas Literas Apostolicas declaratorias *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 7 Septembris 1720 die 28 Februarii et die 28 Martii 1722.*

161. Siquidem Summus Pontifex anno 1716 dispensationem concessit, ut, non obstante quarto gradu consanguinitatis, possent inter se Matrimonium contrahere Ioannes Sapica et Constantia Radzivilla. Anno sequenti 1717 contractum fuit inter eosdem Matrimonium in faciem Ecclesiae coram Parocho et Testibus. Cumque Ioannes et Constantia non quarto tantum gradu consanguinitatis, sed tertio et quarto mixto essent coniuncti, existimatum fuit, quod id impedire non posset executionem dispensationis ex regula, quod remotior sit attendendus, et quod trahat secum propinquiorem. Matrimonium, hoc modo contractum, fuit etiam consummatum, cum Coniuges pluribus hebdomadis cohabitaverint; sed exortis inter Coniuges et ambarum Partium Consanguineos, divitiis nobilitate et dignitatibus praestantissimos, dissidiis, agi ceptum est de nullitate Matrimonii, controversiaque delata ad Sacram Congregationem, ne, lite in partibus agitata, odia in perniciem publicae quietis erumperent, disputatum est, an constaret de nullitate Matrimonii, et an Ioannes factus esset inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis Mulieribus. Indubium quidem erat, quod Pius Papa quartus decreverit, ut in dispensationibus ma-

trimonialibus non solum gradus remotioris, sed etiam propinquioris expressa mentio fieri deberet, alias dispensatio nullius esset roboris et momenti; nec non indubium pariter, quod s. m. Pius quintus in Bulla 13 Bullarii tom. 2 praefatam Constitutionem Pii IV renovaverit statuens, ut in dispensationibus gradus remotior attenderetur et traheret secum propinquiorem, et sic sufficeret exprimere gradum remotiorem, - obtentis tamen postea super propinquiori Literis declaratoriis – a Sede Apostolica, in quibus declararetur, non obstare reticentiam propinquioris gradus, uti colligitur ex formula harum Literarum impressa apud Navarrum in Summa Bullarum Comment. 60 n. 1: at difficultas in hoc consistere videbatur, an in hypothesi, in qua Executor sciens, non fuisse expressum Summo Pontifici gradum propinquiorem, procedat ad Brevis exequutionem, non petitis nec obtentis memoratis Literis declaratoriis, executio haec non tantum esset illicita, sed invalida, et sic consequenter, an Matrimonium dicto modo contractum non tantum sit illicitum, sed etiam invalidum. Putabant nonnulli, Matrimonium in dictis circumstantiis contractum ad summum esse illicitum, sed non invalidum: alii e contra censebant, Matrimonium nedum illicitum esse, sed etiam invalidum. Propositis interim dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii? *Et quatenus affirmative.* II. An Princeps Ioannes Sapica factus sit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis Mulieribus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 7 Septembris 1720.*

162. Mens autem fuit, quod perquirerentur Regesta Datariae, ut videretur, an subsisteret opinio de nullitate Matrimonii sic contracti, iuxta praxim tam antiquam, quam modernam dicti Tribunalis; ab eius etenim auctoritate omnes fere scribentes moti sunt ad sustinendum, quod Matrimonium in dictis circumstantiis initum esset nedum illicitum, sed etiam invalidum *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 28 Februarii 1722* §. *De nullitate.*

163. Hinc Sacra Congregatio ex officio procedens voluit, ut de validitate, vel invaliditate Matrimonii stricte videretur; et quia tota lis pro nullitate constituebatur in stylo Datariae, hinc prima vice respondit, quod Datariae Regesta perquirerentur, et secunda vice, instantibus Officialibus Datariae, die 28 februarii 1722 responsum dedit: - Dilata, et proponatur in prima post sequentem etiam unica –. Itaque egregii Datariae Officiales, pervolutis Regestis a tempore S. Pii V usque in praesens, discursum una cum Summario iustificativo exararunt, et simul et semel comprobare conati sunt, nulla semper et invalida habita fuisse Matrimonia contracta inter coniunctos tertio et quarto gradu, praevia dispensatione super quarto et non obtentis Literis declaratoriis super tertio, iuxta praescripta in Bulla 13 S. Pii V tom. 2. Quia vero sicuti ad egregios Datariae Officiales pertinebat Datariae opiniones et iura tueri, sic ad Secretarium Sacrae Congregationis sententias propugnare *in Luceorien. Nullitatis Matrimonii die 28 Martii 1722* §. *Bis* §. *Egregii* §. *Quia.*

164. Secretarius autem Sacrae Congregationis, qui tunc temporis huiusmodi officio fungebatur doctissimus De Lambertinis, postea Benedictus XIV, haec ad praefatam controversiam resolvendam in medium protulit: – Nonnulla sunt, quae urgent pro nullitate Matrimonii. Primum est, quod illud in tantum validum existimari posset, in quantum dispensatio obtenta super gradu remotiori suffragari posset coniunctis in illo gradu, et in gradu etiam proximiori. Cum autem id de iure non subsistat, iuxta textum in Cap. *Quod dilectio* de consanguinitate et affinitate, sequitur, de Matrimonii nullitate non esse dubitandum. Secundum est, quod quidquid esset iuxta antiquiores Constitutiones Gregorii XI et Clementis VI, Pius certe Papa IV sic decrevit: « se de singulis obstaculis plene certiorari volens, quod in quibuscumque dispensationibus, quas pro Matrimonio scienter, vel ignoranter contracto, vel contrahendo in quibusvis prohibitis consanguinitatis aut affinitatis seu mixtis gradibus etc. a S. Sede impetrari etc. non solum de remotiori, sed etiam de proximiori aut de proximioribus gradibus quicumque illi fuerint, eorumque distantia specialis et expressa mentio fieri debeat; alioquin dispensationes etc. nullius sint roboris et momenti, et pro infectis

habeantur ». Verba haec leguntur in Constitutione 37 praedicti Pii Papae IV in antiquiori Bullario Romano edito anno 1586, quod existit in Bibliotheca Casanatensi: quibus attentis, sicuti certa est nullitas dispensationis inter coniunctos tertio et quarto, facta tantum mentione quarti gradus, sic a nullitate dispensationis valet illatio ad Matrimonii nullitatem. Tertium est, quod licet S. Pius V in sua Constitutione 13 Bullarii tom. 2 derogaverit mox allegatae Constitutioni Pii Papae IV, et voluerit, quod valeret dispensatio obtenta super quarto, nulla facta mentione tertii gradus, addiderit nihilominus sequentia verba « obtentis tamen postea super propinquiori Literis declaratoriis » hoc est literis, in quibus declaretur, non obstare reticentiam gradus propinquioris; cumque recensita verba conditionem importent, iuxta punctuales et in his terminis Auctoritates infra allegandas, hinc sit censendum, esse nullum Matrimonium illud, quod fuit contractum inter coniunctos tertio et quarto, obtenta dispensatione super quarto, et non obtentis Literis declaratoriis super tertio. Quartum est, quod si validum haberetur Matrimonium, non obtentis Literis declaratoriis super gradu propinquiori, frustratoriae quodammodo dictae Literae dici possent. Cum autem hoc non sit dicendum, nec etiam dici poterit, validum esse Matrimonium inter coniunctos tertio et quarto, praevia dispensatione super quarto, et non obtentis Literis declaratoriis super tertio. Quintum est, quod habito recursu ad Summos Pontifices Urbanum VIII et Innocentium X a Coniugibus, qui, reticito propinquiori, dispensationem expediverant super remotiori gradu, nec Literas declaratorias obtinuerant super propinquiori, fuit in Literis Apostolicis dictorum Pontificum, impressis apud Anacletum in 4 lib. Decretal. in append. de dispensat. super impedimentis §. 4, responsum, quod Ordinarii, qui dispensationem exequutioni dederant, nulliter et de facto dispensaverant, quod copula interim habita fuerat incestuosa, quod filii nati erant illegitimi, et quod erat iterum contrahendum Matrimonium in faciem Ecclesiae. Signa autem haec sunt evidentissima, quod non obstante citata Bulla S. Pii V subsequentes Romani Pontifices nulla esse iudicarunt Matrimonia contracta inter coniunctos, accedente dispensatione Apostolica super gradu remotiori, et non obtentis Literis declaratoriis super propinquiori, idque adeo verum esse dignoscitur, ut Barbosa, qui vot. 3 lib. 1 per totum senserat pro validitate, viso Brevi Urbani VIII, in fine suffragii a dicta opinione recesserit, et consimili modo se etiam gesserit Bonacina, qui licet validum de iure Matrimonium existimasset, attento nihilominus stylo Sedis Apostolicae, sententiam amplexus est pro nullitate, uti videri potest tom. 2 disp. 1 quaest. 2 puncto 5 n. 17 et quaest. 3 puncto 7. Sextum est, quod quidquid dixerint Auctores scholastici, qui pro validitate videntur, Auctores certe practici, ponderatis verbis Bullae S. Pii V obtentis tamen postea super propinquiori Literis declaratoriis, et, ponderatis Brevibus Urbani VIII et Innocentii X supra indicatis, constanter asseruerunt, Matrimonium esse nullum, Clericat. dec. 22 de Sacramento Matrimonii n. 11, Rota de Exequutoribus Literis Apostolicis cap. 11 n. 33, Anaclet. in 4 lib. Decret. in append. de disp. super impedim. §. 4 a n. 170 ad n. 183, De Iustis de dispens. Matrim. lib. 2 cap. 3 n. 10, Corrad. in prax. dispens. lib. 7. Cumque in re, de qua agitur, magis sit practicis, quam speculativis Auctoribus deferendum, sequitur, retinendam esse opinionem, quae validitati Matrimonii adversatur. Ultimum est, quod quidquid agit Dataria Apostolica, dicitur gestum ab ipso Papa, teste Garzia de Benef. part. 4 cap. 1 n. 18. Cumque ab egregiis Datariae Officialibus in discursu impresso afferantur viginti quatuor exempla, ex quibus ostenditur nullitas Matrimonii, sive ignoranter, sive scienter contracti, quando propinquior gradus reticitus fuit, et inter haec duo adsint, quae referuntur ad tempus S. Pii V, nil clarius afferri posse videtur ad rem, de qua agitur; quomodo enim in Literis « perinde valere » in terminis Matrimonii bona fide et cum ignorantia gradus propinquioris contracti, praevia dispensatione super solo gradu remotiori, potuisset S. Pius V, potuissent et alii Pontifices mandare, quod Ordinarii publice indicerent nullitatem prioris Matrimonii, et quod Coniuges de novo contraherent, si praecedens Matrimonium pro valido habitum

fuisset? Et rursus quomodo in aliis Literis « perinde valere » in terminis Matrimonii contracti et consummati cum scientia gradus propinquioris, praevia dispensatione super remotiore, potuissent iidem Romani Pontifices declarare, quod Ordinarii de facto dispensaverant, quod servata forma Concilii Matrimonium de novo contraheretur, quod contrahentes absolverentur ab incestu et ab excommunicatione lata in Clementina unica de consanguinitate, quod Proles declararetur illegitima, et quod propter incestum commissum alter ex Coniugibus alteri supervivens perpetuo absque spe Coniugii remaneret, si Matrimonium contractum cum dispensatione super remotiori de iure validum fuisset?

165. Haec sunt, quae pugnant pro nullitate Matrimonii. Nunc autem transitum faciendo ad ea, quae favent validitati, operae pretium est, nonnullas summatim exponere Romanorum Pontificum, Gregorii videlicet IX Gregorii XI Clementis VI Pii IV et S. Pii V Constitutiones. Gregorius itaque IX in Cap. fin. de consanguinitate et affinitate decrevit, quod Vir, qui a stipite quarto gradu, et Mulier, quae ex alio latere distat quinto, possunt licite matrimonialiter copulari, quia imputatio fit a remotiori, ita ut Vir et Mulier distent in quinto, in quo gradu nulla est prohibitio, iuxta textum in Cap. *Non debet* de consanguinitate et affinitate. Constitutionis Gregorii XI mentio fit a Guttierez quaest. can. lib. 2 quaest. 15 n. 127 et 128, et de Constitutione Clementis Sexti verba faciunt Calderin. cons. 1 de consanguinitate et affinitate, Fagnanus in Cap. fin. n. 15 eod. tit., Covarr. in epitom. lib. 4 Decret. 2 part. cap. 6 n. 12, et utraque Constitutio Gregorii XI et Clementis VI reassumitur a S. Pio V in sua Constitutione 13 mox referenda; omissaque Constitutione Gregorii XI, quam reperire non potui, sed quae absque dubio concordare dicenda est cum alia Clementis VI, ut ex citata Bulla S. Pii V desumitur, in eo quod attinet ad hanc Clementis VI Constitutionem, sciendum est, quod Clemens Papa VI dispensationem concesserat, ut Vir et Mulier non obstante quarto gradu consanguinitatis possent ad invicem matrimonialiter copulari, Matrimonium contractum fuit et Vir et Mulier in eodem perstiterunt spatio annorum triginta, exortaque subinde controversia, an dispensatio valida fuisset, ex quo deprehensum fuit, Virum tertio et Mulierem quarto gradibus a communi stipite distare, Papa sic dubium resolvit: « Declaramus, praedictam et quaslibet alias dispensationes similes obtentas a Sede Apostolica et imposterum obtinendas, omissione mentionis de distantia tertii gradus praedicti a stipite non facta in illis, et quarumvis litium dependentia occasione huiusmodi super eis nequaquam obstantibus, sufficientes et validas existere ac robur obtinere plenariae firmitatis, reprobantes quorumcumque opiniones contrarias ac eas et quoslibet processus in contrarium coram quibusvis Iudicibus delegatis vel Ordinariis habitos inanes et irritos decernentes ». Supervenit post haec Constitutio Pii IV in superioribus allegata, in qua non obstantibus Constitutionibus Gregorii XI et Clementis VI voluit, quod in dispensationibus specialis et expressa mentio fieret non solum de remotiori, sed etiam de proximiori gradu et de eorum distantia, declarando, quod in casu mentionis non factae dispensationes nullius essent roboris et momenti, et pro infectis haberentur. At S. Pius V in sua Constitutione 13 Bullarii tom. 2, praevia derogatione Bullae Pii Papae IV, nec non facta revocatione Constitutionum Gregorii XI et Clementis VI, et expresse protestando, « quod favere intendebat Sacramento et libertati Matrimonii », statuit et ordinavit, quod excepto casu, quo Vir et Mulier primum consanguinitatis et affinitatis gradum attingerent, in quo Sanctitas Sua nunquam dispensare intendebat, in ceteris aliis consanguinitatis et affinitatis gradibus, « remotior attenderetur et secum traheret propinquiorem, et ob id sufficeret remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore Literis declaratoriis, iuxta Gregorii et Clementis Constitutiones, concludendo, dispensationes propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus et per omnia suffragari, perinde ac si in Literis seu Commissionibus huiusmodi de proximiore seu utroque gradu specialis et expressa mentio facta fuisset ». Adeoque si S. Pius V derogavit Constitutioni

Pii Papae IV, si protestatus est favere velle liberati Matrimonii, si, excepto primo gradu, validas et subsistentes declaravit dispensationes, in quibus facta esset sola mentio gradus remotioris, nil clarius afferri posse videtur, ad suadendam tam validitatem dispensationum, quam validitatem Matrimoniorum dependenter ab illis factorum, nullatenus arguentibus verbis in eadem Constitutione appositis « obtentis tamen postea super propinquiore Literis declaratoriis »; in his enim Literis iterum admittitur validitas praecedentis dispensationis, ipsasque Literas valere dicta auctoritate decernens, uti habetur ex formula impressa apud Navarrum in Summa Bullar. comment. 60, in his iisdem Literis dicitur, distantiam propinquioris gradus non obstare, et perinde se habere, ac si eius mentio in prima dispensatione facta fuisset, ita ut harum Literarum introductio non alium finem habuisse dicenda est, quam avertendi scandali, quod aliqui iuris ignari sumere potuissent videndo, quod coniuncti in tertio et quarto Matrimonium inter se contraxissent, praevia tantum dispensatione super quarto, et alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod S. Pius V non derogasset Bullae Pii IV, sed tantum voluisset, quod pro validitate dispensationis et Matrimonii fieri deberet in una pagina mentio gradus remotioris, et in alia gradus propinquioris, quando Pius Papa IV decreverat, quod in una eademque pagina, hoc est in una et eadem dispensatione pro eius et Matrimonii validitate utriusque gradus, propinquioris videlicet et remotioris, expressa mentio haberetur.

166. Discursus hic clarus videtur et efficax, uti dicitur ab intrinseco, sed idem magnum ab extrinseco robur assumit a Classicorum videlicet et magni nominis Doctorum communi auctoritate, qui, ponderata Bulla S. Pii V, validam esse censuerunt dispensationem, in qua facta fuit mentio solius gradus remotioris, etiamsi Executor notitiam propinquioris habuerit, et hoc minime obstante eam executioni mandaverit, cum eius malitia validitati dispensationis obstare non valeat, validum etiam consequenter existimarunt Matrimonium, quamvis illud fuerit contractum, non obtentis Literis declaratoriis, quarum defectus illud ad summum illicitum, sed non invalidum reddere potest, Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 24 n. 29, Perez de matrim. disp. 46 sect. 5 n. 7, Pont. de matrim. lib. 8 cap. 17 §. 5 n. 26 et 27, Petrus de Ledesma de Sacram. matrim. in additione ad tertiam partem quaest. 54 art. 2, Enriquez in summ. lib. 12 de impedim. matrim. lib. 2 cap. 3 n. 6 in notis, et rursus cap. 9 in notis litt. 2, Salmaticenses in Theol. moral. tom. 1 de matrim. tract. 9 cap. 14 puncto 4 §. 45 et 46, Hurtad. in tract. de Sacram. disp. 26 difficul. 7 per totum, Aegidius de Coninch. de Sacram. disp. 33 dub. 6 n. 72, Tamburrin. de Sacram. lib. 8 tract. 2 de disp. cap. 9 §. 7 per totum, Dicastil. de Sacram. tom. 3 tract. 10 de matrim. disp. 8 dubit. 9 per totum, Aversa de Sacram. matrim. quaest. 19 sect. 5 §. 7, Basseus in flor. Theol. pract tom. 2 in verb. matrim. 9 n. 5, Rosignol. de Sacram. matrim. tom. 2 contract. 15 praenot. 23 n. 5, Rebell. de oblig. iust. 2 p. lib. 3 quaest. 5 sect. 4 n. 23, Leander oper. moral. part. 2 tract. de Sacram. matrim. disp. 24 quaest. 40, Filliucc. oper. moral. tom. 1 tract. 10 de Sacram. matrim. p. 2 cap. 10 n. 328, Giribald. de Sacram. tom. 1 tract. 10 de matrim. dub. 8 n. 49, Ant. a Spiritu Sancto in direct. confess. tract. 11 de matrim. disp. 8 sect. 7 per totum, Gobat. Theol. experiment. tract. 9 cap. 22 in appendice a n. 620, Vanespen. iur. eccles. univers. tom. 1 p. 2 tract. 14 cap. 3. 17, Cherubin. in notis ad Constit. 13 S. Pii V tom. 1 Navarr. in Summ. Bullar. comment. 60 n. 2, solaque inter scribentes discrepantia est, quod nonnulli censent valere dispensationem et validum esse Matrimonium cum expressione solius gradus remotioris, dummodo femina non sit illa, quae sit propinquior stipiti, sed vir propinquior stipiti, et mulier stipitem attingat in gradu remotiori; in ea etenim facti specie cum femina sit quoad stipitem maior viro, et vir per Matrimonium evadere debeat caput mulieris, aliquorum opinio fuit, quod propter relatam inordinationem pro validitate dispensationis et Matrimonii necessaria sit utriusque expressio, Sotus in 4 dist. 40 quaest. unica art. 3 col. 8 vers. 4 demum, et art. 4 col. penult. vers. et tertio, Molina de iust. et iur. tom. 1 tract. 2 disp. 161 n. 5, Bonacin. oper. moral. tom. 2 disp. 1

quaest. 2 puncto 5 n. 16 §. secunda est, quando alii e contra censent, vel id ad summum procedere, si Mulier esset avita vel matertera, secus autem si in tertio gradu esset constituta, Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 24 n. 12, et alii communius ponderantes Bullam S. Pii V indistincte loqui, asserunt, validam esse dispensationem et validum Matrimonium contractum, non obtentis Literis declaratoriis et praevia dispensatione super remotiori, sive vir, sive femina sit stipiti propinquior, Pontius et Perez Rosignol. Giribald. Aversa locis citatis. Quodque notabilius est, licet ad tramites Bullae S. Pii V Sacra haec Congregatio censuerit pro validitate dispensationis primum gradum esse exprimendum, uti habetur in dubio Affinitatis proposito die 19 septembris 1682 lib. 32 Decretorum pag. 455 quidem sequenti dubio: – « An inter ipsos adsit impedimentum dumtaxat tertii affinitatis gradus vel etiam primi, ita ut super tertio tantum, vel potius super tertio et primo petenda esset dispensatio? », responsum fuit: « Petendam esse dispensationem, facta mentione primi gradus »; in hypothesi tamen Matrimonii contracti inter coniunctos extra primum gradum, praevia dispensatione super remotiori, et non obtentis Literis declaratoriis super propinquiori, haec eadem Sacra Congregatio censuit, validum fuisse Matrimonium, et satis esse postea obtinere declarationem super gradu propinquiori, nec opus esse post declarationem denuo contrahere, uti habetur ex sequenti resolutione edita die 1 maii anno 1607 lib. 11 Decretorum pag. 1 a tergo: « Huiusmodi Matrimonium, nisi aliud obstiterit, esse validum, satisque fuisse obtinere postea declarationem super gradu propinquiori, iuxta Constitutionem s. m. Pii V hac de re editam, neque opus fuisse post declarationem huiusmodi repetere formam Concilii, vel denuo contrahere ».

167. Hisque positis, non obstant ea, quae in contrarium fuerunt ponderata. Non obstat enim primum, quod dispensatio obtenta super gradu remotiori non suffragetur coniunctis in illo gradu et in gradu proximiori, iuxta allegatum textum in Cap. *Quod dilectio* de consanguinitate et affinitate. Textus etenim hic procedit, attenta consuetudine loci, ibi, « Consultius duximus multitudini et observatae consuetudini deferendum, quam aliud in dissentionem et scandalum Populi statuendum, quadam adhibita novitate ». Quocirca Textus praedictus non facit ad rem, de qua nunc agitur; nec obstat dispositioni iuris communis, iuxta quod gradus remotior trahit ad se propinquiorem, uti adnotarunt in citato capitulo *Quod dilectio* Innocentius in fine, Hostien. n. 4, Ioannes Andreas n. 8, Abbas. n. 7, Gonzalez n. 4, Fagnanus in Cap. *Vir qui* n. 54 de consanguinitate et affinitate, Covar. in 4 Decret. p. 2 cap. 6 §. 10 n. 12, Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 1 n. 33. Minus facit Bulla Pii IV, de qua in secunda oppositione, cum et fuerit derogatum a posteriori Bulla S. Pii V. Maioris roboris non est, quod in Bulla S. Pii V habentur haec verba « obtentis tamen postea super propinquiori Literis declaratoriis », uti tertio loco dicebatur: punctus enim est, an Literae declaratoriae fuerint requisitae pro validitate dispensationis, et an fuerint requisitae, ut Matrimonium esset validum; cumque ex supra probatis S. Pius V validam decreverit dispensationem, facta tantum mentione remotioris gradus, et Literae declaratoriae sint necessariae, ut Matrimonium sit licitum, non autem ut sit validum, hinc est, nullum momentum constitui posse in verbis praedictae Constitutionis Pianae. Consimilis generis est, quod quarto loco opponebatur, frustratorias videlicet evadere in hoc rerum statu Literas declaratorias. Id quippe nullo modo subsistit; vel etenim, expedita dispensatione super remotiori, ante eius executionem innotescit Ordinario, quod Vir et Mulier sunt coniuncti propinquiori gradu, et Ordinarius debet abstinere ab exequutione usquequo Literae declaratoriae afferantur, uti bene ponderant Bonacina oper. moral. tom. 2 disp. 1 quaest. 2 puncto 5 n. 17, et quaest. 3 puncto 7 §. 1 n. 7, Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 24 n. 29, vel, ante Bullae exequutionem propinquitas non innotuit Ordinario, et sic sine Literis declaratoriis Matrimonium contractum fuit, et tunc statim ac notitia defertur ad Ordinarium, debet ille Coniuges separare usquequo Literae afferantur, uti bene ponderat Sanchez loco citato: uno verbo semper est obediendum Constitutioni Pianae et semper expediendae sunt Literae de-

claratoriae super propinquiori, sive Ordinarius ignoraverit, sive sciverit coniunctionem gradus proximioris, et sive Matrimonium fuerit contractum, sive non, et Ordinarius, qui, non obstante notitia gradus propinquioris, non allatis Literis declaratoriis, dispensationem exequeretur, peccaret, Tamburin. de Sacram. lib. 8 tract. 2 cap. 9 §. 7 n. 6, Clericat. Theol. cap. 137 n. 13, quod satis est, ne Literae declaratoriae tamquam frustratoriae habeantur.

168. Cetera alia, quae in contrarium ponderabantur, stylum respiciunt Datariae, et a dicto stylo nonnulli praedicti Auctores inducti fuerunt ad sustinendam nullitatem Matrimonii contracti, praevia dispensatione super remotiori, non obtentis Literis declaratoriis super propinquiori. Porro de hoc stylo loquendo mirum est, quae et qualia dicta sint ab aliis Auctoribus, qui sentiunt pro validitate Matrimonii. Tamburinius de Sacram. lib. 8 tract. 2 de disp. cap. 9 §. 7 n. 9, facta sibi oppositione Brevis Urbani VIII a Barbosa loco citato relati, inquit, «cum non sit credibile Urbanum VIII per Literas privatas voluisse abrogare dictum generale Decretum Pii V, mihi videtur esse putandum, in memoratis privatis Literis aliquem irrepsisse errorem a Ministris commissum». Alii per aliam viam procedunt; Gobatus quippe in Theol. experiment. tract. 9 cap. 22 in append. a n. 620 ait, et expressiones, quae leguntur in Brevibus, de quibus agitur, non affirmative, sed relative fuisse expositas, quod est idem ac dicere expressiones non ad Pontificem, sed ad supplicantes esse referendas: « et Pater Siisius Placentinus et Poenitentiarius Apostolicus in Sacrosancta Basilica Lateranensi in suis adnotationibus manuscriptis ad Constitutionem Innocentii Papae XII super facultatibus maioris Poenitentiarii pag. mihi 737 n. 38 inquit, ad stylum autem Datariae respondetur, ipsum quidem facere ius, sed non quando est contra ius. Stylus autem in subiecta materia, quod Matrimonium sit nullum, nisi in dispensatione exprimatur gradus proximior, nec facit ius, nec observari potest, eo quod adversaretur eidem motui proprio Pii V relato. Consequenter neque, non obtentis Literis declaratoriis super eodem gradu, inferri debet nullum esse Matrimonium, si fuerit contractum vigore dispensationis obtentae, cum tales literae solum dentur ad evitanda dubia et scandala, quae oriri possunt in Populo ». At quidquid de hisce responsionibus, et praevia protestatione debiti obsequii erga stylum Datariae, sustineri posse videtur; primo, quod nonnulla, quae pro eodem deducuntur, non faciunt ad rem; secundo, quod aliqua concordant cum his, quae in superioribus dicta sunt; tertio, quod alia pugnare videntur pro validitate Matrimonii; ultimo, quod nihil in contrarium adducitur, quod diserte percutiat controversiam, de qua agitur. Quod autem nonnulla, quae afferuntur, non faciant ad rem, patet, quia ex suffragio in contrarium allegato cl. me. Card. de Carpineo non aliud infertur, nisi quod Episcopi habentes a Sede Apostolica facultatem dispensandi in tertio vel quarto, non possunt dispensare in secundo vel tertio, non obstante Bulla S. Pii V. Bulla quippe exigit Literas declaratorias, et Literae declaratoriae a Sede Apostolica sunt impetrandae, quod utique nec impugnatur, nec impugnari potest. Quod item aliqua concordent cum his, quae in superioribus dicta sunt, facile demonstratur, et talia sunt omnia documenta, ex quibus eruitur, quod exhibita Ordinario dispensatione super remotiori, et constito coram eodem de coniunctione etiam in gradu propinquiori, Pontifices dixerunt, dispensationem non fuisse subreptitiam, et sic Oratores esse dispensandos, ut Matrimonium contrahere possent, servata forma Concilii, praevia tamen declaratione, eisdem non obstare coniunctionem in gradu propinquiori: quid enim quaeso ex hisce documentis argui valet, nisi quod, constito ante matrimonium de coniunctione in gradu propinquiori, expediendae sunt Literae declatoriae, si non fuerunt una cum dispensatione expeditae, quod utique admittitur, et est admittendum. Rursus, quod aliqua pugnent pro validitate Matrimonii, ponitur in claris: plura etenim, et plura tam antiqua, quàm moderna a Dataria allata sunt exempla, in quibus post contractum Matrimonium, praevia dispensatione super remotiori, reticito propinquiori, non fuit Oratoribus demandatum, ut Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii, de novo contraherent, vel saltem quod consensum renovarent,

sed tantum «quod in Matrimonio sic contracto libere et licite remanere possent»; probant etenim haec documenta, Matrimonium fuisse habitum pro illicito, sed non pro invalido, si etenim invalidum fuisset, novus consensus fuisset necessarius et fuisset praescriptus, sive ambo contrahentes ignorassent coniunctionem in propinquiori gradu, sive alter ignorasset, et alter scivisset, uti latè probat Claudius la Croix in Theol. moral. tom. 2 lib. 6 part. 3 n. 812.

169. Absque eo quod quidquam referat responsio ingeniose de more in discursu pro Dataria excitata, quod renovatio consensus non requiritur in dispensationibus, quae fiunt in radice Matrimonii; scio quippe, Summum Pontificem posse dispensare in radice Matrimonii, et revocare impedimentum dirimens Matrimonium, et simul et semel abrogare legem ecclesiasticam, quae dictum statuit impedimentum faciendo, ut dispensatio retrotrahatur ad initium Matrimonii, et sic quod Proles quoad omnes effectus legitima sit et habeatur, iuxta late deducta in decis. 1121 coram Seraphino, in decis. 119 coram Ludovisio, in decis. 174 post secundum volumen consiliorum Farinacci. Scio quoque, controversum esse inter Doctores, an in hac dispensatione super radice Matrimonii novus requiratur consensus, uti videri potest apud Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 8 n. 25, et veriorem esse opinionem, quod nulla consensus renovatio in hisce circumstantiis sit necessaria, uti late probat Rota in decis. 455 Recent. part. 1. At punctus est, an in relatis exemplis dici queat, Summum Pontificem dispensasse in radice Matrimonii, dispensatio haec quippe prodest filiis natis quoad omnes effectus spirituales, et quoad omnes effectus civiles directe in terris temporali iurisdictioni Romani Pontificis subiectis, et indirecte in reliquo terrarum orbe, iuxta celebre responsum Innocentii III in Cap. *Per venerabilem* qui filii sint legitimi. Cumque certum sit, dispensationes has nonnisi urgentibus gravissimis causis et quidem raro concedi consuevisse a Summis Pontificibus, Barbosa in vot. dec. 27 n. 31 lib. 2, Diana in edit. coord. tom. 3 tract. 1 resol. 87 n. 6, sicuti imperceptibile est, quod in tot exemplis relatis, in quibus praescripta non fuit renovatio consensus, «nec adhibitae fuerunt formulae, quae adhibentur in dispensationibus in radice Matrimonii», voluerint in dicta radice Pontifices dispensare, sic clarum est, ipsos nihil aliud facere voluisse, quam dispensare Matrimonio contracto, praevia dispensatione super remotiori, et non obtentis Literis declaratoriis super propinquiori, exclusaque renovatione consensus, indicare voluisse, Matrimonium fuisse illicite, sed non invalide contractum. Denique quod nihil in contrarium adducatur directe percutiens controversiam, de qua nunc agitur, clarissime dignoscitur: in omnibus quippe exemplis, in quibus Summi Pontifices absolverunt a poenis incestus, prolem legitimam declararunt, et praescripserunt consensus renovationem, servata forma Concilii, Oratores supplicabant pro dispensatione, et sic se promptos ostendebant ad permanendum in Matrimonio, ita ut mirum non sit, si supplicantibus iisdem pro absolutione a censuris pro legitimatione Prolis, Summi Pontifices petitis ad abundantiam indulgendo et absolverint a censuris et Prolem legitimam declaraverint et renovationem consensus praescripserint. At ab his argumentum deduci non potest ad declarationem nullitatis Matrimonii; ad hunc etenim effectum ostendendum esset, quod contrahentibus a Matrimonio recedere volentibus et libertatem transeundi ad alia vota postulantibus Sedes Apostolica facultatem concessisset. Cumque tale documentum non afferatur, sequitur, non doceri de documento, quod faciat ad rem et directe percutiat controversiam, de qua nunc agitur. Exemplum esse potest in dispensationibus, quae petentibus indulgentur ad cautelam, vel super irregularitatibus, vel super censuris; quemadmodum enim ab hisce dispensationibus non valet argumentum ad incursum in irregularitatem vel in censuram, etiam in casu consimili et vallato omnibus circumstantiis, quae adfuerunt in casibus, in quibus dictae dispensationes concessae sunt, quando formiter est dispensandum, an fuerit incursa irregularitas vel censura, sic a verbis Summorum Pontificum nullitatem Matrimonii supponentibus in hypothesi, in qua Oratores supplicabant et prompti erant ad permanendum in Matrimonio, non valet illatio ad positivam Matrimo-

nii nullitatem, quando formaliter super eadem quaestio instituitur –.

170. Hisce mature perpensis, repropositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii? *Et quatenus affirmative.* – II. An Princeps Ioannes Sapica sit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis Mulieribus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative; et Episcopus mandet, quod Coniuges continuent in separatione, donec obtinuerint Literas declaratorias. Ad secundum, provisum in primo – *in Luceorien. Nullitatis matrimonii die 28 Martii 1722.*

171. Hinc dispensatio obtenta sine expressione proximioris gradus non est subreptitia, neque obreptitia, si postea habeatur a Sede Apostolica declaratio, proximiorem non obstare, etiamsi sit post contractum Matrimonium, quin tamen agatur de primo gradu *in Nullius die 22 iunii 1606 ad cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 78 pag. 389.*

172. Unde in hypothesi Matrimonii contracti inter coniunctos extra primum gradum, praevia dispensatione super remotiori, et non obtentis Literis declaratoriis super propinquiori, Sacra Congregatio significavit, validum fuisse Matrimonium, et satis esse postea obtinere declarationem super gradu propinquiori, iuxta Constitutionem Pii V Pontificis Maximi hac de re editam, nec non Vicarium ex delegatione Apostolica dictam dispensationem potuisse concedere *in Mediolanen. die 11 Maii 1607* (1).

173. Si enim res sit de primo et remotiori gradu, ille exprimendus omnino est, adeoque volentes obtinere dispensationem super primo et tertio gradu coniuncti debent exprimere primum ad validitatem dispensationis; proposito quippe dubio: – An inter ipsos adsit impedimentum dumtaxat tertii affinitatis gradus, vel etiam primi, ita ut super tertio tantum, vel potius super tertio et primo petenda sit dispensatio? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Petendam esse dispensationem facta mentione primi gradus – *in Dubium Affinitatis die 19 Septembris 1682 lib. 32 Decretorum pag. 455.*

174. At subreptitia censetur ac est dispensatio, si ante illius petitionem intercesserit copula inter Sponsos, quin fuerit in supplicatione expressa, adeoque huiusmodi dispensati nova indigent dispensatione ad valide et licite contrahendum *in Dubium ad cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

175. Nec aliter declaravit Sacra Congregatio quoad consanguineos vel affines aut cognatione spirituali coniunctos, si ante dispensationem copula intercesserit, nec illius facta fuerit in supplicatione mentio *in Dubium ad cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

176. Praeterea haud absimilem declarationem emisit Sacra Congregatio quoad dispensationem obtentam, nulla facta mentione raptus in supplicatione pro ea obtinenda Sanctissimo porrecta *in Dubium die 10 Decembris 1583 ad cap. 6 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 74.*

177. Unde Episcopus non solum potest, sed etiam debet exequutionem supradictae dispensationi denegare, etiamsi Rapta a Raptore separata sit, et Raptorem in virum habere consentiat *in Dubium die 10 Decembris 1583 ad cap. 6 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 74.*

Item *in Hieracen. lib. 3 Decretorum pag. 105.*

178. Amplia, potest etiam Episcopus supradictam dispensationem exequi recusare, donec Raptor Raptam decenter dotaverit Iudicis arbitrio *in Dubium die 10 Decembris 1583 ad cap. 6 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 74.*

(1) Siquidem S. Pius V die 20 Augusti 1566 edidit Constitutionem, quae incipit: – Sanctissimus, ut in Bullar. Rom. tom. 4 part. 2 pag. 310, qua revocavit Constitutionem Pii IV, et innovavit Constitutionem Gregorii XI et Clementis VI super exprimendis gradibus propinquioribus in dispensationibus matrimonialibus, impetratis in diversis gradibus; et in §. 1 statuit, dispensationem matrimonialem obtentam super gradu remotiori, silentio praetermisso proximiori, esse validam, modo hic primum gradum nullatenus attingat, obtentis tamen super propinquiori Literis declaratoriis praescriptis a praefato Pontifice Gregorio XI et Clemente VI. Hoc idem declaravit Benedictus XIV in Decreto diei 27 septembris 1755 relato in Constitutione, cuius initium: *Etsi Matrimonialis* 30 septembris eiusdem anni, ut in Bullario eiusdem tom. 1 pag. 150.

Item *in Hieracen. lib. 3 Decretorum pag. 105.*

179. Quin imo dispensatione expedita, sive cum causa, sive sine causa, si ante exequutionem sequatur copula, efficitur nulla *in Tergestina Dispensationis die 16 Iunii 1668 lib. 26 Decretorum pag. 8.*

180. Qua de re quum Vir et Mulier exposuerint Summo Pontifici, se duplici quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem esse propinquos nec non copulam carnalem habuisse, quam tamen iidem haud patraverant, sed inde expeditis Apostolicis Literis dispensationis, ante vero earum exequutionem copulam revera habuerunt prolemque susceperunt, ac, exequutioni demandata Apostolica dispensatione, subticita tamen copula praehabita, Matrimonium iamiam viro morituro initum fuerit, quo e vivis elapso, quin Matrimonium consummatum extiterit, Sacra Congregatio edixit, signandam non esse supplicationem Mulieris pro revalidatione dispensationis et Matrimonii et pro declaratione legitimitatis Prolis *in Ulyxbonen. Revalidationis sive Dispensationis ac Legitimationis die 28 Aprilis 1714 lib. 64 Decretorum.*

181. Siquidem – legitimo Connubii foedere sese iungere percupientes Franciscus Luis Corintho ac Antonia Theresia Murris Ulyxbonensis Diaecesis, qui duplici quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem erant sanguine propinqui, supplices iampridem adierunt Sanctissimum Dominum Nostrum pro reportanda opportuna dispensatione exponentes, quod Orator ipse vesana libidine victus iam dictam Mulierem cognovisset, nihil cogitans, quod crimine patrato Sedes Apostolica forsan facilior ad gratiam redderetur; quae supplicatio sub die 7 maii anni 1710 signata benigniter fuit, Officialique Archiepiscopi Ulyxbonensis directa. Stupri delictum in supplicatione enarratum, ut perhibetur, nullatenus Oratores patraverunt, at vere hisce expeditis Apostolicis Literis, ante vero earum exequutionem, carnaliter sese immiscuerunt, prolemque ex huiusmodi concubitu genuerunt. Interea Sedis Archiepiscopalis vacatio successit, ac praelibatus Franciscus lethali morbo procumbere cepit, proindeque Apostolica dispensatio tum superventa cum licentia Nuncii Apostolici exequutioni demandata fuit a Vicario Capitulari, subticita tamen copula praehabita, ac sub his servata forma Sacri Concilii Partes ipsae Matrimonium inierunt. Rato tantum, nondum consummato eodem Coniugio, vitae limen attigit iam dictus Franciscus, qui in supremis tabulis enixum eius animi desiderium expressit, ut Summi Pontificis benignitas imploraretur pro gratia declaratoria legitimitatis prolis praedictae iam susceptae. Hinc Antonia Theresia asserta Coniux, tum pro filiis eiusque famae integritate, cum etiam evitandi causa iurgia ac lites, quae forsan super bonorum successione exardescere possent, iterum supplicationem porrexit Sanctissimo Domino Nostro ad hunc Sacrum Consessum remissam, in qua enarrata dispensationis gratia alias impetrata ex causa, quod insimul Partes conversatae erant cum Mulieris infamia, licet nequaquam se cognovissent, expressa quoque copula ac subsequuta huiusce dispensationis exequutione a Vicario peracta, Mulier ipsa dubitans, quin Matrimonium invalidum Prolemque susceptam illegitimam dici possit, enixe exposcit revalidationem dispensationis et Matrimonii in eius radice ac Prolis legitimationem, ut latius ex supplicatione in Summario exhibenda. Super hisce informare iussus Ordinarius Ulyxbonensis, enarratam facti seriem ipse recenset; additque, quod plures lites super successione bonorum praelibati Francisci exoriri possent, si precibus non indulgeatur –.

182. Proposito vero dubio: – An supplicatio revalidationis dispensationis et Matrimonii et declarationis legitimitatis Prolis sit signanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Ulyxbonen. Revalidationis sive Dispensationis ac Legitimationis die 28 Aprilis 1714 lib. 64 Decretorum.*

183. Quum itaque Vir et Mulier absque denunciationibus et licentia Curiae Archiepiscopalis in secundo et tertio consanguinitatis gradu sibi coniuncti Matrimonium coram Parocho inierint ac inde in actis dictae Curiae Apostolicum Breve dispensationis in forma pauperum, ante dictum Matrimonium obtentum sub assertiva, quod Matrimonium in praedictis consanguinitatis gradibus contraxissent carnalique copula consummassent, exhibuerint, unde in eo Pontifex facultatem dabat Vi-

cario Generali absolvendi Oratores ab incestu, et, verificatis paupertate remotione scandali aliisque in precibus assertis, dispensandi, ut Matrimonium in faciem Ecclesiae contrahere possent, Sacra Congregatio non modo nullum edixit Matrimonium nec de sponsalibus constare declaravit, sed insimul resolvit, Virum factum esse inhabilem ad contrahendum Matrimonium cum aliis in casu, de quo agitur, quin etiam locus esset dispensationi ab huiusmodi inhabilitate *in Salernitana Matrimonii die 3 Martii et die 17 Novembris 1708 et die 11 Ianuarii 1710 lib. 58 et 60 Decretorum.*

184. Enimvero – nullis praeviis denunciationibus nullaque expetita licentia Curiae Archiepiscopalis, Alexander Muscatus et Hieronyma Maurella loci Canalis huius Diaecesis in secundo et tertio consanguinitatis gradu sibi coniuncti, volentes invicem Matrimonio copulari, die 26 septembris anni 1697 summo mane coram Parocho eiusdem loci et Testibus, inopinato, verbis mutuum consensum praeseferentibus, Matrimonium contraxerunt. Delata huius rei notitia ad Curiam Archiepiscopalem, expedita fuit citatio contra eosdem Sponsos ad dicendam causam, quare non deberent declarari excommunicati, hinc ambo medio iuramento examinati sub die 19 octobris praefati anni affirmaverunt Matrimonium iam contractum, fatentes, illud sine denunciationibus iniisse propter metum consanguineorum Alexandri aegreferentium huiusmodi Coniugii effectuationem. Exinde exhibuerunt in actis Curiae Apostolicum Breve dispensationis in forma pauperum ad utriusque Sponsi instantiam elargitum a s. m. Innocentio XII sub datum idus ianuarii 1697 Vicario Generali Salernitano directum, in quo sub assertiva, quod ipsi alias scientes, se in secundo et tertio a communi stipite provenientibus consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem esse coniunctos, Matrimonium inter se per verba de praesenti clandestine ac de facto contraxerint carnalique copula consummaverint, Pontifex facultatem fecit eidem Vicario absolvendi Oratores ab huiusmodi incestu, ac cum eidem, verificatis paupertate remotione scandali et aliis in precibus assertis, dispensandi, ut Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in faciem Ecclesiae solemnizzare possent. Mox vero praefatus Alexander sub die 21 februarii 1698, praevia assertiva obtentae dispensationis super praelibato impedimento, instituit in Curia Archiepiscopali pro Matrimonii confirmatione eiusque descriptione in libris parochialibus, hinc eadem die ad instantiam utriusque Sponsi, binis Testibus examinatis super verificatione expositorum in Brevi, Vicarius Generalis decrevit, Sponsos ab invicem separandos, eisdemque imposita poenitentia, iuxta tenorem Literarum dispensationis, demandavit eorumdem principalium examen super interrogatorio, an copula inter eos praehabita fuerit sub spe facilitandi dictam dispensationem, quos quidem actus a se gestos controvertit Alexander.

185. In hoc statu Alexander ipse ex improviso patria cessit, et Neapolim se contulit, indeque per Procuratorem impugnare cepit Matrimonii prosequutionem et Apostolici Brevis dispensationem; subindeque pluribus actis hinc inde factis die 1 iulii praedicti anni 1698 Vicarius Generalis definitivam sententiam protulit pro invaliditate Matrimonii, salva tamen provisione facienda super validitate vel invaliditate sponsalium, a qua tamen uterque Sponsus appellationem interposuit. Post haec procurantibus, ut supponitur, Hieronymae Consanguineis, die 21 augusti eiusdemmet anni Alexander coniectus fuit in carceres magnae Curiae Vicariae Neapolis, in quibus detentus sub die 28 ianuarii 1700 rogitu publici Notarii protestationem emisit, ut quicumque actus ab ipso faciendus in ordine ad contrahendum Matrimonium cum Hieronyma Maurella haberetur pro nullo, et eademmet die mandatum procurae fecit ad Matrimonium suo nomine ineundum cum saepedicta Hieronyma, aliudque simile mandatum repetiit sub die 11 martii subsequentis, et ulterius sub die 19 aprilis eiusdem anni coram Iosepho Mayno Capellano carcerum explorante eius voluntatem declaravit, se velle in uxorem praefatam Hieronymam, ac pariter die 25 martii dicti anni coram eodem iuramento asseruit, copulam habitam cum Hieronyma non fuisse ad finem facilitandi dispensationem, aliosque actus confecit praeiudicantes voluntatem effectuandi dictum Ma-

trimonium, qui in Summario dantur, etsi nonnullos ex eisdem actibus contendat ipse Alexander evertere cum quibusdam attestationibus extraiudicialibus tamen, sed iuratis insertis in processu et in Summario exhibendis. Sed ex iisdem carceribus fortuito elapsus recurrit idem Alexander ad hanc Sacram Congregationem, de cuius mandato Archiepiscopus transmittendo copiam authenticam processus, unde supradicta facti series eruta fuit, ac eademque recensendo in eius relatione, quae similiter in Summario exhibebitur, existimat, «quod si Matrimonium non sequatur irreparabiliter praevideantur scandala et mortes inter utriusque Partis coniunctos, nam cum Hieronyma sit nobilium natalium, difficiliter sustinebunt tanto cum dedecore et infamia vivere» –.

186. Quocirca Partibus utrinque informantibus, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii? *Et quatenus affirmative.* II. An constet de sponsalibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Salernitana Matrimonii die 3 Martii 1708 lib. 58 Decretorum.*

187. Impetrata autem nova audientia per supradictam Hieronymam, fuit subscriptum, ultra consuetum, aliud dubium. Propositis itaque dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 3 martii 1708? *Et quatenus in decisis.* II. An Alexander factus fuerit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis. Ad secundum, Affirmative iu casu, de quo agitur – *in Salernitana Matrimonii die 17 Novembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

188. Cumque Alexander recursum exinde habuerit ad Sanctissimum Dominum Nostrum, precibus pro voto ad hanc Sacram Congregationem remissis super gratia dispensationis ab hac inhabilitate, ob motivum incontinentiae, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In casu, de quo agitur, Negative – *in Salernitana Matrimonii die 11 Ianuarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

189. Idcirco dispensati a Sede Apostolica super gradu prohibito, et, Literis dispensationis non praesentatis, contraxerunt, vel se carnaliter cognoverunt, nova indigent dispensatione *in Dubium mense Iunii 1625 lib. 13 Decretorum pag. 184.*

190. Quum igitur dispensati super gradibus prohibitis cum copula, pendente separationis tempore, ac ante poenitentiam peractam denuo se carnaliter cognovissent, Sacra Congregatio commisit Episcopis, ut, iniuncta eis poenitentia salutari, iterum dispensarentur super incestu in copula noviter habita, quae post Literas Apostolicas obtentas fuerat sequuta *in Alerien. die 28 Aprilis 1635 lib. 15 Decretorum pag. 185.*

191. Qua de re cum dispensati super gradu prohibito, et detecto in Literis Apostolicis errore in nomine, sive in qualitate impedimenti, ne novam expeditionem facere cogerentur, contraxissent Matrimonium vel sub dicto falso nomine, vel probata coram Ordinario dicta falsa qualitate impedimenti, prole vero suscepta scrupulis exagitati errorem propalaverint, quin tamen ob paupertatem valerent ad Urbem accedere, aut novam expeditionem facere, et nihilominus in peccato viventes, Sacra Congregatio censuit, agendum cum Sanctissimo, ut absolutionis gratiam una cum convalidatione contracti Matrimonii dignaretur impertiri, prout eis Sanctitas Sua benigne impertita est *in Alerien. die 17 et 23 Iulii 1630 lib. 14 Decretorum pag. 301.*

192. Dispensatio autem Apostolica, super tertio consanguinitatis gradu concessa, exequenda est, etiamsi Sponsi praesertim pauperes Summo Pontifici non exposuissent, quod iidem post contracta sponsalia per annum et ultra simul cohabitaverant, ac monitus Sponsus, ut ab illa se abstineret, parere noluerat, cum sine ullo prorsus scandalo dicta cohabitatio contingeret *in Nullius Pontiani die 17 Aprilis 1706 lib. 56 Decretorum.*

193. Enimvero – obtinuerunt de mense octobris superioris anni Philippus Malagottus loci Nazzani et Angela Pretiosa Rotellini de loco Pontiani a Sanctissimo Domino Nostro dispensationem super tertio consanguinitatis inter ipsos intercedentis gradu, Emo Abbati pro executione directam, ut Matrimonium, quod invicem inire cupiebant, in faciem Ecclesiae rite celebrare possent. Cumque Emus Abbas Vicario suo Literarum

Apostolicarum huiusmodi exequutionem commiserit, ipse animadvertens, Pontifici expositam non fuisse cohabitationem, quae inter praenominatos Sponsos intercesserat, et a Sponso licet monito, ut ab illa se abstineret, post contracta sponsalia per annum et ultra continuata fuerat, petitam dictae dispensationis executionem concedere noluit. Sponsi igitur asserentes, sese pauperrimos esse, nec ulterius novae dispensationis expensas ferre posse, exhibita primo simplici fide sex Textium, adductisque deinde aliorum quinque formiter examinatorum depositionibus ad probandum, quod honeste et sine ullo prorsus scandalo simul cohabitaverint, apud hanc Sacram Congregationem pro eiusdem dispensationis executione insteterunt, quae informationem votumque Emi Abbatis expetiit. Ille autem in sua relatione confirmans, quod Sponsi cohabitaverint, et monitioni de separatim vivendo non paruerint, eorum precibus indulgendum non esse, sed novam ab ipsis dispensationem cum expressione dictae cohabitationis obtinendam esse existimat; nec suffragari, quod pauperes illi sese esse asserant, cum ex causa paupertatis, quatenus ea subsistat, minori sumptu dictam dispensationem obtinere valeant –. Proposito tamen dubio: - An dispensatio Apostolica sit exequenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Nullius Pontiani die 17 Aprilis 1706 lib. 56 Decretorum.*

194. Hinc et dispensatio obtenta propter sedandas inimicitias est valida, si inimicitiae sint inter aliquos Consanguineos unius ex Contrahentibus, licet non inter omnes *in Montis Regalis lib. 3 Decretorum pag. 20.*

195. Itaque obtenta dispensatio Apostolica, haud narrato tractatu et promissione contrahendi Matrimonii per verba de futuro, non est subreptitia *in Bracharen. mense Augusti anno 1587 lib. 5 Decretorum pag. 10.*

Item *in Nullius die 1 Aprilis 1651 lib. 19 Decretorum pag. 118.*

196. Nec est subreptitia, ex eo quod in supplici libello fuit adducta causa angustiae loci, cum locus non sit angustus, dummodo modo in loco, ubi contrahendum est Matrimonium, Coniugem paris conditionis dispensatus nequeat invenire *in Albinganen.lib. 1 Decretorum pag. 4.*

Item *in Dubium die 13 Iulii 1606 lib. 10 Decretorum pag. 153 a tergo.*

197. Unde Sacra Congregatio declaravit, quod angustia loci verificatur, quando in loco, ubi contrahentes morantur, Coniux Virum paris conditionis non invenit *in Albinganen. lib. 1 Decretorum pag. 4.*

Item *in Dubium die 13 Iulii 1606 lib. 10 Decretorum pag. 153 a tergo.*

193. Nam de exposita angustia locorum rigide nimis non est inquirendum, quia nec Matrimonii libertas ad paucos restringi patitur, nec aequalitas conditionis metitur a genere et divitiis, sed spectandi quoque sunt mores aetas ingenium et similes circumstantiae, ut firmant Sanchez de Matrim. lib. 8 disp. 19 n. 14 et 15, et Monacellius part. 2 tit. 16 form. 2 n. 33 *in Gerunden. seu Vicen. Nullitatis Matrimonii die 2 Augusti 1760* §. *Inutilem.*

199. Unde locus est executioni Literarum Apostolicarum, quibus concessa fuit Mulieri dispensatio cum causae expressione, quod ipsa nequiret invenire Virum paris conditionis ob angustiam loci, etiamsi Sponsi sint infimae conditionis et Mulier praedicta facile in eius patria Virum sibi conditione parem invenire possit, urgente praesertim fama commercii carnalis, non tamen habiti *in Bisacciarum Dispensationis Matrimonii die 19 Iunii 1706 lib. 56 Decretorum.*

200. Siquidem – cum sola causae expressione, quod Agnes Zingarella nequiret invenire Virum paris conditionis, ob angustiam loci Oppidi Vallatae, propterea quae cuperet in Matrimonio copulari cum Dominico Zamarra in tertio et quarto consanguinitatis gradu sibi coniuncto, utrique supplicanti concessae fuere a Sede Apostolica Literae dispensationis directae pro executione Vicario Generali, cum clausulis consuetis super verificatione expositorum, eius conscientiae remissa. Sed eo obtentu, quod Vicarius executionem petitam differret, Oratores adierunt hanc Sacram Congregationem, supplicantes, ut, praevia declaratione, quod sit locus Literarum executioni, iniungatur eidem Vicario, ut eas exequatur, eo vel magis urgente fama eorum commercii carnalis, etsi revera

non sequuti, nec non paupertate, utpote propriis laboribus et industria victum quaerentium. Precibus ad Episcopum remissis, idem refert, ex informatione legitime capta per eius Vicarium minime verificari causam expositorum, eo quod Testes inducti deponant, Oratores esse infimae conditionis, et Agnetem facile in dicta eius patria Virum sibi conditione parem invenire posse. Fatetur tamen, eos esse pauperes propriis laboribus et industriis viventes, ac inter ipsos, post praefatas dispensationis Literas obtentas, conversationem fuisse cum fama commercii carnalis, non tamen habiti (nullimode expressis hisce novis causis in eisdem Literis); quibus stantibus, Episcopus censet, Oratoribus indulgendum –. Proposito hinc dubio: – An sit locus executioni Literarum dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Bisacciarum Dispensationis Matrimonii die 19 Iunii 1706 lib. 56 Decretorum.*

201. Qua de re validum declaratur Matrimonium, praevia dispensatione Apostolica in secundo et tertio consanguinitatis gradu, contractum, cum subreptionem haud inducat reticentia anterioris gratiae – pro indotata, quae caruit exequutione, aut impuberis Sponsi aetatis, nec ex contrariis Textibus evincatur insubsistentia angustiae locorum, ac multo minus praetensus Puellae raptus *in Gerunden. seu Vicen. Nullitatis Matrimonii die 2 Augusti 1760.*

202. Siquidem vigore dispensationis Apostolicae Matrimonio copulati sunt die 16 ianuarii 1758 Margarita Collell et Ioannes Espinet in secundo et tertio consanguinitatis gradu invicem coniuncti. Huius Matrimonii nullitatem proposuit post paucos dies in Curia Episcopali Vicensi Franciscus Pater Sponsae Avus maternus, allegata dispensationis obreptione: sed Vicarius Generalis, agnita suae iurisdictionis incompetentia cognoscendi de viribus dispensationis, quam Delegatus exequendam esse pronunciaverat, ad terminos Textus in Cap. 2 de confir. util. vel inutil. Partes ad Summum Pontificem remisit. Franciscus itaque contendit, dispensationem subreptitiam esse, tum quia reticita fuerat Pontifici altera dispensatio praecedenter extorta sub falsa causa – ob indotatam –, quae caruit executione, tum quia non fuerat expressa impubertas Ioannis, qui tempore concessae dispensationis aetatem agebat annorum tredecim et mensium octo cum dimidio, tum quia falso fuerat narrata locorum angustia, quam haud subsistere probare studuit ex Testibus, quin alii Testes ad verificandam dispensationis narrativam examinati obstarent, cum illorum depositiones corruerent in forma et in subsistentia. Ac eo vel magis corruere autumavit exequutionem dispensationis ob defectum alterius conditonis in ea expressae, nempe – dummodo illa propter hoc rapta non fuerit –. Is enim sustinuit, Margaritam fuisse raptam; adeoque, dissoluto Matrimonio, sibi restituendam esse dixit Puellam, quae et ipsa mandatum dedit pro agenda Causa nullitatis Matrimonii. Contra Ioannes Espinet omnem exulare defendit Matrimonii nullitatem, cum nec subreptionem inducere posset reticentia vel anterioris gratiae – pro indotata –, quae caruit exequutione, vel impuberis eius aetatis, quae narranda non erat pro Matrimonio contrahendo post legitimam aetatem, ut notat Corradus in prax. dispens. lib. 4 cap. 3 n. 5 et 6; neque obreptio evinceretur a contrariis Testibus, qui nullas referebant occasiones nubendi in Villa Rupit, et duas tantum enunciabant in Parochia de Colltort cum filiis Matthaei Prat et Hieronymi Sayols, qui nonum et undecimum annum agebant tempore initi Matrimonii, quod differre non tenebatur Margarita, usquequo illi adolescerent. Inutilem quoque putavit alteram nubendi opportunitatem, quam dicti Testes affirmabant, cum Iosepho Pinos in Parochia S. Andreae de Pruit Vicensis Diaecesis, quia dispensatio loquebatur de locis utriusque Sponsi tantum, et non de aliis, ut ponderat Corradus loc. cit. lib. 7 cap. 5 n. 35 et 36. Tres autem has personas paris conditionis unice indicari addidit a decem Testibus per Franciscum productis: nec habendam esse rationem generalium verborum, quae facile cum personis in specie designatis conciliabantur; ideoque magis comprobari veritatem expositae angustiae locorum, cum praesertim de illa rigide nimis non sit inquirendum. Propria autem confessione diluit

omnem rapti suspicionem; nam perpetuo fassus fuerat, blandis verbis inductum fuisse a Magdalena Collell, ut sineret Neptem secum abire et in eius domo manere. Praeterea Magdalena, quae Puellam abduxit, erat illius Avia paterna, cui potiori iure erat Neptis educatio; et abductio facta est occasione transitus Francisci ad tertia vota cum Magdalena Rovira, et Franciscus siluit per integrum quadriennium post Neptis abductionem, nec excitatus est, nisi ut everteret Coniugium rite contractum, et fere per biennium servatum, cum individua Coniugum consuetudine.

203. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et in quo loco collocanda sit Margarita Collell in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative: et amplius. Ad secundum, provisum in primo – *in Gerunden. seu Vicen. Nullitatis Matrimonii die 2 Augusti 1760.*

204. Hinc etiam dispensatio impetrata super grada prohibito ex causa deficientiae dotis valida est, si Mulier habeat quidem dotem, sed insufficientem et incongruam *in Neapolitana Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Nullus.*

205. Nam idem est, quod Mulier sit indotata, ac quod sit insufficienter dotata, uti reprobando Corradum firmat De Iustis in tract. de dispens. lib. 3 cap. 3 n. 20: – Papa movetur ad dispensandum, ut succurrat Oratrici pauperi, quae cum non habeat dotem, vel habeat, sed insufficientem, periculum est, ut vel innupta remaneat cum periculo animae, vel nubere cogatur indigno et inaequali, unde cum intentio Pontificis sit quoad praedicta providere Oratrici, et utroque modo per huiusmodi dispensationem satis provideatur, non videtur, cessato dolo, infici gratiam Pontificis, qui aeque movetur ad dispensandum, si Oratrix nullam habeat dotem, vel si habeat insufficientem, cum in utroque casu timeri possint eadem scandala et inconvenientia, ex quibus tamquam ex causa finali movetur Pontifex ad dispensandum – *in Neapolitana Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Nullus.*

206. Imo Doctores tuentur, Mulierem dici indotatam aut minus sufficienter dotatam, si bona in actu Matrimonii assignanda non sint sufficientia, vel sint intricata, aut assignatio post obitum Parentum suum effectum sit habitura, Sanchez de Matrim. lib. 8 disp. 19 n. 20 et 25, De Iustis de dispensat. lib. 3 cap. 3 n. 4, Anacletus in 4 lib. Decret. in append. de dispensat. §. 3 n. 83, Crumer. quaest. can. in 4 Decret. quaest. ult. n. 2095, Rosa de exequut. Litt. Apost. cap. 11 n. 15 *in Neapolitana Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Aptabilis.*

207. Qua de re si Summus Pontifex dispensationem concesserit super secundo et quarto consanguinitatis gradu, ex eo quod Mulier erat indotata, nec actionem pro dote habebat, quodque Vir eam congrue dotare intendebat, non propterea nullum dici potest Matrimonium, quia ante petitam dispensationem Mulier iam parva quantitate dotis imo etiam congrua, cuius tamen consecutio a futuro litis eventu pendebat, fruebatur, quin etiam Vir eam ante Matrimonium reapse constituerit, cum quamdam quidem summam donaverit, sed pro filiis ab ea nascituris *in Neapolitana Matrimonii die 4 Iulii 1722.*

208. Siquidem Didacus Foglierus et Aloisia de Vera s. m. Clementi Papae XI supplicarunt pro Apostolica dispensatione super secundo et quarto a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus, quibus erant coniuncti, ad effectum, ut inter se Matrimonium contrahere possent. Fuit in supplicatione dicto Pontifici expositum, quod Aloisia erat indotata, et quod actionem non haberet, unde dotari posset, et demum quod Didacus intendebat illam sic indotatam ducere in uxorem, et eam ad quantitatem competentem ex integro dotare, memoratusque Pontifex commisit Vicario Generali Neapolitano, ut se de praedictis diligenter informaret, et quod in hypothesi, in qua preces invenisset veritati innixas, et postquam Aloisia ex integro a Didaco dotata fuisset, ad dispensationem auctoritate Apostolica procederet; cumque in Curia Archiepiscopali subinde Testes producti fuissent, qui deposuerunt, Aloisiam non habere dotem competentem secundum suam conditionem, nec ab aliquo coniunctorum dotari posse, et Didacum eam velle in uxorem ducere et dotare in summa ducatorum quingentorum, et instrumentum dotationis exaratum fuisse, facta donatione ducatorum quingentorum pro filiis ex Matrimonio nascituris, prolata fuit a Cu-

ria Archiepiscopali sententia pro executione Literarum Apostolicarum, et inter Didacum et Aloisiam contractum est Matrimonium in faciem Ecclesiae, et deinde consummatum. Exinde vero Didacus nullitatis Matrimonii fundamentum constituit in capitulis Matrimonialibus initis ante petitam dispensationem, in quibus assignata et constituta fuit Aloisiae, quae ipsi nubere debebat, dos in annuis ducatis 60 in tot censibus emphyteuticis et super vectigali salis in quadam gemma ex adamantibus et smaragdis conflata in summa ducatorum 1000 persolvenda futuro Sponso post exitum cuiusdam litis in Urbe pendentis et in omnibus iuribus et actionibus quibuscumque, quae ad Aloisiam spectare possent imposterum super hereditatibus et bonis parentum et aliorum coniunctorum, et ex renunciatione a Clara sorore facta: ex hoc enim arguit, Aloisiam non fuisse indotatam, nec eam caruisse actione, unde dotari posset, uti Papa expositum fuerat, nec pariter subsistere, quod ea fuerit ex integro a Didaco dotata, cum Didacus donaverit ducatos 500 filiis nascituris ex Matrimonio cum Aloisia contrahendo. Ponderabatur contra quantitas dotis, separando eam, quae actu futuro Matrimonio erat consignanda, ab alia, cuius consecutio pendebat a futuro litis eventu et ab aliis conditionibus, nec non pactum in capitulis Matrimonialibus appositum de non petendo aliquid ex bonis paternis et maternis, quoadusque vixisset Angela Mater. Aptabilis hinc videbatur propositio a Doctoribus admissa, Mulierem dici indotatam, aut minus sufficienter dotatam, si bona in actu Matrimonii assignanda non sint sufficientia, vel sint intricata, aut assignatio post obitum parentum suum effectum sit habitura. Quin obesset, quod Didacus non dotaverit ex integro Aloisiam in quantitate competenti, uti Summo Pontifici expositum fuerat, quia quando plures exponuntur causae, etiam copulative inspicienda est causa, cui innititur Rescriptum, et, ea vera existente, non curatur de aliarum veritate, copulativa quippe his terminis resolvitur in disiunctivam, iuxta late tradita per Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 21 n. 42.

209. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Neapolitana Matrimonii die 4 Iulii 1722.*

210. Imo attentis peculiaribus rerum circumstantiis, Sacra Congregatio declaravit, dispensationem obtentam in forma pauperum, allegata paupertate pro causa dispensationis, fuisse validam, et prolem susceptam legitimam, non obstante assignatione dotis Sponsae in summa Ducatorum septem millium, et donatione facta Sponso in summa aliorum ducatorum decem millium propter nuptias *in Dubium Legitimationis Prolis die 9 Septembris 1679 lib. 30 Decretorum pag. 406.*

211. Unde si Pontifex, attenta dotis incompetentia, dispensationem indulserit in tertio et quarto consanguinitatis gradibus, ac Ordinarius praecedenti inquisitione super precum veritate et causis eam incompetentem existimans executioni mandaverit Literas Apostolicas ac Sponsi rite Matrimonium inierint ac consummaverint, frustra Uxor contra Coniugii validitatem insurgit, ex eo quod plures subinde Testes asseruerint, competentem fuisse ipsius dotem *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722.*

212. Iamvero Ioseph de Guasta et Rosa Benini exposuerunt s. m. Clementi XI, quod cupiebant invicem matrimonialiter copulari, sed quod Rosa dotem non habebat competentem; cum quia iuxta sui status conditionem invenire non posset Virum sibi non consanguineum vel affinem, supplicarunt pro dispensatione, erant enim tertio et quarto a communi stipite gradibus invicem coniuncti, cumque Sanctitas Sua Literas Apostolicas in tertio et quarto gradu direxerit Vicario Generali Episcopi Pratensi cum solita clausula, quod de expositis deberet se diligenter informare, et quod in hypothesi, in qua preces invenisset inniti veritati, Auctoritate Apostolica dispensaret, dispensatio fuit executioni mandata, et subinde contractum Matrimonium inter Oratores coram Parocho et Testibus, nec defuit consummatio, cum Rosa praegnans effecta fuerit. At inde Rosa a domo Viri aufugit, ac nullum dixit Matrimonium nedum per vim et metum a Genitoribus illatum, sed etiam ex falsa causa obtentae dispensationis, cum ipsa praeter congruam etiam excessivam haberet dotem. Episcopus retulit, non adfuisse ullum

metum vel coactionem pro contrahendo Matrimonio; Vicarium executioni mandasse dispensationem, postquam sumpserat secretas informationes, binasque receperat attestationes, tum de Patris impotentia ad congruc dotandam filiam, tum de deficientia occasionis nubendi, excepto Iosepho, qui eam duxit in uxorem; ex apocha matrimoniali desumi, dotem Rosae fuisse in scutis 315, sed revera non fuisse, nisi in scutis 200; ex Testibus haberi, Puellas statu et conditione aequales Rosae Matrimonio copulari cum dote scutosum 130 concludendo, sibi videri validam fuisse et iuri consonam executionem Literarum Apostolicarum. Unde in facto advertebatur, quod attentis rerum circumstantiis, quidquid asseruerint Testes, si Rosa fuit nupta cum dote scutorum 200, incompetentia dotis verificata videbatur, et uti talis declarata est ab Ordinario tempore executionis Literarum Apostolicarum, adeoque declaratio illa irretractabilis censeri poterat, cum abesset subreptio. In iure autem incompetentia dotis non videbatur, quod fuerit causa finalis; sed impulsiva, et defectus causae impulsivae non vitiat dispensationem.

213. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de validitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Non constare de nullitate Matrimonii, et amplius - *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722.*

214. Idcirco Literae Apostolicae dispensationis super duplici impedimento consanguinitatis et spiritualis cognationis sunt exequendae, cum Exequutor Apostolicus ante illarum exequutionem in eisdem narrata formiter verificaverit, quin obstent Testes subinde adducti per Promotorem Fiscalem, qui enim formalem illam verificationem haudquaquam destruebant *in Lucana Matrimonii die 22 Iunii 1748.*

215. Enimvero dispensationem a duplici impedimento consaguinitatis et spiritualis cognationis impetrarunt a Summo Pontifice, ut Matrimonium contrahere possent Thomas Andreotti et Catharina Cerri vidua Petri Andreotti Vicani Porcarii expressa causa, quod – insimul conversati sunt, carnali tamen copula inter eos minime subsequuta, et nihilominus orta est gravis suspicio, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint; et nisi Matrimonium contrahatur, dicta Catharina graviter diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala orirentur –. His Literis Apostolicis, quae ad Vicarium Generalem datae fuerunt, acceptis, quibus adiectae erant Formulae conditionales – de praemissis te diligenter informes, et si preces veritate niti reperies –, examinati fuerunt quatuor Testes, qui expressam in Literis causam verificabant. His auditis, Vicarius Generalis definitivum tulit Decretum, quo – constito sibi prius de veritate omnium in eisdem Literis Apostolicis in forma Brevis, ex fide dignis habitis informationibus atque ex depositionibus plurium Testium etc. examinatorum etc. ad tenorem eorum dispensavit –. At exinde a novo Vicario Generali Promotor Fiscalis postulavit, – sumi debitas informationes super verificatione praedictorum –; namque contendit ea, quae in Literis Apostolicis narrata fuerant, – falso fuisse asserta, nec constare de praefatis –. Iudex ille, non obstante defectu iurisdictionis, examini subiecit Parochum Porcarii, qui, licet prius testificationem fecisset, qua veritas narratorum in Literis dispensationis comprobabatur, ingenii tamen subtilitate elusit, et negavit narrata in praefatis Literis. Tribunal Signaturae Iustitiae circumscripsit acta omnia coram novo Vicario Generali; sed inde data fuit facultas Promotori Fiscali sua iura proponendi in Sacra Congregatione. Sponsi autem postularunt, ut definiretur, Literas esse exequendas, quia narrata quatuor Testibus formiter auditis verificata fuerant, qui extraiudicialiter testificationes suas ratihabuerunt, et tres alii Testes eadem, quae in Literis narrata fuerunt, confirmabant: alii vero Testes dati a Promotore Fiscali non erant spectandi, vel ob exceptiones, quas habebant singuli in dictis, vel quia contrarii non erant iis, qui narrata in Literis dispensationis confirmabant, cum utraque testificatio vera esse posset.

216. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Literae Apostolicae dispensationis sint exequendae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Lucana Matrimonii die 22 Iunii 1748.*

217. Nec difficile, iusta intercedente cau-

sa, conceditur dispensatio super cognatione spirituali, seclusa linea recta, in compaternitate et commaternitate, ceu testatur Vincentius De Iustis de dispens. matrim. lib. 2 Cap. 5 n. 72 *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734 §. Ceterum.*

218. Nulla tamen indigent dispensatione Apostolica suscipientes Puerum vel Puellam de sacro Fonte, si inter se Matrimonium contrahere velint *in Nullius die 14 Iulii 1594 Posit. 86 pag. 370 ad Cap. 2 sess. 24 de reformatione.*

219. At denegata fuit dispensatio contrahendi Matrimonium cum ea, quam Vir in Sacramento Confirmationis tenuit, ob dotis augmentum, quod Mulier ab eodem consequuta erat, et ad tollendas lites, quae occasione Maioratus inter Virum et Mulierem possent inextricabiles oriri, re diligenter examinata et delata ad Sanctissimum, qui sententiam Sacrae Congregationis probavit *in Dubium ad Cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 75.*

220. Quum autem dubium esset, an inter eos, qui Matrimonium simul contrahere cupiebant, existeret impedimentum cognationis spiritualis, ex eo quod in fide Baptismatis Sponsi adnotatum reperiretur, Sponsam fuisse ipsius Commatrem, quae tamen testabatur, se de hoc non recordari, ac tempore dicti Baptismatis eadem versari videbatur in aetate septimi anni, Sacra Congregatio mandavit, ut extraherentur formiter partitae utriusque Baptismatis *in Hispalen. Dispensationis die 11 Martii 1702 lib. 52 Decretorum.*

221. Iamvero – Christophorus de Arroio in secundo consanguinitatis gradu coniunctus cum Ioanna Atteaga, cupiens ex causis Sanctissimo D. N. exprimendis, praevia benigna dispensatione Apostolica, Matrimonium cum illa contrahere, ac dubitans, an inter ipsos adsit impedimentum cognationis spiritualis, eo quia in fide sui Baptismatis notatum reperitur, ipsius Commatrem fuisse praedictam Ioannam (quae medio iuramento testatur, se de hoc non recordari), preces porrexit huic Sacrae Congregationi pro declaratione, an indigeat etiam dispensatione super dicta cognatione spirituali, super quibus exquisita fuit informatio Archiepiscopi, qui, commisas negotii cognitione suo Vicario Foraneo Oppidi Ursaonensis, in sua relatione iam transmissa ita inquit: « A dicto Vicario accepi, quod nec inter ipsos propinquos, nec inter aliquos illius Oppidi Incolas unquam de tali spirituali cognitione usque modo notitia aliqua habita fuit, imo nec rumor aliquis divulgatus, de quo ipse Vicarius post accuratam inquisitionem attestatur et addit, quamdam esse Viduam iam senem Mariam de Villalobos, quae cum ad praedicti Christophori sacrum lavacrum praesens adstitisset, praefatam Ioannam apud sacrum Fontem stantem, non tamen Puerum tangentem, se vidisse recordatur; per Parochique de ipsius Ioannae Baptismo attestationem notum fit, tunc septimum suae aetatis annum nondum complevisse, unde nec rationis usus, dum contrarium non probetur, in illa praesumitur. Annotatio autem, quae post integram et perfectam Baptismi Christophori descriptionem invenitur, videlicet praedictam Ioannam munus Matris spiritualis obiisse, forsan post Baptismi consummatum ad solatium et instantiam Parentum Puellae, quae asportata fuerat, fuit addita. Quibus attentis, non videtur constare de impedimento cognationis spiritualis inter praefatos, vel saltem digni sunt, ut in tanto dubio benigne cum illis dispensetur, si forsan subsit, ut Matrimonium quanto citius pro animarum salute et Dei servitio contrahant » –.

222. His igitur stantibus, proposito dubio: – An Oratores indigeant dispensatione super impedimento cognationis spiritualis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Extrahantur formiter partitae utriusque Baptismatis – *in Hispalen. Dispensationis die 11 Martii 1702 lib. 52 Decretorum.*

223. Quoad autem dispensationem super impedimento cognationis legalis Vincentius De Iustis de dispens. matrim. lib. 2 cap. 6 n. 86 sic inquit: – Et haec circa hanc cognationem veloci calamo percurrisse sufficiat, cum raro super ea dispensatio concedatur, non quia dispensatio necessaria non esset ad Matrimonium contrahendum, vel quia a Pontifice concedi non possit, sed quia in linea recta Papa difficillime et nonnisi ex causa gravi dispensat; in transversali vero raro recurritur

ad Pontificem, cum alias per emancipationem dissolvatur, ut diximus, et sic possit absque dispensatione iniri Matrimonium –; idemque animadvertunt Cler. de matrim. decis. 24 n. 32, Rebuff. in prax. Benef. Regular. dispens. in gradibus prohibitis gloss. 25 *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *Praemissa*.

224. Hinc posito, quod cognatio legalis, quae contrahitur inter Adoptantem et Uxorem Adoptati, et e converso se habeat per modum affinitatis legalis, inferri posse videtur, quod in ea non adeo difficile dispensari debeat; imo sicuti Nicolaus I cognationem spiritualem cum legali comparat, eamque multo fortius Matrimonium impedire statuit in Canone *Ita diligere* 30 quaest. 3: – Si ergo inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio iungit; quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per caeleste Sacramentum regeneratio S. Spiritus vincit –, ita dubitari potest, num asserta dispensatio regulari queat, iuxta dispensationem cognationis spiritualis *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *Ceterum*.

225. Qua de re, iustis intercedentibus causis, indulgetur dispensatio, ut adoptans inire valeat Matrimonium cum Muliere, quae fuerat Uxor filii adoptivi, qui iam diem supremum obiit *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734*.

226. Enimvero Dominicus Antonius Menicacci Oppidi Suriani primum ex venerabili Archihospitali S. Spiritus in Saxia suscepit Valentinum infantem expositum, eumque nutriendum tradidit Portiae eius Uxori, deinde anno 1712 eumdem Puerum in aetate duodecim annorum iam constitutum sibi – in eius proprium filium subrogavit et adoptavit –. Defuncto subinde Valentino, Dominicus Menicacci exoptans Matrimonium inire cum Angela Bassanelli, quae fuerat Uxor eiusdem Valentini, ut consuleret tum inopiae dictae Angelae et quinque filiorum, quos superstites idem Valentinus reliquerat, tum etiam scandalo orto ex publica voce atque assidua conversatione, quam eousque habuerat cum eadem Angela, postulavit dispensationem ab impedimento cognationis legalis forsan contractae cum Angela, utpote Uxore Valentini illius filii adoptivi. Episcopus censuit, quod asserta adoptio esset simplex, ita ut nulla cognatio legalis intercederet inter ipsum Oratorem et Angelam; alias vero ex causis expositis indulgendam esse dispensationem arbitratus est. His itaque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc? –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, constare de impedimento cognationis legalis, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734*

227. Qui vero iuramentum seu votum castitatis in manibus magni Prioris Ordinis militaris S. Georgei Parmensis emisit, ac inde habitum clericalem et crucem dicti Ordinis dimisit, non indiget dispensatione Apostolica, ut Matrimonium contrahere valeat *in Parmen. Matrimonii die 3 Septembris 1740*.

228. Siquidem Ioseph Antonius Facini iuramentum seu votum castitatis in manibus magni Prioris Ordinis militaris S. Georgei Parmensis emisit: inde vero dimissis ex licentia dicti magni Prioris clericali habitu et cruce praefati militaris Ordinis, facultatem postulavit celebrandi Matrimonium cum Alba Maria Nunciati. Parmensis Episcopus renuit eius petitioni annuere, putans nimirum obicem praestare posse Matrimonio ineundo dictum iuramentum sive castitatis votum sub formula dicti Ordinis ab illo emissum, nisi desuper fuerit Apostolica dispensatio impetrata. Quocirca Iosephus Antonius institit, ut declararetur, nulla sibi opus esse dispensatione pro ineundo Matrimonio. Nam primo; quia tempore, quo iuramentum seu professionem emisit, decimum septimum dumtaxat annum agebat, cum tamen Constitutiones Ordinis a Clemente XI confirmatae et approbatae praescriberent, – ut nemo ante decimum octavum annum expletum ad profitendum admittatur –; secundo, quia professioni seu iuramento antedicto novitiatum non praemiserat per biennium, iuxta praescriptum earumdem Constitutionum; tertio, quia in praefato equestri Ordine non vovebatur absoluta et simplex castitas, sed coniugalis tantum, iuxta eiusdem Ordinis Constitutiones; quia vota in professione huius Ordinis emissa non perpetuo obligabant, sed ad tempus, nimirum donec Equites crucem Ordinis non

dimiserint. Quod si necessaria esset dispensatio, hanc enixe Orator postulavit. Propositis itaque dubiis: - I. An Ioseph Antonius Facini indigeat dispensatione pro contrahendo Matrimonio, de quo agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, non indigere. Ad secundum, provisum – *in Parmen. Matrimonii die 3 Septembris 1740.*

229. Similiter Sacra Congregatio declaravit, non indigere Granzullum dispensatione ad contrahendum Matrimonium cum Imperata vidua Francisci in tertio gradu consanguinitatis coniuncti cum Prudentia uxore defuncta dicti Granzulli *in Montis Cassini anno 1606 ad cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 78 pag. 55.*

230. Post haec animadvertendum sedulo est, quod cum pro obtinenda dispensatione super gradu prohibito allegata fuisset falsa causa, et Matrimonium deinde fuisset contractum et consummatum, Innocentius III in Cap. *Quia circa* de consanguinitate et affinitate respondit: - Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione, sicuti asseris, grave videas scandalum imminere – *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Pro.*

231. Textus tamen hic sibi videtur vindicare locum, quando post contractum et consummatum Matrimonium contrahentes perseverant in bona fide, et habent probabilem ignorantiam de subreptione dispensationis, licet eam Ordinarius bene cognoscat, ut bene ponderant Covarruvias 2 p. de matrim. cap. 6 §. 10 n. 15, Pontius de matrim. lib. 8 cap. 17 §. 6 n. 40 *in Praten. Matrimonii die 4 Iulii 1722* §. *Quia.*

232. Quod si abusus in aliqua Diaecesi irrepserit, quod nequam plerumque homines odio aut cupiditate perciti obicem, impedimentis ac praesertim ex copula illicita provenientibus mala fide allegatis, ponere nuptiis enixe incumbant, Episcopus procedere tenetur iuxta doctrinam probatorum Auctorum, et in casibus gravioris dubii recurrere debet ad S. Sedem saltem ad cautelam *in Lucen. die 18 Septembris 1852.*

233. Siquidem literis ad Summum Pontificem oblatis, Lucensis in Hispania Antistes conquestus haud levitér est, quod in ipsius Diaecesi abusus undequaque abominabilis irrepserit, ut, cum Matrimonia intentarentur, nequam plerumque homines odioque aut cupiditate perciti insurgerent, et, impedimentis mala fide allegatis, obicem ponere nuptiis toto pectore incumberent. At cum veritas, dixit, non semper liqueret, maxime ubi res erat de affinitate ex copula illicita, quae cum persona alterius partis in primo aut secundo gradu habita supponebatur, Iudex ecclesiasticus circa Matrimonium prohibendum aut permittendum dubius haerebat et anceps. Summus Pontifex preces ad Sacram Congregationem ablegavit. Hinc advertebatur, omnes undique fideles, quoties impedimentum dirimens Matrimonium sibi cognitum habuerint, detegere illud et nuptiis obiicere teneri; cumque res sit de peccato vitando, unicus etiam Testis, qui de certa scientia deponit, probationem inducit. Observandum nihilominus venit, quod rigor iuris in eo quidem totus est, ut propter vitandum crimen – facilius probatio sufficiat –, minime tamen versatur circa hoc, ut non sufficiente probatione nuptiae interdicantur. Alias namque malitiae, quod absit, aditus panderetur, ipsique Canones, quod nefas, iniustitiae evaderent fautores. Imo Tridentini Patres indulgendum aliquantulum quoad trinam proclamationem decrevere, – si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiose impediri posse –, sess. 24 de reformatione Matrimonii Cap. 1. Nec non ad Textum in Cap. *Praeterea* de sponsalibus monent Canonistae, personam vilem ad probandum nil valere. In dubio autem omnis praesumptio stat pro libertate Matrimonii. Ceterum S. Alphonsus in lib. 6 moral. tract. 6 de matrim. cap. 2 n. 902, postquam reiecit dubium positivum, de negativo etiam sic monet: - Omnino in aliis contractibus, non obstante dubio negativo de inhonestate contractus, liberum sit illum inire, si dubium vinci non possit, quia tunc standum est pro libertate. Matrimonium tamen, quia non solum habet rationem contractus, sed etiam Sacramenti, non potest contrahi cum materia dubia extra casum necessitatis, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis, iuxta propositionem primam damnatam ad Innocentio XI–. Quocirca idem

S. Auctor ex communi fere omnium suffragio tantum admittit, Matrimonium contrahi valere – cum opinione probabili probabilitate iuris de carentia impedimenti –, modo universe vel certe ab Auctoribus recepta sit, ut probabilis huiusmodi opinio; secus tamen omnino in dubio facti circa existentiam impedimenti vel positivo vel negativo, licet utrinque adsint coniecturae; pro eaque sententia melioris notae Auctores in medium affert.

234. Verumtamen recensiti Doctores de conscientiae dubiis tantum obloquuntur; quoad forum externum ordinemque iudicialem vix unquam in eis sermo occurrit. Hinc sartum tectum remanet axioma, quod cum partes rei favorabiliores habeantur, quam actoris vel denunciatoris, in dubio pro reo semper praesumendum erit: eo saltem vel magis in themate, ubi denunciantes de mala fide odioque suspecti inveniuntur. Quod si certum est, probationes dubias et aequivocas non relevare, in themate res omnis acta videretur, quoties, occurrente etiam malae fidei suspicione, Iudex insuper remanet anceps, ob ipsas dubias et aequivocas probationes. Hic nimirum iudicii integritas omnino requiritur, ut praesumptio valeat pro reo, ne essentialis iustitiae regula susdeque vertatur. Secus vero quoties, considerata licet mala fide ceterisque diligenter examinatis, quaedam plene aut semiplene probata remanent, ex quibus praesumptio, vel saltem probabiles coniecturae quoad sublatens impedimentum assurgunt: quo quidem casu Matrimonium absque praevia dispensatione saltem ad cautelam permitti haud potest. In materia nimirum Sacramenti etiam Matrimonii dubium mere negativum coniecturaeque utrinque prostantes, sat ultroque ad impediendum sufficere, contra Sanchez aliosque S. Alphonsus loc. cit. n. 902 numerosa Doctorum corona stipatus substinet. Quo vero ad suspicionem, ubi intellectus in alteram partem magis inclinat, nec tamen illi assentitur, Sanchez disp. 41 n. 2 omnium plane auctoritas concurrere videtur cum Giraldi Expos. Iur. Pontif. part. 1 tit. 16 de matrim. not. 2 ad Cap. Literae, et Schmalzgrueb. part. 3 tit. 16 §. 1 de matrim. n. 1. Denique si praesumptio militat pro impedimenti existentia, ipsum etiam Sanchez relatam sententiam subscribere ex eius disp. 6 n. 18 lib. 8 haud obscure infertur. Tandem in medio prostat opinio, quam probabilem dicunt haud spernendi Auctores, quod nimirum in impedimentis dubiis bene possit Episcopus dispensare, dummodo eiusmodi casus frequenter contingant, Barbosa de offic. et potest. Episcop. allegat. 35 n. 19, S. Alphonsus lib. 6 cit. quaest. 3 infin. n. 902.

235. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Matrimonia sint permittenda seu prohibenda in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulat probatos Auctores, et in casibus gravioris dubii recurrat ad S. Sedem saltem ad cautelam – *in Lucen. die 18 Septembris 1852.*

236. Nam sacri Canones distinguunt inter Matrimonium contractum et contrahendum, et quando agitur de contrahendo non exposcunt claras et concludentes impedimenti appositi probationes: statuunt enim, unicum Testem sufficere, ex quo agitur de vitando peccato, uti habetur in Cap. *Praeterea* 1 de sponsalibus, et Cap. *Super eo* 2 de testibus; et latissime prosequitur Ciarlin. lib. 3 controv. cap. 234, dummodo tamen Testis sit bonae famae et non patiatur exceptionem in persona aut in dicto, Tondut. quaest. Benef. part. 3 cap. 165 n. 5, Monacell. in form. leg. pract. part. 1, Ursaya tom. 5 part. 2 discept. 22 n. 13, et dummodo Testis asserat cum iuramento, se certe scire impedimentum, hinc Sanchez de matrim. lib. 1 disp. 71 n. 11 et 16 ait, non sufficere famam ad impediendum Matrimonium, si clariores adsint probationes de fama contraria, et simplicem rumorem non posse Matrimonium impedire *in Reatina die 13 Iulii 1725* §. *Adeoque.*

237. Alias ad impediendum Matrimonium contrahendum sufficit sola diffamatio super aliquo impedimento, quamvis oriens ex Testibus singularibus, iuxta Textum in Cap. *Super eo* de Testibus; in Cap. *Praeterea* 2 de sponsalibus, ibique Glossa et omnes Canonistae *in Verulana Matrimonii die 2 Aprilis 1729* §. *Relata.*

238. Quum itaque constaret de diffamatione, quod Vir rem habuisset cum Matre Sponsae, Sacra Congregatio declaravit, dictum Virum non posse cum praefata Sponsa contrahere Matrimonium, sed inde obtenta

dispensatione a Summo Pontifice ab falsa imputatione, quatenus Episcopus super dicto crimine legitimam probationem non habuisset, mandavit, dispensationem esse exequendam, servata forma Literarum Apostolicarum *in Verulana Matrimonii die 2 Aprilis 1729.*

239. Siquidem Ioannes Baptista Stephani Terrae Riparum anno 1723 discedens a domo Fratrum, cum quibus convivebat, se contulit ad habitandum in alia sua propria domo, cuius partem locaverat cuidam Antoniae Celebrini: sequenti anno 1724 exoptans contrahere Matrimonium cum Clara filia praedictae Antoniae, frustra instetit apud Parochum, cum ipsi interdictum fuisset a Curia Episcopali interesse illius Matrimonio. Habito hinc recursu ad Sacram Congregationem, Episcopus retulit, Ioannem Baptistam fuisse saepe et iudicialiter monitum a sua Curia de non conversando cum Antonia dictae Clarae genitrice; examinatos fuisse plures Testes et efformatum processum, ex quo resultare dicebatur diffamatio et publica vox de carnali copula habita ab eodem Stephano cum dicta Antonia. Sacra Congregatio die 4 augusti 1725 relata Causa inter Summaria precum rescripsit: – Non posse contrahi Matrimonium a Ioanne Baptista cum Clara, et quoad processum, Curia utatur iure suo –. Post haec Ioannes Baptista confugit ad Summum Pontificem, cui exponens, falso sibi fuisse imputatum praedictum impedimentum, dispensationem obtinuit ab hac falsa imputatione seu diffamatione, ut ea non obstante Matrimonium valide et licite cum Clara contrahere posset, ea tamen superaddita conditione, quatenus scilicet Episcopus super hoc impicto crimine legitimam probationem non habuisset. Quum vero dispensationem istam exequi Episcopus noluisse videretur, quia in ea nulla facta fuerat mentio praefati Decreti Sacrae Congregationis, iterum Ioannes Baptista recursum habuit ad Sacram Congregationem pro executione dictae dispensationis, attento praecipue, quod a Clara duos filios iam suscepit. Episcopus denuo auditus retulit, assertam dispensationem nunquam exhibitam fuisse, diffamationem constare ex processu transmisso, ipsi iniunctum fuisse praeceptum de non accedendo ad domum Antoniae matris, sed ita rem non se habuisse, quamvis ipsa Clara a tota Diaecesi fuerit exiliata, ac etiam ob contraventionem ad carceres deducta; ac addidit, – quod in Domino expediret, ut eam tandem desponsaret –.

240. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de impedimento? *Et quatenus affirmative.* II. An dispensatio sit exequenda? –, Sacra Congregatio respondit: – Dispensationem esse exequendam, servata forma Literarum Apostolicarum – *in Verulana Matrimonii die 2 Aprilis 1729.*

241. Hinc necessaria omnino est Literarum Apostolicarum exequutio, alias enim nec validum censetur Matrimonium nec exequendae Literae Apostolicae, quibus indulgetur dispensatio in tertio consanguinitatis gradu, quum Sponsi, post verificatas rite causas expressas et relaxatas publicationes ab Executore dictarum Literarum Apostolicarum, quin is adhuc Decretum dispensationis emisisset, clandestine coram Parocho et Testibus consensum in Matrimonium aperuerint *in Civitatis Castelli Nullitatis Matrimonii die 18 Iulii 1778.*

242. Siquidem ad conciliandas nuptias inter Dominicum Pasqui civem Civitatis Castelli et Rosam Dragoni, a biennio iam commorantem in Oppido Silicis Diaecesis Civitatis Castelli in tertio consanguinitatis gradu inter se sanguine coniunctos, obtentae fuerunt Apostolicae Literae erronee directae Vicario Generali Episcopi Civitatis Castellanae, in quibus, enarrata causa, quod praefata Rosa vigesimum quartum aetatis annum excederet, quodque oblata eousque ei non fuisset occasio nubendi cum paris conditionis Viro, mandatum fuit eidem Vicario – quatenus de praemissis diligenter te informes, et si factis proclamationibus etiam in parochiali Ecclesia originis dictae Rosae, et habita relatione dictarum proclamationum, per informationem eamdem preces veritate niti compereris etc., tum cum ipsis, dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, impedimento tertii consanguinitatis gradu dispenses –. Hae Literae exhibitae fuerunt Vicario Generali Civitatis Castelli, qui, facta earumdem verificatione, iniunxit utriusque Parochis publicationes. At dum denunciationes peragebantur, obstitit Ioannes Maria Pasqui Sponsi patris, qui in actis apposuit –

nihil transeat –, instititque viriliter, praefatas Literas uti non verificatas non esse exequendas. Sic itaque iudiciali interposita mora, Sponsus et Sponsa die 13 maii 1777 sese coram Parocho, dum Sacrum celebrabat, et coram Testibus praesentarunt, atque consensum in Matrimonium, invito reluctante et aufugiente Parocho, aperuerunt. Curia ecclesiastica mandavit, Coniuges separari, et contra eos criminalem processum fieri praecepit. Pater Pasqui a quavis oppositione recessit: sed Antonius Pasqui Sponsi frater et Rosa Pasqui illius soror nec non Hieronymus Christiani eiusdem sororis vir acriter institerunt pro declaratione nullitatis Matrimonii. Nondum enim fuerat sublatum consanguinitatis impedimentum, cum Delegatus revera non dispensaverit, nec dispensare potuisset, quia Literae Apostolicae haud Vicario Generali Civitatis Castelli, sed alteri Civitatis Castellanae erant directae, quae etiam obreptitiae censeri debebant ob falsas expressiones. Insuper moralis Parochi praesentia defuit. Contra Sponsi validitatem Matrimonii propugnarunt: nam Vicarius Generalis, Literis Apostolicis rite verificatis, iam publicationes demandavérat, quin obesset, quod praefatae Literae directae fuerint Vicario Generali Civitatis Castellanae, cum id ex mero errore processisset, certaque esset Pontificis voluntas illas dirigendi Vicario Generali Civitatis Castelli, cui Sponsi suberant. Addiderunt, iniuria impugnari causam, quod idoneum Virum Rosa non inveneri, cum adhuc esset innupta; certamque etiam Exequutoris voluntatem, ac factum dispensationis esse. Inanem vero esse nullitatem Matrimonii ex eo desumptam, quod Parochus nihil aliud audiverit, quam sui nominis prolationem a Sponso factam, nec perceperit verba, consensum utriusque significantia, cum opus non sit, quod consensus ex verbis percipiatur, sed sufficiat, illum percipi etiam ex signis, licet extrinsecis. Episcopus Civitatis Castelli summopere defendit validitatem Matrimonii.

243. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de validitate Matrimonii, seu potius sint exequendae Literae Apostolicae dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in omnibus, et ad mentem – *in Civitatis Castelli die 18 Iulii 1778.*

244. Nam longe distat dispensatio a mandato de dispensando: illa tunc dicitur indulta, quando Summus Pontifex directe dispensationem concedit, et Brevia vel Literas Apostolicas dispensationis in forma gratiosa ipsis Oratoribus dirigit; contra vero simplex mandatum de dispensando est, quando Literae certis Iudicibus in forma commissoria diriguntur, ut, verificatis expositis, dispensatio concedatur. Diversis hinc est effectus utriusque gratiae: nam in primo casu gratia ab initio dicitur pura et perfecta, directeque tollit impedimentum; in altero vero casu gratia perfecta non est, nisi Executor eamdem indulserit, unde ex facto Executoris pendet impedimenti remotio *in Civitatis Castelli Nullitatis Matrimonii die 18 Iulii 1778* §. *Longe* (1).

245. Unde dispensatio super impedimento consanguinitatis continet mandatum, ad dispensandum, ita ut impedimentum perseveret, donec Executor a Pontifice delegatus illud non sustulerit *in Ianuen. Sponsalium die 12 Decembris 1733* §. *Ceterum.*

246. Idcirco dispensatio super impedimento consanguinitatis, Decreto egit Iudicis delegati; aliter Matrimonium invalidum renunciatur *in Civitatis Castelli Nullitatis Matrimonii die 18 Iulii 1778* §. *Contendunt.*

247. Dispensationes matrimoniales vero commissae Episcopo possunt exequutioni demandari ab eius Vicario Generali, et e contra, cum faciunt unum et idem tribunal *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 77.*

248. In controversia autem quoad exequutionem dispensationis in quarto consanguinitatis gradu, an Episcopus Lavellen. seu Melphien. esset vicinior, plures a Promotore Fiscali Venusino examinati fuerunt Testes deponentes, viciniorem esse Lavellen. Episcopum, et producta etiam fuit alia dispensatio a Vicario Generali Lavellen. uti viciniori exequuta die 17 Ianuarii 1714. Contra Episcopus Melphien. in sua informatione

(1) Sanchez de matrim. lib. 8, disp. 30, n. 12; De Iust. de dispen. lib. 1, cap. 6, n. 340; Rosa de exequt. Litt. Apost. part. 1, cap. 8, n. 11 et 12; Rot. in Recent. decis. 73, n. 2, part. 18.

praetendit, se esse viciniorem, et uti talis die 21 iunii eiusdem anni 1714 eius Vicarius Generalis decrevit exequutionem alterius consimilis dispensationis matrimonialis. Hinc Sacra Congregatio validum declaravit Matrimonium, atque mandavit, ut Oratores absolverentur a censuris per Vicarium Capitularem Venusinum latis *in Venusina Matrimonii die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum* (1).

249. At Literae dispensationum matrimonialium in forma *significavit* et aliae eiusdem generis sunt dirigendae Abbati commendatario, sive eius Vicario, si Abbatia sit Nullius Diaecesis, et Abbas iurisdictionem quasi episcopalem exerceat *in Nullius mense Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 3.*

Item *in Nullius anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 103; in Castri Durantis anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 43; in Dubium die 12 Novembris 1622 lib. 12 Decretorum pag. 112 et mense Decembris 1623 lib. 12 Decretorum pag. 148.*

250. Idcirco Literae huiusmodi dispensationum sunt dirigendae Priori Legionen. Ordinis S. Iacobi de Spatha, non vero vicinioribus Episcopis *in Legionen. seu Nullius ad cap. 5 sess. 22 de reformatione matrimonii Posit. 28 pag. 113.*

251. Nec aliter observandum quoad Archipresbiterum Carpensem *in Carpen. die 22 Aprilis 1679 lib. 30 Decretorum pag. 300.*

252. Indubium autem est, quod Exequutores huiusmodi dispensationum nihil percipere valeant: quam enim in primis induxerant praxim Episcopi, quibus Literae Apostolicae dirigebantur, scilicet prohibendi Vicariis in dispensationum matrimonialium executione acceptionem cuiuslibet muneris et praemii sub excommunicationis poena, mox debuerunt Summi Pontifices amplecti. Hinc factum est, morem stylumque invaluisse inscribendi in omnibus dispensationibus, quae sive in forma ordinaria, sive in forma pauperum expediuntur, et Vicariis Generalibus ut plurimum diriguntur, hanc clausulam: – deposita per te omni spe cuiuscumque muneris aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus –, quae quidem prohibitio, ut de Pontificis enixa voluntate magis constet, in fine Literarum Apostolicarum cum excommunicationis latae sententiae comminatione geminatur his verbis: – Volumus autem, quod si, spreta monitione nostra huiusmodi, aliquid muneris aut praemii occasione praemissorum exigere aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenas incurras –, veluti ex Zerol. prax. Episcop. part. 2 verb. Delegatus, et aliis tradit Corrad. prax. disp. lib. 7 cap. 6 n. 8, et sequitur De Iustis de disp. matrim. lib 1 cap. 6 a n. 232, Vanespen ius eccles. part. 2 tit. 14 cap. 2 per totum et cap. 3 n. 6. Haec, quae praemissa est, clausula servatur in Literis Apostolicis, quae in forma communi, sive ordinaria expediuntur. Sed in expeditionibus, quae fiunt in forma pauperum, duo accedunt, nimirum poena nullitatis absolutionis et dispensationis per verba – et nihilominus absolutio et dispensatio huiusmodi a te faciendae praedictae nullius sint roboris et momenti –, ac insuper quod a solo Pontifice concedi possit incursae excommunicationis absolutio per haec alia verba: – Excommunicationem latae sententiae poenam incurras, donec absolutionem a Sede praedicta per satisfactionem condignam merueris obtinere –, Corrad. loc. cit. n. 9 et 10, De Iustis loc. cit. n. 233, Thesaur. de poen. eccles. part. 2 cap. 14 per totum. Exceptis tamen Apostolicis dispensationum Literis, quae, partibus postulantibus, quandoque Episcopis diriguntur, in quibus non excommunicatio comminatur, sed iniungitur, ut – eo ipso ab iurisdictionis et pontificalium exercitio fructuumque mensae suae perceptione tamdiu suspensus existat, donec a Sede Apostolica relaxationem suspensionis huiusmodi per satisfactionem condignam meruerit obtinere –, veluti laudati et alii Doctores tradunt ibidem *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 16 Decembris 1786* §. *Ad*, §. *Haec.*

253. Unde quaesitum primo dubitatumque fuit, num ea clausula simplex consilium monitionemque praeferret, eo quod verbo *monemus* Pontifex utitur. Sed quia in fine Literarum prohibitio resumitur per verba – volumus

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 46 et 47, Tom. I.

autem –, et Executor in accipiendo delinquens excommunicationis poena mulctatur, conveniunt omnes, ex ea clausula praeceptum formamque exoriri, non simplex consilium aut monitionem, Corrad. et De Iust. loc. cit. cum aliis ibidem allegatis. Cur verum in his singulariter matrimonialibus dispensationibus ea clausula adhibeatur, exponit post Corrad. praefatus Vanespen. ius eccles. part. 2 tit. 14 cap. 3 n. 6: – Speciale autem est in dispentionibus matrimonialibus, quod apponatur haec clausula. Nam istae reputantur ceteris dispensationibus graviores, et in eisdem magis imminet periculum, ne corrumpatur Iudex Executor – *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 16 Decembris 1786* §. *Quaesitum.*

254. Deinde quaeritur, num Executori liceat, non quidem munera dona aut praemia, sed leve honestumque pro impenso in examine Testium et iurium labore prolationeque Decreti salarium exigere? Cum enim omnis labor optet praemium, omnisque operarius mercede dignus sit, non videtur Executor ab isto tenuique salario excludendus. Aliqui tenuerunt licere, quos inter Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 35 n. 10, Guttier. quaest. 29 n. 27 lib. 1, Pignatell. consult. 17 n. 6 tom. 8. Contrariaeque sententiae Assertoribus respondet Sanchez loc. cit. inquiens, secum opinari doctos admodum Viros a se consultos. Quia de munere et praemio prohibitio loquitur, non de impensi laboris stipendio, quod nec remuneratorii praemii, nec proprie muneris rationem habet. Cum praesertim fini in utroque casu non conveniat, a quo motus ad prohibitionem Pontifex est: scilicet ne muneribus corruptus Iudex minus bene officium obeat suum. Corrumpi enim a munerum liberalitate Iudices possunt, non autem a nudo tenuique stipendio, quod de iure aut consuetudine debetur, non a dantis gratia elargitur. Concluditque, certius semper stipendium aut salarium recipi ab Executore posse, quoties legitima consuetudo intercedat, quae fida legum interpres est *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 16 Decembris 1786* §. *Deinde.*

255. Opposita tamen sententia Navarri lib. 3 cons. ult. de Rescriptis praevaluisse visa est; et secuti sunt Garcias de Benef. part. 1 cap. 1 n. 77, Sbrotius de offic. Vicar. lib. 2 quaest. 36 a n. 7, Zerol. in prax. Episcop. part. 1 verb. dispensatio §. 1, Diana part. 5 tract. 13 resol. 71, Corrad. prax. disp. lib. 7 cap. 6 a n. 232, Thesaur. de poen. eccles. part. 2 cap. 14 per totum, Genuen. in prax. cap. 15 n. 13, Fagnan. in lib. 5 Decret. de simonia Cap. *In ordinando* n. 32. Qui omnes tenent, nedum vetari per eas clausulas Executoribus dispensationum, sive Episcopis, sive Vicariis Generalibus, ne praemia remuneratoria accipiant, verum etiam ne stipendia et sportulas titulo laboris visurae aut Decreti exigant. Et hanc Pontificis mentem esse firmiter eliciunt ab geminata prohibitione et a verbis latissimis eiusdem prohibitionis, quae nullum excipiunt casum, omnemque limitationem penitus excludunt. Atque hinc inefficax contraria quaelibet consuetudo est, licet immemorabilis, quae abusum redolet, non licitam consuetudinem; tum quia semper et in omni casu iisdem Pontifices clausulis utuntur, [tum quia ubi lex clara est, nequit consuetudo interpretari legem, quae interpretatione non indiget. Et Thesaurus de poenis loc. cit. observat, quod sicuti res est de actu potestatis spiritualis, si quid pro illo exigatur, illicitum est et simoniacum. Communiori Doctorum sententiae accedunt tum declarationes Sacrae Congregationis Concilii, tum Sacrae Congregationis Episcoporum, quas refert Corrad. loc. cit. et transcribit Fagnanus pariter loco citato. Imo notissima taxa Innocentiana id verbis expressis prohibet (1), nec non Pontificis decisio, quam

(1) Siquidem haec illa statuit: – Nelle cause o materie, che riguardano il matrimonio e i sponsali, così per l'esecuzione, come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia canonico impedimento etc., il Vescovo e il suo Vicario ed ogni altro Officiale Ministro o Familiare non possa sotto qualsivoglia pretesto o colore anche di mancia e di volontario donativo esigere e ricevere emolumento alcuno, ne in altre cose; ma solamente il Cancelliere possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura: cioè nelle esecuzioni delle dispense giulii tre, e per li testimonii sopra lo stato libero, o che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purchè in tutto non si esca da uno scudo di moneta Romana, cioè dieci giulii, ovvero il loro equivalente nella moneta del paese; non comprendendosi le cause contenziose –.

refert Fagnanus in Cap. *Quoniam* ne Praelati vic. suas n. 30: « Officiales Archiepiscoporum et Episcoporum Regni Lusitaniae unum ducatum accipiebant pro executione Literarum Apostolicarum pro dispensatione matrimonialium, et ita etiam pro praesentatione cuiuslibet Rescripti. Notarii autem pro examine Testium capiebant alium ducatum, et plus minusque iuxta numerum illorum et laborum. Et quoniam in eis Literis solet apponi clausula, quod Episcopi et Officiales, deposita omni spe cuiuscumque muneris et praemii etiam sponte oblati, dispensent; et Tridentinum Concilium in cap. 5 sess. 24 de reformatione matrimonii tales dispensationes gratis omnino concedi iubet, quaesivit Cardinalis Portugalliae Legatus, an liceat dictis Officialibus et Notariis accipere id, quod capiebant. Sanctissimus, referente Congregatione Concilii, decrevit, Episcopos eorumque Vicarios nihil prorsus ea de causa accipere posse, Notariis autem licere dumtaxat quartam partem ducati accipere » – *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 16 Decembris 1786* §. *Opposita*, §. *Communiori*, §. *Denique*.

256. Rebus sic stantibus, absque dubitatione procedit, eum ad restitutionem teneri, qui pro spirituali re, veluti dispensatio est, temporale quid accipit, S. Thom. 2 2 quaest. 100 art. 3 ad tertium, et art. 6 ad quartum. Sed quaestio est, cui et quomodo restitutio facienda sit. Thesaurus de poenis omnes Doctorum sententias colligit et opinatur, eos melius sentire, qui putarunt, aut Ecclesiae, aut Pauperibus faciendam esse restitutionem, veluti part. 2 cap. 2 n. 4, eiusdemque sententiae fuit Vener. exam. Episcop. lib 3 cap. 10 de simonia n. 21. Diligentior videtur Fagnanus in Cap. *Mandato* de simonia n. 75, ubi accurate perquirendum existimat de eo, cui debet restitutio fieri, et ubi, diligentiis adhibitis, tutum nequit haberi iudicium, concludit, aut Episcopi arbitrium in confessione petitum, aut demum Confessarii sui consilium esse exequendum. Sed ille de damno illato agit per simoniacam Paraeciae consecutionem; quod a re, de qua agitur, admodum distat. S. Thomas loc. cit. art. 6 ad tertium, agens de restitutionis modo adhibendo, dicit in summa, esse praecavendum, in quantum fieri potest, ne, qui peccaverunt, inde commodum consequantur; ideoque Ecclesiae, quae laesa est, restitutionem esse faciendam, et nisi Ecclesiae, distribuendum Pauperibus. Et optima ratio est, ne danti restituatur, quia peccati tum dantes, tum accipientes rei sunt. Sed in casu, de quo res est, dantes non peccavisse graviter videntur, cum solverint sine malitia, imo bona fide, stipendium Iudici Executori, quod cum fuerint requisiti, deberi veluti in Causis aliis putarunt Bonacina de simonia disp. 1 quaest. 3 n. 13. Itaque si restitutioni locus est, potius videtur restitutio dantibus innocuis facienda. Quia tamen magnam intercedere difficultatem supponitur perquirendi habendique tot restitutionis Creditores; idcirco ut eo, quo licet, modo restitutio fiat, seligendi Pauperes videntur, veluti in dubio concludunt omnes, et convenit S. Thomas loc. cit. n. 10. His non obstantibus, non teneri Executorem dispensationis ad acceptorum restitutionem tradit Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 35 n. 13, ex quo in Apostolicis Literis contravenienti poena tantum excommunicationis imponitur, nec verbum ullum profertur de restitutione, minusque dominii translationem fieri impeditur *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 16 Decembris 1786* §. *Ad*, §. *S. Thomas*, §. *His*.

257. Certum hinc est, Episcopum seu Vicarium Generalem nihil omnino quavis causa et ratione exigere posse in dispensationum matrimonialium executione, etiamsi immemorabilis adsit consuetudo in omnibus Regni Diaecesibus, attentis tamen peculiaribus rerum circumstantiis, locum esse absolutioni ad cautelam et condonationi eorum, quae fuerint percepta *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 20 Ianuarii 1787*.

258. Siquidem pius et religiosus satis amplae Diaecesis Vicarius Generalis seu provisor Summum Pontificem per supplicem libellum adivit eique exposuit, a quadriennio circiter, quo Generalis Vicarii in spiritualibus munere fungebatur, consuevisse in Matrimonialium dispensationum executione levia emolumenta recipere: nimirum – pro subscriptione commissionis et sigillo obulos octo; similem quantitatem ratione mandati de separando et sigilli, ratione vero sententiae

definitivae iulios duos monetae romanae-, quod in ea Diaecesi ab immemorabili erat in more positum. Imo quot erant in eo Regno Diaeceses, eamdem in omnibus consuetudinem immemorabilem servare, omnesque Vicarios Generales pro subscriptione et sigillo plus minusve accipere, non tamen munera donationes aut praemia. Eorumdem propterea ab exemplo et auctoritate Virorum pietate et doctrina illustrium adductum se fuisse, ut, quamquam intelligeret, Literis dispensationum huiusmodi Executores vetari sub excommunicationis poena munus aut praemium exigere, atque etiam sponte oblatum recipere: nec lateret, ea desuper prohibitione Doctores in varias abiisse sententias; attamen suorum Antecessorum praxim duxerit esse servandam. Quia vero, iis non obstantibus, angebatur scrupulis, et quieti vehementer exoptabat conscientiae suae consulere, ita edoceri humillime precabatur, num bene, vel secus se gesserit; et quatenus male, quid sibi incumberet pro restitutione faciendum, cum difficile admodum esset, illos omnes, a quibus minusculas eas summas exegit, rescire et reperire.

258. His igitur perpensis, propositis dubiis: - I. An liceat Vicario Generali aliquid muneris sive stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione et sigillo sive alia qualibet de causa et titulo in executione Literarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis in casu? II. An quibus et quomodo sit locus restitutioni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam et condonatione – *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 20 Ianuarii 1787.*

§. XI.

DISPENSATIO IN RADICE MATRIMONII PUTATIVI

1. Compertum est, Summum Pontificem posse dispensare in radice Matrimonii et revocare impedimentum dirimens Matrimonium et simul et semel abrogare legem ecclesiasticam, quae dictum statuit impedimentum, faciendo, ut dispensatio retrotrahatur ad initium Matrimonii, et sic quod Proles quoad omnes effectus legitima sit *in Discursu Secretarii in Causa Luceorien. Nullitatis matrimonii die 28 Martii 1722* §. *Absque eo.*

2. Siquidem Summus Pontifex filios illegitimos ubique terrarum directe legitimare potest quoad omnes spirituales effectus, sacrorum videlicet Ordinum atque Beneficiorum ecclesiasticorum, eosdemque illegitimos legitimos facere potest atque capaces successionum ceterorumque bonorum omniumque civilium effectuum, et quidem directe in Terris temporali iurisdictioni subiectis iuxta ea, quae plene colliguntur ex celebri responso Innocentii III in Cap. *Per venerabilem* qui filii sint legitimi *in Pragen. Matrimonii die 13 Ianuarii 1720* §. *Summus et die 16 Ianuarii 1723* §. *Cumque.*

3. Amplia, Summus Pontifex potest etiam ubique terrarum, et in Terris alienae iurisdictioni quoad temporalia subiectis, filios illegitimos legitimando non directe, sed indirecte capaces efficere successionum et quarumcumque rerum temporalium, concedendo videlicet dispensationem, quae dicitur in radice Matrimonii, dummodo tamen adsit magna et urgentissima causa, dummodo proles suscepta non fuerit ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative matrimoniali, in copula quippe manifeste fornicaria nulla est radix Matrimonii, in qua Papa directe dispensando legitimet indirecte et per quamdam consequentiam in ordine ad temporalia, et dummodo Matrimonium, ex quo proles legitimanda est orta, non fuerit nullum propter impedimentum iuris divini vel naturalis, sed tantum propter impedimentum legis ecclesiasticae; quemadmodum enim Summus Pontifex potest legem ecclesiasticam irritare et revocare non tantum quoad imposterum secuturos effectus, ne incurratur, sed etiam quoad effectus antea productos, iuxta Textum

in Clementina *Quoniam* de immunitate Ecclesiae, sic dispensando in radice Matrimonii et revocando impedimentum dirimens Matrimonium, et simul et semel abrogando legem ecclesiasticam, quae dictum statuit impedimentum, facit, ut dispensatio retrotrahatur ad initium Matrimonii, et sic quod Proles quoad omnes effectus, et sic quoad effectus civiles indirecte legitima sit et habeatur, uti communiter docent Canonistae in Cap. *Per venerabilem,* ubi Ioannes Andreas n. 26 Abbas n. 22, Alexander de Nevo n. 18, Gonzalez n. 23, Barbosa n. 6 qui filii sint legitimi, et ad eumdem titulum Decretalium prosequuntur Piringh §. 6 n. 42, Anaclet. §. 2 n. 51, Navarr. consil. 2 lib. 4, plenissime Barbosa in voto decisivo 27 per totum lib. 2, Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 7 n. 4, Castill. tom. 5 controv. cap. 105 et praecipue 28, Diana in edit. coordin. tom. 3 tract. 1 resol. 87 per totum, Peregrin. de fideicom. art. 24 n. 76, Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 3 n. 46, De Iustis de dispens. matrim. lib. 1 cap. 7 n. 284, fuitque perpetua opinio Rotae, uti habetur ex decisionibus in Causa Pampilonen. Illegitimitatis 5 decembris 1608 et 10 iunii 1609 coram Iusto, impressis apud Garciam de Benef. part. 7 cap. 2 a n. 40, decis. 1121 coram Seraphino, decis. 462 lib. 2 in correctis coram Puteo, decis. 19 per totum coram Ludovisio, decis. 174 post secundum volumen consiliorum Farinacci, et plenissime in Recent. decis. 455 part. 1, decis. 687 part. 2 *in Pragen. Matrimonii die 13 Iulii 1720* §. *Potest, et die 16 Ianuarii 1723* §. *Concurrentibus.*

Item *in Ipren. Visitationis sacrorum Liminum die 17 Augusti 1737* §. *Et sane; in Dissertatione Secretarii anno 1740 litt. A* §. *Et.*

4. Qua de re assertio Additionatoris ad Navarrum citato consilio 2 lib. 4, ubi refert, Summum Pontificem Gregorium XIII consimilem dispensationem concedere noluisse, et etiam addidisse, se non posse dictam concedere dispensationem, vel intelligenda est et explicanda, ut Pontifex dicere voluerit, se dictas dispensationes concedere non posse, nisi magna urgente causa, uti eius dictum explicando aiunt Diana loco citato n. 6, et Barbosa in allegato voto 27 n. 31, vel de manifesta redarguatur falsitate, cum constet, Gregorium XIII dispensationes concessisse in radice Matrimonii, ita ut memoratae Rotae decis. 455 Recent. part. 1 et altera hoc est 687 Recent. part. 2 prodierint in casu consimilis dispensationis a dicto Pontifice concessae *in Pragen. Matrimonii die 3 Iulii 1720* §. *Ita.*

5. Nefas enim est dubitare de Summi Pontificis potestate super dispensatione in radice Matrimonii; quando enim Proles nata est non ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative matrimoniali, et Matrimonium non fuit nullum propter impedimentum Iuris divini aut naturalis, sed propter impedimentum Iuris ecclesiastici, Summus Pontifex abrogando in casu particulari legem ecclesiasticam, quae impedimentum induxit, nedum potest eam irritare et revocare, quoad effectus imposterum secuturos, sed etiam quoad effectus antea secutos, iuxta Textum in Clementina *Quoniam* de immunitate Ecclesiarum *in Florentina seu Lucana die 28 Septembris 1726* §. *Et in eo.*

6. Nec ulla consensus renovatio necessaria censetur ac est: nam si Oratores nullitatem Matrimonii Summo Pontifici exposuerint atque addiderint, se non posse in dicto Matrimonio remanere absque Sedis Apostolicae dispensatione, et gravia scandala esse oritura casu, quo divortium fieret inter ipsos, et Summus Pontifex eorum petitionibus annuendo absolverit a poenis et insimul post contractum inter ipsos de novo publice Matrimonium, servata forma Concilii, benigne indulserit, ut in eo postmodum remanere libere et licite possent, ac demum Prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam decreverit, contextus hic patefacit, dispensationem concessam fuisse in radice Matrimonii, uti ponderatis praedictis circumstantiis et signanter legitimationis Prolis tam susceptae, quam exinde suscipiendae, ad rem firmant Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 3 a n. 46 ad 56, De Iustis de disp. lib. 1 cap. 7 n. 285, Rota in Recent. decis. 455 n. 12, decis. 687 a n. 14 part. 2, et decis. 273 a n. 16 part. 6, non obstante novo consensu iterando coram Parocho et Testibus, servata forma Concilii, cum ex hoc non possit inferri, quod Papa noluerit concedere dispensationem in radice Matrimonii, dicendum siquidem est,

quod primum Matrimonium contractum convalidavit, sed cum conditione novae solemnizationis, servata forma Concilii, pro evitando scandalo, quod possit oriri inter ignorantes, primum Matrimonium de facto contractum fuisse, et videntes publicam supplicantium cohabitationem, uti prosequitur Rota in citata decis. 687 part. 2 Recent. n. 20, et decis. 273 n. 12 et 13 part. 6 *in Florentina seu Lucana die 28 Septembris 1726* §. *In eoque.*

7. Unde his in terminis licet Pontifex non revalidasse videatur primum Matrimonium nulliter contractum, cum in dispensatione tantum concesserit, quod Oratores in illo permanere posset, post illud vero de novo celebratum, ita ut ratio non fuerit *ex tunc,* sed *ex nunc,* haud dubitandum esse tamen videtur de Pontificis voluntate in huiusmodi casu, ubi, supposita dispensatione in radice, validitas Matrimonii non est desumenda *ex nunc,* hoc est a consensu post dispensationem iterato coram Parocho et Testibus, sed *ex tunc,* hoc est a tempore primi Matrimonii nulliter ante dispensationem contracti, ex quo deinde inferunt Doctores, quod Proles, quae ex hoc nata est Matrimonio, etiamsi nata sit ante dispensationem, pro legitima habenda est usque a tempore conceptionis iuxta ea, quae habentur apud Barbosam voto 27 n. 20 lib. 2 *in Florentina seu Lucana die 28 Septembris 1726* §. *Et* §. *Excipit.*

8. Qua de re cum in una Hollandiae Matrimoniorum proposito dubio: – An in Provinciis Belgii confoederatis valeant Matrimonia Catholicorum cum Etherodoxis contracta coram Magistratu haeretico, non obstante Decreto Concilii de solemnitatibus Matrimonii in illis Provinciis publicato et recepto? –, Sacra Congregatio die 23 augusti 1681 sese abstinens ab explicita declaratione nullitatis dictorum Matrimoniorum rescripserit: – Ad mentem cum Sanctissimo, scilicet, si esset respondendum dubio, esset respondendum, Negative –, ut in lib. 31 Decretorum pag. 459; et in Buscoducen. Matrimonii propositis dubiis: – I. An si quis, dum erat haereticus, Matrimonium contraxit coram Magistratu vel Ministro haeretico, et postea convertatur ad fidem catholicam, requiratur ad validitatem huiusmodi Matrimonii novus consensus utriusque Coniugis, vel conversi tantum? II. An quatenus huiusmodi novus consensus praestari commode nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in huiusmodi Matrimonio possit Conversus licite perseverare? –, die 3 februarii 1683 prodierit Rescriptum: – Ad mentem –, eaque in hunc modum explicata reperitur: – Mens est, quod servetur id, quod fuit observatum in simili casu a Sacra Congregatione Concilii in una Hollandiae Matrimoniorum 23 augusti 1681 –, ut in lib. 33 Decretorum pag. 52; hinc Emus Card. Petra in Comment. ad Constit. 12 Ioannis XXII n. 24 et 25 ex mente Sacrae Congregationis haec docet: – Sacra Congregatio Concilii respondit, Secretario cum Sanctissimo ad mentem, quae erat, quod, si respondendum esset ad dubium, dicendum esset, Matrimonia non valere, attamen animadversum fuit, id non expedire, quia potius deberet permitti, in eorum bona fide permanere, quam tot periculis exponere Catholicos; verum, ut notatum vidi in quodam voto Cardinalis Casanate, scriptum fuit Internuntio, ut mandet Vicario Apostolico, ne audeat Missionariis prohibere, ne talia Matrimonia contrahant; sane aliud est tolerari, aliud, quod contrahentes induci non valeant a Missionariis ad verum Matrimonium contrahendum, quod ultimum falsum certe est, et modis placidioribus curandum quoad contracta, et insistendum quoad contrahenda. Etenim dubio procul est, huiusmodi Matrimonia coram Scabinis seu Ministris haereticis celebrata nulla esse, ob formam Concilii non servatam. Nihilominus cum solemnitas Matrimonii sit iuris positivi, ac agatur de locis, in quibus Haeretici gravissimis poenis afficiunt eos, qui praetendunt nullum Matrimonium contractum coram Ministro haeretico; ad maius malum evitandum, et ob Catholicorum favorem expedit potius tolerare huiusmodi Matrimonia, praesertim quia, ut asserebatur in citata Buscoducen., si Coniux conversus praetenderet nullitatem primi contractus, gravi poena afficeretur ab Haereticis tamquam violator eorum legis, neque Coniux haereticus permitteret praestari novum consensum; unde merito petebatur, quod Pontifex indulgere dignaretur, licere Conversis continuare in

Matrimonio contracto coram Ministro haeretico, etiam sine novo consensu, quoties iste commode praestari non posset – *in Ipren. Visitationis sacrorum Liminum die 17 Augusti 1737* §. *Attamen*, §. *Coniuges*.

9. Itaque Catholici vel recens ad fidem conversi, si, dubitantes de valore Matrimonii in haeresi coram Ministro haeretico contracti, Pastores vel Confessarios suos consulant, num sibi licitum sit in eo Coniugio sic inito permanere, inducendi omnino sunt, ut caute coram Parocho catholico consensum renovent, ac ita Matrimonium revalident. Quod si tuto et commode id fieri nequeat, non desunt Doctores, qui putant, eis licere in usu Matrimonii iam initi, non renovato consensu coram Parocho catholico, perseverare, arbitrantes, hanc opinionem veluti probabilem admitti posse, non obstante propositione ab Innocentio XI proscripta in ordine prima, quae de Sacramentis administrandis vel conficiendis et respective de Matrimonio contrahendo, non autem de iam celebrato loquitur, quemadmodum prae ceteris tradit La Croix Theol. moral. lib. 6 part. 3 de matrim. n. 177. Alii vero censent praestare, ut, Summus Pontifex suprema sua auctoritate Coniugibus conversis indulgeat, in Matrimonio celebrato coram Ministro haeretico, etiam dicto consensu non iterato, permanere, secundum ea, quae ad rem notant Laym. lib. 4 tract. 10 part. 2 cap. 2, Dicastill. de Sacram. tom. 3 tract. 10 disp. 3 dub. n. 7, Tenner. tom. 4 disp. 8 quaest. 3 dub. 9 *in Ipren. Visitationis sacrorum Liminum die 17 Augusti 1737* §. *Coniuges*.

10. His igitur in facto et in iure positis, quum probe non constaret, quod Matrimonium esset putativum, sed potius Uxor habita fuerit tamquam concubina, Sacra Congregatio primum edixit, ut coadiuventur probationes, ac dein his haud claris allatis, Sacra Congregatio renuit praestare consilium Summo Pontifici pro concessione dispensationis in radice Matrimonii, demum vero etiam post obitum Viri probationibus satis luculentis deductis, quod Matrimonium reapse esset putativum, praefata Sacra Congregatio, praevio recessu a decisis, censuit, consulendum Sanctissimo pro dispensatione in radice Matrimonii, quin ulla novi consensus praestatio necessaria censeretur *in Pragen. Matrimonii die 13 Iulii 1720 die 16 Ianuarii et die 18 Septembris 1723*.

11. Siquidem Guillelmus Ieroslaus Graisfelfens de Pilsemburg Baro seu Dominus Loci Tman s. m. Clementi XI in supplici libello humiliter exposuit, se ante annos circiter quadraginta Matrimonium cum Ludmilla honesta puella contraxisse, non tamen coram Parocho, sed coram Sacerdote extraneo, ac absque ulla fraude vel dolo, eo quod Territorium contrahentium tunc temporis proprium Parochum non habebat, sed Incolis Sacramenta administrabantur ab advenis seu extraneis Sacerdotibus, se ex dicto putativo Matrimonio tres filios habuisse superstites, Ioannem videlicet Carolum et Rodolphum, qui semper tamquam legitimi fuerunt reputati, se in senectute iam constitutum exoptare eosdem sibi scribere heredes, sed id facere non posse, obstantibus videlicet legibus Regni Bohemiae, iuxta quas illegitimi a successionibus arcentur, licet per subsequens Matrimonium essent legitimati, concludendo quod si de Summi Pontificis potestate in concedendis dispensationibus in radice Matrimonii dubitari non potest, si eidem est locus, quando agitur de Matrimonio nullo propter impedimentum iuris ecclesiastici, quale est illud defectu praesentiae Parochi, si demum consimilis indulgetur dispensatio, concurrente gravissima causa, qualis erat illa, de qua tunc agebatur, utpote praecipue consistenti in bono filiorum, qui alias paternis bonis remanerent privati et tamquam ignobiles traducerentur, licet hucusque inter Nobiles et Equites fuerint recensiti, et multo magis cum alter ex illis iam Matrimonium contraxerit cum femina nobilis conditionis, et ex qua liberos habuit, et cum per consequens iurgia essent inevitabilia, nec non cum eius parentibus et consanguineis, si ille ignobilis et infamis detegeretur, concludendo quippe, se, concurrentibus dictis circumstantiis, iure merito sperare posse a Sanctitate Sua dispensationis gratiam in radice Matrimonii. Absque eo quod in hac dispensatione intercedere deberet novus contrahentium consensus, aut quia ex hac nova consensus praestatione, Ludmilla, quae eo usque habita fuerat pro Coniuge legitima, sui honoris detrimentum pateretur, aut quia licet in hac

facti specie renovatio expressa aut tacita consensus a nonnullis reputetur necessaria iuxta ea, quae habetur apud Sanchez de matrim. lib. 8 n. 25, verior nihilominus est opinio in Curia recepta, nullam consensus renovationem esse in hisce circumstantiis necessariam, uti firmat Barbosa in voto decisivo 27 n. 14 lib. 2, et late habetur apud Rotam in Recent. decis. 455 n. 11 part. 1.

12. Archiepiscopus Pragensis pro informatione requisitus retulit, Oratorem nunquam de facto Matrimonium contraxisse coram Sacerdote, cum eius nomen non patefaceret, nec Testes nominaret, qui Matrimonio interfuerunt, et quod Ludmilla semper fuit habita pro eius Concubina, ita ut saepius fuerit admonitus de eadem dimittenda, quo stante, alterum ex requisitis deficeret pro concedenda dispensatione in radice Matrimonii iuxta ea, quae in superioribus dicta sunt, necessarium existimatum fuit Ordinarii informationem Defensoribus Guillelmi communicare. Cumque ab iisdem diceretur; primo, quod Matrimonii celebratio coram Sacerdote facta comprobaretur ex statu, in quo locus Tman tunc reperiebatur, quum in eo non adesset Parochus particularis, nec non ex solemni iuramento coram libro Evangeliorum aliisque intercedentibus solemnitatibus praestito a Guillelmo et a Ludmilla, et quod plures adessent attestationes de publica voce et fama circa creditam ab omnibus legitimitatem filiorum; secundo, quod imperceptibile esset, quod filii nati habiti fuissent pro Equitibus et Nobilibus, et quod alter eorum nobilem Uxorem duxisset, si praedictum Matrimonium non praecessisset; et tertio, quod aliud est fornicatio quoad forum conscientiae, et aliud quoad finem et effectum, de quo agebatur; in foro enim conscientiae Concubinarii sunt illi, qui Matrimonium contraxerunt et in eodem permanent cum aliquo impedimento impediente et dirimente, quando ad effectum, de quo agebatur, satis erat, quod Matrimonium fuerit de facto contractum, et quod intercesserit affectus maritalis una cum consensu naturali, etiamsi adsit impedimentum iuris ecclesiastici, ut docet Ioannes Andreas in Cap. *Per venerabilem* n. 20 qui filii sint legitimi, et sequitur Rota in Pampilonen. Illegitimitatis 10 iunii 1609 §. Nec obstat coram Iusto, impressa apud Garciam de Benef. part. 7 Cap. 2 n. 40, et in Recent. decis. 455 n. 9 part. 1.

13. His stantibus, proposito dubio: – An sit Sanctissimo consilium praestandum pro concessione dispensationis in radice Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructionem – *in Pragen. Matrimonii die 13 Iulii 1720.*

14 Cohaerenter ad hoc responsum edita fuit instructio in hoc consistens, quod examinarentur formiter Testes deponentes, quod filii habiti semper fuerint pro legitimis, et quod alter ex eis Matrimonium contraxit cum nobili Muliere, item quod coadiuvarentur, si possibile esset, per Testes formiter examinandos, vel per alia documenta, probationes de Matrimonio coram Sacerdote contracto; rursus quod simili modo ostenderetur, Guillelmum et Ludmillam se tractasse tamquam veros Coniuges, et uti tales habitos fuisse saltem in initio Matrimonii, et quia in informatione Archiepiscopali dictum fuerat, trasmissa fuisse praecepta ad Oratores de se ad invicem separando, vel de contrahendo Matrimonio, nec non mentio habita fuerat cuiusdam Brevis S. Poenitentiariae, dictum fuit, quod copiae praeceptorum et Brevis transmitterentur. Cumque in obsequium Rescripti Sacrae Congregationis in scriptura per manus circumferenda exhiberetur epistola Iudicis delegati, exhiberentur Testes formiter examinati, exhiberetur repetitum iuramentum Guillelmi iam decrepiti et morti proximi, absque eo quod novum iuramentum fuerit emissum a Ludmilla, utpote a loco absente, exhibita fuerint praecepta episcopalia, quae utpote facta annis 1701 et 1702, non obstare dicebantur, cum Matrimonium ante quadraginta annos initum fuisset, et iuxta instructionem attendendum supponeretur tempus initi Matrimonii, an tunc videlicet Oratores habiti fuerint pro legitimis Coniugibus, non exhiberetur Breve S. Poenitentiariae, cum dicti Tribunalis Brevia, quoad legitimationem Prolis, prosint tantummodo in foro conscientiae, et post factam Legitimationem lacerentur, iuxta Constitutionem 12 §. 48 in parvo Bullario Innocentii XII, onus hinc erat EE. PP. decernere: – An sit Sanctissimo consilium

praestandum pro concessione dispensationis in radice Matrimonii in casu etc. –, responsum itaque prodiit: – Negative – *in Pragen. Matrimonii die 16 Ianuarii 1723.*

15. Occasione novae propositionis instantiae fuit ab altero ex EE. PP. insinuatum, non parum esse petitioni profuturum, si notitia haberi posset de genere vitae Guillelmi et Ludmillae, de frequentia Sacramentorum, cum imperceptibile videretur, quod iidem christiane vixerint et Sacramenta frequentaverint, et inter eos non praecesserit Matrimonium putative validum, concessaque nova audientia, cum novae probationes advenerint de laudabili vita Guillelmi et Ludmillae, de Sacramentorum frequentia, de communi fama Coniugii inter eosdem initi, quodque notabilius erat, cum Guillelmus, qui hoc interim vitam cum morte commutavit, nedum in testamento filios scripserit heredes, et eos asseruerit legitime procreatos, ex quo ante quadraginta annos cum Ludmilla Matrimonium contraxit coram Sacerdote in Ecclesia loci Tman, aeternam sibi imprecando damnationem, si aliter res se haberet, sed ulterius post peractam confessionem sacramentalem et paucis ante obitum horis coram Parocho et aliis probatis Testibus adstantibus, et Matrimonium bona fide cum Ludmilla coram Sacerdote contractum, et tempus initi Matrimonii, ante videlicet annos quadraginta, solemniter repetierit, uti Parochus aliique Testes deponebant, quod si aliter esset, – sua anima salutem consequi non deberet –, instantia reproponebatur; dispensatio enim in radice Matrimonii conceditur etiam post mortem alterius ex Coniugibus, uti late probat Barbosa in voto decisivo 27 n. 15 lib. 2, et firmavit Rota in Recent. decis. 455 n. 11 part. 1.

16. His igitur perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis 16 ianuarii 1723 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione in radice Matrimonii – *in Pragen. Matrimonii die 18 Septembris 1723.*

17. Quod si Coniuges ex longa annorum consuetudine filios procreaverint, ac inde Matrimonium clandestine et coniuncti in quarto consanguinitatis gradu contrahere attentaverint, Sacra Congregatio declaravit, haud esse locum dispensationi Matrimonii in radice post obitum Viri *in Bracharen. Dispensationis Matrimonii die 20 Maii 1747.*

18. Iamvero ex longa triginta annorum consuetudine, quam Ioannes Carnero de Azevedo habuit cum Clara Theresia de Almeyda, qua cum quarto consanguinitatis gradu iungebatur, tres suscepisse filios ferebatur, Ioannem Aloisium et Hyacintham. Ioannem natu maiorem legitimari curavit Pater anno 1710 a Collegio Archivi, et rursus anno 1712 Rescripto Serenissimi Regis, Aloisium pariter legitimari curavit ab eodem Collegio Archivi Urbis, et in literis utriusque legitimationis datis a Collegio Archivi solita adiecta fuit formula – absque praeiudicio venientium ab intestato vel fideicommisso –. Gravi tandem correptus morbo, Ioannes Carnero Pater naturalis anno 1731 in animum induxit Matrimonium cum sua Clara Theresia contrahere: at cum eo tempore dissidia essent inter Aulam Romanam et Lusitanam, non potuit dispensationem Apostolicam impetrare. Postulavit igitur a Capitulo Bracharensi, quod, Sede Archiepiscopali vacante, iurisdictionem exercebat, dispensationem a denunciationibus, atque ab eodem impedimento; sed negavit Capitulum. Ioannes itaque cum nullum aliud pateret diffugium, coram Parocho, qui ad ministrandum extremae unctionis Sacramentum accesserat, Matrimonium ipsa contraxit cum eadem Clara, fugiente Parocho, metu atque horrore perculsus, et Ioannes paucos post dies testamentum scripsit, quo filios hosce suos, quos ex Clara Theresia susceperat, universales instituit heredes.

19. Hi filii ex testati causa possessionem nacti sunt non bonorum tantum liberorum, sed et eorum, quae iuris erant emphyteutici, quae vocabant *Prazos,* et quorum aliqua venerant in Testatorem ex hereditate Sacerdotis Ioannis Carnero, qui institutis heredibus tribus filiis fratris sui, quos inter erat Testator, eos invicem substituerat, si sine filiis legitimis et naturalibus aliquis eorum decessisset, sed etiam possessionem nacti sunt aliorum bonorum, quae subiecta erant fideicommissis aliis, seu ut vocabant vinculis; ideoque Antonius de Sá Carneyro duo movit instituit-

que contra hos filios et possessores iudicia. Primum nullitatis Matrimonii a Ioanne contracti cum Clara Theresia, et post quatuor sententias, re tandem iudicata, declarata fuit eiusdem Matrimonii nullitas, eaque re iudicata iidem filii post matris obitum usi sunt: alterum immissionis ad bona subiecta fideicommissis seu vinculis, et pariter post longam litem et quatuor sententias obtinuit immissionem, et eorum possessionem accepit. His itaque confectis, iidem filii et heredes instituti preces obtulerunt Summo Pontifici, ut dispensationem indulgeret in radice Matrimonii ab eorum Patre nulliter contracti ante obitum, ut ita declarari possent legitimi ab initio.

20. Perpensis autem iuribus in medium deductis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro concessione dispensationis Matrimonii in radice in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Bracharen. Dispensationis Matrimonii die 20 Maii 1747.*

21. Certum hinc etiam est, dispensationes in radice Matrimonii, nonnisi urgentibus gravissimis causis, et quidem raro, concedi consuevisse a Summis Pontificibus, Barbosa in voto decisivo 27 n. 31 lib. 2, Diana in edit. coord. tom. 3 tract. prim. resolut. 87 n. 6 *in Discursu Secretarii die 28 Martii 1722* §. *Absque eo.*

22. Quum autem dubium extet, an Parochus Nosocomii sit revera Parochus proprius Alumnorum, Sacra Congregatio sanationem ad cautelam in radice quoad omnia Matrimonia coram eo inita, cum declaratione legitimitatis Prolis, indulget *in Florentina Brephotrophii quoad Matrimonia die 17 Septembris 1842.*

23. Enimvero Infantibus iuvandis, quos Parentes misere abiecissent, institutum extabat Florentiae pium Nosocomium usque ab anno 1421, quod ab Ordinarii iurisdictione exemptum ac S. Sedi immediate subiectum Apostolico Diplomate effecit s. m. Nicolaus V decimo kalendas iulias anno 1454. Usque ad annum 1748 praefuit Brephotrophio ecclesiasticus Rector, qui Parochi etiam munia gessit quoad Matrimonia Puellarum ad illud spectantium. Ab hoc tempore factum est, ut Laicus praepositus fuerit pii operis regimini; quare Matrimonia praedicta ita inita sunt per multos annos, ut iis adstiterit Sacerdos Capellani Curati nomine in ipso Nosocomio auctus cum delegatione Episcopi, quatenus opus esset, in singulas vices. Tandem sub anno 1810, ipsis postulantibus piae Domus Praesidibus, Nosocomii Ecclesia effecta est ab Archiepiscopo Parochialis; atque ab ea aetate eiusdem Parochi perpendentes, quod dictum Nosocomium ius patriae potestatis quoad plura Matrimonia similiter contracta exerceret, illudque semper promptum ac apertum, uti eorumdem domicilium, existeret, usque in praesens ipsorum Matrimoniis independenter a delegatione Parochorum et Ordinariorum postremi domicilii interesse censuerunt. Hinc dubium exortum est, an Matrimonia sic inita valida essent. Idcirco Archiepiscopus censuit proponere Sacrae Congregationi sanationem in radice quoad omnia Matrimonia eousque contracta. Proposito itaque dubio: – I. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro sanatione quoad Matrimonia inita in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad cautelam pro sanatione in radice cum declaratione legitimitatis Prolis, et facta adnotatione tam in libris Cancellariae Archiepiscopalis, quam Brephotrophii – *in Florentina Brephotrophii quoad Matrimonia die 17 Septembris 1842.*

24. Unde rursus eamdem sanationem in radice quoad plura Matrimonia similiter contracta indulsit Sacra Congregatio, cum eaedem ferme circumstantiae et rationum momenta concurrerent *in Ianuen. Brephotrophii quoad Matrimonia die 5 Iulii et die 22 Novembris 1856.*

25. Siquidem extabat in Civitate Genuensi Conservatorium nuncupatum a S. Martha adnexum Hospitali maiori *vulgo di Pamatone* intra limites Paraeciae S. Stephani et eiusdem Hospitalis Administratoribus subiectum, in quo usque ab 1723 Infantes expositi utriusque sexus recipiebantur. Anno 1853 ex Deputationis Hospitalis consilio Conservatorium Expositorum translatum est ad alterum Hospitium, quod vocabant del *Chiappeto* situm intra fines Paraeciae S. Martini *di Albaro,* quae mille circiter passibus a Genuensi Civitate distabat. Ab immemorabili haec in more erant. Ex quatuor millibus cir-

citer Infantibus expositis, qui quotannis in Hospitio recipiebantur, aliqui ibi a Nutricibus alebantur, dum reliqui omnes tradebantur aliis Nutricibus per Genuensem et circumpositas Diaeceses dispersis, data eisdem congrua pensione pro alimoniis et educatione usque ad determinatum tempus, et regulariter usque ad duodecimum Expositorum annum, qua aetate praetergressa, mares sibi liberi relinquebantur, ut valerent consistere ubicumque voluerint, feminae vero non relinquebantur, nisi penes educatores, vel in famulatu penes alias bene moratas personas, ex iudicio Praesidis et Administratorum Hospitalis eiusdem ita tamen, ut possent quocumque tempore et ipsae ad Hospitium reverti et ab Administratoribus ad ipsum revocari, quousque Matrimonium non contraxerint, cuius occasione etiam illae, quae extra Paraeciam S. Stephani, imo et extra Diaecesim ab infantia sunt commoratae, ad dictum Hospitium tamquam ad propriam domum accedebant, et coram Parocho praedicto S. Stephani, in cuius territorio usque ad ea postrema tempora situm fuit Hospitium, Matrimonium contrahebant, ut dotem sibi ab Administratoribus dari solitam assequerentur. Iampridem ortum fuerat dubium, an Parochus S. Stephani posset licite vel saltem valide assistere Matrimoniis Puellarum expositarum, quae extra suam Paraeciam per tale fuerant tempus commoratae, ut nullum amplius servarent in ea domicilium habitationis. Idem dubium subinde promotum fuit a nonnullis circumstantium Diaecesum Episcopis, in quibus plures ex dictis Puellis apud earum Nutrices vel Educatores degebant. Quippe ii Praesules non aliter dictarum Puellarum Matrimonia admittebant, quam si contracta fuissent coram propriis Parochis, vel ex legitima delegatione coram praedicto Parocho Sancti Stephani, cum Hospitium et idem Parochus nullum haberent S. Sedis privilegium, nulliusque roboris censerent consuetudinem contra censuram S. Concilii Tridentini in sess. 24 cap. 1 de reformatione Matrimonii invectam.

26. Quibus cognitis ad cautelam in re tanti momenti morem gerere maluit Genuensis Curia, et usque ab anno 1845 eorumdem Episcoporum delegationes admittere ac expostulare cepit, et Parocho S. Stephani non uti Ordinario, sed uti delegato Sponsos in Matrimonium coniungendi licentiam tribuere assuevit. Attamen idem Parochus huiusmodi delegationem acceptare constanter renuit, obfirmate asseverans, sibi ius esse ex proprio officio similibus Matrimoniis assistendi, ac ideo emissa penes Curiam protestatione, ad S. Congregationem, tum proprio, tum Hospitii Administratorum nomine, recursum anno 1847 proposuit. Subinde eodem ferme tempore a Parochis Diaecesis Derthonensis querelae allatae sunt contra huiusmodi Parochi S. Stephani agendi rationem, occasione praesertim unius alteriusve Matrimonii a Puellis expositis in dicta Diaecesi commorantibus contracti. Quaestio tamen ob illas temporum vicissitudines siluit, revixit dein occasione Matrimonii Puellae olim expositae in Hospitio S. Marthae, ac postea a pluribus annis in Paraecia S. Mariae Magdalenae in ipsa Civitate Genuensi commorantis. Contendi etiam cepit inter Parochum S. Martini, in cuius Paraecia situm erat Hospitium *del Chiappeto,* et eumdem Parochum S. Stephani, qui, non obstante translatione, contendit, se proprium esse Puellarum expositarum Parochum, ac reapse alterius Puellae Matrimonio post translocationem adsistere non dubitavit. Ipse namque sustinuit, Puellas expositas subesse patriae potestati Administratorum Hospitii, cum ipsae quovis tempore ius haberent ab Hospitio petendi alimenta habitationem et dotem, adeoque iisdem, si decederent absque descendentibus et ab intestato, succedebat Hospitium ex Regia lege diei 16 aprilis 1839. Accedebat consuetudo et stylus nunquam interruptus, licet contra usque ab anno 1692 protestationes non defuerint; imo praxis huiusmodi diserte probata videbatur a Vicario Generali Curiae Genuensis et a Gongregatione Parochorum Genuensis Civitatis, qui septem supra triginta numerabantur. Unde Decretum Cap. 1 sess. 24 Concilii Tridentini publicatum fuisse videbatur cum restrictione ad Puellas expositas extra ipsam Paraeciam commorantes, cum Hospitium anno 1423 ante dictum Concilium fuisset erectum. Ast huiusmodi rationes non omnem submovere dubitationem iam anno 1847 perpendebat in sua relatione Archiepiscopus Genuensis, cum res esset contra dispositionem Concilii Triden-

tini. Plura etiam contra praedictum Parochum S. Stephani deduxerunt Parochus S. Mariae Magdalenae et Parochus S. Martini.

27. His interim perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo providendum sit quoad Matrimonia hucusque inita in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et exquiratur sententia Archiepiscopi, utrum expediat extendere ad casum, de quo agitur, provisionem in Causa Florentina diei 17 septembris 1842 – *in Ianuen. Brephotrophii quoad Matrimonia die 5 Iulii 1856.*

28. Archiepiscopus Genuensis censuit, Causam Hospitii Florentini eamdem fere esse, multaque habere quidem adiuncta Causae Brephotrophii Genuensis similia, sed in aliquibus differre, et ad normam Iuris communis et Codicis approbari non posse patriam potestatem, quam Hospitium Genuae in Expositas habere posse atque exercere sibi licitum putabat. Administratores dicti Hospitii declarasse addidit, se paratos esse consuetam dotem eis retribuere, quamvis Matrimonium contraherent coram Parocho domicilii, dummodo prius consensum Administratorum obtinuerint. Demum magis regularitati consonum et valde conveniens dixit, ut ius adsistendi Matrimoniis huiusmodi Parocho domicilii Sponsae non denegaretur. Declaravit tamen, Matrimonia iam inita sananda esse in radice. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio, postquam statuit, ius assistendi Matrimoniis spectare in posterum ad Parochum domicilii vel quasi domicilii, respondit: – Ad secundum, consulendum esse Sanctissimo ad cautelam pro sanatione in radice, cum declaratione legitimitatis Prolis, et facta adnotatione tam in libris Cancellariae Archiepiscopalis, quam Brephotrophii - *in Ianuen. Brephotrophii quoad Matrimonia die 22 Novembris 1856.*

§. XII.

DISPENSATIO A MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

1. Nulla de Summi Pontificis potestate in dispensando super Matrimonio rato et non consummato est in foro et in praxi disputatio *in Frisingen. die 7 Maii 1718* §. *De.*

Item *in Mediolanen. Matrimonii die 4 Decembris 1728* §. *Quo; in Barchinonen. Matrimonii die 22 Maii 1734* §. *De; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Mulieris.*

2. Certa enim est Summi Pontificis potestas in dissolvendo Matrimonio rato et non consummato *in Eystetten. die 28 Iulii 1724* §. *Quoad.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 23 Aprilis 1768* §. *Ambigi; in Nicien. seu Turritana Matrimonii die 11 Martii 1786* §. *Primum; in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 26 Aprilis 1788* §. *Quatenus; in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Inficiari; in Angren. Matrimonii die 6 Februarii 1847* §. *Nuptiarum; in Voto Canonistae in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Evangelicum.*

3. Imo ex principio a Benedicto XIV laudato in lib.9 de Synod. Diaeces. cap.2, quod habet Veracrux in spec. Synod. part. 2 n. 27 – de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii est; esset enim Christo quasi exprobare, quod non satis Ecclesiae suae providisset – *in Voto Theologi in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Denique.*

4. Evangelicum enim praeceptum: - Quod Deus coniunxit, Homo non separet -, Matrimonium respicit consummatum, per quod una Coniuges fiunt caro, non item ratum, cuius imperfecta est firmitas, ita ut – aliqua ratione possit dissolvi –, ut ait Iuvenin. de Sacram. part. 2 dissert. 10 quaest. 4 cap. 2 art. 3 §. 1. Idque definivit Congregatio a Clemente VIII deputata, quam referunt Pignatell. consult. 148 n. 1 tom. 1, et Spondan. in annal. eccles. ad annum 1594 n. 4; probantque Larr.

de Sacrament. disp.16 art. 12 §.2 n. 245 tom. 3, Schimier. in Iurispr. can. lib. 4 tract. 2 cap. 1 sect. 1, Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 14, Perez eod. tract. disp. 20 sect. 7, Schmalzgrueber in ius can. part. 4 tit. 19 n. 43, Corrad. in prax. disp. lib. 8 cap. 9 n. 34, De Iust. de disp. Matrim. lib. 2 cap. 10 n. 13 *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Inficiari.*

Item *in Voto Canonistae in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Evangelicum.*

5. Ad concedendam vero dispensationem a Matrimonio rato et non consummato, duo requiruntur, nimirum certa non consummatio Matrimonii, et iusta causa *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Duo.*

Item *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Quae; in Neapolitana Dispensationis die 27 Iulii 1822* §. *In; in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Duo; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *In; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Mulieris; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Quae; in Angren. Matrimonii die 6 Februarii 1847* §. *Nuptiarum; in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1858* §. *Itaque* (1).

6. Idcirco quum Curia Episcopalis, reclamante Muliere contra Viri impotentiam, primum peracta Peritorum inspectione demandaverit triennalis cohabitationis experimentum, ac dein vix anni curriculo emenso ob ingenuam eiusdem Viri confessionem nullitatem Matrimonii definiverit, unde Mulier ad alia vota transiit, sed mox dictus Vir ob superventam virilem potentiam petierit dispensationem ad cautelam, ut potius, quam uri, nubere posset, quin praefata Mulier obsisteret, Sacra Congregatio ante omnia mandavit, ut melior informatio haberetur acta nullitatis Matrimonii transmitterentur ac proponeretur Causa, citata Muliere *in Constantien. Dispensationis die 8 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum.*

7. Enimvero — exoriente anno 1697 denupsit Maria Francisca Gintherin Lazaro Victori Weyssenfeger Friburgensi aetatis annorum viginti circiter, sibique in tertio consanguinitatis gradu coniuncto, praevia Pontificia dispensatione. Nonnullis vero transactis hebdomadis, iam dicta Mulier enixe promovere cepit nullitatem huiusce Matrimonii ob Lazari assertam frigiditatem, demandataque Peritorum inspectione, cum integer potensque idem Vir ad nuptiale opus renunciatus fuisset, a Curia Episcopali Constantiensi triennalis cohabitationis experimentum, etiam sub censurarum interminatione, assertis Iugalibus demandatum fuit. At vix anni curriculo emenso, iterum Maria Francisca in iudicio sistitit exaggerans, necdum carnaliter simul commisceri potuisse, exindeque perspecta praememorati Viri ingenua confessione, quod irrito conatu non semel tentasset Matrimonii consummationem, in eadem Curia definitive fuit pronunciatum super asserta Matrimonii nullitate cum declaratione, quod liberum actrici esset cum altero sibi beneviso Coniugii foedus inire. Porro ab huiusmodi sententia saepedictus Lazarus appellationem interposuit ad Helveticae Nuntiaturae Tribunal, quam tamen cum prosequi neglexisset, eadem Mulier ad alias nuptias convolavit, iisque dissolutis per obitum Viri, tertium Coniugium iteravit, in quo, filiis procreatis, adhuc perseverat. Quoniam vero effervescente veluti aetate praelibatus Lazarus carnis illecebris assidue vexari cepit, in Tribunali Nuntiaturae supplex egit pro declaratione superventae virilis potentiae, quemadmodum satis erui posse, asserebat, ex Peritorum documentis exhibitis. Reiectis vero precibus ad EE. PP. consessum, idem Orator recursum nuper habuit ad Sanctissimum D. N. pro dispensatione ad cautelam super asserto Matrimonio rato et non consummato cum Maria Francisca Gintherin, ut potius, quam uri, nubere possit. Cum itaque ad Sacram Congregationem Orator ipse iterum remissus fuerit, datae fuerunt consuetae Literae Ordinario Constantiensi, quatenus auditis Partibus receptisque formiter probationibus, votum desuper

(1) De Iust. de dispens. matrim. lib. 8, cap. 10, a n. 21; Schmalzgrueber in ius can. part. 4, tit. 19, a n. 50; Ursaya discept. 3, n. 4, tom. 2, part. 1; Card. De Luca de matrim. disc. 9, n. 7.

proferret. Idcirco nuper redditis Literis, Suffraganeus diserte testatur, se iudicialiter interpellari curasse saepedictam Mariam eiusque Consanguineos, qui responsum dederunt, sua nullatenus interesse super huiusmodi Causa, Oratorisque precibus obsistere nolle. Ceterum neque in dubium revocari posse eiusdem potentiam, Relator ipse prosequitur, ex depositionibus, praeviis interrogatoriis receptis, tum Phisici, qui Oratori lue venerea affecto curationem adhibuit, cum Rosinae Bove Brisacensis, quae abhinc duobus annis, cum in famulatu eiusdem Lazari esset, saepissime cum ipso carnaliter commixtam fuisse, deposuit. Ex iteratis itaque lapsibus, optime sibi perspectis, idem Suffraganeus censet, precibus indulgeri posse, ne cum dispendio salutis aeternae in caelibatu perseverare Orator teneatur –.

8. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et pro meliori informatione ac transmittantur acta nullitatis Matrimonii et proponatur, citata Muliere – *in Constantien. Dispensationis die 8 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum.*

9. Etenim antequam Sacra Congregatio declaret, consulendum esse Summo Pontifici pro dispensatione Matrimonii rati, cunctas accuratasque adhibet diligentias, quibus luculenter constet de non consummatione Matrimonii *in Ianuen. Matrimonii die 10 Maii 1738 die 22 Augusti die 5 Septembris 1739 et die 14 Ianuarii 1741.*

10. Siquidem inito sub anno 1726 Matrimonio inter Ioannem Andream ab Auria tunc Comitem Lodani inde Principem Melphii et Theresiam ab Auria filiam Ducis Thursiae, decem circiter annorum spatio etiam quoad torum praenobiles isti Coniuges cohabitarunt. At sub initium anni 1736 praefata Theresia e thalamo secessit, ac dein anno 1737 imploravit a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, cum nunquam illud consummaverit, ex eo quod contra suam voluntatem ex metu reverentiali erga Ducem Doriam suum Patrem inierat; atque mox addidit declaravitque, se Matrimonium nec ob id etiam consummavisse, quia praefatus Comes impotentiae vitio laboraret. Archiepiscopus extraiudicialem transmisit informationem, in qua disserebatur, tum de iuribus et documentis, quibus nomine Oratricis contendebatur, satis probari, Matrimonium fuisse initum ex reverentiali metu erga Patrem, illudque nunquam fuisse ob naturalem Viri impotentiam consummatum, tum alia plura referebantur a Principe Melphii exposita, quae et assertum Mulieris metum excludere, et pluries secutam eiusdem Matrimonii consummationem evincere posse putabantur. Quum autem nomine dicti Principis Melphii disputari postularetur hoc tantum dubium: – An sit locus praetensae dissolutioni Matrimonii, seu potius coactioni pro continuatione habitationis et praestationis obsequiorum Matrimonialium? –, et ex altera parte vellet dumtaxat discuti: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati? –, Sacra Congregatio die 15 martii 1738 mandavit, ut proponerentur tria haec dubia nimirum: – I. An sit locus praetensae dissolutioni Matrimonii? *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio tamquam rato et non consummato? *Et quatenus negative ad utrumque.* III. An sit locus coactioni ad praestanda obsequia matrimonialia in casu etc. –, quibus respondit: – Dilata, conficiatur processus iuxta instructionem per Iudicem delegandum ab Emo Praefecto, et fiat recognitio corporum Mulieris Romae, Viri autem in loco designando ab eodem Emo iuxta mentem (1), cum praefixione termini duorum mensium dicto Viro ad se subiiciendum praefatae recognitioni, computandi a die faciendi Decreti, et in reliquis ad eumdem Emum Praefectum cum facultatibus necessariis et opportunis – *in Ianuen. Matrimonii die 10 Maii 1738.*

11. Consentanee ad huiusmodi Rescriptum duo coram Iudicibus per Emum Praefectum

(1) Mens fuit, id addendum in eo, quod attinet ad fidem iuratam immediate faciendam a Peritis electis post recognitum corpus eiusdem Ioannis Andreae, quod nimirum dicti Periti statim facta recognitione, antequam alio diverstant, nullaque interposita mora, neque ullo inter ipsos habito sermone, eorum quisque suum iuratum facere debeat testimonium, ceu videre est in Reg. Litt. lib. 29 die 10 maii 1738.

delegatis confecti fuerunt processus, alter nempe Romae ex depositione Testium, qui a praelaudata Theresia fuerunt inducti, hisque additum fuit formale examen aliorum duorum Testium ad instantiam eiusdem Theresiae in Archiepiscopali Curia Neapolis receptum; alter vero in Civitate Ianuae ex Testibus tam praefatae Theresiae, quam Principis nomine examinatis. Praeterea corpus Viri fuit a quatuor Peritis Placentiae recognitum, exploratio autem corporis Mulieris a tribus Obstetricibus in Urbe expleta est, tam dictis Obstetricibus, quam praefatis quatuor Peritis formali examini illico subiectis, deindeque ambo praedicti Coniuges positionibus sibi vicissim datis responderunt. Perpensis itaque iis, quae ex huiusmodi actorum congerie emergebant, aliisque documentis, quibus Pars utraque cumulata iura sua fulciri sategit, Sacra Congregatio repropositis dubiis sub eadem formula die 22 augusti 1739 respondit: – Ad mentem: mens est, quod pro maiori instructione Sacrae Congregationis fiat nova recognitio corporis Viri intra totum mensem novembris in Civitate Status ecclesiastici designanda ab Emo Praefecto per quatuor Peritos secreto eligendos ex officio per dictum Emum Praefectum cum assistentia domini Secretarii, et post exaratas peritias receptumque examen eorumdem Peritorum iuxta formam servatam Placentiae, absque tamen intimatione et interventu Defensorum Partium, processiculus inde confectus transmittatur a domino Secretario per manus EE. PP., deindeque absque ulla communicatione facienda Partibus Causa denuo proponatur cum iisdem scripturis tantum; et ad effectum praemissorum ad Emum Praefectum cum facultatibus necessariis et opportunis –. His autem expletis, ac repropositis praefatis dubiis, quum die 5 decembris 1739 nequiverit in ullam resolutionem tunc conveniri, demandatum fuit, ut Causa iterum proponeretur. Tandem repropositis eisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione – *in Ianuen. Matrimonii die 14 Ianuarii 1741.*

12. Qua de re licet iustae concurrerent causae, sed cum evidens haud esset non consummatio Matrimonii, Sacra Congregatio declaravit, non esse locum dispensationi, quam tamen postea indulsit, ex eo quod constitit de matrimonio rato et non consummato *in Chien. Matrimonii die 15 Decembris 1792 die 21 Iunii et die 16 Augusti 1794.*

13. Enimvero nupsit anno 1769 Angela Timoni Michaeli Ipriano Armeno. Vix inito Matrimonio, navim conscendit Vir, et ad longinqua profectus, non primum Chium Uxoris patriam rediit, quam anno 1789. Ob malam tunc contractam valetudinem a maritali coniunctione abstinuit Mulier, supplicavitque Summo Pontifici pro facultate solemniter profitendi extra claustra regulam S. Dominici in manibus Chiensis Episcopi eius fratris. Nulla enim Chii erant Monasteria latini ritus, cuius ipsa erat. Confecto processu, retulit Episcopus Chiensis, ita Michaelem absentiae tempore cum Uxore egisse, ut cum aliena et ignota, arrhas immo et munera per epistolas repetiisse, inde vero quum – senuerit et Uxoris opera et ministerio indigeat –, Angelae contubernium et convictum postulare: Angelam altera ex parte renuere, propterea quod - laborat valetudine tertium iam annum, et tam gravibus doloribus morbis incommodis afflictatur, ut sine certo vitae periculo, Peritorum et Medicorum iudicio, consummare et cetera Coniugis onera subire nequaquam possit; quotidianis medicaminibus et maxime succis distillatis vitam sustentat. Quo vero necessitati tam corporis, quam animae Coniugis Michaelis consultatur, optat atque enixe obsecrat, ut Auctoritate Apostolica, soluto isto Matrimonio rato, ipsi etiam Uxorem ducere permittatur –. Atque hinc conclusit, consuli posse Oratrici,–vel dissolutione vinculi, vel dispensatione quoad professionem solemnem extra claustrum et sub moderato habitu seculari –. Quod et ipse enixis precibus postulavit. Angela Matrimonii consummationem exclusit; dixit enim, statim Michaelem post contractum Matrimonium absque consummatione discessisse, et quidem ex pacto accipiendi post biennium benedictionem, sine qua non permittebatur Chii consummatio. Sex insuper Testes iudiciales, aliique tres extraiudiciales confirmarunt pactum, differendi benedictionem, celerem Viri discessum, quin solus post Matrimonium fuisset cum sola, et nunquam post reditum Coniuges inter se convenisse. Ac iurata tandem, licet

extraiudicialis, accedebat Viri confessio coram Apostolico Smyrnarum Vicario de nunquam consummato Matrimonio. Valde contra dubitandum advertit Defensor Matrimonii de consummatione ante discessum Viri, cum nec Coniuges nec Testes probationem de non consummatione constituere possent, ex eo praesertim, quod septima manus per Canones volita deficeret, ac eorum nonnulli de discessu testabantur Viri *quasi subito,* vel eodem Matrimonii die, et sic possibilem non excludebant Coniugum coniunctionem, quam integri fere praebuit diei mora. Eoque magis de ea dubitandum post reditum Viri eiusque menstruam moram in Chiensi Civitate: nam licet constaret, nunquam illum eo temporis spatio Uxorem adiisse, clam tamen potuit Uxor adire Virum.

14. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An constet de Matrimonio rato et non consummato, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro facultate emittendi professionem solemnem in manibus Episcopi et extra claustra in casu etc. *Et quatenus negative ad secundam partem.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque – *in Chien. Matrimonii die 15 Decembris 1792.*

15. Quum praecipua autem difficultas de non consummato fuerit Matrimonio, Angela alios quatuor Testes deduxit, qui formiter examinati sub iuramento deposuerunt, assiduos se cum Michaele Ipriano Sponso fuisse nuptiali die 15 februarii 1769 seu duabus vel tribus horis, quibus ille ante susceptam navigationem permansit Chii; ac nullos inter ipsum et Angelam Sponsam vidisse coniugalis familiaritatis actus, ita ut certi essent de non consummato tunc Matrimonio. Medicus insuper et intima Socia Angelae ex certa pariter scientia et de visu testabantur, nunquam omnino Michaelem, postquam reversus fuit anno 1789 ad Chiensem Civitatem, ibique moratus est per mensem, vel domum adiisse Sponsae, vel alibi cum ea convenisse aut convenire potuisse, quum neque e domo infirma Mulier Sacri audiendi causa egrederetur. Idque testimonio suo confirmavit Chiensis Episcopus, suoque iterato iuramento Angela, cui septima accedebat Propinquorum manus. His igitur perpensis, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 iunii 1794 respondit: – Praevio recessu a decisis, constare de Matrimonio rato et non consummato, nec non consulendum Sanctissimo pro dispensatione –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et ad mentem – *in Chien. Matrimonii die 16 Augusti 1794.*

16. Idcirco quum Mulier post duodecim annos ab inito Matrimonio rem habuerit cum alio Viro intercedente etiam promissione ineundi novi Matrimonii et reapse sacrilege Matrimonium civile contraxerit, cum ipso frustra petiit declarationem nullitatis vel dispensationem Matrimonii asserti rati et non consummati ob relativam impotentiam legitimi Viri, sed inde novo extructo processu, ex quo satis apparuit non consummatio, Sacra Congregatio, attentis etiam iustis causis, nedum indulsit dispensationem a Matrimonio rato et non consummato, sed et dispensationem ab impedimento criminis *in Burdigalen. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 19 Februarii 1822 die 26 Februarii die 16 Aprilis et die 6 Augusti 1825.*

17. Siquidem die 24 ianuarii 1785 Catharina Desiderata Latour e Civitate Burdigalae rite cum Bernardo Lauiacq Matrimonium iniit, et deinde ambo in paternis Catharinae laribus pacifice vitam duxerunt usque ad annum 1797, quin ulla eruperit querela vel de non sequuta consummatione, vel de Viri impotentia; sed eodem anno circiter iuvenis quidam quadrilustris nomine Franciscus Mesmin Saguineau de Lognac eadem in domo receptus rem cum Catharina habuit et filiam die 30 ianuarii 1799 suscepit, quae in status civilis codice tamquam filia Bernardi et Catharinae fuit inscripta. Vir, ut haec novit, divortium quoad vinculum petiit, atque die 24 aprilis 1799 a Tribunali civili Parisiensi illud obtinuit: unde Catharina anno 1802 Matrimonium civile cum dicto Saguineau contraxit, et novam prolem suscepit. Subinde

anno 1814 Lauiacq suum praebuit consensum, ut benedictio nuptialis et Matrimonii Sacramentum huiusmodi Sponsis impertiretur. Tandem anno 1817 Catharina a Summo Pontifice imploravit absolutionem et dispensationem impedimentorum criminis propter adulterium promissioni nubendi coniunctum, nec non ligaminis propter Matrimonium ratum tantum cum Bernardo, impotentia relativa obstante, et demum ut ipsi dignaretur concedere licentiam, ut in faciem Ecclesiae inire posset Matrimonium cum praedicto Saguineau. Mulier itaque ad relativam Bernardi impotentiam probandam excludere contendit triennalis cohabitationis experimentum, corporis inspectionem, et septimae manus depositionem, inutilia haec enim in casu censuit; sed potius plurimum deferendum dixit Testium depositionibus iureiurando firmatis, qui asserebant, Bernardum saepe saepius esse ingenue fassum nunquam potuisse Matrimonium cum Catharina consummare. His addidit Mulier suam et Saguineau depositionem, quibus eius virginitas iuramento firmabatur post duodecim Matrimonii annos, quam Viri impotentiae tribui tantum posse dixit Vicarius Generalis in sua relatione. Quod si dubia dici vellet impotentia relativa, certum esse contendit, nunquam fuisse Matrimonium consummatum, quod ex facto etiam Viri constabat, quia Uxor sui corporis copiam alteri fecerat et adulterinam filiam in familiam induxerat, id sane affirmare nunquam potuisset, si aliquando se cum illa commiscuisset. Iustas etiam indulgendae dispensationis causas petiit, tum ex prolis cum altero Viro susceptae educatione, tum ad recuperandam conscientiae pacem, tum ex consensu in ipsam dispensationem praestito a legitimo Viro. Matrimonii vero Defensor advertit, processum non fuisse confectum iuxta Benedictinam sanctionem: desiderabatur enim Defensoris Matrimonii ex officio deputatio, Archiepiscopi subdelegatio, iuramentum a Bernardo praestandum de impotentia et de non sequuta consummatione, ac examen septimae manus. Necessaria etiam esset inspectio corporum: sed cum per se stetisset, ut impossibilis haec probatio evaderet, Mulier sibi damnum tribuere debebat; cumque anni triginta septem iam intercesserint, neque inspectio Viri, etiamsi tunc fieret, aliquid valeret. Namque detegi non poterat, num vitium inde supervenerit, et haec dubitatio satis erat, ut Matrimonium dissolvi non posset. Demum Archiepiscopus retulit, Virum paratum iurare, consummatum fuisse Matrimonium. Et revera Mulier querelam instituit anno 1817, nempe post annos triginta duos a celebrato Matrimonio. Ex hoc diuturno silentio maxima oriebatur suspicio sequutae consummationis. Urgebat etiam praesumptio, consensisse Virum, ut Mulier dispensationem peteret, ob magnae pecuniae quantitatem, qua ipse a Catharina recepit. Nec ullam subesse causam dispensandi contendit; nam educationi novae susceptae prolis alias provideri poterat, nec tanti erat consuetudo cum Saguineau, ut dispensatio concederetur; tunc enim praemium adulterii haberet Catharina.

18. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative – *in Burdigalen. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 9 Februarii 1822.*

19. Instaurandi certaminis beneficio donata Catharina, novum ab Archiepiscopali Curia Burdigalae super non consummatione Matrimonii cum Bernardo Lauiacq initi processum confici postulavit et obtinuit, ex quo constitit, Mulierem et Virum iureiurando affirmasse nunquam unam carnem effectos esse. Vir enim nedum quamlibet confessionem et declarationem antea emissam revocavit, sed et propriam impotentiam relativam cum Catharina ita declaravit, ut post infructuosos conatus simul tamquam frater et soror vixerint. Coniugum testimonio accesserunt quatuordecim iurati Testes, qui non consummationem, attentis magnis difficultatibus, quae aderant, ab ipso Lauiacquio audivisse affirmarunt, ut de publica testati sunt fama. Franciscus quoque Saguineau deposuit, ita arctam se invenisse Catharinam, ut pluribus diebus inutiles fuerint omnes conatus possibiles, et nonnisi post longos gravesque nisus actum consummare potuerit, unde certus extitit, quod ipsa adhuc virgo permaneret.

Quum itaque indubia videretur non consummatio, nihil obstabat longa duodecim annorum cohabitatio; quia Mulierem adhuc adolescentem puduit rem patefacere, et post divortium pluries illa petiit a Vicario Generali, ut Matrimonium Lauiacquii irritum declararetur, sed res absque eiusdem culpa diu processit: pace vero Ecclesiae restituta, adiit Summum Pontificem ac dispensationem exoravit. Praeterea Mulieris querela, etiamsi esset serotina, excipienda erat, cum diuturnitas temporis maiorem non sequutae consummationis probationem suppeditaret. Plures etiam causas Mulieris Defensor protulit, ac praecipue utriusque Coniugis consensum, animorum abalienationem, miseram Catharinae conditionem et scandala, quae oriri poterant. Verum Matrimonii Defensor nullum edixit novum processum, cum absque auctoritate Summi Pontificis Curia Burdigalensis confecerit; ac negavit, allatas probationes evincere non consummationem, cum perspicuae esse deberent, potissimum postquam Coniuges insimul diu dormierint. Suspiciosum dixit iuramentum Catharinae, cum anno 1802 Sedem Apostolicam adire potuisset: suspiciosum pariter censuit Viri iuramentum; summam enim francorum quadraginta millium nullam aliam ob causam anno 1802 Lauiacquio se daturos spoponderunt Catharina Latour et Franciscus Saguineau, quam, ut eius animum sibi devincerent et consummationem Matrimonii non iuraret. Testium quoque depositionibus nihil deferendum contendit, plures enim ex Testibus, utpote consanguinitate aut affinitate cum Catharina et Saguineau coniuncti, repellendi erant a ferendo testimonio: nemo eorum testabatur querelas eius de Lauiacquii impotentia; quidam tantummodo declarabant, se audivisse primo nuptiarum tempore Lauiacquium non potuisse Mulieris arctitudinem vincere: reliqui aut de auditu, aut de fama deponebant; ideoque non probabant, cum Coniuges ob rumorem viciniae separari nequeunt, Cap. *Super eo* de eo, qui cognovit cons. Asserta autem Catharinae arctitudo satis non erat, ut dispensatio tribueretur, cum deficeret corporis inspectio ad relativam Coniugum impotentiam dignoscendam, nec ceteras allatas causas idoneas esse sustinuit ad dispensationem indulgendam. Catharina igitur Viro suo Lauiacquio reconciliari et lacrymis peccata sua redimere debebat.

20. His interim perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad dispensationem Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 februarii 1825 respondit: – Iterum proponatur –. Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 16 aprilis 1825 responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro sanatione processus et dispensatione Matrimonii rati et non consummati –. Demum reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, ideoque consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato, et ab impedimento criminis – *in Burdigalen. Dispensationis die 6 Augusti 1825.*

21. Nam ut vinculi coniugalis dispensatio concedatur, probationes non consummationis graves perspicuae et superabundantes sint oportet, Pignatell. consult. 149 n. 21 tom. 1 *in Mediolanen. Matrimonii die 8 Martii 1732* §. *Exempla.*

Item *in Comaclen. Matrimonii die 29 Iulii 1769* §. *Despiciendam; in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *De; in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *Allatas; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *At; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826* §. *Graves; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Aliter.*

22. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, non esse locum dispensationi Matrimonii, ex eo quod certa non erat probatio de non sequuta consummatione, nec non iusta desiderabatur causa ad eam obtinendam *in Camerinen. Nullitatis Matrimonii et Dispensationis die 14 Martii 1856.*

23. Iamvero puella Agnes Poletti Oppidi Riparum S. Ginesii Camerinensis Archidiaeceseos et Sanctes Cecchi *di Loro* Firmanus Kalendis iunii 1850 de mane Parochum Riparum una cum duobus Testibus in Ecclesiae Sacrario furtive adeuntes nuptias inter se, pessumdatis ecclesiasticis legibus, copularunt

Separati at vero illico extitere Propinquorum cura, poenaque affecti ob spretas Ecclesiae leges ab Camerini Curia. Elapso autem anno Agnes facti poenitens postulavit, ut nullum declararetur Matrimonium, ex eo quod Vir sanae non fuerit mentis, et impedimentum publicae honestatis obsisteret: sed Sacra Congregatio die 18 mârtii 1854 validum dixit Matrimonium. Unde Agnes, dum petiit obtinuitque novae audientiae beneficium, postulavit etiam dispensationem a Matrimonio rato et non consummato. Confecto hinc processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione*, Mulier iuramento firmavit non consummationem Matrimonii; nam post contractum Matrimonium illico in proprios se recepit lares, ac penes Matronas probatissimas custodiae causa fuit, quin unquam Cecchium aspiceret. Iustam etiam causam dispensationis concurrere censuit, cum habitualis Coniugis dementia, necis timor, et scandalum obortum ex praecedentibus cum Sorore Sponsalibus, dispensationem omnino suadebant. E contra Defensor Matrimonii contendit, Mulierem certam de non sequuta consummatione probationem haud protulisse, cum neque iuramentum ipsius propter eius depositionum ac dictorum inchoerentiam, neque in genere Testes ab eo productos attendendos esse sustinuit, ex eo quod iidem plures patiebantur exceptiones. Quin imo ob continuam accessionem Viri ad Agnetem post contractum Matrimonium, praesumptio oriebatur, Matrimonium fuisse consummatum. Iustam quoque causam dispensationis deesse dixit: nam nec simplex Viri dementia et multo minus perpetua comprobabatur; odium eiusdem Viri in ipsam nullatenus subsistebat, cum Cecchius iuratus fassus fuerit, se eam duxisse sive ex amore, aliter clandestine non contraxisset, sive ex data fide, et post Matrimonium adsignasse Agneti mille scutorum; demum impedimentum publicae honestatis penitus exulabat.

24. His utrinque perpensis, proposito dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam validum declaravit Matrimonium, responsum tulit: - Negative – *in Camerinen. Nullitatis Matrimonii et Dispentionis die 14 Martii 1856.*

25. Sic patula enim esse debet non consummatio Matrimonii et adeo graves causae concurrere debent ad assequendam dispensationem super Matrimonio praetenso tantum rato, ut Sacra Congregatio eam denegaverit, etiamsi cuncta eam suadere viderentur *in Hispalen. Dispensationis die 14 Martii 1739 et die 14 Decembris 1743.*

26. Siquidem Marcellina de Aguerro post inita iamdudum sponsalia cum Emmanuele Stephano Rodriguez, alia sub annum 1729 cum Ioanne Bartholomaei celebravit, hisce potissimum illecta conditionibus, sibi ab eodem Ioanne oblatis, nimirum quod, ubi Matrimonio copulati forent, in Hispalensi Civitate moram continuo traherent, nec unquam Marcellina alio migrare cogeretur, ipse vero Ioannes officium esset assequuturus, unde sibi et Sponsae congrua vitae subsidia compararet, cum eo tempore tota Regis catholici Aula Hispali degebat, et praefatus Ioannes utpote Cubicularius praenobilis Viri spectatissimum in eadem Regia Aula munus obtinentis ibidem commorabatur. At postmodum Catholico Rege omnique eius comitatu Matritum repetente, illuc cum Hero suo profectus quoque fuit Ioannes Bartholomaei, sed inde anno 1734 ope Procuratoris Francisci Escarza rite cum praefata Marcellina Matrimonium contraxit, interdicta tamen sub excommunicationis poena Coniugum cohabitatione, nisi prius coram Parocho et Testibus Matrimonium ab ipsis ratum haberetur. Marcellina autem renuit omnino subinde Matritum accedere, idcirco officio Presidis illuc invita traducta est; Matrimonium tamen ipsa ratum nunquam habere voluit. Perterrita interim Marcellina comminatione ipsius corporis recognitionis non erubuit, se defloratam asserere a quodam Viro in Indias postea profecto subiungens, statuisse religiosum habitum in aliquo Monasterio suscipere. Hisce itaque auditis, cuicumque iuri sibi competenti coram Ordinario non aegre renunciavit. Hispalim hinc reversa Marcellina sese recepit in Monasterium, a quo tamen subinde egressa, Summo Pontifici supplicavit nomine etiam Emmanuelis Stephani Rodriguez (cum quo priora inierat sponsalia, quemque virginitatis suae violatorem fuisse, postmodum confessa est), ut nullum declararet Matrimonium ra-

tum cum Ioanne Bartholomaei contractum, ex eo quod conditiones propositas non adimpleverat, et facultatem indulgeret ineundi Matrimonium cum praedicto Emmanuele Rodriguez. Ambo quidem Coniuges in suis declarationibus sub iureiurandi religione emissis reponebant, se nunquam Matrimonium consummavisse, cum nunquam ipsi inter se convenerint aut fuerint aliquando invicem conversati: sed advertebatur, indubiam non haberi probationem de non consummatione Matrimonii eo praesertim tempore, quo Marcellina in Regia Matritensi Villa permansit, nec solis amborum Coniugum quamquam iuratis depositionibus minime fidendum esse, ad Textum in Cap. *Super eo* de eo, qui cognovit cons. Ceterum Archiepiscopus suam aperiens sententiam haec habuit: – Arbitramur Oratores dignos Apostolica benignitate; nam Puella monasticam horret vitam, contineri non vult, in contracto Matrimonio seducta fuit, deficientibus appositis conditionibus, contractum Matrimonium non potest non rixas scandala iurgia generare, si ad debitum maritale reddendum invicem dissentiant, nec honor Puellae incontinentiaeque periculum alia via, quam contrahendo cum Emmanuele Stephano potest vitari, ambo honestis Parentibus nati sunt, ambo pauperem vitam gerunt, ambo contrahere parati sunt, si indulgentia accedat Apostolica –.

27. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Hispalen. Dispensationis die 14 Martii 1739.*

28. Marcellina adiit Summum Pontificem, qui die 10 decembris 1740 rem iterum Sacrae Congregationi detulit. Hinc utrique Coniuges Marcellina et Ioannes Bartholomaeus dispensationem postularunt, cum post Matrimonium initum longissime habitaverint, Marcellina Hispalis, Ioannes Matriti; postquam vero Marcellina iussu praesidis Hispali Matritum traducta fuit, et quasi sequestro apud Didacum Caecilium deposita, nec alium alteram convenisse, nec sese invicem unquam vidisse. Testes plures id confirmabant, quibus accedebant ira et odium, quo Marcellina in Ioannem ferebatur. Iustae autem censebantur causae ad dispensandum, conditio Matrimonio adiecta; deceptio, qua ipsa ad contrahendas nuptias perducta fuit; stuprum, quod ab altero Viro sive priori Sponso passa est Marcellina; odium a Muliere in Virum conceptum; difficiles exitus, qui venire poterant, periculum vitae, quod a consanguineis imminebat utrique Coniugi. Contra tamen advertebatur, non recte excludi concubitum ex utriusque Coniugis confessione, Testes sine mandato Sacrae Congregationis auditos, sed rogante et petente Marcellina, haud legitimos censeri; causas vero dispensationis indulgendae satis graves et vehementes non esse, quod conditio in ipso actu Matrimonii adiecta non fuerat, stuprum ab incerto homine illatum praetextum esse dissolvendi Connubii, ut ille alter fuit Monasterium ingrediendi a Marcellina confictus, iurgia discordias et vitae periculum metuenda non esse, cum imperio Iudicum omnia comprimi possent. His utrinque perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Hispalen. Dispensationis die 14 Decembris 1743.*

29. Qua de re quum plures urgentesque rerum circumstantiae suaderent, Matrimonium fuisse consummatum, nec impotentia Viri ullatenus constaret, Sacra Congregatio declaravit, non esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati, licet Coniuges iuraverint, Matrimonium haud fuisse consummatum, idque septima Propinquorum manus confirmaverit, ac Obstetrices et in arte Periti Mulierem adhuc virginem unanimiter proclamaverint *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829 et die 27 Aprilis 1833.*

30. Enimvero Carolus Gasser et Hernestina Farina, postquam mutuo quatuor fere annorum amore sese deperierant, florentes aetate, summa animorum iucunditate, ac plaudentibus genitoribus, nuptiale foedus die 11 februarii 1823 legitime inierunt. Vix tamen octo communis tori effluxerant dies, statim Mulier penes matrem sororem et amicam conqueri cepit de sui in coeundo Viri impotentia. Carolus quoque, suae conscius imbe-

cillitatis, Franciscum Rocca in arte medica peritum arcessivit, ab eoque consilia retulit – dei rimedii nervini dei marziali ed unzioni sulla spina –. Procul inde querimoniae, ac nuptialia arcana alto iacuisse videbantur silentio: animorum interim coniunctio absque dubio servabatur. Die vero 25 ianuarii 1824 a contubernio Viri inopinate Mulier secessit, et frustra parentes et coniuncti adlaborarunt, ut Coniuges in concordiam reducerent. Quamobrem Coniuges concordi animo die 8 maii dispensationem a Matrimonio rato et non consummato efflagitarunt. Hinc Mulier ex demandata confectione processus ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione* penes acta formiter iuravit, Virum suum per integrum fere annum rei uxoriae operam dedisse, at nunquam ei factum esse, ut Matrimonium consummaverit, quia is parum aptus esset ad Matrimonii consummationem: nam Carolo debilis nec permanens aderat penis erectio, eiusque semen extra femineum vas effundebatur, eratque insuper generationi minus aptum. Mulieris testimonio concinuit iurata Caroli confessio, ac in eo solum discrepabat, quod Vir Matrimonii non consummationem nec physicae attribuit sui corporis structurae, nec qualitati seminis, cuius iaculationem, licet iugem praematuram fuisse querebatur, sed solummodo ex moralibus repetiit causis, nempe – dal mio spirito e dal mio cuore, occupato da idee di tal natura, che mi era vietata l'Erezione permanente –, quae originem ducebant non ex suae Uxoris vitae ratione, – ma dalla dissonanza de' temperamenti e del carattere –. Quod Coniuges iurarunt, se illud veritati consentaneum credere affirmarunt Consanguinei aliique Testes ab utraque Parte evocati. Hinc et Obstetrices, inspectione corporis Mulieris rite expleta, una voce eam adhuc virginem proclamarunt, eorumque iudicium, auditis responsionibus, Medici et Chirurgi omnino probandum existimarunt. Carolus vero nunquam adduci potuit, ut sui corporis copiam faceret; namque contendit, satis esse inspectionem corporis Uxoris, ut diiudicari posset, an Matrimonium esset nec ne consummatum. Emus Archiepiscopus censuit, Matrimonium haud fuisse consummatum, iustas subesse causas dispensationis, quamque propterea indulgeri posse. Unde Hernestinae Defensores propugnarunt, legitimam adesse probationem de non subsequuta Matrimonii consummatione, nec non legitimas dispensationis causas, quas constituerunt in Viri impotentia, ac in animorum abalienatione inimicitiis atque odiis inter Coniuges obortis. At Matrimonii Defensor primum advertit, quod Coniuges aetate florentes simul condormierint, unde praesumptio iuris et de iure scatebat, quae suadebat, Matrimonium fuisse consummatum, quin obesset Coniugum iuramentum.

31. Nam quae ipsi narrabant adeo incredibilia erant ac repugnantia, ut de Matrimonii consummatione vix dubitari posset. Neuter quippe Coniugum aliquo laborabat vitio, quo Viri cum Muliere congressum impedire potuerit: firma semper valetudine tempore cohabitationis usi fuerunt, totisque viribus perficere tentarunt. Hernestina haud Virum suum omnino impotentem descripsit, sed – poco atto alla consumazione del Matrimonio –; Carolus ex adverso nunquam de sua viripotentia se dubitasse affirmavit, ac alias ineundi nuptias facultatem postulabat. Querelae autem Mulieris primis octo diebus, Matri Sorori et Amicae panditae, minime ostendebant, etiam postea Virum coire non potuisse; imo ex eo quod nullum postea per undecim mensium spatium protulit questum, sed solummodo postquam a Viro divertit, arguebatur, Matrimonium fuisse consummatum. Nam nec Vir, qui antea consilium petierat a Francisco Rocca, dein nec ab eo nec ab alio quovis sibi, constante Matrimonio, quaesivit: quaesiturus profecto, si praescripta medicamina non profuissent, vel potius temporarium impedimentum suapte natura non evanuisset. Insuper Coniuges fassi fuerunt, saltem primis octo vel novem mensibus se invicem amore prosequutos fuisse, licet Vir – fosse spesso occupato da mal'umore –, atque adessent – piccole impazienze nascenti dalla dissonanza dei caratteri –. Idcirco cum Coniugum confessio claudicaret, claudicaret necesse erat et septima propinquorum manus et relatio Obstetricum. His accedebat, virginitatis signa dubia et incerta esse, praesertim si medicamenta, quae adstringendi vim habeant, adhibita fuerint, et diuturnum, veluti in praesenti casu, a copula effluxerit

tempus; nec iudicio Obstetricum esse fidendum, cum et manus earum et oculi saepe fallantur. Hinc nec iustam dispensandi causam haberi censuit Matrimonii Defensor, cum impotentia Viri haud in facto existeret, et iurgia nec ad separationem tori impertiendam iustam suppeditarent causam.

32. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 augusti 1829 respondit: – Negative –. Grave admodum id fuit Coniugibus; iterum proinde supplex adfuit Hernestina Farina, ac mordicus iuramento amborum Coniugum septimae Propinquorum manus et relationis Obstetricum et iudicio in arte Peritorum institit, ut non consummationem probaret. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1833.*

33. Quin imo satis esse videtur sola possibilitas, ut Matrimonium in quolibet dubio consummatum censeatur *in Chien. Matrimonii die 15 Decembris 1792* §. *Valde.*

Item *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Defensor.*

34. Nunquam enim conceditur dispensatio, imo iuxta dogmaticam Ecclesiae doctrinam, concedi non potest, ubi certum non sit, non fuisse Matrimonium consummatum *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Inutilem.*

35. Siquidem in utroque iudicio nullitatis sive dispensationis Matrimonii vim suam habere debet divinum praeceptum: – Quod Deus coniunxit, homo non separet –; ac propterea in quocumque dubio, tamquam de re supra humanam potestatem posita, Pontifex dispensare nequit, Cap. *Ex publica* de convers. Coniug., Sanchez de Matrim. lib. 2 disp. 13 n. 1 *in Valentina Nullitatis Matrimonii die 24 Martii 1764* §. *Horum.*

Item *in Theatina Dispensationis Matrimonii die 20 Novembris 1824* §. *Verum; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 23 Decembris 1826* §. *Ex his; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Praecipuum; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Aliter.*

36. Compertum propterea est, in dubio pronunciandum esse contra dispensationem, iuxta exempla relata per Ursayam tom. 2 part. 1 discept. 3 n. 34 et 54, et apud De Iustis in append. de dispens. matrim. cas. 23 *in Corduben. Dispensationis die 20 Septembris 1760* §. *Dispensationi.*

Item *in Parisien. Dispensationis die 28 Martii 1857* §. *Ast.*

37. Coscius tamen in lib. 1 cap. 16 n. 179 et lib. 3 cap. 2 probe docet quod, licet in dubio pronunciandum sit pro validitate Matrimonii, aliter se res habet in quaestione dispensationis ex capite impotentiae, ea de ratione – quia in foro externo, in quo iudicat Ecclesia, tolerabilius et honestius est per canonicas probationes et iuxta disciplinam Ecclesiae Matrimonium dissolvere, quam nomine et iure Matrimonii occasionem incontinentiae praebere, et continuum confovere peccatum – *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Haec.*

38. Sola autem Coniugum confessio certam non constituit non consummationis probationem per Textum in Cap. *Super eo* de eo qui cognov. consanguin., Gloss. in Cap. *Recepisti* verb. probari de frigid. et malef. *in Chien. Matrimonii die 15 Decembris 1792* §. *Valde.*

39. Ad probandam enim non sequutam Matrimonii consummationem et Viri frigiditatem satis non esse videtur Coniugum iuramentum, praecipiente Calestino III in Cap. *Super eo* de eo, qui cognovit cons.: – propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniae separari non debent –, quoniam experientia compertum est, nonnullos Coniuges inter se concordes contra Matrimonium velle colludere, ut cit. Cap. *Super eo* et Constit. *Dei miseratione* Benedicti XIV *in Teatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Allatas.*

40. Unde Coniugum dictis etiam iuratis non est facile credendum, cum quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, ad Textum in Cap. *Super* de eo, qui cognovit cons., praesertim si ea narrant, quae a fide sunt absona, aut pugnant inter se *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Iamvero.*

Item *in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Impetit; in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853* §. *Perperam; in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *In.*

41. Nam iuramentum utriusque Coniugis de non subsequuta Matrimonii consummatione suspectum reiiciunt sacri Canones in Cap. *Literae vestrae* de frigidis, et ideo rigidiores requiruntur probationes, ut docet Argenvilliers in voto de matrimonio apud Constantinum tom. 5 vot. ultim. n. 33 *in Forolivien. Nullitatis Matrimonii die 20 Septembris 1817* §. *Suspectam.*

Item *in Aurien. Dispensationis die 19 Decembris 1818* §. *Contra; in Neapolitana Dispensationis die 27 Iulii 1822* §. *At; in Angren. Matrimonii die 6 Februarii 1847* §. *Quin.*

42. Idcirco Coniugum dictis, quamvis iuratis, non esse tribuendam fidem, animadvertunt Gibert. in ius can. lib. 3 tit. 13 de impedim. matrim. §. 11, Sanchez de matrim. disp. 108 n. 3, quia contra Matrimonium colludere velle habetur in Cap. *Super eo* de eo qui cognovit cons. *in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 2 Februarii 1825* §. *Allatas.*

43. Hinc credendum haud esse quidem Coniugibus non consummationem affirmantibus et communi voto in Matrimonii dissolutionem adnitentibus: quod tamen videtur intelligendum, si huic tantum confessioni Coniugum nitatur probatio; nam ceteroquin confessio ipsorum Coniugum, iureiurando confirmata, ac etiam septima Propinquorum, vel, si ii desint, vicinorum manu munita, approbatur in Cap. *Laudabilem* et in Cap. *Literae vestrae* de frigidis *in Pragen. Matrimonii die 27 Februarii 1734* §. *Ceterum.*

Item *in Aurien. Dispensationis die 19 Decembris 1818* §. *Contra.*

44. Sacri enim Canones tunc tantum coniugum iuramento ac septimae manus testimonio deferendum esse iubent pro Matrimonii dissolutione, cum causa non consummationis petitur a frigiditate viri *in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853* §. *Nec melius.*

45. Idcirco quum Vir nullo impotentiae vitio infectus dispensationem petierit super Matrimonio tamquam rato et non consummato, quin ullum documentum ad probandam non consummationem afferret, sed contra Mulier iuramento consummationem affirmaverit, atque ita etiam alii opinarentur, Sacra Congregatio declaravit, haud esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione *in Tarraconen. seu Pisana Matrimonii die 14 Novembris 1733.*

46. Siquidem Franciscus Henricus Iauch centurio Legionis helveticae die 10 maii 1726 in Civitate Tarraconensi rite contraxit Matrimonium cum Francisca Collodia Panormitana vidua Leonardi Gouben. Carolus Franciscus, Pater dicti Francisci Henrici, per publicum instrumentum promisit, se, quamdiu filius militaris officii causa absens fuisset a Francisca uxore, idonea vitae subsidia ei suppeditaturum ex stipendio ad filium spectante. Liburnum tam Carolus Franciscus Pater eiusdem Legionis tribunus, quam Franciscus Henricus filius cum catholici Regis copiis appulit, et eiusdem filii nomine anno 1731 ad dispensationem obtinendam oblatus Summo Pontifici fuit libellus, quo exponebatur, eum, cum septimum supra decimum aetatis annum ageret, fraude praedictae Franciscae adductum fuisse, ut cum ea iniret nuptias, stirpis suae claritate indignas. Addidit, Parentum indignationem ob huiusmodi Coniugium se adeo subiisse, ut eorum hereditate se orbandum timeret. Itaque Apostolica Auctoritate Matrimonium illud, tamquam ratum et non consummatum, dissolvi postulavit. Nuntius apud Helvetias exposita confirmavit. Francisca tamen Collodia iam inde ab anno 1731 Liburnum se contulit, ubi etiam morabatur Franciscus Henricus eiusque Pater. Liburni quidem seorsim vivebant Coniuges, sed Francisca iurisiurandi religione interposita affirmavit, Matrimonium fuisse consummatum, antequam Tarracona discederet Maritus; atque ita ettiam opinabantur alii Officiales eiusdem helveticae Legionis. Franciscus vero nullum protulit documentum, quod huiusmodi consummationem excluderet. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione tamquam super matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Tarraconen. seu Pisana Matrimonii die 14 Novembris 1733.*

47. Hinc Sacra Congregatio Mulieri dispensationem a Matrimonio rato et non consummato denegavit, etiamsi Peritiores in tertia recognitione corporis Viri retulissent, aliquod vitium intrinsecum, et morbosum eumdem habere, ex quo oriebatur impotentia respectiva ad Virgines, et Matronae declarassent, eam adhuc esse virginem, dum e contra Medici et Chirurgi unanimiter bis antea contestati fuerant, nullum prope signum impotentiae extrinsecum et visibile in eum apparere, adeoque Mulier ad formam sententiae Ordinarii et Nunciaturae Apostolicae coacta est redire ad mutuam cohabitationem per annum *in Cadicen. Dispensationis die 31 Maii 1704 lib. 54 Decretorum.*

48. Iamvero – Matrimonium contraxit anno 1693 Maria Iosepha Babon aetatis annorum decem et septem cum Ioanne Antonio de Olaya annorum decem et novem, traductaque Sponsa ad domum Viri, post cohabitationem octo mensium, experta est, suum Sponsum imparem fore ad explendum opus Coniugii. Unde, ob illius reversionem ad lares paternos, dictus Vir die 29 martii 1694 instetit coram Ordinario Cadicensi, illam iuris remediis compelli ad secum cohabitandum et reddendum obsequia matrimonialia. At instructo illico per dictam Mariam iudicio super nullitate Matrimonii, ex capite impotentiae Viri eam prorsus denegantis, dictus Ordinarius decrevit, illum inspici et recognosci per duos Chirurgos, qui unanimiter retulerunt, nullum prope signum impotentiae extrinsecum et visibile in eum apparere. Siluit Causa usque ad annum 1698, eo quia non antea praefatus Sponsus ab Indiis, in quas secesserat, reversus est ad patriam; quocirca reassumpto iudicio per Mariam, dictus Ordinarius decrevit, illam per Matronam, Virum vero per Medicos utrinque nominandos inspici et recognosci; et sane isti non secus ac Chirurgi antecedenter deputati retulerunt, Matronae vero declararunt, Mariam Iosepham adhuc virginem esse. Huiusmodi Peritorum iudicio neque totaliter Ordinarius acquiescens pro perfectiori Viri recognitione alium Medicum et Chirurgum deputavit, qui in eorum relationibus affirmarunt, nullum adesse in eo vitium visibile, ex quo resultaret impotentia absoluta, nihilominus ex aliquot mediis, quibus secundum artem usi fuere in actu recognitionis, satis eis innotuisse, dictum Virum aliquod vitium intrinsecum et morbosum habere, ex quo oriebatur impotentia respectiva ad Virgines. Hisque peractis pro subsistentia Matrimonii, ad Causam admisso Promotore fiscali, ac iuribus utrinque late deductis per dictum Ordinarium perpensis, sententiam protulit, iniungendo praedictis Coniugibus reditum ad mutuam cohabitationem per annum.

49. Provocavit ab hac sententia dicta Maria Iosepha ad Nuncium apud Regem catholicum, delegatoque Iudice per Tribunal Nunciaturae, coram quo comparente Promotore fiscali vice Ioannis Antonii, qui iterum in Indias navigavit, dictus Iudex per sententiam declaravit, Mariam Iosepham supplicare debere Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato non consummato, qua quidem dispensatione non petita aut non obtenta, sententiam Ordinarii pro confirmata habere voluit. Praefatae declarationi seu Decreto adhaesit Maria Iosepha, preces ad hunc effectum porrigendo Sanctissimo, illisque huic Sacrae Congregationi pro voto remissis, et deinde pro informatione ad Nuncium Apostolicum, qui facti seriem, ut supra referens, eximiae EE. VV. sapientiae remittit, an sufficiens causa concurrat pro dicta dispensatione concedenda –. Proposito tamen dubio: - An petita dispensatio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Cadicen. Dispensationis die 31 Maii 1704 lib. 54 Decretorum.*

50. Qua de re iuramentum Uxoris negantis consummationem nil sibi vindicat, quatenus a iuramento Viri contradictum sit, ut ex Textu in Can. *Si quis acceperit* 33 quaest. 1, et Cap. 1 de dispens. impuberum *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Defensor.*

51. Id eo vel magis vim habet, cum Mulier post biennium querelam non sequutae consummationis detulerit, quo in casu sacri Canones suspectum habent iuramentum Uxoris, quae tamdiu tacuit, et potius iuramento Viri deferunt, ut ex Textu in Cap. *Accepisti* de frigidis tradunt Barbosa in Cap. 1 de frigidis, Panimolla decis. 51 n. 13 *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Defensor.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826* §. *Contra; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1827* §. *At; in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Cui.*

52. Nec obstare videtur Cap. *Proposuisti* de probationibus; hoc enim sibi vindicat in casu, quo Mulier arguat et demonstret impotentiam Viri, quum demonstrata impotentia iuramentum Mulieris negantis consummationem Viro affirmanti praevaleat, ut eruitur ex dicto Capite, et tradit Sanchez de matrim. disp. 109 lib. 7 n. 5 et 20, decis. ad ornat. Card. De Luca decis. 11 n. 6 *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Defensor.*

53. Quapropter in contradictione Viri iurantis, se Matrimonium consummasse, et Mulieris iuramento firmantis, se Matrimonium haud consummavisse, potius habendum huius iuramentum, quando ex recognitione corporis intemerata appareat, ut Cap. *Proposuisti* de probationibus, ac docent Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 109 n. 6, Guttierez de matrim. part. 3 n. 21 *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Mulier.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826* §. *Mulieris; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *Mulieri; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Ad; in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Iamvero.*

54. Unde si Mulier Virum arguat de mendacio et per inspectionem sui corporis se virginem esse demonstret, tunc posthabendum est iuramentum Viri et fides adhibenda est Mulieri, uti sancitum habetur in Cap. *Proposuisti* de probationibus *in Ianuen. Matrimonii die 16 Augusti 1783* §. *Verum.*

Item *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Hisce.*

55. Idcirco aliquando unius Puellae iuramento fides adhibetur, licet Vir contrarium asserat, quando nimirum iuramentum Uxoris se non cognitam affirmantis, testimonio confirmatur Mulierum, quae illam inspexerunt, ad Textum in Cap. *Proposuisti* de probationibus, et firmant Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 109 n. 16, Guttierez de matrim. part. 3 cap. 130 n. 21 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Duo.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *In; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Ad.*

56. Idque eo vel magis, si Mulier brevi post initum Matrimonium tempore reclamaverit, ceu docet Sanchez de Matrim. disp. 109 n. 19 *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Inde.*

Item *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Iamvero.*

57. Alias enim quaerelae Mulieris quoad Viri impotentiam post diuturnum tempus institutae vehementem praeseferunt doli fraudisque suspicionem, Barbosa in cap. 1 de frigidis *in Asten. Matrimonii die 2 Martii 1776* §. *Animadvertit.*

Item *in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *Hanc; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1833* §. *Hinc.*

58. Nam ex Cap. *Accepisti* de frigidis, ut Mulier audiatur, in ipsa novitate, idest per mensem aut postremum duos reclamare cogitur, et contradicente Viro per rectum iudicium illius frigiditatem demonstret oportet *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826* §. *Contra.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *At; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1833* §. *Hinc.*

59. Idcirco ubi serotina est Mulieris querela, exploratio virginitatis nullam dat consummationis probationem, Card. Argenvilliers in dissert. de matrim. ex impotent. caus. dirim. vel non apud Constantinum tom. 5 n. 22 et 25 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *At.*

60. Hinc despiciendae sunt huiusmodi querelae, ex Cap. *Accepisti* de frigidis, cum verosimile non sit, ut Mulier ac praesertim Adolescentula diuturno tempore cum impote stare voluerit, S. Ioannes a Capistrano in 5 Decret. tit. de poenit. n. 230 *in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *Hanc.*

61. Maxime cum deficiat probatio phisica virginitatis Mulieris, Sanchez de matrim. lib. 7

disp. 109, Card. De Luca lib. 14 tom. 2 decis. 11 *in Angren. Matrimonii die 6 Februarii 1847* §. *Quin.*

62. Mulieris tamen quaerelae quoad Viri impotentiam, licet sint serotinae excipiendae sunt; quoniam diuturnitas temporis quandoque maiorem non sequutae consummationis probationem suppeditant, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 109 a n. 11, Coscius de separat tor. tom. 2 cap. 2 n. 336 et 358 *in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *Petitae.*

63. Idcirco quum Mulier post biennium contra Viri impotentiam reclamaverit ac iuraverit, haud Matrimonium fuisse consummatum, ac bis inspecto Mulieris corpore constiterit de ipsius virginitate, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi a Matrimonio rato et non consummato, etiamsi Vir consummationem iuramento firmaverit, atque ex perfecta externa partium structura viripotentia praeditus videretur *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845 et die 5 Decembris 1846.*

64. Iamvero Clara Imar rite nupsit Caietano de Hieronymo, nuptialique cum eo thalamo per integrum biennium cubavit: sed inde adstitit coram Curia Neapolitana, ut nullum propter impotentiam Viri declararet Matrimonium, et Curia illa formiter absolutis quaestionis actis, nullum reapse edixit Matrimonium. Causa in vim appellationis ad Sacram Congregationem delata, Mulier perpetuam absolutamque Viri impotentiam probare studuit, vel saltem locum esse dispensationi contendit, cum ipsa iam iuramento firmaverit, Matrimonium non fuisse consummatum, et Obstetrices, praevio balneo expleta ipsius corporis inspectione, retulerint, eam esse virginem, quibus unanime accesserit Medicorum et Chirurgorum iudicium. E contra Matrimonii Defensor, ex iudicio in arte Peritorum, virili Caietani aspectu, viridi triginta circiter annorum aetate, recta partium conformatione, ceterisque potentiae charecteribus, arguit potentiam coeundi, ac proinde consummationem Matrimonii, quum per biennium cum Clara eidem dilecta et formosa condormierit. Nec obesse dixit iuratam Mulieris assertionem de non subsequuta Matrimonii consummatione; quia ea nimis laconica fuit, adeoque suspecta, et quia sero post binos annos septemque menses Clara querelam proposuit, et quia eadem contradicebatur a Viro Matrimonii consummationem asserente, cui, utpote caput Mulieris, potius fides habenda erat. Nec etiam Clarae virginitas ab Ostetricibus asserta quid roboris exerere poterat, quia Sacri Canones praeter Mulieris recognitionem requirunt triennalem cohabitationem, citam reclamationem, si non certam saltem verosimilem Viri impotentiam, si de ea agatur; quae quum deessent, nihil prodesse virginitatis recognitionem per Obstetrices docemur in Can. 24 Caus. 27 quaest. 1, Pont. de matrim. lib. 7 cap. 53, et quia Obstetrices, an fide dignae, non probabatur, ignarae in opere nuptiali, ut ipsaemet fassae sunt, edicendo: – Questa è la prima volta, che sono stata chiamata a questa ispezione –. Nullam praeterea ex allatis causis subsistere contendit Matrimonii Defensor: non impotentiam Viri, uti patebat ab expositis; non discordias inter Coniuges, quia Vir Claram ita amore prosequebatur, ut etiam post eius reditum in paternam domum et eam invisere et muliebri mundo donare et portionem pensionis suae eidem assignare et epistolas benevolentia plenas ad eam mittere sueverit, adprecatus etiam, ut maritalem domum repeteret; non tentatam prostitutionis turpitudinem, quia gratis assertam, et a tribus Testibus absque sufficienti scientiae causa, vel suspectis, vel vilibus contra omnem verisimilitudinem ad commodum Mulieris propositam: non odia familiarum, quia Viro Mater tantum, et Mulieri Soror supererant; tandem non timorem scandali, quod potius si concederetur dispensatio, oriretur.

65. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 augusti 1845 responsum tulit: – Ad secundum, dilata; et scribatur Vicario Capitulari pro nova inspectione corporis tam Viri per tres novos Peritos, quam Mulieris per alias tres Obstetrices a Peritis instruendas, servata forma Constitutionis a s. m. Benedicti XIV *Dei miseratione*, ac exhibitis per Defensorem Matrimonii Curiae Archiepiscopalis interrogatoriis –. Praevio itaque bal-

neo, peracta nova corporis Mulieris inspectione ab Obstetricibus per Medicos et Chirurgos instructis, uno veluti ore eaedem Obstetrices Matronae Medici et Chirurgi Claram virginem declararunt, cum ex reperta integritate membranae hymenis, et defectu quolibet caruncularum myrtiformium virginitatis infallibile signum exurgeret. Vir autem, semel iterum ac tertio monitus atque terminis peremptoriis compulsus, renuit suum corpus novae subiicere inspectioni, declarans imo, se propter pecuniae defectum haud posse amplius iudicium prosequi. Clarae hinc Defensor enixius contendit, locum esse dispensationi, cum his in terminis iuramento Viri fides haud perhibenda, ex Cap. *Proposuisti* de probationibus. Testimonia itidem Peritorum de eiusdem perfecta structura loquentia vel minimum turbare poterant, cum ex certis signis plene probaretur, non extrinseco, sed intrinseco defectui, nempe nervorum debilitati, impotentiam tribuendam esse, quandoquidem plures Testes uno ore in processu retulerunt verba a De Hieronymo accepta, quod – nell' usare del Matrimonio per parte sua avea la erezione, ma che nell' accedere a lei (scilicet Mulieri) svaniva tutto –, quod validius confirmari existimavit, ex detrectata a Viro nova sui corporis observatione. At Sacramenti Vindex rursum omnia iura cumulavit ad Viri impotentiam nedum absolutam, sed et relativam eliminandam: ac pro viribus sustinuit, consectarium non consummati Matrimoniii ex virginitate Mulieris nulla ratione depromi posse, dum nulla de virginitate signa certa ac tuta dari valere cum pluribus Medicis teneret. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, non constare de nullitate Matrimonii, respondit: – Ad secundum, Affirmative, ita tamen, ut Vir ad alias nuptias non transeat, inconsulta Sacra Congregatione – *in Neapolitana Matrimonii die 5 Decembris 1846.*

66. Quum itaque Mulier post biennium reclamaverit contra proprii Viri impotentiam iuramento affirmans, Matrimonium haud fuisse consummatum, cui accessit septima propinquorum manus, sed Obstetrices diversas protulerint sententias, unde nova inspectio iudicialis per Chirurgos et Medicos perficienda demandata fuerit, qui eam unanimiter virginem iudicarunt, Sacra Congregatio primum mandavit, ut etiam inspectio corporis Viri perficeretur, eo autem in contumacia persistente, dein dispensationem indulsit, inhibito simul Viro transitu ad alias nuptias inconsulta Sacra Congregatione, licet dictus Vir iuraverit, Matrimonium fuisse consummatum, et opinio falsa tamen Mulieris existeret, quae primis mensibus uterum gestare putaverat, nec non fama de abortu consummationem urgere videretur *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826 die 28 Aprilis et die 21 Iulii 1827.*

67. Enimvero Ioannes Ferrari Dux Parabitae Neritonensis Diaecesis in Hydruntina Provincia die 27 augusti 1820 uxorem duxit nobilem Neapolitanam adolescentulam Olympiam Monticelli della Valle ex Ducibus Ventignani in decimo septimo aetatis anno constitutam; sed nonnullos post menses dissidiis iam exortis tandem die 10 octobris 1822 Olympia Ioanni dixit vadimonium, tori separationem saevitiarum causa exposcens, petitionibusque sententia arrisit, quam appellationis Decretum confirmavit. Supplex interea Summum Pontificem adierat Olympia pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati. In processu itaque extructo ad formam Constitutionis *Dei miseratione* Olympia iuramento deposuit, Matrimonium ob Viri debilitatem nunquam fuisse consummatum, quamvis per integrum biennium et ultra bona fide maritali operi perficiendo sese exhibuerit. Mulieris iuramento septima accessit Propinquorum manus ac plurium Testium depositio de fama non consummationis fidem perhibentium. Duo vero Obstetrices consummationem, tertia virginitatem renunciarunt: ex ipsorum relatione duo Periti pro consummatione steterunt, duo pro virginitate, quintus media via incedens deflorationis signa concessit, ac pro non perfecta consummatione pronunciavit. Mulier ab hoc experimento reclamavit, atque consentiente Viro, ex oraculo Sacrae Congregationis mandatum est, – fieri iudicialem inspectionem a quinque Peritis partim Medicis, partim Chirurgis celebrioribus –. Isti rite expleta corporis recognitione, uno ore Mulieris virginitatem proclamarunt: quinimo et duo Periti, qui pro consummatione in

praecedenti inspectione ex Obstetricum relatione iudicium dixerant, novo corporis examine extraiudicialiter ab ipsis instituto, sententiam mutarunt, et Olympiam adhuc virginem iudicarunt. Ioannes vero in Curia Hydruntina ex speciali subdelegatione rogatus consummationem iureiurando affirmavit, ac praeter septem ex eius latere propinquos, qui de credulitate testimonium tulerunt, quosdam induxit Testes, qui de fama consummationis deponerent. Pro inspectione corporis Viri in dicta Curia pluries institit Mulier, at Ioannes latuit. Hinc Mulieris Defensor contendit, fidem eidem, non autem Viro esse adhibendam, cum praeter ipsius et propinquorum iuramentum accederet iudicium per aspectum corporis a quinque celebrioribus Peritis institutum, qui Olympiam virginem denuntiarunt, nec non plures Testes, qui vel de consummatione, vel de non consummationis fama testimonium tulerunt. Mulieris vero opinionem, qua primis mensibus uterum gestare putavit, nihili dixit esse faciendam, utpote falsam ac profluentem ex rerum maritalium inscitia, quae eo tempore Mulier ipsa laborabat, uti iureiurando affirmavit; ac similiter omnino spernendam vocem ab aliquibus Testibus inductam de Olympiae abortu, cum ea opinio nullum certum agnosceret auctorem, nec ipse Ioannes ullam de abortu mentionem fecisse ex processu liqueret. Causas dispensationis collocavit in Viri impotentia, et in animorum et Viri saevitiis. Contra Matrimonii Defensor advertit, Olympiam in novitate haud reclamasse, cum per biennium tacuerit: deficere non consummationis probationes, quae perspicuae et concludentissimae esse debent; et iuramentum Mulieris adversari iuramento Viri famae abortus atque literis ipsius Olympiae ad Matrem datis, quibus se uterum gerere significavit, quin assertio de ignorantia in re maritali admitti posse videretur, nec corporis inspectioni fidendum esse contendit, cum praesertim discrepantia esset inter Obstetrices et Peritos. Iustam haud esse causam dispensationis impotentiam Viri dixit, cum deficeret probatio; idcirco Viri inspectionem esse decernendam sustinuit, nec saevitias in pretio habendas pro causa dispensationis, cum ad Matrimonii solummodo quoad torum dissolutionem satis censeantur.

68. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 aprilis 1826 respondit: – Dilata, et ad Emum Archiepiscopum, qui, praefixo termino unius mensis Ioanni Ferrari Duci Parabitae ad comparendum personaliter Neapoli, ibique constituto Procuratore infra terminum ab eodem Emo praefiniendum, se subiiciat inspectioni Professorum chirurgiae et medicinae etiam ex officio deputandorum, de resultantibus certioret –. Archiepiscopus mandata diligenter executus est, sed irrito conatu, quoniam Dux Parabitae in sua pertinacia sibi duxit haerendum. Mulieris hinc Defensor enixius institit, ut dispensatio indulgeretur, cum ex contumacia Ioannis dubitari non posset, quin ipse impos esset ad coeundum cum Olympia. Itaque ne Dux Parabitae praemium ex propria iniquitate perciperet, innocensque Puella damnum sentiret, petitam dispensationem concedendam esse contendit. Matrimonii Defensor vero necessariam esse sustinuit inspectionem corporis Viri, alias enim deficeret probatio non consummationis Matrimonii, ac propterea aut reiiciendas esse dixit preces Olympiae, aut praecipiendum triennale experimentum. His utrinque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 28 aprilis 1827 respondit: – Affirmative, et Ioanni Ferrari non relaxetur fides status liberi, inconsulta Sacra Congregatione –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 21 Iulii 1827.*

69. Quin imo licet Mulier post biennium reclamaverit ac opinio adesset de sequuta eius praegnantia, nec non Vir iuraverit, Matrimonium fuisse consummatum, sed tres Medici et duo Chirurgi post rite expletam illius corporis inspectionem eumdem verosimiliter impotem perpetuo pronunciaverint, unus omnino impotentem renuntiaverit, ac alter putaverit, possibile fore, ut is actus coniugales exercere valeret, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi Matrimonii rati et non consummati, vetito etiam Viro transitu

ad alia vota, cum e contra Mulier iuraverit, Matrimonium haud unquam consummatum fuisse, cui etiam septima Propinquorum manus aliique Testes accesserunt, nec non tres Obstetrices atque quatuor in arte Periti, inspectione rite facta, unanimiter eam virginem proclamarunt *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii et die 26 Augusti 1826.*

70. Siquidem maxima animorum iucunditate die 7 maii 1821 inter Thomam Messore octo supra quadraginta annos natum et Mariam de Pompeis initum est Matrimonium. Iam inde a principio Connubii Mulier primum cum Matre, dein cum Fratribus conqueri cepit de Viri frigiditate: post duos vero circiter menses communis thalami, quem fraterna Mulieris domo habuerunt, Coniuges, quibusdam inter se obortis dissidiis, rei maritali operam dare destiterunt, ita ut Thomas comitatis tantum gratia deinceps domum ventitaret Uxoris. Cumque nihilominus Mariam uterum gestare arbitraretur eius Vir, Michael Mulieris frater Regius Consiliarius Viros in arte peritos accivit, qui morbo hysterico, ex quo adhibitis remediis paulatim Maria convaluit, intumescentiam ventris tribuerunt. At Coniugum abalienatione simultatibusque increbrescentibus, Maria dispensationem super Matrimonio rato et non consummato a Summo Pontifice expostulavit. Demandata itaque confectione processus, Mulier, Sacramenti fide interposita, ob Thomae impotentiam nunquam Matrimonium consummatum fuisse asseveravit. In Mariae depositionem septima ivit Propinquorum manus, nec non alii Testes, quos inter nonnulli Medici, a quibus opem et remedia quaesierat Thomas, affirmamarunt, se audivisse de ipsa Muliere deque eius consanguineis ob Viri imbecillitatem nunquam secutam Matrimonii consummationem. Tres denique Obstetrices, a quatuor Peritis instructae, Mulieris corpus, praevio balneo et duabus Matronis adstantibus, inspexerunt, ac Mariam adhuc virginem iudicarunt: similiter Medici, Obstetricum audita relatione, concordi animo pro non consummatione protulere sententiam. Thomas examini subiectus, licet fassus fuerit, primis nuptiarum diebus haud potuisse ob propriam debilitatem rem matrimonialem perficere, atque hanc ob causam quatuor consuluisse in arte medica Peritos, nihilominus iuramento affirmavit, postea levem, sed sufficientem habuisse potentiam, ad Matrimonii consummationem, adeo ut eius Uxor desinente mense ab inito Connubio in suspicionem venerit conceptionis foetus. Thomae depositionem iureiurando de credulitate septem ex eius latere confirmarunt Propinqui. Insuper tres Testes tali pacto cum eis Mariam locutam fuisse narrarunt, ut ipsa foetum gerere saltem suspicaretur. Omnes, qui corpus Viri inspexerunt, affirmarunt quidem nullo externo vitio Thomam laborare, sed tres Medici et duo Chirurgi, ex nervorum debilitate et vasorum varicositate illum verosimiliter impotem pronunciarunt, eiusque frigiditatem forte insanabilem esse existimarunt; unus vero omnino impotentem renuntiavit, demum alter putavit, possibile fore, ut Thomas actus coniugales exercere valeret. Hinc Mulieris Defensor locum esse dispensationi contendit, quin obesset vox de praegnatione; quoniam ab inutilibus Viri conatibus subagitata Mulier morbo hysterico ita fuit afflicta, ut venter eius intumuerit. Huius revera vocis falsitatem ipse agnovit Thomas tam epistolis ad Levirum missis, quam silentio de partu aut abortu, quo una cum Testibus ab eo inductis in iurata depositione usus est. Plures etiam causae dispensationis concurrebant, scilicet Viri frigiditas, coniugalis fidei violatio, nec non Coniugum odium. At contra Matrimonii Defensor arbitratus est, Mulierem non esse audiendam, quum in ipsa novitate, scilicet post mensem aut postremum duos non reclamaverit, sed tantummodo post biennium, nimirum die 11 iunii 1823 Summum adierit Pontificem. Idcirco iuramentum Viri Mulieris iuramento anteferendum esse contendit, eo magis quod in casu aderat opinio de sequuta Mulieris praegnantia, atque alio ex fonte, quam ex illo impotentiae manarunt dissidia inter Coniuges, quin subsidium aliquod haurire posset Maria ex corporis sui inspectione; nam huiusmodi probationum genus fallax et periculosum, ubi praesertim serotina est Mulieris querela. Nec iustas adesse causas dispensationis sustinuit, cum in opinionum varietate dubia esset impotentia, vel ad novam corporis Viri inspectionem, vel ad triennale experimentum pro-

cedi deberet. Adulterium vero a Thoma commissum et animorum aversio nec satis ostendebatur, nec sufficiebant ad Connubii vinculum dissolvendum.

71. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio die 27 maii 1826 responsum dedit: – Affirmative, inhibito Thomae Messore transitu ad alia vota –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Augusti 1826.*

72. Unde attentis iuramento Mulieris de non sequuta consummatione eiusque septimae Propinquorum manus nec non iudicio Obstetricum et in arte Peritorum eam virginem iuramento proclamantium atque pessima Viri consuetudine vitae, Sacra Congregatio censuit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato, etiamsi Vir iuraverit, Matrimonium fuisse consummatum, et in arte Periti eumdem ex perfecta ac externa partium conformatione potentem renunciaverint, nec non is triplicem saltem congressum in tribus conviventiae mensibus cum Uxore habuerit, atque adhuc ad Uxorem peramanter recipiendam promptum ac paratum sese exhiberet *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858.*

73. Iamvero die 8 iunii 1854 inter Arthurem de Woelmont Baronem et Valeriam e Baronibus De Wal iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae Matrimonium celebratum fuit: sed brevi coniugalis vitae concordia perduravit, ac Valeria abalienatum a se Arthuris animum cito experta a maritali domo recessit, et nonnisi utriusque familiae Propinquorum suasionibus ac officiis instantibus ad communionem vitae cum Viro suo iterum instituendam flecti ac induci potuit. Minus tamen diuturna reconciliatio fuit: nam Valeria pertaesa corruptos Arthuris mores ac inemendabilem vitae rationem, aegroque nimis animo ferens se magis in dies negligi despici ac ludibrio femellarum subdi, quas Vir famulatus praetextu domi ad libidinem explendam alebat, tandem tribus a nuptiarum die elapsis mensibus apud paternos lares, maritalem domum non amplius reditura, sese recepit. Subinde in irritum propter obstinatam Arthuris voluntatem cessis pro nova reconciliatione officiis et conatibus, Valeria ipsa dociliter obsecundante, a consanguineis et amicis utrinque, interposita etiam Praesidis iudicialis auctoritate, adhibitis, id ipsa consilium cepit, ut vinculi solutionem seu nullitatis Matrimonii declarationem ob absolutam, sin minus relativam Viri impotentiam iure iudicioque postularet. Congregatio vero ab Episcopo deputata, re mature perpensa, unanimi consensu iudicavit, – nullatenus constare de impotentia neque absoluta neque relativa D. Arthuris De Woelmont –, ac triennale experimentum Coniugibus esse concedendum. Appellavit Mulier, simulque petiit a Summo Pontifice dispensationem a Matrimonio rato et non consummato.

74. Itaque Valeriae Defensor absolutam Arthuris impotentiam renunciandam contendit, eo quod ipsa iurata deposuit, Arthurem secunda nuptiarum nocte ac postea fassum esse, nunquam se prolem habiturum, suamque deceptionem vel Sponsae conditionem deplorasse. Accedebat opinio Parentis eiusdem Arthuris de filii sui impotentia, quam quidem opinionem ab ipsius Parentis ore se, Matre quoque adstante, accepisse Valeria testata est, ac in idipsum collimarunt eiusdem Baronis Patris declarationes post Coniugum separationem, dum fatebatur suo in Senatu Collegae, impossibilem futuram inter eos vitae consuetudinem. Demum Valeria iuravit, perpetuo frigidum ac inertem mansisse Virum, quoties opus maritale tentavit; quin obiici valeret hominis perfecta Arthuris conformatio et absentia morbi, quae quidem consistere possunt, absque eo quod vitium latens internum excludatur, aut impotentia saltem relativa, ceu etiam observarunt Periti a Viro pro sua inspectione adhibiti. Id autem luculentius fiebat, tum ex iuramento Mulieris de non sequuta consummatione, tum ex septimae manus testimonio, accedente publica voce et fama, etiam ex subdola depositione ipsius Arthuris, semel enim ac iterum de hoc interrogatus responsum declinavit, et rogatus tertio post tres circiter annos, quamvis consummationem secutam asseruerit, subdidit tamen: – non può determinare fino a

qual punto la membrana verginale è stata fratturata o lacerata –, tum denique ex inspectione corporis Valeriae, cum Obstetrices et in arte Periti omnia et singula integritatis virginalis signa in ea inveniri iuramento firmarunt. Unde nec iustas deesse causas dispensationis sustinuit, cum et ipsa de impotentia dubietas legitimam praeberet causam, cui impossibilitas reconciliationis accedebat, post tot nefanditates et adulteria, quibus fracta coniugali fide se Vir contaminavit, quin vel in praesens recessisset, post passum ob id carcerem, post scandala, ac longe lateque diffamationem, cuius rei plena erant acta processus. Denique civile divortium, ex quo Coniugibus mutuam vitae consuetudinem iterum instituere interdicebatur, alteram dispensationis causam suppeditabat. Contra Defensor Matrimonii ex officio impotentiam exclusit ex Peritorum testimonio, quin etiam relativa subsisteret; hanc enim haud certam firmarunt iudicio, sed tamquam de re possibili in abstracto et per hypothesim de ea sermonem instituerunt: a potentia vero ad actum non valere illationem commune fert axioma. Peritorum iudicio pondus addi ex iurata Viri confessione de consummato Matrimonio, cui magis credendum est, quia Vir est caput Mulieris. Praeterea extraiudicialibus documentis constabat, Baronem maxima aviditate et conatu ad turpia impelli, quin regeri posset, illum valere cum corruptis, haud vero potentem censeri cum virgine. Accusabatur enim de turpi consuetudine cum trilustri Puella. Reiecit praetensas confessiones Viri de sua impotentia, cum eas inter risus protulerit; et gratuito allegabatur Patris Arthuris opinio de sui filii impotentia; nunquam examini suppositus ille fuit, usque dum in silentio tandem decessit. Minus etiam deferendum gratuitae assertioni de publica voce et fama, cum ex propalata turpi Viri consuetudine oriretur; propensio enim ad huiusmodi actus potentiam prodit ac suadet, testante Zacchia in quaest. med. leg. lib. 3 tit. 1 quaest. 5. Demum ineptum esse dixit argumentum impotentiae sumere ex triplici dumtaxat congressu in tribus conviventiae mensibus habito, ceu Mulier ipsa fatebatur. His addidit, haud legitimam fuisse Mulieris explorationem, cum omissum esset balneum per tres quadrantes horae a Muliere ante inspectionem adhibendum; nec ex relatione Obstetricum adnotata haberi singula integritatis signa, ex quibus virginitatis criterium constitui solet. Nullam etiam iustam dispensationis causam subesse dixit, cum reconciliatio inter Coniuges non desperaretur, praesertim quum, emendatis moribus ac Mulierculis dimissis, ad Uxorem peramanter recipiendam Vir promptum ac paratum sese exhiberet.

75. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? *Seu potius* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative – *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858.*

76. Qua de re quum Mulier apud acta formiter iuraverit, haud fuisse consummatum Matrimonium, idque confirmaverint septima Propinquorum manus aliique Testes, ac Obstetrices et in arte Periti indubia integritatis indicia occurrere denuntiaverint, uno excepto, qui ea tantum probabilia existimavit, sed e contra Vir iuramento firmaverit, Matrimonium consummatum fuisse, quin se tamen inspectioni corporis subiicere voluerit, ex eo quod habebat testimonium quinque in arte Peritorum, qui eumdem potentem censebant, Sacra Congregatio primum mandavit, ut fieret inspectio corporis Viri, eidem ad id praefixo termino unius mensis, mox rursus edixit, ut eiusdem corporis Viri nec non ipsius Mulieris perficeretur in Urbe inspectio, habita vero probatione satis clara de impotentia Viri, locum amplius non esse censuit novae inspeclioni corporis Mulieris, simulque declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati, adiecta lege Viro non transeundi ad alia vota *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827 die 26 Ianuarii die 20 Septembris et die 20 Decembris 1828.*

77. Enimvero Maria de Peruta vix septemdecim annos nata summa consensione et auctorantibus Parentibus die 7 martii 1825 nupsit comiti Aloisio de Mauro, cum quo

post nonnullorum dierum lapsum in paterna domo commune habuit thalamum. Secundus nondum a nuptiarum die effluxerat mensis, quum, mutuo iam frigiscente Coniugum amore, exortisque postea dissidiis, Aloisius uxorias dereliquit aedes, vel, ut ipse affirmabat, ad illas accedere, tamquam operi maritali minus aptus, prohibitus fuit. Frustra Aloisius eiusque Parentes ad animorum reconciliationem consequendam obsequia amicorum officia Virorum auctoritatem adhibuerunt; tam Mulier enim, quam illius Parentes coeundo imparem dicebant Maurum, huius impotentiae rumore sensim percrebescente, Maria a Pontifice Maximo dispensationem petiit a Matrimonio rato et non consummato. Demandata itaque instructione processus ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Mulier penes acta iureiurando dixit, se adhuc esse virginem, irritos fuisse Viri conatus ob eius frigiditatem, hanc ob causam iam inde ab initio cum Matre, postea cum aliis consanguineis querelas instituisse, tandem propter pandita nuptialia arcana graves a Viro pertulisse minas, maximaque erga illum affici animi aversione. Quae Mulier deposuit, ea veritati consona credidit iurata Propinquorum manus. Praevio dein balneo, adstantibus Matronis, et adhibito Medicorum et Chirurgorum consilio, accessit corporis inspectio per delectas Obstetrices expleta, quae virginitatis signa in illa deprehendisse retulerunt. Obstetricum relationem probarunt Periti, omnesque indubia integritatis indicia occurrere denuntiarunt, uno excepto, qui ea tantum probabilia existimavit. Aloisius e contrario iuramenti ope asseruit, ipsa prima condormitionis nocte Matrimonii intercessisse consummationem, huiusque rei signa summo mane vidisse tam Uxoris Matrem, quam duas insimul adstantes Famulas. Suam depositionem septem ex eius latere Propinquorum testimonio roboravit. Insuper quatuor Testes deposuerunt, quod ab ipsa Maria Antonia Sarnatara, altera ex Famulabus Mariae de Peruta, audierint, eam post primum communis thalami diem vidisse linteum consummationis signis conspersum: verum eadem Maria Antonia rogata deposuit, nulla unquam in linteis conspexisse praefata signa; imo famam incessisse, Aloisium impotentia laborare. Nunquam autem Vir adduci potuit, ut corpus suum inspectioni Peritorum subiiceret; nam Aloisius, quum quinque Chirurgorum, qui absolutam eius viripotentiam praedicabant, protulisset testimonia, solemni experimento locum non esse contendit. Mulieris hinc Defensor sustinuit, in casu haberi indubiam Matrimonii non consummationem nec non causas dispensationis, quas collocavit in animorum abalienatione, exorta ex Viri minis contumeliis iurgiis. At Sacramenti Defensor contendit, desiderari in themate non sequutae consummationis probationes, quum Mariam de mendacio suspectam pluribus de causis traduxerit, et Maria Sarnataro male fuerit interrogata, nec adhibita cum aliis Testibus, uti oportebat, contestatio; idcirco ea rursus examini subiici debebat. Ex inspectione corporis Mariae incertum prorsus desumi argumentum dixit, cum praesertim unus ex in arte Peritis probabilia virginitatis Mulieris signa iudicaverit. Unde in dubio concedi non poterat dispensatio, praesertim quia quinque in arte peritissimi Viri Maurum in opere maritali potentem iudicarunt; sed potius locus erat experimento triennali. Tandem iustam dispensandi causam omnino deesse sustinuit, cum eas, quae proferebantur, nec etiam idoneas ad tori separationem censeret.

78. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo prodispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 septembris 1827 responsum tulit: – Dilata, et ad mentem –. Mens autem fuit, ut altera familiae de Peruta famula, cui nomen Maria Fiorentino, examini subiiceretur, et Aloisio de Mauro novus unius mensis praefiniretur terminus ad subiiciendum corpus suum inspectioni Peritorum cum intimatione, quod elapso termino et perseverante eodem Aloisio in spretu mandati, – habebitur sua contumacia pro retractatione iuramenti ab eo praestiti, et pro ultronea confessione non sequutae consummationis, et suae impotentiae –, tandem ut nullum reciperetur folium extraiudiciale, quod forsan a praefato Aloisio exhiberi potuisset. Itaque praefata Ancilla iuramento deposuit penes Curiam Neapolitanam, se nunquam vidisse linteum sanguine inquinatum; quin imo paucis post die-

bus ab initis nuptiis se ab ipsa Maria eiusque Matre audivisse asserui, Matrimonium non fuisse consummatum ob Viri impotentiam, atque hac de causa mutuam inter Coniuges pedetentim friguisse animorum coniunctionem. Aloisius autem de Mauro, licet pluries legitime monitus, imperium iugiter detrectavit. His interim perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1828 respondit: – Dilata, et fiat nova inspectio Mulieris in Urbe, et praefigatur Aloisio de Mauro terminus duorum mensium ad accedendum ad Urbem pro recognitione sui corporis, et notificetur Emo Archiepiscopo –. Mandatis tandem paruit Aloisius: peritia autem super inspectione corporis Viri vix dum expleta fuerat, e vestigio institit Mulieris Defensor, ut publici iuris fieret. At cum Mulier novae inspectioni sese tradere recusaverat, nondum integer absolutusque erat processus, ideoque locus esse non poterat aperitioni dictae peritiae absque mandato Sacrae Congregationis, quae tamen die 16 augusti 1828 rescripsit: – Ad D. Secretarium pro aperitione peritiae –. Panditae peritiae summa haec erat. Periti omnes, quamvis Aloisium in externa partium constructione nullo quidem vitio, quod rem maritalem habere impediret, laborantem proclamaverint, nihilominus quum ipse in facto periculo nullum dederit viripotentiae signum, penis vero ac nervorum debilitas internam portenderet paralysim, eum in illa rerum conditione constitutum ad coeundum omnino impotem declararunt, quin tamen iudicium ferre potuerint, utrum eiusdem impotentia esset originaria, an post initum Matrimonium superventa, licet Doctor Morichini subderet: – ma mi persuado, che l'abuso de' piaceri in tempo precoce abbia prodotto il vizio nervoso, del quale ho più volte parlato –. Interrogati autem praefati in arte Periti, an impotentiam Aloisii temporaneam, vel potius perpetuam et insanabilem iudicarent, in varias abierunt sententias. Ioannes Baptista Bomba Aloisium perpetuo et absolute impotentem denuntiavit, Aloisius Pompei dixit: – ho forte argomento di dubitare, che la di lui impotenza sia immedicabile invincibile e perpetua –. Dominicus Morichini ac Ioseph Sisco Aloisium perpetuo impotem existimarunt saltem ad rem cum Virgine habendam. Petrus autem Lupi retulit, vitium quo Aloisius afficiebatur esse – piuttosto temporaneo e vincibile, non essendovi alcun difetto di organizzazione –. Postulavit hinc Mulieris Defensor, ut Emi Patres, praevio recessu a Decisis super nova inspectione corporis Mulieris, consilium praeberent Summo Pontifici pro exorata Matrimonii dispensatione. At Sacramenti Defensor haud satis exploratam censuit Matrimonii non consummationem, ac propterea contendit, executioni committendum esse Sacrae Congregationis Rescriptum, quo nova demandata fuit inspectio corporis Mulieris, Romae peragenda.

79. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis super nova inspectione Mulieris in Urbe in casu etc. *Et quatenus recedendum a decisis.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 septembris 1828 respondit: – Ad primum, recedendum a decisis. Ad secundum, Affirmative, adiecta lege Aloisio de Mauro non transeundi ad alia vota –. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad primum dubium in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in secundo loco decisis. Ad secundum, in decisis – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 20 Decembris 1828.*

80. Hinc Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi Matrimonii rati et non consummati, vetito etiam Viro transitu ad alia vota, ipsa inconsulta, ex eo quod Mulier iuramento firmavit, haud Matrimonium fuisse consummatum, cui septima Propinquorum accessit manus, ac rite inspectione utriusque corporis Coniugum expleta, Mulier virgo, et Vir impotens absolute renunciati fuerant, quin obesset iuramentum Viri Matrimonii consummationem asserentis, nec testimonium decem extraiudicialium Peritorum, qui eum aptissimum ad Matrimonium consummandum censebant *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii die 22 Iulii et die 23 Decembris 1826.*

81. Siquidem Maria Hieronyma Marignano anno 1821 cum Caietano d' Errico summa animorum consensione in Matrimonium collocata, post quatuor fere mensium cohabitationem, nonnullis ortis dissidiis, a Viro divertit patriosque petiit lares. Dein separationem quoad torum et habitationem impetravit, ac paullo post a Summo Pontifice dispensationem Matrimonii rati et non consummati ob Viri frigiditatem efflagitavit. Extructo processu ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione,* Mulier iuramento affirmavit, nunquam ob Caietani impotentiam intercessisse Matrimonii consummationem, quamvis eius Vir ex Medicorum consilio plura adhibuisset remedia: imo addidit, Caietanum propriae gnarum frigiditatis ad extraneos amplexus illam sollicitasse, ut eius virginitas violaretur. Mariae Hieronymae depositioni septima accessit ex eius latere Propinquorum manus iureiurando testantium esse veritati apprime consona, quae Mulier narraverat. Decem quoque alii iurati Testes de non consummatione Matrimonii, de Viri saevitiis, deque illius impotentia tulere testimonium. Tres insuper Obstetrices, duabus Matronis adstantibus, Mariae Hieronymae corpus rite inspexerunt, eamque adhuc virginem denuntiarunt. At Caietanus iureiurando asseruit, Matrimonium post aliquot nuptiarum dies revera consummasse, et Propinquos aliosque Testes examini subiiciendos designavit: postea vero vadimonium deseruit, et licet iterum iterumque monitus, nunquam adduci potuit, vel ad subeundam sui corporis recognitionem, vel ad Testes designatos examinandos. Rebus sic stantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo ad mentem: mens est, ut per Emum Archiepiscopum Neapolitanum praefigatur terminus unius mensis Caietano d' Errico, ad subiiciendum corpus suum inspectioni Professorum chirurgiae et medicinae, ab eodem Archiepiscopo etiam ex officio deputandorum pro verificatione, an ad Matrimonii usum potens sit, an non; an temporanee, seu potius in perpetuum, cum intimatione, quod elapso termino et perseverante ipso Caietano in spretu mandati, habebitur sua contumacia pro retractatione iuramenti ab eo praestiti, et pro ultronea confessione non sequutae consummationis et suae impotentiae, ideoque nunquam ad alia vota transire poterit, etiamsi Uxori suae Mariae Hieronymae Marigliano indultum dispensationis a Sanctissimo concedatur, et Emus Archiepiscopus de resultantibus certioret – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826.*

82. Mandatis paruit Caietanus: ac rite absolutum processum ad Sacram Congregationem transmisit Emus Archiepiscopus, Professorum sententiam ita referens: – Expleta peritia, unusquisque Peritorum, praevio iuramento, suam depositionem emisit, et proprium iudicium protulit. Omnes unanimiter concluserunt, ac ad unam eamdemque sententiam accesserunt, Caietanum d' Errico ad usum Matrimonii impotentem absolute in perpetuum insanabilemque declarando –. Unde Mariae Hieronymae Defensor contendit, omnia in themate concurrere, quae ad Matrimonii dispensationem concedendam necessario requiruntur, cum praeter virginitatem eius et impotentiam Viri, haberentur etiam iurgia dissentiones et odia inter Coniuges. Verum Matrimonii Defensor ad novam corporis Caietani inspectionem deveniendum esse censuit. Nam signa, ex quibus iudiciales Periti collegerunt Caietani impotentiam, dubia et verosimilia tantummodo, non vero certa ac indubia esse sustinuit: quin imo alienum a veritate traduxit eorumdem Peritorum iudicium, cum ex testimonio decem extraiudicialium Professorum, quibus se inspiciendum praebuit Caietanus, evincebatur, et antea et in praesens eumdem esse – abilissimo all' uso del Matrimonio –. Quum igitur pugnantia inter se deposuerint iudiciales extraiudicialesque Periti, novum experimentum Romae faciendum censuit. Reproposito vero dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et ad mentem: mens est, ut scribatur Emo Archiepiscopo, ne Caietano d' Errico relaxetur fides status liberi, inconsulta Sacra Congregatione – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Iulii 1826.*

83. Iuxta praxim Sacrae Congregationis, ceu ostendunt exempla in Neapolitana Matrimonii 19 septembris 1772, in Romana Matri-

monii 20 ianuarii 1787, in Barchinonen. Matrimonii 23 ianuarii 1808, et alia huiusmodi, obtenta venia a Defensore Matrimonii instaurandi certaminis, Mulier penes Summum Pontificem conquesta est, rata, editam resolutionem pro gratiosa dispensatione satis habendam, aut saltem ad eumdem esse referendam, ut ipse pro sua sapientia ac suprema potestate quid esset faciendum decerneret. Verum Mulieris preces cum dimissae fuerint Rescripto: – Sanctissimus Oratricis instantiam reiecit, et consuetam praxim Sacrae Congregationis servari mandavit –, idcirco Matrimonii Defensor rursus in Peritorum iudicialium relationes acriter insurrexit, eorumque errorem et gravamen probare contendit, ut ad novam inspectionem procederetur, aut triennale decerneretur experimentum. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 23 Decembris 1826.*

84. Idcirco licet Vir iuraverit, se Matrimonium consummasse, sed attentis Mulieris iuramento eam negantis eiusque virginitate aliisque rerum circumstantiis, Sacra Congregatio dispensationem indulsit, ex eo quod Vir contumax in reddendis obsequiis apparuit, honorem eius laesit saevitias intulit ac odium et exacerbatio inter utramque familiam efferbescere videbatur *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815.*

85. Enimvero Fortunatus Massa uxorem duxit Antoniam Bontà viduam Turrio, a qua cum nullam suscepisset sobolem et haberet ex fratre nepotem Evangelistam Massa et privignam ex Antonia uxore amantissimam Theresiam Turrio, de his omnibus benemereri voluit in testamentariis tabulis, quibus die 15 martii 1803 decessit. Scripsit enim heredem in usufructu Antoniam uxorem, in proprietate Evangelistam Massa nepotem ad hoc, ut nuberet Theresiae Turrio privignae. Illo vero recusante Matrimonium, Theresiam instituit ea conditione, ut Virum acciperet unum ex nepotibus suis, quos ex Aloisio, vel Ioanne fratribus habebat. Defuncto Testatore, dissidium ortum est inter usufructuariam Antoniam et Evangelistam Massa heredem proprietarium super creditis, quae adversus hereditatem Viri deducebat Antonia, sed ope transactionis die 31 augusti compositum; ac tandem die 21 septembris 1803 Matrimonium rite celebratum fuit. Vir in domo Mulieris per aliquod tempus habitavit, nunquam tamen cum ea ivit cubitum, neque Calvaris, neque in villula *di Maxena.* Postea Vir domicilium Sponsae deseruit. Verum semper hic vestigia suae Sponsae sectabatur, ut ad domum suam traduceret, atque res eo processit, ut rixae palam factae fuerint, et ipse armatus in domum Sponsae sese intruserit, ex quo facto in vincula coniectus est. Frustra honesti et religiosi viri rem componere tentarunt. Nam anno 1805 Theresia dispensationem petiit a Summo Pontifice super Matrimonio rato et non consummato, ex causa odii et adversionis animorum. Confecto processu, Mulier probare contendit non consummationem Matrimonii ex iuramento ab ipsa praestito de non subsequta Matrimonii consummatione, ex testimonio septem Propinquorum, ex recognitione sui corporis per Obstetrices facta, quin obesset, quod Vir iuraverit, se Matrimonium consummasse; nam iuramentum Mulieris praeferri debebat, cum praesertim assertio Viri de sequuta consummatione incerta inverosimilis et falsa appareret. Contendit etiam, nunquam Evangelistam impeditum fuisse, sed ipsum repugnasse, ne Matrimonium consummaret: is quippe palam dixit, se satis habere hereditatem; ceterum de Uxore – non saper, che fare –. Contra Defensor Matrimonii arguit consummationem ex cohabitatione unius mensis cum dimidio vel saltem decem dierum, ex amore Viri erga Theresiam; ac sustinuit, veram querelae causam repetendam non esse ab invincibili contumacia in denegandis officiis, sed potius ab ira materna, et ob orta dissidia in dividenda hereditate Fortunati. Obiurgavit iudicium Obstetricum propter earum inscitiam et protestationem Viri in actis emissam, ut novum per Peritos deputandos iudicium fieret. Legitimas haud esse causas dixit, pro dispensatione assequenda, contumaciam Viri in reddendis obsequiis et periculum incontinentiae, laesum Mulieris honorem, cum Vir dictaverit, illam fuisse utero gravem, et alias saevitias et rixas, quibus Vir causam dedit, ac demum odium et exacer-

bationem inter utramque familiam, cum illae non subsisterent, et odium satis non esset ad dissolvendum Matrimonium.

86. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815.*

87. Ad probandam enim non sequutam Matrimonii consummationem vel unum Coniugum iuramentum, etiamsi nihil aliud praesto esset, satis habendum videtur, ex Cap. *Laudabilem* de frigidis et maleficiatis, Corrad. in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 n. 36, Ursaya discept. eccles. tom. 3 part. 4 discept. 71 n. 137 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Duo.*

Item *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Mulieris.*

88. Id autem eo magis si iurans sit persona probatae conscientiae, ut explicat Glossa in Cap. *Mulier* in verb. periurii de iureiurando, et in Cap. *Significavit* 18 in verb. credendum sit de homicidio *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Mulieris.*

89. Unde iuramentum Coniugum septimaque Propinquorum manus, in extraordinaria praesertim cognitione dispensationis a Matrimonio rato, non consummationem probant, seu plurimum defertur iuratis Coniugum declarationibus et Testibus, Perez de matrim. disp. 37 sect. 11 n. 7, Kugler eod. tract. part. 1 cap. 5. §. 2 n. 1454, Frapper. de impedim. matrim. part. 2 de impotent. §. 2 *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789 Iuramentum.*

Item *in Chien. Matrimonii die 15 Decembris 1792* §. *Matrimonii; in Albinganen. Matrimonii die 12 Septembris 1801* §. *Quoad; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Quae; in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Coniugum; in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Mulieris; in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853* §. *Ad; in Voto Cononistae in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Ad primam.*

90. Nam ad obtinendam dispensationem super Matrimonio rato et non consummato plurimi esse faciendum Coniugum consensum docet Vincentius De Iusto de dispens. lib. 2 cap. 10 n. 28: – Si Coniuges essent inter se discordes, et mutuo consensu dispensationem peterent –, Corrad. in prax. dispens. lib. 12 cap. 16 n. 9: – Ultima causa est mutuus Coniugatorum consensus – *in Albinganen. Matrimonii die 12 Septembris 1801* §. *Verba.*

91. Iamvero Sacri Canones ad probandam non consummationem requirunt iuramentum Mulieris negantis consummationem, testimonium septimae manus, et recognitionem corporis Mulieris per Obstetrices factam, quemadmodum praescripsit Honorius III in Cap. *Causam* 14 de probationibus, in cap. *Literae vestrae* de frigidis et maleficiatis, Innocentius III in Cap. *Fraternitatis* eodem titulo *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Mulier.*

92. Idcirco neminem latet, ad Textum in cap. 5 de frigidis necessarium omnino esse, ut septem ex utroque latere, scilicet quatuordecim Consanguinei iurati superaccedant, quibus praestitum iam a Coniugibus iuramentum a quavis collusionis suspicione purgetur, Schimier Iurispr. can. civil. tom. 3 lib. 4 tract. 3 n. 15 cap. 5, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 108 n. 11 *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Ad alterum.*

Item *in Burdigalen. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 9 Februarii 1822* §. *Desideratur.*

93. Unde parentibus consanguineis et vicinis deficientibus, alii adhibendi sunt, qui notitiam habere possint, ut ait Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 108 n. 23, et Schimier Iurispr. can. civil. tom. 3 lib. 4 tract. 3 cap. 2 n. 151 *in Burdigalen. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 9 Februarii 1822* §. *Ad hanc.*

Item *in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Coniugum.*

94. Praeterea etiam Benedictina Constitutio *Dei miseratione* sub poena insanabilis nullitatis servanda in omnibus est, ut respondit S. Rotae Auditorium in decis. 7 n. 8 coram Herzan *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Vir.*

95. Idcirco quum Marchionissa Eleonora Galletti Colonna ex Principibus Soriae die 13 Septembris 1802 Matrimonium cum Gaspare Aprile primogenito familiae Cartaiegironensis ex Baronibus Cimiae inierit ad fores Conservatorii Divinae Providentiae, in quo ipsa utroque orbata parente plures ante annos sese receperat, ibique post Matrimonium permansit, sed mense Augusti 1811 proprio arbitratu emigravit, neque in illud reversa est, nisi mense iulii 1812, quumque inter Coniuges subinde dissidia et iniuriae exortae fuerint, ac ideo Mulier imploraverit a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, Sacra Congregatio mandavit examen dictae Mulieris in Urbe ac Testium, citato Defensore Matrimonii, nam in processu defecerat interventus Defensoris Matrimonii, licet adstitisset Promotor Fiscalis Curiae Panormitanae, nec non desiderabatur septima Propinquorum manus; his enim in terminis proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu etc. –, responsum tulit: – Dilata, et ad D. Secretarium pro examine Eleonorae Galletti aliorumque Testium, si qui sunt, in Urbe, citato Defensore Matrimonii; et scribatur Emo Archiepiscopo ad mentem – *in Panormitana Matrimonii die 25 Ianuarii 1817.*

96. Quin imo licet Mulier aliique Testes iuramento affirmaverint, Matrimonium non fuisse consummatum, ex eo quod ea nunquam cum Viro post initum Matrimonium simul convenerint ac urgentissimae circumstantiae id confirmarent, nihilominus Sacra Congregatio ante omnia mandavit, ut formiter institueretur examen aliorum etiam Testium ex officio inducendorum, ac renovaretur praefixio termini Viro pro examine et deductione iurium *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844.*

97. Enimvero puella Rosa Anselma Profumo privatim die 7 septembris 1841 nupsit iuveni Ioanni Baptistae Pisano coram Parocho S. Donati binisque Testibus, ac die insequenti his solemniter benedixit in templo ab eodem Martyre nuncupato Sacerdos Di Castro parentum amicorumque stipante caterva, quibus, post nuptiarum epulam, salsamentariam tabernam ingressis, furens occurrit Xaveria Malatesta nupta ab anno 1835 Iosepho Placido della Casa, quae omni exuta pudore Infantulam, quam brachiis gestabat, in Sponsae sinum coniecit, eamque a Pisano susceptam una cum binis aliis edicens, proditorem ac periurum eum proclamavit, nec non omni conviciorum genere affecit. Ad haec Rosa eiusque Parentes, quibus scelera huiusmodi primum aperiebantur, graviter et ipsi obiurgatum reiecere Pisanum, domesticosque lares reversi sunt. Qua de re Rosa a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato et non consummato vehementer efflagitavit. Quum autem processus extrui deberet ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Pisanus contumax semper extitit: sed ex iurata fide Rosae eiusque Parentum ac Mariae sororis constitit, non fuisse Matrimonium consummatum. Iustas etiam causas dispensationis subesse censuit Rosae Defensor, quas enim constituit in periculo fornicationis, in animorum utriusque Coniugis alienatione, cum Pisanus nullum unquam habuisset nedum doloris et poenitentiae signum, sed nec urbanitatis, ad Uxoris animum emolliendum, atque Rosa eiusque Parentes acriter obtestati fuerint, se nunquam cum adeo scelesto homine relationem ullam habituros. At Matrimonii Defensor in primis processum de nullitate arguit, cum confectus fuerit non vocato Matrimonii Defensore: dein sustinuit, deficere probationes non consummationis Matrimonii, cum deessent Mulieris corporis exploratio, examen septimae utrinque Propinquorum manus, aliorumque Testium, qui rem clarius deponerent. Poterant enim Coniuges subinde simul convenire, et Matrimonium consummare. Reiecit demum causas dispensationis, cum legitimae haud essent ad eam indulgendam.

98. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et ab Emo Archiepiscopo renovata praefixione termini Oratricis Viro pro examine et deductione iurium, examinentur formiter, adstante Defensore Matrimonii, Testes iam auditi super articulis octavo nono et duodecimo praetermissis in praecedenti examine, nec non pater patruus

ac fratres tum germanus, tum consobrinus super omnibus articulis, ac praeterea alii Testes etiam ex officio inducendi super non sequuta consummatione etiam in posterum, transmissis actis, soluta, facto verbo cum Sanctissimo – *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Apritis 1844.*

99. Inito tamen Matrimonio per Procuratorem, et obortis dissidiis atque odiis implacabilibus, praesertim ob adulterium et scandalum Mulieris, Sacra Congregatio, cum constaret de non consummatione Matrimonii, ex eo quod Coniuges sese nunquam vidissent, attentis peculiaribus rerum circumstantiis, dispensationem indulsit, licet forma processus nec in substantialibus legitima existeret *in Albinganen. Matrimonii die 12 Septembris 1801.*

100. Siquidem Stephanus Christophorus Bosio Ianuae degens Matrimonium ope Procuratoris Ioannis Pagallo anno 1787 contraxit cum Anna Maria Boassa Oppidi Petrae Albinganensis Diaecesis. Matrimonium autem rite contractum, ut suum plene assequeretur effectum, vel debebat Sponsus Ianua ad patrium solum, dictum nempe Oppidum Petrae, ubi et ipse ortus erat, se conferre, ut Sponsam amplecteretur, vel haec e patriis laribus Ianuam versus iter aggredi ad Sponsi visendum, cum iidem sese ignorarentur. Nil horum evenit: sed imo, ob perturbantes delationes utrique Sponso perventas, affectio in dies in livorem atque odium se convertit, atque adeo excrevit, ut neque affines neque amici valuerint Coniugum animos conciliare. Stephanus vero certior factus, quod Sponsa ex prava consuetudine partum edidisset, furore excandescens, ut quamlibet praecluderet conciliationi viam, neque locus amplius esse posset visendae Uxori, erga quam summo aestuabat odio, anno 1793 Anglam conscendit navim, in longinqua diversurus; traditis tamen duobus procurae mandatis, quae iam praecedenter ab anno 1790 exaraverat, ut coram competentibus Tribunalibus promovenda instantia super dispensatione a Matrimonio rato et non consummato rite posset agitari. Sponsa interim iam capta amore divitis cuiusdam adolescentis de eodem loco Petrae adeo familiariter atque impudenter cum illo conversabatur, ut universo Populo Oppidi scandalum pareret. Procurator Stephani itaque dispensationem petiit. Confecto hinc processu, satis constitit, Matrimonium haud fuisse consummatum, cum probatum fuerit, sese nunquam vidisse Coniuges: ac praeter Testes accedebat etiam Mulieris iuramentum de nunquam subsequuta Matrimonii consummatione. Nec minus apertas esse causas pro dispensatione assequenda sustinuit Defensor Stephani, cum implacabiles essent inimicitiae, atque odia minae et interniciones, quae evenire poterant. Hinc et Mulier dissolutionem Matrimonii expostulabat. Contra vero Defensor Matrimonii advertit, Episcopum delegatum ad compilandum processum haud potuisse alium subdelegare, nullum proinde esse processum; eidemque satis clare iniunctum, ut saltem in substantialibus forma Constitutionis Benedictinae servaretur, nec Defensorem Matrimonii constituisse, quin obessent rerum ac temporis circumstantiae, cum in eadem iurisdictione aliorum similium processuum exempla non deessent, rite rectequе confectorum. Contendit etiam, causas allegatas huiusmodi non esse, quae Pontificis animum ad dispensationem elargiendam movere valerent. Hinc praeter Sacrae Rotae, plura adduxit Sacrae Congregationis responsa, quae, parvipensis dissidiis odiis clamoribus atque probatis adulteriis, et licet etiam adesset Coniugum pro reportanda dispensatione consensio, dispensationem tamen denegarunt. Mulier autem, potius quam canonicam punitionem, compendium pro patratis criminibus reportaret, si dispensatio indulgeretur.

101. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, attentis circumstantiis in casu, de quo agitur – *in Albinganen. Matrimonii die 12 Septembris 1801.*

102. Peculiaribus vero huiusmodi circumstantiis exulantibus, sacrorum Canonum praesidio docent Theologi ac Canonistae, ut in iis etiam Causis, in quibus convenit utriusque Coniugis iuramentum de non sequuta consummatione, fieri debeat inspectio corporis Mulieris, Tamburrin. de Sacram. lib. 8 de matrim. tract. 15 cap. 7 n. 6, Sanchez de matrim. disp. 23 lib. 2 n. 1 et 2, De Iustis de dispen-

sat. matrim. lib. 2 cap. 14 n. 107, Consc. de separat tor. lib. 3 cap. 2 n. 171 *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *De.*

103. Ceterum Obstetricum relatio non probationem, sed adminiculum suppeditat non sequutae consummationis et Viri frigiditatis; huiusmodi enim experimentum tamquam fallax habent non solum Anatomici, verum etiam sacri Canones, ceu videre est in Can. *Nec aliqua* 24 caus. 27 quaest. 1, Cap. *Causam* 14 de probationibus *in Asten. Matrimonii die 2 Martii 1776* §. *Et.*

Item *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Ex his; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *Multoque; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826* §. *Huiusmodi; in Neapolitana Dispensationis die 27 Maii 1826* §. *At; in Bononien. Matrimonii super Nullitate seu Dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Praeiactam; in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Frustra.*

104. Idcirco iudicio Obstetricum non est fidendum, cum et manus Obstetricum et oculi saepe fallantur *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Porro.*

Item *in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Atque; in Neapolitana Matrimonii die 5 Decembris 1846* §. *Nihil.*

105. Nam virginitatis signa dubia et incerta sunt, unde virginalis Mulieris arctitudo potest arte simulari, praesertim si medicamenta, quae adstringendi vim habeant, adhibita fuerint, et diuturnum a copula effluxerit tempus, Michael Albert. Iurisprud. med. cap. 3 n. 3, ita ut aliquando balnei etiam experimentum vincant, ad tradita per Teischner Instit. medic. forens. cap. 4, Pont. de matrim. lib. 7 cap. 53, Zacc. quaest. medic. legal. lib. 4 tit. 2 quaest. 1 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Porro.*

Item *in Bonononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Atque; in Neapolitana Matrimonii die 5 Decembris 1846* §. *Etsi; in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Animadversionum.*

106. Unde Buffon in sua naturali hominis historia virginitatem ens potius morale, quam phisicum dicit: vel licet quid phisicum, idcirco quid sensibile esset, nulla tamen de ea signa certa ac tuta dari posse docent Zacchia quaest. medic. legal. lib. 4 tit. 2 quaest. 1 n. 14, Barzellotti medicin. legal. cap. 4 §. 43 *in Neapolitana Matrimonii die 5 Decembris 1846* §. *At.*

107. Idcirco nihil ponderis addere videtur hymenis membrana in Muliere reperta, illius existentiam in rerum natura acriter denegantibus cum Pontio de matrim. cap. 53 recentioris aevi Anatomicis; vel licet illa admittatur cum aliis, nullum tamen inde depromi posse certum de virginitate iudicium, quippe nonnullis feminis concedi, nonnullis autem denegari ab instabili natura, observant Scuring. sparmatolog. cap. 10, Vannet de la generation. par. 2 art. 2, Zacchia quaest. medic. legal. tit. 2 quaest. 1 n. 2 *in Neapolitana Matrimonii die 5 Decembris 1846* §. *Nihil.*

Item *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Animadversionum; in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Qui.*

108. Nam licet hymen saepius defloratione frangatur, attamen consummationem aliquando evenire sine hymenis fractura, nemo est, qui inter salutaris artis Peritos neget, quod prae ceteris monet Zacchia quaest. medic. legal. lib. 4 n. 27, et inter recentes Barzellott. medic. legal. cap. 4 n. 38 *in Bononien. Matrimonii die 29 Augusti 1857* §. *At.*

Item *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Sed.*

109. Immo praefatus Zacchia in lib. 2 tit. 1 quaest. 3 observat, per operationem, quam vocant autoplasticam, cruentatas lacinias hymenis vel ex se, vel ex arte coalescere posse *in Bononien. Matrimonii die 29 Augusti 1857* §. *At.*

110. Insuper consummationem Matrimonii, etiam non aperto muliebri claustro, fieri posse tradunt Henriquez in summ. Theolog. moral. lib. 2 de matrim. cap. 15 n. 3, Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 2 n. 2, Zaul. ad statutum Faventinum lib. 4 rubric. 23 n. 127 *in Forolivien. Nullitatis Matrimonii die 20 Septembris 1817* §. *Secundum dubium.*

111. Contraria tamen opinio verior pro-

bari videtur, tum Medicorum, tum Canonistarum testimonio, iuxta sententiam Sacrae Rotae in Recent. decis. 23 n. 23 part. 12, et decis. 10 n. 9, decis. 11 n. 37 lib. 14 in Mantissa ad Card. De Luca, et Sacrae Congregationis in Ianuen. Dispensationis 27 ianuarii 1720, cum Obstetrices opportunas adhibuerint cautiones et aptissima referant inditia *in Corduben. Dispensationis die 20 Septembris 1760* §. *Et licet.*

112. Quando praesertim balnei usus adfuerit, quo ad dirimendas fraudes de virginitatis simulatione nihil esse efficacius docent Ioannes Andr. in Cap. *Fraternitatis* de frigid. et malef., Ursaya discept. tom. 6 part. 1 n. 46, Risicat. de stat. homin. cap. 2, Cocch. dissert. phisic. anathom. §. 5, Rot. in Recent. tom. 5 decis. 329 n. 16 part. 4, aliique *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Dispositioni.*

113. Qua de re Obstetricum et Matronarum iudicio firmiter adhaerendum esse, nec aliunde pleniorem scientiae et iudicii causam quaerendam videtur ex Cap. 14 de probationibus, ex Cap. *Literae vestrae*, et ex Cap. *Fraternitatis* de frigidis, Fermosin. ad Cap. *Proposuisti* de probat. n. 12, Barbos. ad idem caput n. 9, Rota Recent. tom. 2 decis. 392 a n. 18 part. 4 *in Corduben. Dispensationis die 20 Septembris 1760.*

Item *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Dispositioni.*

114. Compertum hinc est, non deesse concludentem probationem, cum ea eruatur ex relatione Obstetricum praeferenda iuramento etiam consummationis, iuxta censuram Textus in Cap. *Proposuisti* 4 de probationibus, ubi Doctores, et definivit Rota in Mantissa ad Card. De Luca lib. 14 decis. 10 et 11, et Sacra Congregatio in Ianuen. Dispensationis 27 ianuarii 1720, et in altera Ianuen. Matrimonii 14 ianuarii 1741 *in Corduben. Dispensationis die 20 Septembris 1760* §. *Supremum.*

115. Eoque magis, si depositioni coram Medicis et chirurgicae artis Peritis manifestatae ipsorum unanime accesserit iudicium *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Dispositioni.*

116. Idcirco licet ex Cap. *Causam Matrimonii* 14 de probationibus manus et oculi Obstetricum falli possint, in re tamen tanti momenti, cum agatur de Matrimonii vinculo, quod si consummatum sit, indissolubile est, prudenti consilio statutum receptumque est, ut nulla praetermittatur diligentia ad certum reddendum iudicium, proinde necessaria sit inspectio corporis Mulieris, etiamsi dari possit, manus et oculum Obstetricum in errorem incidere *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Nec.*

117. Siquidem neglecta Scholarum disputatione super certitudine signorum virginitatis, constanti sententia Sacra Congregatio in similibus casibus corporis Mulieris inspectionem imperavit in Ianuen. Matrimonii 10 maii 1738, in Romana Matrimonii 13 ianuarii 1753, in altera Ianuen. Matrimonii 16 aprilis 1791, in alia pariter Ianuen. Matrimonii 20 iulii 1793, in Aurien. Dispensationis 19 decembris 1818 *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Nec.*

118. Nam signa virginitatis, sive singulariter, sive potius collective sumantur, integritatem Mulieris luculenter evincere tradunt Teikmeyer in Instit. medic. legal. seu foren. Cap. 4 n. 2, Cereien. in dissert. phis. anathom. de membrana hymenis n. 8, Barzellotti in quest. di medic. leg. tom. 1 lib. 1 §. 77, Puccinotti in Lezioni di medicin. legal. lib. 9 tit. 11 quest. 1 §. 9 *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Neque.*

119. Idcirco ex reperta integritate membranae hymenis et defectu quolibet caruncularum myrtiformium virginitatis infallibile signum exurgit, teste Zacchia quaest. medic. legal. lib. 4 tit. 2 quaest. 1 n. 8, Cereien. dissert. phisic. anatom. de membr. hymen. n. 8, Bartolin. Instit. anatom. lib. 1 cap. 31, Teichmeyer Inst. medic. legal. cap. 4 quaest. 3, Petriol. dissert. phisic. anatom. de membr. hym. §. ult., et Sichor. in oper. conspect. medic. legal. part. 5 cap. 9 de virg. et stupr. viol. §. 3 *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Dispositioni die 5 Decembris 1846* §. *Quae.*

Item *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Neque.*

120. Haud enim plane ex nonnullis eventualibus in rerum natura perraris ac monstruosis, sequutae scilicet consummationis,

signis integritatis manentibus, hac in re iudicandi argumentum sumi oportere monent Tortosa Istituzioni di medicin. foren. cap. 1 della impoten. coniug. n. 20, Puccinotti Lezioni di medic. legal. lez. 2 §. 6, et Zacchias tom. 2 lib. 9 tit. 11 quaest. 1 n. 16; nam ibidem inquit: – Habemus, id secundum naturam esse, quod ut plurimum fit; quod autem fit de raro, fieri per accidens. Qui ergo ea, quae naturaliter fiunt, regulari vult per ea, quae fiunt per accidens, praepostero omnino discursu utitur, vero ac docto Philosopho penitus indigno – *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Neque.*

121. Ab inspectione tamen corporis Mulieris praescindi posse constat, cum urgentissimae concurrant circumstantiae, quae consummationem excludant, ad tradita per Rosignol. aliosque ab ipso relatos in Tract. de Matrim. tom. 1 disp. 1 punct. 10 *in Voto Canonistae in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Quod.*

122. Imo Mulieris exploratio nonnisi Muliere petente opportuna videtur, nam et inspectis circumstantiis periculi plena esse potest, ut monet Coscius lib. 1 cap. 16; adeoque ei locus esse nequit, quando Mulier iuraverit, Matrimonium fuisse consummatum, et contra Vir iuramento praestito consummationem denegaverit, ob impendentem labem periurii vel Mulieri, vel Viro, prout Mulier vel virgo, vel corrupta reperiretur *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* §. *Hisce die 26 Iunii 1858* §. *Quin.*

123. His vero aliisque huiusmodi exceptis casibus, licet canonici Textus aperte de inspectione corporis Viri non loquantur, ex identitate tamen rationis Viro applicanda est Capitis *Proposuisti* dispositio, imo ex seculari consuetudine veluti lex habenda est haec praxis inspectionis corporis Viri, prout affirmant Doctores praesertim Card. Argenvillieres in voto apud Constantinum tom. 4 n. 19, ac firmavit Sacra Congregatio, quae semper inspectionem hanc decrevit, nisi ante Causae propositionem praecessisset *in Neapolitana Dispensationis die 14 Decembris 1822* §. *Negat.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Aprilis 1826* §. *Nec; in Theatina Dispensationis die 16 Septembris 1826* §. *Verum; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 28 Aprilis 1827* §. *At.*

124. Quum enim ad tramites sacrorum Canonum, antequam Matrimonium dissolvatur, per rectum iudicium probanda sit Viri frigiditas, eius corpus inspiciatur oportet, quemadmodum corporis Feminae fit recognitio, si ipsa impedimento detineatur: hinc Sacra Congregatio in Causis etiam dispensationum demandare solet Viri, nisi antea facta fuerit, inspectionem, ceu videre est in Mediolanen. Matrimonii 4 decembris 1728, in Neapolitana Matrimonii 3 martii 1770, in Lucana Nullitatis Matrimonii 21 iunii 1763, in Barchinonen. Matrimonii 4 iunii 1816 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Nec.*

125. Inutilis vero censetur ac est, cum aliunde satis probata extet impotentia Viri *in Neapolitana Dispensationis die 14 Decembris 1822* §. *Si igitur.*

126. Idcirco non desunt exempla dispensationum sine ulla corporis Viri inspectione indultarum, et potissimum in Mediolanen. 24 maii 1732, in Ianuen. Matrimonii 16 augusti 1783, in Neapolitana Dispensationis 27 iulii 1822 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Nec.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *Nec; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 28 Aprilis 1827* §. *Ex adductis; in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Et perperam.*

127. At ex cohabitatione et condormitione Viri cum Uxore oritur praesumptio iuris et de iure sequutae consummationis, ut ex Textu in cap. 12 et 13 de praesumpt. docent Pignatell. consult. 148 n. 21 tom. 1, Mantic. de tacit. lib. 8 tit. 14 *in Comen. Matrimonii die 17 Decembris 1768* §. *Defensor.*

Item *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Pergit; in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Verum; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *At; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Aliter; in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Quin imo; in Camenecen. Matrimonii die 29 Aprilis 1854* §. *Sed.*

128. Imo si ex Peritorum relatione habeatur impotentia potius accidentalis, quam naturalis, praesumitur, Matrimonium fuisse consummatum, ut tradit Zallinger Instit. iur. eccles. lib. 4 Decret. tit. 15 §. 153 *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Quin imo.*

129. Multo magis quum Coniuges aetate florentes simul condormierint validissima iuris et de iure exurgit praesumptio, quae suadet, Matrimonium fuisse consummatum, donec probationibus perspicuis omnemque suspicionem removentibus contrarium pateat, cap. 12 de praesumpt., Sperell. decis. 126 n. 25 tom. 2 *in Neapolitana die 31 Martii 1770* §. *Matrimonium.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 8 Augusti 1829* §. *Aliter.*

130. Idcirco quum haud probetur vera ac perpetua Viri frigiditas, immo potius excludatur, vel ad summum sit dubia, denegatur dispensatio, sed locus est experimento cohabitationis triennalis, licet satis constet de non consummatione, et Coniuges ad menses fere duodeviginti cubaverint insimul, paucis exceptis diebus, quibus rusticandi gratia divisi fuerunt *in Senen. Matrimonii die 28 Februarii 1807 et die 18 Iunii 1808.*

131. Quum igitur Coniuges nullo infecti impotentiae vitio in eodem cubiculo ac etiam in eodem lecto condormierint, Sacra Congregatio declaravit, haud locum esse dispensationi Matrimonii praetensi ratî tantum et non consummati, etiamsi Coniuges iuraverint, se nunquam Matrimonium consummasse, idque septima Propinquorum manus aliique Testes confirmaverint nec non plures adducerentur circumstantiae, quae consummationem excludere videbantur *in Angren. Matrimonii die 6 Februarii 1847 et die 27 Augusti 1853.*

132. Enimvero adhuc in impuberi convefsabantur aetate Ioannes filius Ioannis Moniz et Marianna Carlotta filia Francisci Pamplona, dum eorum Matres die 12 februarii 1829 pro filiis sponsalia contraxerunt, qui subinde vix decimum quartum annum compleverunt nuptias celebrarunt die 28 iulii 1831, atque eamdem habuerunt cohabitationem penes domum Matris Sponsae: sed mox dissociatis animis Vir paternam repetiit domum, et institit penes Curiam ecclesiasticam pro declaratione nullitatis Matrimonii, quae reapse nullum edixit Matrimonium. Verumtamen die 25 februarii 1836 iterum coram Parocho Matrimonium Coniuges inierunt; et tamen Mulier appellationem a sententia Curiae Angrensis interposuit penes Curiam Ulyssiponensem, quae dictam sententiam revocavit ac validum declaravit Matrimonium. Post haec Coniuges unanimiter dispensationem a Matrimonio rato et non consummato a Summo Pontifice efflagitarunt. Qui ad Matrimonii dissolutionem obtinendam patrocinium suscepit, contendit, illud nullum irritumque fuisse ex impuberi Coniugum aetate et ex defectu consensus, quin obesset, quod iterum Matrimonium contraxissent Coniuges, cum ex metu id fecerint. Quin imo posita etiam Matrimonii validitate, locum esse dispensationi Defensor sustinuit, cum tam Vir, quam Mulier, solemni interposito iuramento, affirmaverint, se nunquam Matrimonium consummasse; idque Parentes quatuor Parochi nec non quindecim et ultra conspicui Testes confirmaverint, Matrimonium scilicet nunquam fuisse consummatum. Nec gravis deesse videbatur causa dispensationis, timor scilicet magni scandali, quum Mulier ab alio compressa Viro filios quinque iam ediderit, quique cum ea nuptias contrahere cupiebat ad legitimandam prolem; unde odium et aversio inter Coniuges nullam spem relinquebant, ut ii individuam vitae consuetudinem imposterum ducerent. Qui vero ex officio vindicias Matrimonii assumpsit, validitatem Matrimonii probavit, cum nec aetatis nec consensus defectus vel timor extitisset. Ad dispensationem autem quod attinebat, deficiebant probationes de non subsequuta Matrimonii consummatione. Nam ex processu constabat, Virum nullo ex vitiis laborare, quae impedimentum impotentiae constituunt. Quoad Mulieris virginitatem, nec habebatur, nec haberi amplius poterat probatio, iuxta sacrorum Canonum disciplinam, quum ea ab alio Viro quinque filios suscepisset. Aliunde constabat, eos diu invicem cohabitasse, et nimis sero dispensationem petiisse, scilicet nonnisi quam in tertia iudicii sede, quin vehementissima praesumptio iuris et de iure, Matrimonium fuisse consummatum, enervari valeret, vel

iuramento Coniugum, qui nunquam consummasse Matrimonium dixerunt, vel Testium fide hac super re deponentium. Nam praeterquam illud collusionis suspicione haud carebat, quum, inito veluti foedere, instarent pro dispensatione iidem Coniuges, qui in primo vel altero iudicii gradu dissidebant, multum quoque fidei detrahebat sera reclamatio, maxime cum deficeret probatio phisica virginitatis Mulieris, nec non fides septimae manus ex parte utriusque Coniugis. Neque hinc acquiescere fas erat Matrum depositioni, utpote quae conspirando dissolutioni Matrimonii, quod initio ipsae conciliaverant, nimis suspectae habendae. Testes vero eo minus audiendi, quia vel ex auditu, vel ex opinione, vel ex fama, non esse consummatum Matrimonium, deposuerunt. Supervacaneum hinc esse censuit dictus Adsertor obloqui de causis, graves nec ne urgerent ad Matrimonium dispensandum, cum illud consummatum perhiberetur.

133. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam validum declaraverit Matrimonium, die 6 februarii 1847 responsum tulit: – Ex deductis non constare de non consummatione Matrimonii –. Qua de re Coniugum Orator rursus in arenam descendens contendit, in Cap. *Laudabilem* de frigidis et maleficiatis non consummationis probationem ab Coniugum iuramento, una cum septimae manus testimonio constitui, quae satis sunt ad moralem certitudinem gignendam, quin phisica opus sit, quae ab inspectione Mulieris ac probata Viri impotentia dimanat, quod confirmavit ex consuetudine in foro poenitentiali penes S. Poenitentiariam recepta, et exemplis Sacrae Congregationis. Quibus id etiam in casu accedebat, quod paucis exceptis mensibus, in quibus Coniuges in eadem domo, sed in separatis diaetis vixere, communem iidem habitationem non habuerunt, atque alter ab altera disiunctam duxit vitam, ita ut incredibile pene esset, eos aliquando rei uxoriae operam dedisse, qui brevi tempore sub eodem tecto manentes distinctas habitarunt diaetas, et communi toro sese abstinuere, ac paullo post separatas etiam domos habitatum concessere. Praeterea non in ea Coniuges erant aetate, qua libidinis stimulis ad venerem exercendam caeco impetu ferrentur, cum potius ex Testium relatione constaret, eos vel incapaces adhuc et ignaros prorsus operis maritalis compertos fuisse, ac impedimento etiam esse aversum mutuo ingenium. Tres inde dispensationis causas enumeravit, scilicet timorem gravis scandali, susceptam ab illicito concubitu sobolem, mutuam Coniugum aversionem. At Matrimonii Defensor sustinuit, nihili faciendam esse assertam Coniugum aversionem, cum per quatuor annos communem egerint vitam, et liberrime Matrimonium renovaverint, quin ea oriri potuerit ex commercio Mulieris cum altero Viro, nam ipse Ioannes liberos ex illicito concubitu natos baptismatis suscipiendi causa ad Parochum deferens ac uti suos agnoscens, non se Mulieris vitiis repugnantem, sed conniventem potius prodidit: at nec illicitum hocce Mulieris commercium praemium dispensationis gignere poterat. Quod autem magis erat, deficere prorsus videbatur alterum non consummationis extremum: nam ipsa una cohabitatio in eadem domo, quamvis in separatis diaetis per annos quatuor protracta, ab anno nimirum 1831 usque ad annum 1835; et quatuor Testes coram Iudice conciliationis deposuere, quod praefati Coniuges libere Matrimonium contraxissent, pluribus mensibus in eodem cubiculo, sed separatis lectis, et per aliquot dies in eodem lecto condormierint. Sic igitur rebus stantibus, nihili faciendum erat Coniugum septimae Propinquorum manus aliorumque Testium iuramentum de non subsequuta Matrimonii consummatione. Nec ad rem faciebant exempla Sacrae Congregationis: in iis enim non moralis dumtaxat, sed phisica etiam aderat certitudo non sequutae consummationis, quandoquidem in Hispalen. 9 septembris 1741 Mulieris absentia, in Melevitana Dispensationis 7 februarii 1789 infirma valetudo, in Burdigalen. Dispensationis 6 augusti 1825 impotentia coeundi consummationem impediverant.

134. His utrinque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853.*

135. Qua de re haud indulgetur dispen-

satio a Matrimonio praetenso rato et non consummato, si Vir et Mulier fateantur quidem sub iuramento non consummationem, ob relativam animorum aversionem, licet per sexdecim menses et ultra domum et lectum etiam communem habuerint, sed id nunquam coram Iudice formiter declararunt, nec examen et iuramentum utrinque septimae manus, nec inspectio corporis Mulieris contra dispensationem instantis, nec iusta gravis et urgens causa in promptu habetur *in Catanen. Dispensationis die 26 Augusti 1820.*

136. Siquidem mutuo liberoque utriusque partis consensu celebratum est Cataniae die 28 februarii 1808 Matrimonium inter Puellam Antoniam Guttadauro ex Principibus Reburdone et iuvenem Ignatium Paternò ex Principibus Biscari: sed paucos post menses exorta inter Coniuges discordia, Sponsa, relicta Sponsi domo relictoque nuptiali thalamo, quem communem cum Ignatio habuerat, apud Patrem secessit; quod non semel, sed una alteraque vice renovavit, frustra tum Episcopo, tum ipsa Regia Maiestate adnitentibus, ut sepositis, si quae fuerant, iurgiis iterum amice sociarentur Coniugum animi. Idcirco Principissa Antonia post octo supra decem menses iudicium nullitatis Matrimonii instituit, et, si validum declararetur, petiit, ut iuris et facti remediis opportunis executioni mandaretur quidquid in huiusmodi casibus sacri Canones praescribunt. Ex processu instructo constitit, Sponsam in supplici libello interposita iurisiurandi fide asseruisse, nunquam fuisse Matrimonium consummatum, Sponso praefixum fuisse terminum ad emittendum super non consummatione iuramentum, quo elapso, haberetur tamquam praestitum, et reapse terminum effluxisse, nulla a Sponso contraria facta declaratione. Constitit, exhibita fuisse totidem epistolia in locum septimae manus, quin tamen unquam Propinqui formali subiecti fuerint examini: atque constitit, Peritos praevia corporis inspectione declarasse Virum habilem atque idoneum ad coeundum. E contra sub die 14 decembris 1811 postulata est inspectio corporis Mulieris, et tamen eadem die et anno hoc neglecto iudiciali Decreto, indicta fuit Coniugibus triennalis cohabitatio. Inde vero defuncto Episcopo, Vicarius Capitularis praefatum Decretum pro cohabitatione triennali revocavit, – tamquam nulliter et indebite expeditum –; ac ipse imploravit a Summo Pontifice dispensationem a Matrimonio rato et non consummato, sed Sacra Congregatio die 17 decembris 1814 rescripsit: – Desunt probationes iustae causae ad dispensandum et non sequutae consummationis –, quod repetitum est ad preces, quas renovavit Princeps Paternò Rescripto 12 iulii 1817: – In decretis sub die 17 decembris 1814 –. Reiteratis mox precibus, Sacra Congregatio die 30 maii 1818 mandavit confici processus super non consummatione et causis canonicis dispensationis, iuxta formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione*. At Mulier obstitit, ex eo quod nulla adesset causa, ob quam Matrimonium dissolvi posset. Vir autem constare sustinuit de non consummatione Matrimonii, tum ex declaratione Mulieris pluries confirmata, tum ex iteratis usque ad quartam vicem inter Coniuges dissidiis, ob non praestita obsequia Matrimonialia, tum ab instituto ab ipsa iudicio super nullitate, cum putaret, Virum esse impotentem, tum etiam ex Vicarii Capitularis et moderni Episcopi iudicio. Causam dispensationis constituit in relativa coeundi impotentia, ob animi aversionem erga Principissam. Nam licet ipse rei uxoriae aptus certo certius erat, ut constabat ex iudiciali illius corporis inspectione, nihilominus per sexdecim menses et ultra habens non modo domum, sed lectum etiam communem cum Sponsa Matrimonium haud unquam consummavit. Defensor Matrimonii vero advertit, deficere utriusque Coniugis legale iuramentum, cum nec Mulier nec Vir illud reapse praestiterit coram Iudice; deficere examen et iuramentum septimae manus ex parte Mulieris, et ex parte Viri nec unum Propinquum fuisse inductum, qui eiusdem Viri assertiones iuratus confirmaret; deficere recognitionem virginitatis in Muliere, quin obesset, quod ex Cap. *Causam Matrimonii* 14 de probationibus manus et oculi Obstetricum falli possint, cum ad certum reddendum iudicium nulla praetermitti debeat diligentia, ac proinde necessaria erat inspectio corporis Mulieris. Quin imo Defensor Matrimonii plura addidit, ut demonstraret, Matrimonium fuisse consummatum: unde conatus est excludere

quamlibet dispensationis causam, tum ab extrinseco, quia processus pluribus nullitatis vitiis inficiebatur, tum ab intrinseco ex triplici fonte, nimirum ex persona Principis Paternò, cum is ad rem uxoriam esset apprime comparatus, ex persona Principissae, quae formaliter et iustis de causis dissentiebat dispensationi, et ex deficientia legitimae causae, quae enim iusta gravis et urgens requirebatur.

137. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de Matrimonio rato et non consummato, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820.*

138. Unde non est locus dispensationi super Matrimonio asserto rato et non consummato, si nedum haud constet de non sequuta consummatione nec graves adsint causae, sed imo ex cohabitatione et condormitione nec non testimonio cubiculariae praesertim post diuturnam triginta annorum acquiescentiam vehementissima praesumptio consummationis erumpit, quin obstet iuramentnm Viri ac plurimorum Testium non consummationem asserentium *in Corduben. Dispensationis die 22 Novembris 1760.*

139. Iamvero nobilis Vir Ioseph Perez de Guzman anno 1758 proposuit coram Ordinario querelam nullitatis Matrimonii, quod per Procuratorem die 17 februarii 1728 celebraverat cum Anna Ponze de Leon aeque nobili generi nata, ob defectum consensus Sponsae, quam dementem tunc fuisse asserebat. Sed mox, mutato consilio, dispensationem postulavit super Matrimonio, tamquam rato et non consummato. Instructo processu, viginti Testes affirmarunt, paucis noctibus Iosephum communem habuisse torum cum Anna, suoque iudicio putare, nunquam consummatum fuisse Matrimoninm, ob reluctantiam Annae ex insania reputantis, se esse Monialem. Audita fuit Anna, quae fatue et inepte respondit, licet requisita subscripserit; inspectumque fuit illius corpus a tribus electis Obstetricibus, quae, olei violacei et tubi experimento aliisque perpensis signis, retulerunt, eam esse incorruptam. Et suum addidit iuramentum Ioseph, nunquam se Matrimonium cum Anna consummasse. In facto propterea esse sustinuit Vir Matrimonii non consummationem, quin obesset condormitio, cum praesumptio huiusmodi elideretur per contrariam virginitatis probationem, quin etiam obstaret tricenarium silentium, cum appareret, Mulierem esse incorruptam, et constaret, sub initium Matrimonii, Virum pertaesum repulsae Coniugis, nomen dedisse Regiae militiae, eiusque stipendia ad plures annos cum laude in Italia meruisse. Plures etiam causas pro dispensatione obtinenda cumulavit, dementiam scilicet Annae tempore initi Matrimonii a Testibus affirmatam, illius continuatam insaniam, sine alicuius spe resipiscentiae, repugnantiam maritalibus amplexibus et graveolentiam intolerabilem, periculum incontinentiae inimicitiarum et scandalorum, quae ob deceptionem passam obvenire poterant, praeclaram sui generis nobilitatem et affluentiam divitiarum, ne periret nobilis familia, demum favorabile votum Ordinarii. Dispensationi tamen obstiterunt Mulieris et Matrimonii Defensores, qui disputarunt, fidem nullam mereri probationes in Curia Episcopali, compilatas sine deputatione Defensoris Matrimonii, iuxta Constitutionem *Dei miseratione* s. m. Benedicti XIV, consummationis vehementissimam praesumptionem oriri ex cohabitatione et condormitione praesertim post diuturnam triginta annorum acquiescentiam, Obstetricum relationem adminiculum, non probationem facere, quia facile decipiuntur, et quia non dantur signa virginitatis, imo fallax in casu iudicandum esse Obstetricum iudicium ex ineptitudine inditiorum, iuxta votum chirurgicum duorum Professorum Urbis, Testes vero de propria credulitate deponentes non esse attendendos, nec standum iuramento Viri, et in dubio pronunciandum esse contra dispensationem. Quin imo nomine Annae transmissum fuit examen ad perpetuam cuiusdam Cubiculariae ipsius Annae, quae a famulatu discessit triennio post sequutum Matrimonium, quaeque testabatur, eo tempore notoriam fuisse in familia et tota Civitate Cordubensi praegnantiam Annae et abortum ab ea passum, ipsamque Testem fortuito ingressam in cubiculum vidisse iacentes Coniuges simul coeuntes, et praesentem fuisse cum aliis pluribus familiaribus, quando Anna passa est abortum; nec non simile aliorum

trium Testium examen, qui haec omnia audivisse narrabant a dicta Cubicularia tempore eius discessus a famulatu, viginti novem ab illinc annis secuti. Iustam quoque autumarunt deesse causam, quia dementia non probabatur adfuisse tempore initi Matrimonii, iuxta depositionem unius Testis, rixas in privatis imperio Magistratus comprimi posse, timorem incontinentiae sero nimis allegari post transactam iuventutem seorsim ab Uxore, nihil prodesse nobilitatem, quia nec magnis Principibus conceditur dispensatio sine causa. Et denique censuerunt, obstare dispensationi defectum consensus Uxoris, praesertim ob illius praeiudicium, ex quo alias nuptias contrahere nequiret.

140. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de Matrimonio rato et non consummato, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Corduben. Dispensationis die 22 Novembris 1760.*

141. Idcirco Sacra Congregatio renuit concedere dispensationem super Matrimonio praetenso rato et non consummato, cum Coniuges nullo impotentiae vitio affecti post cohabitationem decem annorum eam concorditer petierint, licet iurarent, se nunquam Matrimonium consummasse, quia illud repugnante invicem genio et potius Parentum imperio ac metu ademptionis bonorum inierunt, idque etiam Propinqui confirmarent, nec non iustae causae concurrere viderentur *in Pragen. Matrimonii die 7 Iulii 1731 die 26 Ianuarii 1732 et die 27 Februarii 1734.*

142. Enimvero anno 1717 Matrimonium, servato Ecclesiae ritu, initum fuit inter Comitissam Mariam Ioannam Ulassin et Comitem Ioannem Iosephum de Kaunitz. Per decennium cohabitarunt Coniuges: sed tandem, crescente animorum abalienatione, sub annum 1727 in id consenserunt, ut tori separatio fieret, annui floreni 3500 assignarentur a Viro pro alimentis Uxoris, et utriusque nomine suppliciter peteretur a Summo Pontifice dispensatio super Matrimonio rato et non consummato. Archiepiscopus retulit, contendi a memoratis Coniugibus, qui amplissimis familiis orti erant, Matrimonium fuisse contractum, repugnante invicem acriter genio, et urgente reverentiali metu erga Parentes, ipsosque Coniuges paratos esse, interposita iurisiurandi religione, ad contestandam non consummationem Matrimonii. Proposito interim dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione? –, Sacra Congregatio die 7 iulii 1731 responsum dedit: – Dilata, et ad mentem –, ut quaedam scitu digna possent accuratius investigari (1). Hinc ex Literis Ordinarii Pragensis confirmabatur, nullam conciliandorum animorum spem affulgere: iam enim irrito conatu in id incubuerunt Propinqui et Amici; potissimum vero Mulier extrema quaeque se potius laturam denuntiavit, quam ut ad Mariti domum reverteretur. Quamobrem gravia pertimescenda videbantur dissidia inter familias, aut cognatione aut necessitate coniunctas cum utroque Coniuge, qui in Bohemico Regno, tum stirpis claritate, tum opibus pollebant, nisi Sedis Apostolicae pietas postulatae dispensationis remedium benigne impertiretur. Ponderandum hinc, num satis constaret de Matrimonii non consummatione, ac de causis ad indulgendam dispensationem requisitis. His vero perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, – Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Pragen. Matrimonii die 26 Ianuarii 1732.*

143. Cum igitur difficultatis cardo verteretur potissimum in probanda Matrimonii non consummatione post cohabitationem adeo diuturnam, ambo Coniuges die 11 maii 1733 coram Delegato ab Archiepiscopo, Deum Optimum Maximum testantes, asseverarunt, Matrimonium nunquam fuisse consummatum. De-

(1) Siquidem mens fuit, ut causas iustas et idoneas exquireret, antequam lis discuteretur, quapropter iniunctum fuit Episcopo, ut daret operam ad investigandum, an Caesarea aula partes alicuius ex memoratis Coniugibus tueatur eique favorem adhibeat; praeterea num vel Episcopi, vel aliorum interpositis officiis sperari possit redintegratio mutuae concordiae inter eosdem Coniuges; deinde an, si dispensatio non concederetur, ullum aut privatum, aut publicum inconveniens pertimiscendum foret, ut potissimum quoque, an, Matrimonio non dissoluto, protractaque deinceps tori separatione, simultates odia dissidia adeo gravia suboritura sint inter dictorum Coniugum familias earumque cognatos, ut inde publica quies in Propinquorum videatur reducta discrimen, *ut in Reg. Litt. lib. 28 die 7 Iulii 1731.*

inde non solum Pater Mariae Ioannae; sed et alii septem praenobiles Viri, testes ab Maria Ioanna producti, et quorum duo eam cognatione attingebant, iureiurando itidem interposito affirmarunt, sese iamdiu fama nuntiante audivisse, Matrimonium non fuisse consummatum, atque ita etiam certo credere. Iamvero Oratores ab initio Matrimonium contraxerunt, repugnante vehementer invicem genio, et potius urgente Parentum imperio, iniectoque etiam metu ademptionis bonorum hereditario iure deferendorum. Credendum haud quidem est Coniugibus dissolutionem Matrimonii adnitentibus, Cap. *Super eo* de eo, qui cognovit consanguineam, sed id intelligendum videtur, si confessioni tantum Coniugum nitatur probatio: nam ceteroquin confessio ipsorum Coniugum, iureiurando confirmata, ac etiam septima Propinquorum, vel, si ii desint, vicinorum manu munita, approbatur in Cap. *Laudabilem* et in Cap. *Literae vestrae* de frigidis. Advertebatur tamen, quod in themate non agebatur de Matrimonii nullitate declaranda ob impotentiam, prout erat in memoratis decretalibus Epistolis, sed de probanda (citra ullum naturae vitium) non consummatione Matrimonii, ad effectum dissolvendi nuptiale vinculum, quod ex vi divinae legis esset indissolubile, si consummatum fuisset. Advertebatur etiam, quod deerat iuramenti praestatio ex parte Propinquorum Viri, cum iuxta laudatos Textus utrinque debeant septem propinqui aut vicini iurati affirmare, sese credere veram Coniugum confessionem, ut explicant sanctionum earum interpretes, quos colligit Sanchez de matrim lib. 7 disp. 108 n. 10. Non repugnabat vero Comitissa supplendae probationi ea ratione, quae traditur in Cap. *Literae vestrae* de frigidis et in Cap. *Proposuisti*, si necessarium id Sacra Congregatio iudicaret.

144. His mature perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 26 ianuarii 1732 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Pragen. Matrimonii die 27 Februarii 1734.*

145. Unde Sacra Congregatio declaravit, non esse locum dispensationi seu dissolutioni Matrimonii praetensi rati et nulli, etiamsi Coniuges eam concorditer implorent atque sint aetate inaequales ac odium implacabile cum periculo mortis extet, sed in facto est, quod simul in eodem lecto cubarunt *in Frisingen. die 7 Maii 1718.*

146. Siquidem Ioseph Felix Dopste et Maria Clara Rorboschin Coniuges supplicarunt Summo Pontifici pro dispensatione seu dissolutione Matrimonii sub obtentu, quod illud esset tantum ratum et nullum, utpote per vim et metum contractum. Fundamentum enim reponebant in mutuo et concordi ipsorum consensu, in aetatis inaequalitate inter eosdem intercedente, et in odio implacabili, quo Uxor affecta erat erga Virum, ita ut periculum mortis immineret, uti desumebatur ex responsionibus Mulieris coram Officiali Frisingensi, et ex informatione Ordinarii. Advertebatur tamen, quod licet a plerisque scribentibus causa odii implacabilis cum periculo vitae pro sufficienti habeatur, existimatur tamen insufficiens a Fagnano in Cap. *Ex parte* n. 15 de conversione Coniugatorum; nec non Vir et Mulier in eodem thalamo cubarunt, licet Maritus diceret, se non consummasse, et licet Uxor assereret, se debitum denegasse, tum quia ille sibi potens esse non videbatur, tum quia statim ipsam accusare incepit et increpare, quod Infantem peperisset, et quod esset morbo gallico affecta. Propositis autem dubiis: – An constet de nullitate Matrimonii? *Et quatenus negative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Frisingen. die 7 Maii 1718.*

147. Nam praesumptio iuris et de iure sequutae consummationis, quae oritur ob cohabitationem ac potentiam coeundi, elidi nequit, nisi per contrarias concludentissimas probationes in titulo de frigidis et maleficiatis et praxi Sacrae Congregationis praescriptas, scilicet per inspectionem Mulieris factam a Matronis bonae opinionis fide dignis, ac expertis in opere nuptiali, quae testimonia perhibeant, ipsam adhuc virginem permanere, ac per septimam Propinquorum manum iuramento firmantium, Coniuges commisceri carnaliter nequivisse *in Camenecen. Matrimonii die 29 Aprilis 1854* §. *Sed.*

148. Idcirco etiamsi expleta haud fuisset inspectio corporis Viri, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi super

Matrimonio rato et non consummato, cum utrique Coniuges eam post cohabitationem et condormitionem novem mensium petierint, ac iuraverint non consummationem, quibus accesserint iuramentum septimae utrinque Propinquorum manus et plurium Testium nec non Obstetricum et in arte Peritorum iudicium de virginitate Mulieris deponentium, quin etiam legitima causa deesset, ex eo quod aderant impotentia saltem respectiva Viri, defectus successionis, utriusque praenobilis familiae Coniugum aversio, praesertim ob adulterium Viri cum corruptis fortasse patratum, nec non odia, quae respectivos etiam consanguineos exasperarunt *in Neapolitana Dispensationis die 27 Iulii et die 14 Decembris 1822.*

149. Siquidem sponte ac libere initum est rite die 2 augusti 1817 Matrimonium inter Iuvenem Nicolaum Vecchioni et adolescentulam Margaritam Muscettola ex Principibus Leporani, quin unquam, etiamsi optata plurimum, tentata saepius, obtenta esset illius consummatio per novem mensium spatium, quo Iuvenes communem domum communemque habuerunt torum. Unde utrique Coniuges, cum iam Mulier ad patrios lares rediisset, sub die 2 octobris 1819 a Summo Pontifice dispensationem a Matrimonio rato et non consummato exorarunt. Extructo processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* inspectione corporis Viri tantum omissa, cum is acriter obsisteret, Mulier adiit Summum Pontificem, ne in longius protraheretur actorum transmissio. Summus Pontifex annuit precibus Rescripto diei 22 augusti 1821, et huius novae inspectionis, si quando utilis, non semper tamen in hisce Causis necessariae, iudicium Sacrae Congregationi remisit adiecta clausula, - salvo iure supplendi in posterum quidquid Sacra Congregatio ad rectum iudicium necessarium putaverit -. Mulier itaque non sequutae consummationis extremum ex utriusque Coniugis iuramento bis repetito desumpsit, quod magis magisque confirmabatur ex septima utriusque lateris Propinquorum manu, aliisque Testibus. Tres Obstetrices, praemisso balneo ceterisque ad rem facientibus, nec non ex illarum relatione Periti, uno ore, Margaritam iureiurando virginem iudicarunt, ac omne violatae integritatis indicium excluserunt. Unde Emus Archiepiscopus in sua relatione asseruit, – ex iudiciali processu satis constare Matrimonium non fuisse consummatum, neque ullum in inspectione corporis Margaritae Muscettola vestigium integritatis violatae ap paruisse –. Iustam autem causam Apostolicam assequendi dispensationem constituit in mutuo Coniugum consensu, in Viri impotentia saltem respectiva, in defectura successione utriusque praenobilis familiae, cum de unigenitis filiis ageretur, ac demum in Coniugum aversione et in odiis, quae utriusque familiae consanguineorum animos exasperarunt. At Matrimonii Defensor ex plurium mensium cohabitatione et condormitione arguit praesumptionem iuris et de iure habitae consummationis: suspectum dixit iuramentum Coniugum, a quibus etiam inverosimilia narrabantur: septimam Propinquorum manum aliosque Testes de auditu ab ipsis Coniugibus deponentes probationem de non subsequuta consummatione haud constituere censuit. Nec vim addere posse sustinuit Obstetricum et Peritorum iudicium de virginitate testantium, cum huiusmodi relationes falsis duobus principiis adniterentur, quae ab Anathomicis tamquam falsa respuuntur, et a Canonistis ceu fallacia virginitatis indicia habentur. Quoad causam dispensationis advertit, eam consistere non posse in solo Coniugum consensu, quin alia ex Viri impotentia desumpta legitima haberi posset, praesertim cum haec absoluta excluderetur a Peritis, et respectiva summopere esset dubia. Quapropter contendit, aut indicendum esse triennale experimentum, aut Virum, licet reluctantem, cogendum esse, ut corpus suum a Peritis in arte inspiceretur. Negavit demum, ex vaga assertione odii et aversionis inter Coniuges eorumque Coniunctos erui iustam vinculi maritalis dissolvendi causam, cui minime opitulabatur generis nobilitas, vel defecturae successionis periculum.

150. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, et Nicolao Vecchioni non relaxetur fides status liberi, inconsulta Sacra Congregatione – *in Neapolitana Dispensationis die 27 Iulii 1822.*

151. Novae audientiae beneficium, iuxta Benedictinam Constitutionem petiit ac obtinuit Matrimonii Assertor, qui rursus contendit, quod haud haberetur moralis certitudo, Virum ea laborare impotentia, ex qua nulla spes esse posset, ut copulam perficeret; adeoque instetit, ut inspectio corporis Viri decerneretur, iuxta praxim Sacrae Congregationis, seculari consuetudine roboratam. Licet enim canonici Textus de ea non loquantur, ex identitate tamen rationis Viro applicanda est Capitis *Proposuisti* dispositio. Nec causa dispensationis desumi posse sustinuit ex adulterio Viri: incertum enim erat, num esset perpetratum; et quatenus pro certo haberetur, nova causa assurgebat, ut de potentia esset dubitandum, ideoque sermo redibat de necessitate triennalis experimenti, vel saltem de corporis inspectione. Reiecit alias causas, consensum scilicet Coniugum familiarum odia et animi aversionem. Contra Defensor Mulieris ex impotentia relativa Viri satis probata deduxit, inutilem esse inspectionem corporis ipsius et triennale experimentum, praesertim cum ageretur de gratioso dispensationis iudicio, ubi minus rigorosae exiguntur probationes. Causis ab initio allatis ad assequendam dispensationem pro coronide posuit adulterium a Nicolao perpetratum, quod, ne obstaret impotentiae relativae, dixit, committere potuisse cum corruptis et meretricibus. His itaque perpensis, propositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Neapolitana Dispensationis die 14 Decembris 1822.*

152. Quum itaque Coniuges per quinque fere menses communem domum et thalamum habuissent mutuo consensu dispensationem a Matrimonio rato petierint, ex eo quod iidem iureiurando formiter fassi fuerint, haud illud consummasse propter impotentiam saltem relativam Viri, quibus accesserant septima Propinquorum manus aliique Testes nec non relatio Obstetricum et Peritorum iudicium de virginitate Mulieris iuramento testantium, Sacra Congregatio primum mandavit, ut perficeretur inspectio corporis Viri, dein Viro acriter inspectioni obsistente censuit rem deferre ad Summum Pontificem iuxta mentem, ac demum dispensationem indulsit, inhibito Viro transitu ad alia vota *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris die 18 Decembris 1824 die 16 Septembris 1826 die 15 Decembris 1827 et die 15 Martii 1828.*

153. Iamvero Nicolao ex Baronibus Henrici die 18 aprilis 1822 nupsit nobilis puella Maria Bassi ex Ducibus Alanno, et per quinque fere menses communem cum Viro domum ac thalamum habuit. Quum vero Nicolaus nunquam cum Uxore, pluribus licet de Medicorum sententia quaesitis remediis, Matrimonium consummare potuerit, tori habitationisque, mutuo consensu, facta separatione, Coniuges supplices adierunt Summum Pontificem, dispensationem Matrimonii rati et non consummati efflagitantes. Extructo processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Coniuges formiter iurarunt, Matrimonium haud fuisse consummatum; accesserunt praeterea septima Propinquorum manus, plures alii Testes, qui idipsum iureiurando tempore non suspecto noverunt, iurata et a Peritis approbata Obstetricum relatio, indubia virginitatis signa in Maria Bassi se reperiisse testantium, tandem Archiepiscopus, qui ex processu perspicue constare retulit, Matrimonium nullimode fuisse consummatum. Nec iustae causae ad dispensandum deficere videbantur, cum concurrerent mutuus Coniugum consensus, eorumdem animi abalienatio, et impotentia saltem relativa Viri, quin obesset defectus iudicialis inspectionis corporis Viri, cum de Viri impotentia dubitari non posset, et fallax esset huiusmodi inspectio, nam ex Peritorum iudicio ob internum defectum Nicolaus impar erat Matrimonio cum Uxore consummando. Quin imo inspectio corporis Viri nec a Sacris Canonibus, nec a Benedictina Constitutione praescribitur: unde Sacra Congregatio pluries declaravit, locum esse dispensationi, quin praecessisset inspectio corporis Viri. Multoque minus confugiendum esse videbatur ad experimentum triennale, cum ex confessione etiam Viri constaret impotentia, qui propterea cum Uxore dispensationem efflagitabat. Verum Matrimonii Defensor allatas probationes super non consummatione Matrimonii eas esse negavit, in quibus EE. PP. conquiescere possent, etiamsi coniunctim accipe-

rentur. Idcirco locum esse inspectioni corporis Viri, aut experimento triennali contendit. Nullam etiam iustam subesse causam sustinuit, cum de impotentia Viri haudquaquam constaret, mutuus Coniugum consensus vinculum rescindere non posset, et levissima ac suspiciosa esset animi abalienatio, utpote a Viro invecta, ut ad alia vota sibi viam sterneret.

154. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 novembris 1824 respondit: – Dilata ad sequentem cum iisdem –. Reproposito itaque dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 18 decembris 1824 responsum dedit: – Dilata, et esse locum inspectioni corporis Viri, iuxta instructionem –. At Nicolaus bis tertio et quarto inspectioni obstitit. Hinc Mulieris Defensor eam haud necessariam censuit, cum satis superque constaret de non consummatione, nec deficerent dispensationis causae, voluntas scilicet et consensus Coniugum, Viri impotentia, incontinentiae periculum, atque odium inter ipsum et Mulierem. Contra Matrimonii Defensor tamquam iniuriosam potestati ecclesiasticae traduxit Viri renuentiam, atque necessariam appellavit inspectionem corporis eiusdem, cum ageretur de Connubio dissolvendo, adeoque nulla diligentia superflua videri poterat. Idcirco pro viribus sustinuit, Nicolaum censuris adigendum ad corpus suum visitationi subiiciendum, aut triennale experimentum esse iniungendum. His interim perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 16 septembris 1826 respondit: – Dilata, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo ad mentem –. Mens fuit, – ut per Archiepiscopum denuo praefigatur terminus unius mensis Nicolao ex Baronibus Henrici ad subiiciendum corpus suum Peritorum inspectioni cum intimatione, quod elapso termino, et recognitione, ipso renuente, non sequuta, habebitur sua renuentia pro ultronea confessione suae absolutae impotentiae coëundi, ideoque nunquam ad alia vota transire poterit, etiamsi Uxori suae Mariae Bassi indultum dispensationis a Sanctissimo concedatur –. At Vir nunquam adduci potuit, ut his pareret mandatis. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 15 decembris 1827 respondit: – Affirmative, inhibito Nicolao ex Baronibus Henrici transitu ad alia vota –. Demum obtenta venia per Defensorem Matrimonii restaurandi certamen, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Theatina Dispensationis die 15 Martii 1828.*

155. Qua de re etiamsi Coniuges per sex menses simul cohabitaverint et Mulier iuramento firmaverit, Matrimonium fuisse consummatum, nihilominus Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi a Matrimonio rato et non consummato, eo quod ex pluribus rerum adiunctis ac iuramento Viri constitit, illud non fuisse reapse consummatum, quin obesset oppositio Mulieris eiusque Parentum, qui enim, dum ad rem longius differendam, reconciliationem innuebant inter Coniuges, restiterunt etiam mandatis Sacrae Congregationis, quae frustra edixit, ut inducerent Testes pro septimae manus examine *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857 et die 26 Iunii 1858.*

156. Enimvero nobilis adolescens Leo Maria De Grolée Virville Marchio origine Avenionensis et Puella Maria Iosephina Caillard die 8 octobris 1852 Lutetiae Matrimonium in faciem Ecclesiae rite contraxerunt. Post sex mensium cohabitationem extemplo Vir apud civile Tribunal iure iudicioque egit, pro separatione quoad torum habitationem bonorumque divisionem, ac, Muliere in contumacia manente, voti compos factus est. Petiit exinde a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, ob invincibilem praesertim matrimonialibus praestandis obsequiis repugnantiam Mulieris. Confecto hinc processu super non sequuta consummatione ac legitimis dispensationis causis, Vir iuramento praestito negavit, Matrimonium ab se cum puella Caillard contractum unquam fuisse consummatum asserens, eam debiti coniugalis redditionem obstinate recusare, ac ideo se praecipue intuitu salutis aeternae ac vitandae incontinentiae causa dispensationem postulare. At Pater Mulieris respondit, filiam suam ad examen non esse

venturam, eo quod iam nihil commune haberet cum Leone De Grolée Virville: Curiam tamen cum filia subinde adivit, quae iuramento affirmavit, Matrimonii consummationem contigisse, declaravitque ideo petitae sese obstare dispensationi. Archiepiscopus Mulierem hortatus est, ut Viro suo reconciliari curaret, retulit tamen, – verum ita sunt ad invicem alienati animi, ut in praesenti, vel in proximo sperari nequeat absque miraculo, tum optanda negotii solutio –. Mulier interim seu eius Pater constanter ullos indicare Testes recusavit asserens, et sibi et filiae suae firmum esse propositum, omnem ulteriorem inquisitionem detrectandi; eademque ferme Mulier ipsa scripto declaravit. Itaque Defensor Viri contendit, morali constare certitudine de non sequuta consummatione, cum ex documentis probaretur, vel ab ipsis Parentibus eo consilio hasce nuptias conciliatas fuisse, ut ipsa immunis esset a periculo conceptionis, saltem per integrum triennium, eamdemque tam invitam aegroque animo ad Aram Matrimonium celebraturam accessisse, ut vix praestito per verba de praesenti consensu viribus destituta manserit; hinc pertinaci obfirmataque voluntate Viro petenti debitum denegasse, eumque ab se asperis ac iniuriosis saepe saepius repulisse verbis, quin vel miti eiusdem Viri agendi ratione, vel amicorum suasionibus flecti et ab incepto dimoveri potuerit per integrum semestre. Rem vel ipsa Sponsae Mater confirmabat, quae literis diei 4 maii 1853 ad Leonem scripsit: – Non esigete in sei mesi quello, che non può accadere, che col tempo –, ac interim ei suasit, ut veluti obliviscetur pro nunc, *che siete suo marito*. Et cum aliquando Vir suo uti iure constituerit, e Mulieris domo, quam interim incolebat, expulsus violenter fuit, et ne rediret minis deterritus. Omnes etiam inducti a Viro Testes in consummatione excludenda convenerunt, plures indigitantes rerum circumstantias, quae impossibilem eam fuisse ostendebant, addentes, id etiam ex publica fama evinci. Id insuper Testes extraiudiciales confirmarunt, ac praesertim sententia Tribunalis civilis, qua separatio indicta fuerat, ex eo quod Mulier constanter recusavit praestare obsequia matrimonialia atque commorari in eodem Viri cubiculo. Cumulum hisce imposuit iurata Viri depositio, cui spectata eius religio pietas integrique mores adhaerendum suadebant; non ita tamen de Muliere praesumendum, quae cum pluries antea Matrimonium non fuisse consummatum fateretur, debitum enim praestare renuebat, quoties Vir cautelis uti nollet, quibus ipsa esset Sponsa, quin Mater evaderet, postea vero vexandi Virum eique contradicendi animo iuramento asseruerit, quod eousque negaverat; ac mox declaraverit, (quod tamen a Viro impugnabatur) unicam intercessisse copulam, quae tamen apta non erat, ut pro ea vice conciperet ac Mater evaderet. Demum D. Bourlon Vir gravis et insignis testatus est, semel ab ore Mulieris accepisse, quod locum non habuisset consummatio, idque post peractam separationem Coniugum. Nec deficere sustinuit causas dispensationis, scilicet disparitatem qualitatum nobilitatis, institutionis, et pietatis, nec non odium et aversionem, qua ad invicem Coniuges ferebantur.

157. E contra Defensor Matrimonii ex officio propugnavit haud satis de non consummatione constare, cum deficeret concors Coniugum confessio, quin Viro adhaerendum esset, sed potius Mulieri, quia ille ad alias nuptias convolare exoptabat, ac praesertim quia non deerant praesumptionum argumenta, quae consummationem intercessisse suadebant, nimirum literae amoris plenae, quas primo perdurante semestre a die initi Coniugii in brevi sua absentia Vir ad Uxorem dirigebat, ac omnes Testes a Viro adhibiti fidem faciebant, omnimodam Coniuges habuisse facultatem consummandi Matrimonium, quod in eadem domo et adhaerentibus mansionibus communicatione instructis ad sex menses fere continuos commorati fuerint. Idcirco consummatio Matrimonii excludi non poterat, nisi probatio negativam coarctatam constitueret, quae tamen longissime aberat. Praeterea dissensus Mulieris quoad dispensationem, et mora sex mensium, quae intercessit, antequam Vir reclamaret, gravem de consummatione suspicionem ingerebant. Demum alterum probationis fundamentum deficiebat, nempe septima propinquorum vel vicinorum bonae famae ex parte Mulieris manus, quae ex officio haberi poterat, licet eos Mulier producere detrectaverit. Quum autem ex pluribus rerum circum-

stantiis spes reconciliationis haud deficeret, hinc odium in casu affectatum dixit et sine causa, ac ea propter nec iusta dispensationis causa adesse videbatur, cum praetensa disparitas non subsisteret, vel non ita notabilis, ut gravem constitueret dispensationis causam. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio die 28 martii 1857 responsum tulit: – Dilata, et scribatur Emo Archiepiscopo, ut Mulieri congruum iuxta prudens suum arbitrium praestituat terminum ad inducendos Testes pro septimae manus examine, quo termino inutiliter elapso, Archiepiscopus ipse procedere debeat ex officio ad examen illorum, qui sive qua consanguinei aut amici vel uti familiares domus Mulieris ad testimonium ferendum idonei magis comperiantur, iuxta instructiones dandas a R. P. D. Secretario una cum Defensore Matrimonii –. Haec tamen in irritum cesserunt: nam Dominicus Caillard absolute Testes producere renuit, sed potius reconciliationem inter Coniuges insinuavit, datis talibus vel talibus circumstantiis, cum dispensatio concedi haud posset in maximum filiae detrimentum, rursus obtestans, Matrimonium fuisse consummatum. Viri autem Defensor impossibilem dixit reconciliationem, ac iterum aliis etiam expensis rerum adiunctis ostendere conatus est, quod Matrimonium non fuerit consummatum. Matrimonii vero Defensor enixius illud fuisse consummatum contendit, nec iustam concurrere causam dispensationis, cum spes foret reconciliationis, ex eo quod ipsa familia Caillard eam valde exoptaret. His utrinque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 26 Iunii 1858.*

158. Imo licet per integrum quinquennium Coniuges nuptiali genio indulsissent et Vir affirmaverit, sequutam fuisse consummationem, nihilominus Sacra Congregatio censuit, locum esse dispensationi a Matrimonio rato et non consummato, cum Mulier iuraverit, haud sequutam fuisse consummationem, idque confirmaverint septima propinquorum manus Obstetrices et Medici ac Chirurgi, qui omnia integritatis signa in ea reperierunt, dum in corpore Viri morbum cyrsocelis invenerunt *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii et die 29 Augusti 1857.*

159. Siquidem Andreas Gherardi et Amalia Mazzei, honesto loco Bononiae nati, die 21 novembris 1838 rite in faciem Ecclesiae Matrimonium contraxerunt. Post quindecim a nuptiis dies, quibus aegrotanti interim Matri adstitit, paternos deserens lares, domum Andreae laeto lubentique animo excepta Amalia concessit, ac prima ipsa cohabitationis nocte insimul Sponsi cubantes rei uxoriae operam navarunt. Elapso quinquennio, quo maritalibus saepe iteratis officiis eodem accubitu usi sunt, Mulier, sive quod Viri ignaviam suspicans eius irritis conatibus ita frequenter se fatigari non pateretur, sive quod abalienatum ab se eiusdem animum persentiret, causam praetexens convulsivi morbi, quo ille noctu aliquando afficiebatur, mussandi ac ululandi in somno, coniugalem thalamum eodem assentiente Viro reliquit, separato lecto atque cubiculo eiusdem tamen maritalis domus exinde cubare sueta; quam vitae consuetudinem per alios octo annos Coniuges servarunt, quin tamen, vel cum ruri morarentur, vel amicorum adventu, vel alia ex causa, communi toro usi maritali operi identidem non vacarent. Andreas interea aere oberari alieno ac ad inopiam vergere cepit ita, ut a creditoribus conventus et impar solvendo sententiam in bonis et corpore perferre coactus fuerit. Conquerebatur etiam Mulier dissolutam illius vitae rationem, se neglectam, contemptam, sibi relictam, et ob liberum maritalis domus accessum cuiusque furfuris Viris permissum, amittendae pudicitiae periculo perpetuo obnoxiam. Auxit aversionem animorum imprudentia Viri, qui famae Coniugis detrahere, eamque adulterii apud amicos insimulare non erubuit. Mulier his pressa angustiis, anno 1851, cum ad balnea se conferre deberet, a Viri domo, amicorum etiam et consanguineorum solicitata consilio, divertit; ac Bononiam inde reversa apud Matris lares sese recepit. Vir tum petiit a Curia Archiepiscopali, ut Coniux maritalem repetere domum et matrimonialia praestare obsequia adigeretur: sed continuo reconventionali oblato libello, nullitatem Matrimonii ob Viri impotentiam decerni postulavit Amalia, ac postea a Summo Pon-

tifice dispensationem a Matrimonio rato et non consummato efflagitavit. Confecto itaque processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Mulier iuravit, Matrimonium haud fuisse consummatum, cui accesserunt septima Propinquorum manus, aliique Testes et Obstetrices, quae omnia perfectae integritatis signa, ab iisdem enumerata, in illa se reperiisse renunciarunt, quibus Medici et Chirurgi adhaeserunt, quin obesset contraria Viri assertio, qui consummationem sequutam fuisse asseruit, quamvis dubitative id edixerit: *Io starei all' affermativa.* Nam de mendacio pluribus de causis merito arguebatur. Ex Peritorum relatione autem constare dixit, Virum, licet externo corporis habitu optime conformatum, morbo tamen, quem vocant *cirsocele* affectum esse, qui eorumdem Peritorum iudicio, si non absolutae quoad coitum cum deflorata, relativae tamen impotentiae quoad defloralionem causa esse poterat, quippe perfectam erectionem impediebat, et hunc morbum insanabilem iudicarunt. Plures etiam causae dispensationem urgebant, scilicet ipsa impotentia Viri, quae saltem dubium reddebat valorem Matrimonii, periculum incontinentiae et fornicationis timor, animorum aversio atque dissidia absque spe reconciliationis, odia et lites iam inceptae inter Gherardium et Amaliae Parentes circa rerum dotalium interesse, exquisita Coniugis prostitutio, et calumniosa eiusdem de adulterio imputatio. Matrimonii Defensor vero negavit impotentiam Viri, sive absolutam et antecedentem, sive relativam, ex eo quod morbus *cirsocele* huiusmodi impotentiam constituere non posse videtur, et contradictoriae apparebant Peritorum depositiones nedum quoad morbi existentiam, sed etiam quoad eius naturam. Idcirco cum omnes Testes convenirent, Coniuges nuptiali genio per integrum quinquennium indulsisse, Vir consummationem affirmaret circumstantias enarrans, ex testimonio Doctoris Giorgi Mulieris partes carnale commercium non excluderent, et concordarent ceteri, sanguinis commixtionem absque hymenis fractura evenire posse, non modo deesse contendit certam probationem de non sequuta consummatione, sed imo eam de facto contigisse praesumi debere. Reiiciendas subinde sustinuit causas pro dispensatione assequendae allatas, cum aliae illegitimae et aliae haudquaquam subsistentes diiudicari deberent.

160. His utrinque perpensis, propositis dubiis: — I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 maii 1857 respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative –. Novas distribuit animadversiones Defensor Matrimonii, ut consummationem Matrimonii enixius probaret; nefas enim esse dixit Matrimonium dissolvi pluribus ab illinc annis suis consistens viribus, ob serotinam ac nullo legitimo fundamento innixam Mulieris querimoniam. Causas uti futiles prorsus posthabendas censuit. Repropositis tamen dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis – *in Bononien. Matrimonii die 29 Augusti 1857.*

161. Quod si nondum sufficienter ac legitime probatum est, Matrimonium non fuisse consummatum, non expedire videtur, ut dispensatio concedatur in forma gratiosa; sed concedenda ea est in forma commissoria *in Voto Canonistae in Causa Cadicen Matrimonii die 24 Ianuarii 1857* §. *Superest.*

162. Inito propterea Matrimonio per Procuratorem ac Muliere postmodum alium Virum sequente, Sacra Congregatio indulsit quidem dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, sed insimul commisit in forma commissoria Ordinario, ut, assignato competenti termino dictae Mulieri ad deducendum sua iura, atque constito, quod Maritus numquam accesserit ad locum, ubi illa morabatur, nec ipsa ad locum, ubi ille degebat, praedictam dispensationem relaxaret *in Urbanien. die 12 Ianuarii 1726.*

163. Enimvero quum sacerdos Carolus Christinus e loco S. Angeli in Vado degeret in Civitate Ulyxbonensi et Portugalliae Regi inserviret, censuit valde expedire, ut suus frater Paschalis absens Matrimonium per Procuratorem iniret cum Isabella Britti Ulyxbonensi. Contracto itaque Matrimonio, alius

Sacerdos Laurentius Christini frater Paschalis et praefati Caroli Italiam cum Isabella ope anglicae triremis, cuius dux erat quidam Riccardus Anglus, petiit. Ubi autem ad portum Liburni pervenit, in quadam domo se cum dicta Isabella recepit, ut commode Civitatis loca videre posset. Unde praedictus Riccardus iam amore Isabellae correptus sic eam saepe invisit, ut ipsam cum aliis eius domesticis invitaret ad convivium seu ientaculum in sua navi sumendum. Oblatio haec, quae urbana reputabatur, fuit ab invitatis prompte acceptata: sed post horae circiter lapsum a momento ingressus in navim, Isabella sive vere, sive ficte se a mare agitatam seu turbatam praesetulit, et quasi deliquio proximam; cumque cubiculum Capitanei ingressa fuerit et in eius cubili se collocaverit, Capitaneus mansionem clave obseravit, quin eam subinde restituere vellet asserens, Isabellam esse suam Uxorem. Immo Sacerdote Laurentio et aliis cubiculum ingressis, in quo ipsa erat, eamdemque obiurgantibus, ut in Civitatem rediret et socios non derelinqueret, nullum umquam a callida femina responsum datum fuit, sed immobilis et ad instar sensu carentis perstitit; assumptis interim a Capitaneo et a Nautis igneis tormentis, Laurentius et alii Liburnum redierunt. Pluribus hinc post diebus, Riccardus secum duxit Isabellam, quam ritu Anglicano subinde Gibilterrae sibi desponsasse dicebatur. Compilato vero contra ipsum contumaciali processu, condemnatus fuit ad Isabellae restitutionem et ad subeundam poenam perpetui carceris in Castro Volaterrano. Rebus sic stantibus, Paschalis Christini dispensationem super Matrimonio rato et non consummato imploravit, addita protestatione, quod quatenus per impossibile Isabella ad secum cohabitandum instaret, suum numquam ipse praestiturus esset assensum. Advertebatur tamen, quod Matrimonium iam perfectum erat, quin esset necessarius novus consensus; sed iusta adesse videbatur causa dispensandi cum non desunt Doctores, qui asserunt, voluntariam Coniugis dilationem in Matrimonio consummando praebere iustam causam obtinendi a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, Ancharan. cons. 239 n. 4, quod secutus est Card. Lancellottus in quodam suo voto exarato in Causa Hispalen. Dissolutionis Matrimonii, impresso apud Ursayam tom. 3 part. 2 discept. 21 n. 77 et a n. 95.

164. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit Sanctissimo Domino Nostro consilium praestandum pro dispensatione super Matrimonio tamquam rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et committendum in forma commissoria Archiepiscopo Pisanensi, iuxta instructionem (1) – *in Urbanien. die 12 Ianuarii 1726.*

165. Idcirco quando Coniuges Matrimonium per Procuratorem inierint et dispensationem a Matrimonio efflagitent, ex eo quod alter longe ab altero commorans numquam illud consummare potuerint, Sacra Congregatio, attenta legitima causa, dispensationem non in forma gratiosa, sed in forma commissoria, praevia etiam sanatione processus, indulget ad effectum, ut Ordinarius ante executionem gratiae ea suppleat, quae necessaria sunt ad constituendam certam legitimamque probationem de non sequuta consummatione *in Cadicen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1857.*

166. Siquidem Maria della Speranza Hidalgo Diaecesis Cadicensis domicilio Hispalensis anno 1841 cum in Urbe S. Crucis Insulae *Tenerife,* quae una est ex septem Insulis Canariis, cum Patre moraretur ibidem uti *Colonnello di artiglieria* Regiae Hispanicae militiae praefecto, coram Parocho seu Capellano Castrensi, ex mandato Ordinarii *Tenerife* seu Episcopi S. Cristophori de Laguna, qua subdelegati castrensis, die 26 maii eiusdem anni Matrimonio solemniter se iunxit cum Ignatio La Hera, domicilium tunc agente Matriti in Hispania, qui eumdem Mariae Patrem peculiari mandato Procuratorem constituerat,

(1) Scilicet, ut assignato Mulieri Isabellae Britti praevia affixione ad valvas competenti termino ad comparendum et sua iura deducenda, dictoque termino elapso, et Muliere praedicta neque per se, neque per Procuratorem minime comparente, ac verificatis coram eodem Archiepiscopo verificandis, ac praesertim quod Paschalis Christinus Maritus nunquam ad Civitatem Liburni accesserit, quodque praedicta Isabella Uxor nunquam accesserit ad locum S. Angeli in Vado, ita ut nunquam cohabitaverint, super enunciato Matrimonio dispenset, *ceu videre est in lib. 76 Decretorum pag. 6.*

ut hasce nuptias suo nomine celebraret. Sex post menses oblato Episcopali S. Cristophori Curiae libello, postulavit Mulier, nullum ac irritum declarari Matrimonium, ex eo quod absque necessariis solemnitatibus et per metum a Patre incussum fuerat initum, cui et Vir assensum praebuit, ut nullum Matrimonium declararetur. Curia vero die 3 martii 1845 decrevit, locum non esse declarationi nullitatis Matrimonii, iusque instanti Mulieri reservavit agendi pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati. Unde Coniuges unanimiter a Summo Pontifice huiusmodi dispensationem efflagitarunt. Demandata hinc quidem fuit confectio processus ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione*, super non sequuta consummatione et causis dispensationis; sed Curia illa S. Christophori nihil vel fere nihil egit. Nam nec iuramentum Coniugum de non sequuta consummatione exquisivit, nec examen quatuordecim vel Propinquorum vel Vicinorum bonae famae, qui pariter cum iuramento confirmarent verum esse id, quod Coniuges dixerunt, explevit, nec inspectionem corporis Mulieris perfici curavit, nec alias probationes aliaque testimonia eo usque requisivit, donec certo constaret, quod Coniuges, cum dicerent, se numquam cognovisse, non in fraudem id faterentur. Aliud nihil propterea fecit, quam transmittere depositiones trium Testium, qui sub die 25 octobris 1845 iuramento asserebant, quod Coniuges a die initi Matrimonii nunquam simul eodem in loco commorati essent, adeoque Matrimonium consummare haud potuerint. Plura tamen in facto constabant, Mulierem non sponte, sed metu quodammodo actam Matrimonium contraxisse, ita ut, si huiusmodi metus tanti non esset, quod Matrimonium nullum efficeret, causam tamen iustam dispensandi praebere valeret. Alias enim seminarium perpetuae discordiae inimicitiae rixarum indignationis et odii inter Coniuges extitisset. Advertebatur igitur, haudquaquam expedire, ut concederetur dispensatio in forma *gratiosa*, quia nondum sufficienter ac legitime probatum erat, Matrimonium illud non fuisse consummatum: quare concedenda ea esse videbatur in forma *commissoria*, quemadmodum monent Pignatelli et Ursaya in discept. 21 tom. 3 part. 2.

167. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? *Et quatenus negative*. II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, praevia sanatione processuum, Affirmative; et committendum esse Ordinario Hispalensi in forma commissoria, iuxta instructionem dandam a R. P. D. Secretario, audito Defensore Matrimonii – *in Cadicen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1857*.

168. Nam, quando agitur de Coniugibus, qui nullo impotentiae vitio laborant, probatio adminiculativa de non sequuta consummatione a septima manu deprompta, non prodest, nisi negativam coarctatam constituat *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* § *Defensor*.

169. Idcirco haud non consummationis probationem facere possunt Testes, nisi deponant, quod Coniuges numquam una simul eodem lecto condormierint, aut saltem quod coram aliis Personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint, numquam sub eodem tecto habitaverint, seu etiam in cubiculum ingressi fuerint apertis ianuis, ibique nonnisi per momentum moram traxerint –, uti ad rem observat Coscius de separat. tori coniug. lib. 7 cap. 16 n. 13 *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Quin imo*.

170. Idcirco luculentissime probatur non consummatio Matrimonii, quando indubitanter constet, Coniuges numquam simul cohabitasse, neque uspiam in eodem loco degisse *in Voto Canonistae in Causa Cadicen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1857* § *Quod Vero*.

171. Unde si Vir, postquam rite Matrimonium contraxit, e loco commorationis Uxoris discesserit, quin illud consummaverit nec consummare ullatenus voluerit, asserens, se deceptum fuisse, neque consensum praestitisse, immo aliud Matrimonium cum alia Muliere subinde inierit et consummaverit, Sacra Congregatio, his omnibus per processum formiter verificatis, dispensationem primae Uxori indulget, imposita tamen Viro gravi poenitentia *in Chien. die 12 Martii 1729*.

172. Siquidem Episcopus Chiensis consu-

luit Sacram Congregationem de Propaganda fide super sequenti casu: Ioseph Odiber Matrimonium iniit iuxta Sacrum Concilium Tridentinum cum Angelica Molin, quin unquam cum eadem cohabitaverit. Quin imo Vir a Civitate Chiensi discessit; ac inde aliud Matrimonium contraxit in Urbe Tini cum Gaetanula Aliprandi et consummavit. Rediens itaque ad Civitatem Chiensem novum Matrimonium fassus est; asseruitque coram Parocho ac Testibus fide dignis, se fuisse deceptum in primo Matrimonio, nec ullum in eo consensum praestitisse. Unde renuit omnino cohabitare cum praefata Angelica Molin, quae propterea petiit, ut libera declararetur, si Matrimonium nullum esset ex defectu consensus, alias dispensatio super Matrimonio rato et non consummato concederetur. Sacra Congregatio de Propaganda fide rem tam gravem pro decisione remisit Sacrae Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Quum autem Vir nullam afferret probationem quoad consensus simulationem, validum videbatur esse Matrimonium. Hinc ad obtinendam dispensationem, tres allegari poterant causae; prima scilicet, quod Vir asserebat, se fuisse deceptum, nec habuisse animum contrahendi et se efficaciter obligandi; secunda, quod Vir nullo modo induci valebat ad praestandum consensum et ad cohabitandum cum prima Uxore, immo expresse protestabatur, se illico derelicturum illam fore, si ad cohabitandum cogeretur; tertia demum, quod Vir secundum Matrimonium contraxit et consummavit. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem (1) – *in Chien. die 12 Martii 1729.*

173. Qua de re quum Matrimonium initum fuerit per Procuratorem ac nullum praetenderetur ob revocationem mandati, quumque Vir in incognita Americae loca se contulerit ac aliud Matrimonium inierit, nedum concessa est Mulieri sanatio defectus processus, et ex rescripto Summi Pontificis – a Monsignor Segretario del Concilio – indulta est facultas disputandi super Matrimonio rato et non consummato, sed etiam attentis huiusmodi facultatibus Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi, ex eo quod constaret de non subsequuta consummatione Matrimonii et impossibilis esset coniunctio Mulieris cum dicto Viro *in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 26 Aprilis et die 30 Augusti 1788.*

174. Iamvero in regionibus degens Avanae Franciscus de Riano die 29 aprilis 1777 mandatum dedit equiti Ioanni Antonio de la Barcena ad contrahendum in Santandriensi Civitate Matrimonium cum Rosa de Zarate et Oruna, quod munus explevit Procurator die 15 iunii 1778, illudque subinde pluries ratum habuit Rianus. Frustra tamen per septennium expectavit Rosa, tantaeque morae pertaesa petiit a Curia ecclesiastica, ut Vir ad coniugalia officia cogeretur: sed innotuit, alteri eum in nova Aurelia die 10 ianuarii 1782 nupsisse Mulieri, Mariae scilicet de Sales, liberosque ex ea suscepisse. Ad hoc contrahendum Matrimonium docuerat ex instrumento, congruo se tempore, die nempe 12 iunii 1777, quo prae locorum distantia nubere non potuerat eius Procurator Rosae de Zarate, consensum revocasse. Hinc Ordinarius decrevit, molestandum non esse Rianum, donec contrarium probaretur. Quum Rosa imparem se dixerit sumptibus litis, supplicavit Summo Pontifici pro dispensatione tantum rato et non consummato. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, demandata fuit Episcopo confectio processus ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione:* sed Episcopus retulit, impossibilem esse confectionem processus, vel certe inutilem prorsus fore; nam Rianus forte incognita Ame-

(1) Scilicet – Episcopo, ut praevio iudiciali processu, per ipsum formaliter et servatis servandis conficiendo, postquam ex eodem sibi constiterit de libero consensu utriusque Coniugis super dissolutione Matrimonii, et de illius non consummatione praevio iuramento tam a Viro, quam a Muliere praestando, et verificato cum authenticis probationibus, quod praefati Coniuges post contractum Matrimonium insimul nunquam cohabitaverint, neque conversati, quodque dictus Odiber a Civitate Chiensi discesserit, et ad Insulam Tinensem se contulerit, ibique aliud Matrimonium cum Gaetanula Aliprandi contraxerit et consummaverit, tunc imposita eidem Iosepho Odiber gravi poenitentia supradictum Matrimonium ratum et non consummatum pro suo arbitrio dispenset –, *ceu videre est in lib. 79 Decretorum pag. 102.*

ricae loca commorabatur, quin sciretur, qua in Urbe aut Diaecesi habitaret. Unde Episcopus conclusit, unum superesse remedium, ut scilicet dispensatio concederetur. Ad removendum obicem deficientis processus, Summum Pontificem rogavit Rosa pro illius sanatione, eiusque instantia arbitrio eiusdem Sacrae Congregationis remissa est. Tertio Summum Pontificem adiit Rosa, ut disputaretur etiam dubium super dispensatione a Matrimonio rato non consummato; obtinuitque remissionem – a Monsignor Segretario del Concilio – proprio Sanctitatis suae charactere, quin obesse videretur, quod clausulam non haberet – cum facultatibus necessariis et opportunis –, cum praescribenda non sit Summo Pontifici rescribendi formula, dummodo committat. Nisi enim – a Monsignor Segretario del Concilio – concordationem dubii in hac Causa commississet, eam profecto nec reiicere nec committere voluisse dicendum esset, quod de tanto Pontifice cogitari non poterat. Quod autem res esset de Matrimonio tantum rato et non consummato, ex actis liquebat Santandriensis Curiae. Nec iusta causa deficere videbatur; nedum enim timor erat scandali, ob maximam Riani aversionem a primo Matrimonio; sed impossibilis etiam erat illius coniunctio cum Rosa, cum praesertim plures secundi Matrimonii lapsi fuissent anni pluresque ex eo essent filii, quos spurios declarare oporteret.

175. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative attentis facultatibus – *in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 26 Aprilis 1788.*

176. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, die 12 iulii 1788 responsum prodiit: – Iterum proponatur –. Repropositis autem dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 30 Augusti 1788.*

177. Ceterum ad excludendam Matrimonii consummationem etiam moralis sufficit certitudo, ut sentiunt Covarr. part. 2. de spons. cap. 7 §. 4 n. 6, Guttier. de Matrim. cap. 44 n. 59, Clericat. de Sacram. Matrim. decis. 15 n. 39 *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Duo.*

Item *in Chien. Matrimonii die 15 Decembris 1792* §. *Matrimonii; in Neapolitana Dispensationis die 14 Decembris 1822* §. *Negat; in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* §. *Haec.*

178. Idque praesertim vim obtinet, cum non ex coniecturis ortum habeat levibus et genericis, sed a verosimili rerum eventu, ad monitum Card. De Luca de dote disc. 72 n. 11 *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* §. *Haec.*

179. Unde maximam probabilitatem, quae moralem parit certitudinem, sufficere tradit Card. Coscius de separat. tori coniug. lib. 3 cap. 2 n. 173: – Moralem et non infallibilem petimus probationem, quia infallibilitas solum exposcitur in supernaturalibus; sed in humanis et in foro externo, cum nulla dari possit ferme infallibilis probatio, quaerenda est illa solummodo moralis certitudo, quam fert materies et natura rerum –, cui consonat Sanchez lib. 2 disp. 45 n. 4, Ursaya discept. eccles. 21 n. 130, Pignatell. consult. 148 n. 10 *in Voto Canonistae in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Atqui.*

180. In summario praesertim et gratioso dispensationis iudicio non severae ac rigidae, uti in iudicio de nullitate Matrimonii, requiri probationes, sed coniecturales et adminiculativae super non consummatione sufficere videntur, Pignatell. consult. 148 n. 10 et 14, Ursaya discept. 21 n. 13, Coscius de separat. tori lib. 3 cap. 2 n. 386 ad 393, Card. De Luca de Matrim. dis. 7 n. 7: hanc enim tenuisse praxim Tribunal Sacrae Poenitentiariae referunt Paulus Leoni in prax. Poenitent. part. 2, et Corrad. in prax. disp. Apost. lib. 8 cap. 7 *in Senen. Matrimonii die 26 Februarii 1807* §. *Quantumvis.*

Item *in Catanien. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Haec; in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *In; in Romana Nullita-*

tis seu Dispensationis Matrimonii die 12 Martii 1853 §. Disputationem.

181. Certum enim est, huiusmodi dispensationes in foro etiam poenitentiali concedi solere, teste Clericat. de Sacram. Matrim. decis. 15 n. 36, et Corrad. in prax. dispens. lib. 8 Cap. 7 n. 36, quin admodum urgentes requirantur non consummati Matrimonii probationes, cum ibi nullus instruatur actorum processus, atque una sufficiat iurata supplicantium depositio, ceu plura probant dispensationum exempla apud S. Poenitentiariam, de quibus ab citatis Auctoribus fit mentio *in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853 §. Ad canonicas.*

182. Neminem hinc latet, probationem non consummationis leviorem exigi pro gratia dispensationis, qua pro nullitate per viam iustitiae declaranda, Ursaya discept. eccles. tom. 3 part. 2 discept. 20 n. 130; imo extraiudicialem requisitam fuisse in Ianuen. Dispensationis definita die 27 ianuarii 1720 *in Corduben. Dispensationis die 20 Septembris 1760 §. Supremam.*

Item *in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853 §. Ad.*

183. Hinc haud consummatum censetur Matrimonium cum Infirma, Rota post Zacchiam quaest. medic. legal. decis. 38 n. 15 *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789 §. Iuramentum.*

184. Nam firmum in iure canonico est, ad inducendam consummationem Matrimonii non quamlibet carnalem copulam sufficere, sed requiri eam, per quam seminis permixtio fiat, apta ad sobolem procreandam, uti cum D. Thoma docet Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 21 n. 11 *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857 §. Sed.*

185. Hinc iuxta Theologorum et Canonistarum sententiam nec non summorum Pontificum exempla, compertum est, Summum Pontificem dispensare posse, et aliquando dispensasse in Matrimonio rato et non consummato, iustis concurrentibus causis, altero etiam ex Coniugibus invito et reluctante, cum Pontificia potestas nec pendeat, nec promanet a placito privatorum atque consensu, sed a suprema auctoritate, quae Papae est tradita a Deo pro regimine Ecclesiae, pro maiori fidelium bono, et pro salute animarum, dummodo tamen eius resistentia sit irrationabilis *in Ianuen. Dispensationis die 20 Maii §. Alia die 9 Septembris 1719 §. In his.*

Item *in Tirasonen. Matrimonii die 18 Septembris 1723 §. Quoad; in Mediolanen. Matrimonii die 4 Decembris 1728 §. Quo; in Massanen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1778 §. Simillimus; in Albinganen. Matrimonii die 12 Septembris 1801 §. Verba.*

186. Idcirco haud movet, alterius Coniugis deesse consensum, quia, ut inquit Sanchez de matrim. lib. 11 disp. 14 n. 7, – si causa iusta subsit, repugnantia alterius nequit Pontificis potestatem impedire, ne alteri habenti iustam dissolvendi causam, petentique dispensationem, consulat – *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857 §. Nec.*

187. Animadvertendum hinc est, quod etiamsi constet, Matrimonium esse simpliciter ratum, non propterea a Summo Pontifice dispensatio concedenda est, si nulla concurrat iusta causa; Clericatus enim in decis. 15 de sacram. matrim. post tractatam quaestionem, an Summus Pontifex dispensare possit a Matrimonio simpliciter rato, et post decisionem posse, ita subiungit. – Omnes tamen Theologi docent, Papam non posse nec licite nec valide in Matrimonio rato dispensare, nisi iusta et gravi causa interveniente; ita Sanchez Corradus. De Iustis, qui referunt, Summum Pontificem Innocentium VIII Adrianum VI et S. Pium V non semel requisitos ab Oratoribus Principum, ut dignarentur secum dispensare in matrimonio rato, respondisse non posse, non quia deficeret in eis potestas, sed quia in illis casibus deficiebat iusta causa, quae omnino necessaria est, ut valida sit dispensatio, cum indissolubilitas Matrimonii rati sit ex iure divino, et facultas dispensandi in lege divina data sit a Christo, ob iustam et urgentem causam, Vicario suo; qui propterea tamquam fidelis dispensator eam exercere debet in aedificationem Ecclesiae, non in destructionem – *in Animadversionibus Defensoris Matrimonii ex officio in Causa Cadicen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1857 §. Dictum est.*

188. Quaestio hinc solum versatur circa concursum causarum, quae secundum Canonistas in cap. *Ex publico* de convers. con-

iug. debent esse graves et urgentissimae, quibus enim tantum intercedentibus dispensationes huiusmodi concedi debere inter ceteros censent Hostien. ibidem n. 16, Ancharanus, Butrius, et Oldradus in cons. 11 *in Mediolanen. Matrimonii die 4 Decembris 1728* §. *Quo.*

Item *in Chien. die 12 Martii 1729* §. *Quo; in Barchinonen. Matrimonii die 22 Maii 1734* §. *De; in Ianuen. Dispensationis die 15 Ianuarii 1785* §. *Dubium; in Albinganen. Matrimonii die 12 Septembris 1801* §. *Verba; in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *Quod; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *Deficere; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Tandem; in Camenecen. Matrimonii die 29 Aprilis 1854* §. *Haec.*

189. Idcirco temporalia infortunia, a contrahente praevisa, privatam utilitatem respicientia, legitimae esse nequeunt causae dispensandi, ut scribebat ad Eugenium III S. Bernardus lib. 3 consid.; et docent Card. De Luca de matrim. disc. 81 n. 17, De Iustis de dispens. lib. 2 cap. 10 n. 20, Ursaya tom. 2 part. 1 discept. 3, et tom. 3 part. 2 discept. 21 n. 53 *in Nicien. seu Turritana die 11 Martii 1786* §. *Quo.*

190. Siquidem causa dispensationis debet esse magna et urgens et publica vel per se, vel reductive; nam in Literis Apostolicis s. m. Clementis XI expeditis in Causa Ianuen. Matrimonii 1720 cohaerenter ad resolutionem Sacrae Congregationis, causa sequentibus verbis exponitur: – Cum autem sicuti eadem expositio subiungebat, nisi dictum Matrimonium auctoritate Nostra Apostolica dissolvatur, difficiles ac infelices habiturum sit exitus, auctisque ac recrudescentibus non minus inter ipsos assertos Coniuges, quam inter tot primarias eorum respective Propinquorum familias in Civitate libera degentes, ac in partem regendae Reipublicae Ianuensis adscriptas iam inde enatis inimicitiis et dissentionibus, non tantum privata, sed et publica incommoda aliaque mala, cum non mediocri tranquilli status ipsius Reipublicae perturbatione timeri possint, quemadmodum plerique ex ipsis Senatoribus et Patritiis Ianuensibus iureiurando contestati fuerunt: hisque etiam accedat, quod pristinum super praetensa nullitate Matrimonii institutum iudicium secundum iuris tramites continuari ac terminari vix aut ne vix quidem posset, eo quia asserente dicto Ioanne Iacobo, se Matrimonii consummandi potentem existere, canonicum novae cohabitationis experimentum foret adhibendum, a quo tamen eadem Anna Maria, tum propter acerbam animorum exulcerationem, tum propter sibi certum conscientiae labefactandae periculum, ac aeternae salutis discrimen plane abhorret, eique nunquam se consensuram fore constanter protestatur etc., nos igitur praefatis iustis et rationabilibus ex causis adducti etc. – *in Tirasonen. Matrimonii die 18 Septembris 1723* §. *Quoad* §. *In.*

191. Quampropter Sacra Congregatio censuit, non esse locum dispensationi a Matrimonio rato et non consummato, etiamsi peteretur de mutuo Coniugum consensu ad sedandas lites inter utriusque consanguineos, et Vir contracta lue venerea procul dubio eam communicasset Uxori, si cum ea commercium haberet *in Lycien. Dissolutionis Matrimonii die 7 Februarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

192. Enimvero – ut Annam Rollam nobilem virginem Civitatis Lyciensis in sponsam obtineret Baro Ioannes Baptista Piccinus similiter ex eadem Civitate nobilis, filius tamen familias et secundo genitus, domum ipsius Annae clam ingressus eam deosculari curavit: sed ab eiusdem Virginis Parentibus in dote constituenda discordibus de crimine accusatus, cum a Fisco ad poenam capitis et confiscationis omnium bonorum per edictum posceretur, sub die 19 Ianuarii 1694 folium in albo subscripsit, in quo statim extenso mandato procurae, eadem die per Procuratorem nomine ipsius Baronis cum dicta Anna in faciem Ecclesiae Matrimonium celebratum est. Ne autem poenis sibi in edicto per Fiscum comminatis ob contumaciam subiiceretur, deinde idem Baro in carceribus ultro se constituit, et dum ibi detinebatur, ipse et praedicta Anna concordiam inivisse dicuntur sub mutua promissione, quod illa a Parentibus et consanguineis utriusque transigentis ratificari deberet. Cum tamen promissa ratihabitio ab eisdem Parentibus et consanguineis denegaretur, idem Baro a carceribus dimissus, Matrimonio minime consummato, ad Urbem

se contulit, ubi pro declaratione nullitatis dicti Matrimonii, modo quo supra contracti, Sacra Congregationem adivit. Quia tamen ea Matrimonium praedictum validum esse respondit, latis successive ob non paritionem censuris et cedulonibus de more desuper affixis, palam et publice excommunicatus dictus Baro declaratus est, nec unquam absolutionem postea obtinuit. Nuper autem contracta inter peregrinandum apud exteras Nationes lue venerea, qua per contactum et cohabitationem communicare facile posset, ut duo Medici in quadam fide iurata deponunt, praefatus Baro et Anna preces Sanctissimo concorditer porrexerunt, ut ad extinguenda odia adhuc ferventia inter Parentes et Consanguineos utriusque, ad parcendum ulteriori litium dispendio, et ad liberandam ipsam Annam ab aerumnis arcti Conservatorii, in quo a longissimo tempore in sua meliori adolescentia detinetur, Matrimonium ratum inter eosdem Oratores dumtaxat intercedens dissolvere dignaretur, precibusque huiusmodi ad hanc Sacram Cogregationem pro voto remissis, illa postmodum pro informatione et voto ad Ordinarium rescripsit; cumque iste praemissa omnia in sua relatione confirmans ex eisdem praenarratis causis pro dissolutione sit in voto, EE. VV. modo consulendum superest: – An sit locus dispensationi super dissolutione Matrimonii in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Lycien. Dissolutionis Matrimonii die 7 Februarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

193. Quum igitur Michael Speth sponte ac libere, sed Maria Schnendeim metu reverentiali Parentis Matrimonium inierint et consummaverint, inde vero Mulier de crimine veneficii convicta virgis caesa,et velut infamis in exilium per aliquot annos proscripta fuerit, unde Vir petierit dispensationem, Sacra Congregatio respondit, dispensationem non esse concedendam, Oratorem autem uti posse iure suo coram Ordinario *in Agrigentina Matrimonii die 10 Novembris 1674.*

194. Immo licet de non sequuta Matrimonii consummatione satis superque constet, non propterea indulgetur dispensatio a Matrimonio rato et non consummato, cum desit iusta dispensationis causa *in Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856.*

195. Siquidem Ioseph Antonius Dammer e Pago Holbak et Catarina Buvian ex Oppido Scheinfeld die 5 maii 1839 in paraeciali Ecclesia Noricensi Matrimonium contraxerunt. Viri domum Mulier adducta communi per aliquot menses habitatione cum eo usa est, sed nunquam, ceu asserebatur, induci potuit, ut rei uxoriae operam daret. Pertaesa imo iteratas Viri preces, ac non semel frustraneos adhibitos conatus, nec non Parochi ac Parentum suasiones, maritali domo divertit, patriosque repetiit lares. Paullo post Vir, consentiente Muliere, iudicio egit pro declaratione nullitatis Matrimonii penes Consistorium Bambergae, quod vocat primae instantiae; sed Causa cecidit. Sententia enim diei 22 septembris 1843 validum declaratum fuit Matrimonium. Conformes latae sunt sententiae tum a Consistorio Bambergensi, quod audit appellationum, die 27 februarii 1844, tum a Consistorio Monaco–Frisingensi die 21 novembris eiusdem anni in tertia instantia, uti a S. Sede delegato. Quamobrem petiit a Summo Pontifice, ut Matrimonium annullaretur, aut saltem in via dispensationis in perpetuum dirimeretur.Expleto processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Archiepiscopus censuit, Matrimonium esse ratum non consummatum, sed iustam deesse dispensandi causam. In facto quippe esse videbatur consummatio Matrimonii non sequuta: nam nedum Mulieris, sed et Viri aderant repetita novissime iuramenta, constanter affirmantium Matrimonium non fuisse consummatum, qui, prout retulit Archiepiscopus, erant – personae bonae famae ac fide dignae –. Accessit Propinquorum et plurimarum Personarum testimonium, qui firmissime credebant, Coniuges verum dixisse, Matrimonium haud esse consummatum. Insuper Vir non alia de causa pro nullitate Matrimonii diu institit, nisi quia deesse contendit consensum Mulieris ob praetensum ipsius errorem circa coniugalia munia, ita ut nunquam complementum Matrimonii obtinere potuerit. Nam Catharina per duos fere menses, quibus cum Viro cohabitavit, – duos quotidie lectos disponi curavit –, in quorum uno ipsa, altero Vir cubaret: – omnibus vestibus induta, ingressa thalamum, opertorio ita se involvebat, ut adiri non posset –; ac si forte Maritus vi ad copu-

lam eam adigere nitebatur, etiam - maiorem vim adhibebat, ut se liberaret, ac tali modo corpus eius haberi non potuit -, quin Parentes Parochus et Familiares eius suadere valuerint. Hisce omnibus supremum veluti calculum adiiciebat Mulieris fuga a maritali domo, ut tot Viri solicitationibus se subtraheret. Nec iusta deesse videbatur causa dispensationis: nam certum omnino erat, animos praefatorum Coniugum inter se mutuo sexdecim ab illinc annis ita exacerbatos esse, ut nulla amplius speranda esset inter eos reconciliatio, multoque minus corporum unio, ad effectum consummationis initi Matrimonii. Contra Defensor Matrimonii dixit, deesse probationem de non sequuta consummatione Matrimonii; quia expleta non fuerat corporis Mulieris inspectio. Iustam etiam deficere causam dispensationis sustinuit, cum nec publica, nec privata existeret. Duas enim Vir allegavit causas: primam, si Matrimonium staret, Mulier perseverans in negando debito coniugali, victrix remaneret super et contra Virum, id frustra petentem, etsi hic, quia est caput Mulieris, remanere deberet superior; alteram, feminam propter negotia domestica sibi esse necessariam, et hanc sibi non aliam esse posse, quam Uxorem, quia conversatio cum Ancilla incontinentiae suspicionem moveret. Ad hanc secundam causam respondit Bambergensis Defensor, – Matrimonium non esse solum servitium, Uxorem non Ancillam, et suspicionem iniustam non esse evitandam –, ad priorem vero dedit responsionem, dicens: – Ergone suprema Auctoritas ecclesiastica universo mundo declarare debebit pro Viro summum ius, et pro accusata Uxore stare summam iniustitiam? Praeterea Mulier tunc vere victrix evaderet, cum dispensatio daretur. - Certum, (ita Defensor Bambergensis conclusit) nil, nisi vindictae cupido Maritum inflammat: nil, nisi vexationem cupit Uxori, quae etiam procul a Marito in pace et tranquillitate vivere scit, quod Maritus propter cupiditates carnales nescit –. Quin imo si dispensatio concederetur, publicum oriebatur scandalum, cum Vir viveret in terris Acatholicorum: res nova dispensationis inaudita Acatholicis ansam praebebat calumniandi. Praeterea indignus gratia dispensationis Vir esse videbatur, cum ipse sua incontinentia et vehementia Uxorem castam ad fugam capessendam coegit. Attamen ipsa debitum reddere professa est, sed non statim; et ius canonicum bimestre quoad consummationem concedit. Denique aliquot annis post fugam praeterlapsis, Uxor ad domum Mariti redire et cum eo in pace vivere voluit. At Maritus eam non suscepit, ac inde in facie Iudicis ecclesiastici iuravit, se nullo pretio mundi ad Uxorem suscipiendam cogi posse.

193. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856.*

194. Nam dissolutio Matrimonii non permittitur, nisi iustae et rationabiles causae concurrant, etiamsi satis constet de Matrimonii non consummatione *in Ianuen. Dispensationis die 15 Ianuarii 1785.*

195. Enimvero Antonius Braccelli patricius Ianuensis, cum ob provectam aetatem aliasque familiae circumstantias non posset aliam aeque nobilem Puellam in Uxorem ducere, Matrimonium inire statuit cum Angela Maria Rosa Badino, honesta quidem Puella, sed inferioris admodum conditionis. Celebratum fuit hoc Matrimonium, insciis Parentibus Viri, coram Vicario Generali Ianuae et duobus Testibus die 18 iulii anni 1781 circa primam noctis horam, quin unquam simul cohabitaverint, cum ante consummationem Vir rei domesticae consulere deberet. Paucos post dies Antonius Braccelli aversionem a contracto Matrimonio concepit: idque evenisse dixit, quia nocte diei 22 eiusdem mensis iulii, dum somno quiesceret, putavit, se in quodam nemore reperiri, ubi canum morsibus dilaniatum mortem iam sibi imminere visus est. Exurgens e somno, recordatus est, quod cum alia Puella, priusquam Matrimonium contraheret, amicitiam habuerat, eique urgenti, ut secum Matrimonium iniret, responsum dederit, - che non voleva accasarsi, - suamque assertionem hoc maledicto confirmaverit, - possa morire in quella prima notte, che io mi unisco e dormo con un' altra –. Idcirco petiit dispensationem super Matrimonio rato et non consummato. Nam ad excludendam Matrimonii consummationem exhibuerunt eiusdem De-

fensores iuratam Coniugum depositionem, qua fassi sunt, nunquam Matrimonium consummasse, idque confirmabatur ex Testibus et ex septima Propinquorum manu, nec non ex circumstantiis, quae praecesserunt, quaeque Matrimonium comitatae et subsequutae fuerunt. Rationabiles ac iustas concurrere causas pro dispensatione, cum indubia esset praeconcepta Sponsi aversio usque ab inito Matrimonio, quae nullatenus vinci nec superari potuit ac poterat; imo de die in diem magis augebatur, tum propter nocturnum phantasma, tum quia Matrimonium, quod secretum esse debebat, universae Civitati Ianuensi iam innotuit. Addiderunt, ex hoc ipso gravia mala fore eventura, si Coniuges in Matrimonio persisterent; nam inter Coniuges continua forent dissidia, prolis educatio negligeretur, et fortasse etiam spe habendae prolis destituerentur. Contra Defensor Matrimonii advertit, Sponsam non sponte, sed Viri suasionibus traductam fuisse ad postulandam Matrimonii dispensationem; deesse hinc alterius Coniugis consensum, et propterea dispensationem denegandam fore, cum praesertim urgens causa non afferretur. Ineptissimas enim esse sustinuit, quae ab Antonio Braccelli adducebantur: nec odium et animi alienationem sufficientem praebere causam, alias plurima connubia rite celebrata dissolvi deberent. Addidit, praetensa sponsalia de non nubendo cum altera Puella nullam vim habere, cum essent concepta per verba negativa; et sponsalia de futuro, licet iurata, per subsequens Matrimonium resolvi. Vicarius Generalis vero censuit, nullum superesse remedium ad prompte consulendum eorum conscientiae et angustiis, ad redintegrandas inter familias tranquillitatem et quietem, nec non ad tempestive removendum quodcumque futurorum scandalorum periculum, nisi dispensatio indulgeretur.

199. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Ianuen. Dispensationis die 15 Ianuarii 1785.*

200. Qua de re consensus utriusque Coniugis plurima iurgia atque scandala oritura nec non praetensio, quod Matrimoninm sit nullum, non sunt iustae causae, quae ad indulgendam dispensationem super Matrimonio rato et non consummato requiruntur, cum non agatur de nobilibus et potentibus familiis, nec ullus adsit timor, ne discordiarum semina in publicae tranquillitatis interversionem erumpant, sed imo desperanda non esse videtur animorum compositio *in Barchinonen. Matrimonii die 23 Aprilis 1735.*

201. Iamvero Iosephus Bosons die 14 octobris 1731 ope Procuratoris Mauritii Corrons Matrimonium contraxit cum Eulalia Gelambi, quae tamen subinde renuit ad domum Sponsi migrare declarans, nunquam se progressuram ad cohabitandum cum Iosepho, nisi prius ipse aliam conduceret domum, in qua seorsim ab eius Avia et Materteris cum solo Sponso conviveret. Noluit Ioseph morem gerere Eulaliae: hinc eadem ab Ordinario Barchinonensi petiit, ut nullum declararet Matrimonium, cum ipsa Matrimonium contraxisset sub expressa conditione, quod Ioseph non deberet amplius cohabitare cum eius Avia et Materteris. Hoc ita instructo iudicio, Eulalia mox ad recidenda dissidia et evitandas tricas iudiciarias exoravit a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato et non consummato. Ordinarius Barchinonensis censuit, quod, ubi Matrimonium validum declararetur, quamplurima iurgia ac perpetuum divortium inter ipsas partes nec non alia scandala, quae verosimiliter oriri poterant, facile cessarent, si dispensatio concederetur. Hinc uterque Coniux pro nullitate Matrimonii, vel saltem pro dispensatione instabant; nam et Vir nullum dicebat Matrimonium, cum Procurator fines mandati excesserit. Itaque pro obtinenda dispensatione ob oculos ponebantur utriusque Coniugis consensus, tum plurima iurgia, perpetuum divortium, atque scandala, quae, nisi illa obtineretur, facillime erant oritura. Ceterum non agebatur de nobilibus et potentibus familiis, non concurrebat disparitas Coniugum, non ullus timor, ne discordiarum semina in publicae tranquillitatis interversionem erumperent. Et tandem appositae conditionis implementum non erat suapte natura impossibile, neque desperandus aliquando ab ea recessus.

202. His igitur perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit validum Matrimonium, responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Barchinonen. Matrimonii die 23 Aprilis 1735.*

203. Quin imo etiamsi satis probata videretur non consummatio Matrimonii nec non gravissimae causae concurrere censerentur, Sacra Congregatio declaravit confirmavitque sententiam Congregationis particularis, quae statuit, praestandum non esse consilium Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio asserto rato et non consummato *in Lucana seu Sarzanen. Dispensationis die 26 Septembris 1739.*

204. Enimvero Marchio Iacobus Remedii Sarzanensis post initum anno 1719 Matrimonium cum Francisca Giorgini Lucensi compertiens, eidem Franciscae fuisse a Senatu Lucano prohibitum, ne Viro extero nuberet, eaque de causa familiam Remedii ab Albo Nobilium, cui recens adscripta fuerat, iussu eiusdem Senatus fuisse obliteratam, praetereaque criminalem processum contra se, adhibitis in Testes Francisca Sponsa et illius Matre instructum, anno 1722 iudicium in Episcopali Curia Sarzanensi adversus enunciatum Matrimonium instituit, irritum illud esse contendens sub obtentu, quod pluries protestatus ipse fuisset, nolle se Matrimonium inire cum Francisca, si eidem Franciscae interdiceretur Viro extero copulari. Postmodum vero mutato consilio, supplicavit Benedicto XIII, ut dispensationem super Matrimonio veluti rato et non consummato sibi dignaretur elargiri. Summus Pontifex particularem deputavit Congregationem, quae die 21 martii 1727 mandavit, ut Causa proponeretur in secunda hebdomada post Agnos. Interim praefatus Marchio novas exhibuit preces, quibus annuens Pontifex, commisit Archiepiscopo Lucano, – ut, rebus rite matureque discussis, si Matrimonium ratum dumtaxat et non consummatum esset, causasque dissolutionis tales urgere, quales theologica et canonica norma et doctrina requirit, praedictam autem Franciscam Giorgini consentire, aut irrationabiliter dissentire compereris, tunc illa consentiente, vel irrationabiliter dissentiente, de potestatis nostrae plenitudine, quam ad definiendam hanc Causam Fraternitati tuae largimur, Matrimonium huiusmodi ratum et non consummatum lata sententia dissolvat –. At quia memorata Francisca statim post expeditionem huiusce Brevis fugam e Civitate Lucana arripuerat eo forte consilio, ne dispensationi consensum praebere cogeretur, Archiepiscopus Lucanus satius duxit commissae sibi delegationi renunciare. Hinc Pontifex Causam denuo reiecit ad praedictam Congregationem particularem, quae die 1 septembris 1728 censuit, praestandum non esse consilium Sanctissimo pro petita dispensatione. Quocirca Marchio Remedii id evenisse putans ob defectum consensus Franciscae, totus in eo fuit, ut illum impetraret, quem obtinuit. Avocata inde Causa a dicta Congregatione particulari, Oratores contenderunt, Matrimonium non fuisse consummatum; 1. quia Matrimonium per Procuratorem nomine Franciscae Sponsae absentis fuerat celebratum; 2. quia eadem Francisca ad Sponsi domum nunquam fuerat traducta, sed in propriis laribus sub Matris custodia semper commorata erat; 3. quia statim ac Sponsus deprehendit, vetitum Franciscae, ne extero Viro nuberet, captum ab eo fuit iudicium super Matrimonii dissolutione; 4. quia Francisca semper fassa erat, Matrimonium non fuisse consummatum; 5. quia tam Vir, quam Mulier iuramento firmarunt, Matrimonium nunquam fuisse consummatum. Archiepiscopus Lucanus quoad causas dispensationis haec habuit: – Iustam vero causam praebere videntur tum dissensiones et lites profecto gravissimae, quae inter Coniuges exarserunt occasione huius Matrimonii, quae in memorata relatione Praedecessoris mei recensentur; tum poenae seu saltem damna, quae in suis bonis passura est Mulier, si Matrimonium perficiatur. Etenim supremus huius Reipublicae Magistratus, ut excellentissimi Senatus Decretis suoque muneri faciat satis, prohibebit omnino et impediet, ne illius bona transeant in exteros ea potissimum causa, quod sita sunt in Pago Montignosi exteris Ditionibus contermino, quamobrem gravibus poenis Mulieri praeceperat, ne extero nuberet; tum demum notabilis mutatio status Marchio-

nis quoad bona fortunae; fertur enim, odio forsan huius Matrimonii pinguem, quam possidebat, Progenituram fratri renunciasse, qui propterea nuptias contraxit, ac sobolem ex eis suscepit, quod tamen comprobari necesse est, cum mihi certo non constet –.

205. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in Congregatione particulari die prima septembris 1728 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Lucana seu Sarzanen. Dispensationis die 26 Septembris 1739.*

206. Hinc multo minus indulgetur dispensatio, si alter ex Coniugibus enormi infectus flagitio existat; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, non esse concedendam dispensationem contrahendi Matrimonium cum Lucia ei, qui iam aliud contraxerat cum Margarita per verba de praesenti, cum qua tamen non consummavit; immo ab eadem post tres dies a propria domo ejecto, ipsa inde ad septimum mensem filium peperit ex proprio genitore, et successive plures alios ex eodem incestu, propter quam enormitatem una cum Patre ad ignis supplicium damnata fuit, sed poenam fuga evasit, quin obstaret, quod Officiales Episcopi testarentur, nullum oriri posse scandalum, si dictum Matrimonium cum Lucia contraheretur *in Lexovien. die 13 Februarii 1675 lib. 29 Decretorum pag. 11.*

207. Imo Sacra Congregatio renuit annuere dispensationi, licet ageretur de Muliere, quae fuerat haeresis labe infecta, et quae a Consanguineis haereticis sollicitabatur, ut ad vomitum rediret, sub spe et pollicitatione alterius dotis et alterius Mariti *in Frisingen. die 7 Maii 1718* §. *De.*

208. Idcirco etiamsi satis probata non consummatio Matrimonii ac periculum relabendi in haeresim instare videretur, nec non dissidia et inimicitiae inter Coniuges miseria pressos ferverent, atque Vir militaris genii et ebrietati et crapulis deditus, cum alia Muliere clandestine cohabitans, prolem procreaverit, Sacra Congregatio haudquaquam dispensationem indulgere censuit *in Eystetten. Dispensationis die 5 Septembris 1716 die 27 Februarii et die 15 Maii 1717 lib. 66 et 67 Decretorum.*

209. Siquidem – facti speciem rationesque instantiae Mariae Evae Milgrabin supplicantis pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato Vicarius Generalis informans ita recenset: « Fidem facimus indubiam et attestamur, Mariam Evam puellam viginti duorum annorum, Lutheri secta infectis Parentibus ortam, anno aetatis suae septimo cum Parentibus ad veram catholicam fidem, abiurata haeresi, fuisse conversam, Matrimonium de praesenti in faciem Ecclesiae contraxisse, illud autem non consummasse cum Ioanne Gasparo Keyser homine militaris genii et ebrietati et crapulis dedito nec non pravis moribus corrupto, quem Sponsa prima nuptiarum die, propter necem eidem verbis minitatam, reliquit et ad Parentes confugit, talemque horrorem concepit, ut nullo modo ad cohabitandum et Matrimonium consummandum persuaderi possit, qua de causa cum in Sponso militet incontinentia, eo quod alteri Mulieri clandestine cohabitaverit et prolem actu ex illa procreaverit, in Sponsa autem maximum adsit perversionis periculum, utpote a Parentibus consanguineis haereticis sollicitata ad haeresim relictam, sub spe et pollicitatione alterius dotis et alterius Mariti; idcirco ambo supplicant pro clementissimo dispensationis remedio, cui, ob allata motiva, deferendum esse non tantum iudicamus, verum attestamur, motiva veritati esse innixa, insuper Oratricem pauperem esse et miserabilem, et Sponso nihil aliud supersit, quam vita militaris, cum non tantum dotem suae Sponsae, verum omnia alia mobilia dissipaverit, vivendo luride et luxuriose ». Ex his EE. VV. sapientia decernet, an relata dissidia et inimicitiae satis sint pro gratia in conflictu opinionum, dum Corradus in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 n. 33 affirmativam, Fagnanus in Cap. *Ex parte* n. 15 de conversione coniugatorum negativam opinionem tuetur –. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes – *in Eystetten. Dispensationis die 5 Septembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

210. Hinc – Oratrix exhibet fidem proprii Confessarii ac Officialis et Consiliariorum Episcopi testantium de periculo, ne suasionibus Consanguineorum in haeresim relabatur, nec

non Decretum in Curia Episcopali latum produxit, in quo ipsi tempus a iure definitum praefigitur ad ingressum Religionis, alias ad obsequia matrimonialia adigitur; et demum exhibet consensum et preces pro dicta dispensatione Ioannis Keyser, cum quo Matrimonium contraxit –. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 27 februarii 1717 responsum tulit: – Coadiuventur probationes, iuxta instructionem –. Quare – Ordinario datae fuerunt Literae, ut iuramentum alias a Coniugibus oblatum super non consummatione Matrimonii, quatenus praestare vellent, solemniter reciperet, et Sacram Congregationem distincte instrueret quanto tempore, quibus sociis, et an sola et remotis arbitris, Uxor cum Viro permanserit. Pro exequutione omnium praemissorum Eva Milgabrin iuramentum praestitit, « nec in die nuptiali, nec dum secunda vice ex mandato Consistorii Episcopalis per Consanguineos ad aedes Sponsi deducta fuit, et per duas horas de nocte cum eo, vestibus induto, in lecto cubuit, Matrimonium consummasse; imo quod nec ab ipso Marito tacta aut tentata fuerit ». Gaspar Keyser pariter iuravit, ad consummationem Matrimonii non devenisse, « sed confessus est, quod secunda vice torum Uxoris ascenderit, illa autem nullo modo induci potuerit ad amorem, multo minus ad copulam, sed per tres horas dormierit, et inde surgens aedes ac Maritum reliquerit, et hac vice Socios et Arbitros non adfuisse». Praeterea Ordinarius testatur, duas Puellas deposuisse, « quod nuptiis interfuerint, et prima die constanter manserint cum dicta Eva, de nocte autem in eodem lecto cubuerint, quae a suo Marito de nocte adveniente nec tacta, neque violata fuit, sed cum altera ex Testibus surrexit, et tam lectum, quam Maritum reliquit, propter causas in libello supplici expositas » –.

211. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Eystetten. Dispensationis die 15 Maii 1717 lib. 67 Decretorum.*

212. Quin imo licet Uxor calviniano imbuta veneno et Vir catholicus esset, hinc spiritualis periculi timor immineret, mutuum inter eos odium ferveret, nec incolumis existeret fama Mulieris, denegata est Viro, consentiente etiam Muliere, dispensatio a Matrimonio, quod ratum non consummatum etiam per Testes probare contendit asserens, se vix inito rite Matrimonio statim divertisse, quin unquam cum ipsa cohabitaverit, sed ante Matrimonium prolem illegitimam cum eadem susceperat *in Wormatien. Matrimonii die 13 Iunii 1733 et die 23 Ianuarii 1734.*

213. Iamvero Ioannes Petrus Douren anno 1718 petens Civitatem Crucenacensem ibique diversatus apud Annam Christinam Cumens, quae publice locabat hospitium, ex ea prolem suscepit illegitimam, quae paullo post extincta est. Vidua erat ea femina et calviniano imbuta veneno, ac septimum supra trigesimum aetatis annum agebat. Vehementibus eius querimoniis fractus Heidelbergam, ubi residebat Parochus, se contulit, et catholico ritu Matrimonium cum ipsa die 4 maii 1719 contraxit. Sed, ut idem affirmabat, statim ab ea divertit, nec deinceps unquam cum ea cohabitavit. Annos itaque quadraginta natus et ad alias magis se ipso dignas nuptias transire cupiens, Pontifici Maximo supplicavit, ut Matrimonium ratum et non consummatum dissolvere dignaretur. Praeter enim generis atque aetatis disparitatem, rumor erat, Mulierem inhonesta irretitam consuetudine fuisse cum alio homine. Mutuum vigebat inter eos odium: femina erroris calviniani erat retinentissima, in eoque misere obfirmata, dum ipse contra orthodoxae Religionis cultor erat eximius ac fautor. Addidit, dispensationem, si tribueretur, nullam Populo offensionem esse praebituram: sed si denegaretur, multa reformidari posse mala cum spirituali ipsius pernicie. Anna Christina, rite audita ab Ordinario, dispensationi se haudquaquam opponebat. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Wormatien. Matrimonii die 13 Iunii 1733.*

214. Repulsam aegre ferens Ioannes Petrus preces suas iterum perpendi obsequenter postulavit. Nam Summus Pontifex, non obstante prole illegitime suscepta, subsequens Matrimonium dumtaxat ratum dirimere poterat, ut docent Bald. in L. *Paulus* ff. de stat. hom., Castrens. in L. penult. Cod. de

Episcop. et Cler., Card. De Luca de matrim. disc. 16 n. 25, Menoch. de praesumpt. lib. 3 praesumpt. 1 n. 45. Post Matrimonii celebrationem nunquam Coniuges cohabitasse, sed illico Ioannem Petrum ab ea secessisse, et in alium demigrasse locum affirmarunt Uxor ipsa pluresque alii Testes, rite interrogati, ex quibus satis constare, Matrimonium non fuisse consummatum, publica etiam consentiente fama, censuit Vicarius generalis Episcopi: nec idoneas, quae supra memoratae sunt, deesse causas, ad impertiendam dispensationem, idem Vicarius existimavit. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 13 iunii 1733 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Wormatien. Matrimonii die 23 Ianuarii 1734.*

215. Itaque licet Episcopus faveret ac valde timeret, ne, denegata Mulieri dispensatione super voto castitatis et Matrimonii rati, in haeresim laberetur, cuius non consummatio quodammodo probata videbatur, Sacra Congregatio tamen censuit differre concessionem iuxta mentem *in Eystetten. die 19 Augusti 1724.*

216. Siquidem Ioannes Wolfangus Baur Advocatus amicorum potius suasu, quam proprio impellente genio, Matrimonium contraxit die 14 novembris 1712 cum Anna Maria Felicitate. Post unam aut alteram Coniugum cohabitationem, Mulier conquesta est de Viri impotentia, et post mensem cohabitationis quoad torum in iudicium vocavit, et Iudex ulteriorem cohabitationem praescripsit. Anna desperatione adacta solemniter protestata est, se carcerem ac etiam mortem potius oppeturam, quam reditum ad cohabitandum cum Viro. Quum autem Iudici visum fuisset, Virum ingenue confessum fuisse, se nec consummasse, nec potuisse consummare Matrimonium, censuit desistere ab ulteriori praecepto cohabitandi. Ab inde citra Vir et Mulier vixerunt separatim; sed Vir postmodum sacris Ordinibus, praestito a Muliere consensu, nec non ab ipsa emisso voto castitatis in saeculo, a suo Episcopo initiatus fuit, et Canonicatu provisus. Tractu temporis Anna cepit stimulis carnis agitari; unde supplex adiit Innocentium VIII pro absolutione a iuramento seu voto castitatis, nec non pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato. Ordinarius favit Mulieri, cum assereret, se maximopere timere, ne, denegato petito a Muliere remedio, eadem se a iugo Ecclesiae subduceret, et ad partes transiret Haereticorum, et eo fortius cum de necessitate promiscua esset in illis locis Catholicorum et Haereticorum habitatio. Ex actis consistorialibus habebatur; primo, quod Mulier asseruit, a Viro iam admissum fuisse, quod Matrimonium non fuerat consummatum, nec potuerat consummari; secundo, quod ea se promptam exhibuit ad iurandam non consummationem; tertio, quod ipsa humiliter instetit pro Causae definitione ad normam iuris; quarto, quod Vir excepit, se revera copulam attentasse, sed absque effectu; quinto, quod idem dixit, in mentem suae Coniugis venisse, quod non consummatio Matrimonii processerat ex crassitie membri virilis, quando dubitari poterat, an eadem causam haberet ab arctitudine vasis muliebris; ultimo tandem, quod instabat pro cohabitatione triennali. Advertebatur tamen, causam et quidem magni momenti necessariam esse, ut ad dissolutionem Matrimonii procedatur, certamque debere esse non consummationem, eiusque probationem non desumi ex sola Coniugum assertione, sed alia requiri, et signanter experimentum inspectionis, iuxta Textum in Cap. *Fraternitati* et in Cap. *Literae* de frigidis et maleficiatis et Cap. *Proposuisti* de probationibus.

217. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Sanctissimo Domino Nostro consilium praestandum sit pro dispensatione super voto castitatis in casu etc. II. An eidem Sanctissimo Domino Nostro consilium praestandum sit pro dispensatione super Matrimonio tamquam rato et non consummmato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Eystetten. die 19 Augusti 1724.*

218. Nullum tamen dubium, quin iusta ac legitima sit causa dispensationis, si publicum respiciat bonum: unde merito dispensatum fuit a Matrimonio rato sub Alexandro VII cum Principissa de Nemours, ne publica Lotharingiae quies per illud turbaretur *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Levissimam.*

219. Quin imo verior et magis communis sententia est sufficere, si privatae per eam utilitati provideatur; quod vero, iuxta Doctorum monitum, cum hac est moderatione accipiendum, ut nullum ex dispensatione, privatae tantum commoditatis intuitu concessae, impendat scandalum, aut communi bono detrimentum *in Voto Canonistae in Causa Bambergen. Matrimonii die 14 Martii 1856* §. *Quod.*

220. Similiter communis opinio, ut sufficiat causa etiam privata, quae refertur ad peculiare cuiusque bonum et utilitatem, sano modo intelligenda venit, cum nempe circumstantiae facti concurrant, quae Matrimonii validitatem nutare suadeant, ceu monet Ursaya tom. 2 part. 1 discept. 3 n. 31 *in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* §. *Ad.*

221. Compertum hinc est, tres inhaerere qualitates causae dispensationis debere, ut nempe sit iusta gravis et urgens *in Camerinen. Nullitatis Matrimonii et Dispensationis die 14 Martii 1856* §. *At vero.*

222. Idcirco ad dispensationem Matrimonii rati et non consummati obtinendam haud requiri videtur gravis et publica causa, sed satis privata censetur pro dispensatione, ex doctrina Coninch. de Sacram. matrim. disp. 33 dub. 1 n. 4, Perez de matrim. disp. 20 sect. 7 n. 11, Coscii de separat. tori lib. 1 cap. 16 a n. 66, Pignatell. consult. 148 n. 7, Ursayae discept. 32 n. 58 tom. 6 part. 1 *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Satis.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *Ad.*

223. Nam ubi constet de non sequuta Matrimonii consummatione, opus non esse causa gravi vel publica, sed quamlibet privatam causam, immo mutuum tantummodo Coniugum consensum, movere posse Summum Pontificem ad dispensandum, Cap. *Laudabilem* et Cap. *Accepisti* de frigidis, Gobat. Theol. experim. tract. 10 cons. 18 n. 691, Pignatell. tom. 1 consult. 148 n. 7, Felin. cons. 23 n. 1 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Quod.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *Quod.*

224. Amplia, licet alterius Coniugis dissensus intercedat, Tamburrin. oper. moral. lib. 8 de matrim. cap. 6 de indissolub. matrim. n. 5, Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 15 n. 7 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *Ad.*

225. Qua de re si constet de non subsequuta consummatione Matrimonii et graves concurrant causae, licet eaedem non publicam, sed privatam respiciant utilitatem, indulgetur dispensatio super Matrimonio rato tantum et non consummato *in Nicien. seu Turritana Matrimonii die 11 Martii et die 20 Maii 1786.*

226. Siquidem eques Raphael Paliaccius e nobili Planargia familia, inter Sardiniae Optimatos praecipua, dum Niciae moram trahebat, Matrimonium clandestinum cum puella Iosepha Petit die 6 ianuarii 1783 coram Ludovico Ramin Cathedralis Paraeciae assistente contraxerunt. Sed moniti a Canonico Honorato Novel Parocho Cathedralis Ecclesiae, quod eorum Matrimonium irritum erat, tamquam celebratum coram Presbitero, cui inter datas facultates eam exceperat, assistendi nimirum clandestinis Coniugiis, renovare consensum coram eodem Canonico Curato exoptarunt. Interim vero ad instantiam Patris comprehensus a militibus eques Raphael et ad Montis Albani arcem traductus fuit, a qua post octo dies Regis iussu ad Castrum Villae Franchae translatus, tandem in Sardiniae Insulam et Civitatem Turritanam missus fuit, qua in Urbe semper commoratus est. Fecerunt haec, ut, tepescente in dies inconsulto amore, eques Raphael suum agnoverit errorem, quantumque sibi et praeclarissimo Patri suo equiti SS. Mauritii et Lazzari tam dispari Coniugio dedecus et ignominiam creaverit. Quapropter post institutam querelam nullitatis Matrimonii penes Curiam Episcopalem, mox petiit a Summo Pontifice, ut super hoc Matrimonio tamquam solummodo rato et non consummato dispensare dignaretur. Nam licet Matrimonium validum censeretur, eius inconsummatio manifesta videbatur, quum, praeter iuramentum utriusque Coniugis et septimae manus, brevissimum intercesserit tempus coram pluribus transactum ab inito Matrimonio ad comprehensionem, quin amplius simul convenire potuerint. Nec legitimae causae pro dispensatione deerant, quum summa esset gradus disparitas;

nam obscura erat conditio, immo et ignoti Parentes Iosephae. Accedebant lubricum aetatis in adolescente duodeviginti annorum, gravissimum et irreconciliabile odium, quod inconsulto amori, ut non raro usuvenit, post animadversos huiusce Coniugii ferales effectus successit, serenissimi Regis indignatio, quam vicissim dispensatio haec emolliret, nobilissimi Patris constans propositum a suo conspectu arcendi, et in longinquas regiones, ad quas Iosephae Petit non pateret accessus, transmittendi, exheredemque faciendi filium, quatenus hoc consistere Connubium deberet, lis super Matrimonii validitate, conscientiarum quies, et Episcopi iudicium. Contra Defensor Matrimonii advertit, non fidendum de non sequuta consummatione Matrimonii, quum iidem per semihoram in cubiculo Procetoni proximo cum famula Ichard steterint, quin obesset, quod etiam domestici Episcopi adessent, quippe qui longe et non semper ibidem extiterunt. Despexit autem causas in medium prolatas, utpote privatam, non vero publicam respicientes utilitatem.

227. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 martii 1786 respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative–. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nicien. seu Turritana Matrimonii die 20 Maii 1786.*

228. Hinc Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi super Matrimonio rato et non consummato, ad effectum licite permanendi in secundo bona fide contracto, cum dubitaretur de validitate primi *in Carpenctoraten. anno 1606 lib. 10 Decretorum pag. 157.*

229. Quum itaque iustae existerent causae et de non consummatione Matrimonii satis constaret, Sacra Congregatio declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione prioris Matrimonii ad effectum, ut Mulier novo consensu convalidare posset secundum Matrimonium cum alio Viro initum et prior Vir ad alias nuptias transiret *in Hispalen. Dispensationis die 9 Septembris 1741.*

230. Siquidem Franciscus Tinocos et Anna Maria della Carrera et Soavedra mutuo capti amore die 16 novembris 1737 secunda circiter noctis hora Matrimonium in Civitate Hispalis contraxerunt coram Testibus et Sacerdote Aloisio Maurillo, cui Vicarius Generalis ad preces ipsius Francisi Tinocos licentiam tradiderat, ut eidem Matrimonio, omissis denunciationibus, assisteret. Id vero ignorans Franciscus della Carrera Annae Mariae Pater in sequenti die Hispali discessit, filiamque secum duxit ad Civitatem Lorae patriam suam intra fines eiusdem Hispalensis Diaecesis sitam, et dicta Anna Maria paternis nutibus morem gerens alias cum Ioachimo de Mancha iniit nuptias, novoque subinde Viro per aliquot dies cohabitavit, donec huius Matrimonii notitia ad Vicarium Generalem delata fuit, ipsius iussu a Ioachimo seiuncta, et die 18 ianuarii 1738 in Monasterium S. Michaelis Civitatis Hispalis, ubi adhuc custodiebatur, collocata. Hinc nomine Annae Mariae petita fuit dispensatio super priori Matrimonio, tamquam rato et non consummato, ut tam ipsa secundum Matrimonium cum Ioachimo celebratum novo consensu convalidare posset, quam liberum esset dicto Francisco Tinocos ad alias nuptias transire. Archiepiscopo processum super non consummatione Matrimonii instruere curavit, ex quo tum per confessionem Coniugum, tum per depositionem Testium comperiebatur, Matrimonium haud fuisse consummatum. Archiepiscopus haec habuit: – Censeo, praeoptatam dispensationem maxime convenire et ex rei contingentia necessariam fore, cum nulla alia via tot malis inde iam ortis valeant commode subvenire. Coniuges prioris Matrimonii graviter dissident inter se, et ad communem vitae consuetudinem nulla ratione possunt adduci. Utriusque periclitatur continentia. Haud enim dubie de ingressu Religionis neuter cogitat. Emergunt discordiae, et foventur inimicitiae inter Consanguineos, quorum familiae probe nobiles et plane illustres ad invicem sunt adversae, et denique quod publico magis officit, magna scandala timenda veniunt, quibus incommodis et aliis quamplurimis, quae

ex scandalo oriri solent, facile mederemur, si a Sanctissimo Domino Nostro remissis precibus annueretur benigne –.

231. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. et ad effectum, de quo agitur etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in casu, et ad effectum, de quo agitur – *in Hispalen. Dispensationis die 9 Septembris 1741.*

232. Unde inter causas legitimas ad effectum concedendi dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, etiam impotentia Viri, quoties est plene probata. communiter a Doctoribus et speciatim ab Ursaya in tom. 3 part. 2, Coscio de separat. tori cap. 16 n. 195 et 241 recensetur, ne Uxor ad perpetuum caelibatum cogatur *in Mediolanen. Matrimonii die 4 Decembris 1728* §. *Quo.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *Quod; in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Maxime; in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Quatenus.*

233. Imo ipsam etiam impotentiae dubietatem maximum praebere fundamentum et causam simul dispensandi tradit Ursaya in tom. 3 part. 2 discept. 21 n. 103 *in Neapolitana Matrimonii die 26 Septembris 1857* §. *Ad.*

Item *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Ad alterum.*

234. Non dubium vero impotentiae, sed probabilis requiritur certitudo, ut iustitiae naturam gratia induat, Ursaya tom. 3 part. 2 discept. 21 n. 104, Card. De Luca de matrim. disc. 9 n. 6 *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Post.*

235. Revera sub hoc respectu dispensationem gratiam non esse, sed veram iustitiam docet Card. De Luca de matrim. disc. 9 n. 8 *in Neapolitana Matrimonii die 26 Septembris 1857* §. *Ad.*

236. Idcirco quum Coniuges per integrum triennium consummare haud valuerint Matrimonium adeoque ambo dispensationem petierint, idque septima utrinque Propinquorum manus confirmaverint, ac Obstetrices Mulierem iureiurando virginem declaraverint, Sacra Congregatio resolvit, locum esse petitae dispensationi, idemque iterum, Causa de Mandato Pontificis reproposita, decidit, ac demum, de mandato pariter Pontificis reproposita Causa etiam super puncto nullitatis Matrimonii, declaravit, ita constare de nullitate, ut esset consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati, et non concedendam licentiam Viro transeundi ad alia vota, inconsulta Sacra Congregatione *in Bononien. Matrimonii die 27 Februarii die 30 Aprilis et die 25 Iunii 1836.*

237. Enimvero puella Marchionissa de Buoi die 19 maii 1829 nupsit Marco Antonio ex comitibus Clarelliis: sed Vir per integrum triennium Matrimonium consummare haud valuit, licet medicamina ab initio sumere curasset. Quuum igitur omnia evasissent inutilia, quae et per Uxoris blanditias et Medicorum consilia expertus fuerat Clarellius, Coniuges Archiepiscopum Bononiensem adierunt, ut ad formam sacrorum Canonum procederet. Extructo itaque processu iuxta Constitutionem *Dei miseratione* et ad Sacram Congregationem transmisso, compertum est, Matrimonium propter Viri impotentiam haud fuisse consummatum: nam et septima utrinque Propinquorum manus testata est nedum de fide religione ac pietate Coniugum, sed etiam de plurimis modis ab eisdem pertentatis, ut Matrimonium consummarent, quin unquam id consequi valuissent; idemque deposuerunt alii Testes ab Matrimonii Defensore examini formiter subiecti, nec non Obstetrices ad inspectionem corporis Marchionissae adhibitae eiusdem virginitatem iureiurando declararunt. Idcirco locum esse dispensationi Mulier contendit, quum, in facto posita non consummatione, iustae etiam causae concurrerent, scilicet impotentia Viri, periculum incontinentiae, contentiones et iurgia inter Coniuges post agnitum impotentiae vitium exorta. Non ita tamen sentiit Matrimonii Defensor: hic enim praeprimis impetiit Coniugum probitatem, cum in putidissimas contradictiones incidissent, quin iidem fidem mereri viderentur, ex eo quod unisonae habebantur postulationes, et facillimum erat collusionis periculum, cum inhiarent ambo Matrimonii vinculo dissolvendo. Unde depo-

sitionum conformitas nihili facienda videbatur, cum nec impotentia Viri probaretur. Vir enim primum impotentem sese declaravit, postmodum vero iureiurando firmavit, se certo habere viripotentiam, ut rei maritali operam daret. Et revera Medici, expleta corporis Viri inspectione, declararunt, se nullum defectum aut irregularitatem invenisse, quin propterea eum impotentem renuntiare possent. Unum hinc supererat effugium, si Viri impotentiam ex maleficio oriri diceretur. Efficit id enim Daemon vel corpore impediendo, ne Coniuges se mutuo amplectantur, vel turbando imaginationem. Id autem in casu facile admittendum videbatur, tum ex eo quod Viri imaginatio turbabatur in actu, foetorem sentire arbitratus, quem forte non sentiebat, tum quod Uxoris species deformis atque exosa videbatur, licet eam maxime diligeret, tum tandem quod ad copulam Vir nitens paratusque prohiberi ex quadam inexprimibili virtute sentiebat. Hac enim de causa dissolvi non posse contendit Matrimonii Defensor, cum spes esset, quod id aliquando cessaret. Nam firma erat Viri valetudo, solida structura, florida iuventus, vividus in Uxorem amor, acres vehementesque experiebatur stimulos. Poterat idcirco propelli spiritualibus Ecclesiae remediis, per exorcismos scilicet piasque preces, uti habetur in Cap. fin. de frigid. et malef. Idcirco licet explorata esset virginitas Uxoris et non consummatio, non propterea locus esse poterat dissolutioni Matrimonii, cum adhuc consummari posset. Ceterum nec virginitas certa dici poterat, cum manus Obstetricum et oculi saepe fallantur, ac incerta sint Virginitatis signa, quae etiam in femina corrupta simulari possunt. Nec etiam iustas dispensationis causas concurrere sustinuit, cum praetensa impotentia non existeret, et periculum incontinentiae evanidum esset; alias enim innumera propemodum Matrimonia rescindi deberent, religionis detrimento ac societatis scandalo.

238. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 februarii 1836 respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative –. Relatione de more facta Pontifici, – Sanctissimus mandavit, ut Causa reproponatur in Sacra Congregatione, citato prius Defensore Matrimonii –. His itaque impletis, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 aprilis 1836 respondit: – In decisis –. Relatione pariter de more facta Pontifici die 30 maii eiusdem anni 1836, Pontifex – mandavit, ut Causa reproponatur in Sacra Congregatione cum iisdem sub utroque dubio –. Repropositis hinc dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, ita constare de nullitate, ut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati, et non concedendam licentiam Viro Marco Antonio Clarelli transeundi ad alia vota, nisi consulta Sacra Congregatione - *in Bononien. Matrimonii die 25 Iunii 1836.*

239. Unde ad evincendum impotentiae vitium univocae urgentes ac undique concludentes intercedant necesse est probationes, Rota in Romana Nullitatis Matrimonii 25 iunii 1781 §. 3 coram Card. Bayane, et decis. 722 n. 8 et 9 coram Coccino, cum nullum rectum iudicium exurgere queat ex signis praesumptivis et dubiis, Alex. de Nevo in Cap. *Laudabilem* de frigidis n. 17 cas. 3 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 22 Iulii 1826* §. *Verum.*

240. Nam ubi impotentia arguitur ex signis debilitatis et paralysis satis non est ad dissolvendum Matrimonium, quia interdum sanari potest, Plenk elem. med. de sign. impot., Zacch. quaest. medic. leg. lib. 9 tit. 10 quaest. 3 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *Desiderantur.*

241. Quando autem satis constet de impotentia Viri et non consummatione Matrimonii nec non aliae iustae concurrant causae, nedum indulgetur dispensatio Matrimonii rati et non consummati, sed imo cum inde constet de naturali impotentia eiusdem Viri, qui alias postea nuptias contraxit, nullum declaratur secundum Matrimonium, quin opus sit dispensatione *in*

Ianuen. Matrimonii die 16 Augusti et die 6 Septembris 1783 die 20 Iulii 1793 die 25 Ianuarii et die 15 Martii 1794.

242. Iamvero nobilis Vir Marchio Paulus Franciscus Spinula die 3 iulii anni 1775 Matrimonium contraxit cum aeque nobili puella Marchionissa Maria Brignole. Tribus annis et duobus fere mensibus elapsis a die celebrati Matrimonii, Mulier e domo Viri divertit, et primum in propriae Matris domum, inde in Monasterium Sanctimonialium Visitationis Ianuae se recepit, et die 28 augusti anni 1778 querelam nullitatis Matrimonii proposuit coram Curia Archiepiscopali Ianuensi, ob naturalem Viri frigiditatem et impotentiam. Receptae fuerunt amborum Coniugum iuratae depositiones. Affirmavit Paulus se Matrimonium consummasse: at Maria Matrimonii consummationem negavit. Utriusque assertionem confirmavit septima Propinquorum manus. Vicarius Generalis inspectionem corporis tam Viri, quam Mulieris decrevit. Mulier mandatis paruit, et Obstetrices post recognitionem corporis illam Virginem retulerunt: Vir tamen pluribus emissis protestationibus restitit, ne ad sui corporis visitationem procederetur, demum promptum se exhibuit, dummodo recognitio fieret extra Civitatem et ditionem Ianuensem. Vicarius Generalis, despecta huiusmodi protestatione, decrevit: – Pro nunc locum esse experimento cohabitationis et condormitionis dictorum illustrissimi D. Pauli Spinula et illustrissimae D. Mariae Brignole per tempus a nobis imposterum determinandum –. Ab hac sententia appellavit Marchionissa Maria ad Sacram Congregationem, ac postulavit etiam dispensationem Matrimonii rati et non consummati. Mulier itaque instetit, ut terminus praefigeretur Viro ad se subiiciendum recognitioni corporis, et in Congregatione diei 11 martii 1783 sequens prodiit Rescriptum: – Ad D. Secretarium, pro praefixione termini duorum mensium ad faciendam recognitionem corporis Pauli Francisci, qua expleta, fiat nova recognitio Mariae Brignole, iuxta instructionem dandam a D. Secretario, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis –. Marchio vero mandatis parere minime curavit, post datam etiam dilationem; unde Sacra Congregatio die 31 maii 1783 mandavit, ut Causa super merito proponeretur. Plura Mulier protulit ad probandam Viri frigiditatem et non consummationem Matrimonii: enumeravit inde causas, quae pro dispensatione concurrebant, prout erant abalienatio Coniugum absque spe reconciliationis, Personarum dignitas et nobilitas in Civitate libera, unde odia dissidia et scandala oriri poterant; ac demum nobilis Mulieris iuventus, quae, perseverante Coniugio, assiduis exposita esset periculis. Ex parte Marchionis Pauli Francisci nihil deductum fuit; sed plura cumulavit Defensor Matrimonii ex officio, ut non consummationem Matrimonii excluderet, cum praesertim Vir iuramento firmaverit, Matrimonium fuisse consummatum. Addidit, extraneas esse allatas ex adverso Auctoritates ad probandum, quod quando agitur de nullitate Matrimonii ex capite impotentiae etiam in dubio concedenda sit dispensatio; nam id procedere contendit, quando nulla adest consummationis suspicio, et dubium sit, quod neque in posterum ex causa impotentiae consummari valeat Matrimonium. Idcirco sustinuit, non posse concedi dispensationem, quaecumque essent causae etiam gravissimae, ex eo quod de Mulieris virginitate ac de Viri impotentia non satis constabat.

243. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati – *in Ianuen. Matrimonii die 16 Augusti 1783.*

244. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, ad mentem. Ad secundum, in decisis; factaque de praemissis per D. Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua benigne approbavit resolutionem diei 6 septembris 1783 cum Rescripto « in decisis » deleto Rescripto ad primum dubium « ad mentem », et Literas Apostolicas in forma Brevis expediri mandavit, iuxta solitum – *in Ianuen. Matrimonii die 6 Septembris 1783.*

245. Soluto hinc primo Matrimonio, secundas Marchio contraxit nuptias cum Marchionissa Hieronyma Mari die 6 octobris 1786, sed inutili pariter conatu per sexennium cum ea certavit. Nam Curia ecclesiastica Ianuensis, singulis rite praemissis, die 14 novembris 1792 nullum declaravit Matrimonium, – ob perpetuam et insanabilem frigiditatem seu impotentiam eiusdem Pauli Francisci ad coeundum –. Delata hinc appellationis Causa ad Sacram Congregationem, propositis dubiis: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 iulii 1793 respondit: - Dilata, et ad D. Secretarium pro explendo examine Marchionis Pauli Spinula, et praefixione termini unius mensis ad recognitionem corporis eiusdem Marchionis, qua peracta, fiat nova recognitio corporis Marchionissae Hieronymae Mari, iuxta instructionem dandam a D. Secretario, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, etiam pro deputatione Peritorum –. His itaque expletis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1794 respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo –. Demum repropositis dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum, a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Ianuen. Matrimonii die 15 Martii 1794.*

246. Quum imo satis superque constet de impotentia Viri, locus est dispensationi Matrimonii rati, licet virginitas Mulieris undequaque certa non habeatur *in Barchinonen. Matrimonii die 14 Iunii die 20 Decembris 1806 die 24 Ianuarii die 19 Decembris 1807 et die 23 Ianuarii 1808.*

247. Siquidem Raymundus Borras de Lluria ex Marchionibus della Barcena fere ab undecim annis viduus die 2 iulii anni 1800 Matrimonium contraxit cum Maria Theresia Sans y de Gregorio, quae tamen postridie ac subinde conquesta est de non sequuta Matrimonii consummatione, adeoque petiit a Summo Pontifice dispensationem a Matrimonio rato et non consummato. Rescriptum hinc prodiit die 10 iunii 1801: – Episcopo pro informatione et voto, auditis, praevia confectione processus ad formam Constitutionis s. m. Benedicti XIV *Dei miseratione* super non consummatione et virili impotentia –. Itaque examen subivit Raymundus Borras iuratusque affirmavit, se cohabitasse et condormivisse cum Uxore per tres distinctas noctes, et bis Matrimonium consummasse. Contra Theresia, iuramenti interposita religione, asseveravit, se per quinque noctes condormivisse et per dies circiter viginti cohabitasse cum Sponso, quin unquam hic ob impotentiam Matrimonium consummare potuisset, cui septima Propinquorum manus inhaesit, cum omnes vera habere se dixerunt, quae Theresia iurata deposuit. Facta semel iterumque corporis Viri recognitione, Medicus Grasset, licet putasset, virilia Raymundi nullo externo vitio laborare, nihil tamen - di positivo può dire in questo particolare – conclusit: Medicus vero Pinguillinius et Chirurgi Iunoyns et Ponzo eumdem ineptum ad consummationem iudicarunt, ex eo quod nullum in eo viderint viripotentiae signum, et omnino ipse renuerit adhibere diligentias, quibus hanc viripotentiam excitaret. Ex Obstetricibus autem Agnes Ribò ex compressione partium, nullo lacerationis vestigio percitarum, Theresiam virginem iudicavit: aliae duo, Iosepha Brangali et Theresia Salò nullum deflorationis signum invenisse dixerunt, sed abstinuerunt a iudicio ferendo, num inter matrimoniales conatus virgo remanserit, quoniam fieri poterat, quod post quatuor annos unio et compressio partium haberi posset. Matrona Angela Pinto de Savilla rite omnia ab Ostetricibus facta fuisse, adhibito balneo, testata est. Hac audita relatione, Periti in diversam abierunt sententiam. Nam Medicus Franciscus Pinguillinius censuit, ambiguam esse virginitatis probationem. Reliquorum vero iudicium pro virginitate Theresiae stetit. Testes plures a Theresia inducti, vel de facto proprio, vel de auditu, et quidem ab ipso Borrasio, vel de publica voce et fama, deposuerunt de eius impotentia et de non sequuta consummatione; Testes a Borrasio inducti omnes respiciebant primum Matrimonium, et una tantum Muliercula egit de gemino abortu primae Uxoris. Borrasius nullam exhibuit allegationem: sed Defensor Matrimonii ex iudicio Peritorum arguit, du-

biam saltem esse Viri potentiam, cum praesertim discordes essent Coniuges, quoad sequutam consummationem; atque contendit, iuramentum Viri, affirmantis consummationem, praeferendum esse prae iuramento Mulieris, quae illam negabat, ex can. *Si quis acceperit* caus. 33 quaest. 1, et Cap. *Continebatur* de desponsat. impuberum, quin obesset, quod septima manus deficeret, quia Consanguinei non fuerunt rogati, utrum verum crederent iuramentum a Raymundo praestitum, sed de non consummatione et impotentia, de qua se nil scire dixerunt. Id enim satis supplebatur ex Testibus extraneis optimae famae, qui ea, quae Borrasius affirmavit iuratus, et ipsi confirmarunt, ut ex cap. *Laudabilem* 5 de frigidis. Nil vero tribuendum iuramento Mulieris, licet eidem suffragaretur septima Propinquorum manus; nam hoc ei nil opitulabatur sine privilegio virginitatis, de qua una ex Obstetricibus dubitasse dixit, alias noluisse testari, et ambigua esse Peritorum iudicia. Viripotentiam Raymundi dein probare contendit praefatus Defensor Matrimonii ex diuturno contubernio cum prima Uxore, ex gemino abortu, ex confessione Mulieris, quae viripotentiam saltem momentaneam fassa est, ac denique ex testimonio Chirurgi Iosephi Tornerii, qui hanc viripotentiam affirmavit. Quamobrem dispensationem concedi non posse sustinuit. Contra Mulier constare dixit de non consummatione ex ambiguo modo, quo interrogationibus Borrasius respondit, ex fassa ab eodem non consummatione pluribus Testibus, ex virginitate propria, cuius signa omnes Obstetrices invenerunt, et virginem fuisse Periti iudicarunt, ex impotentia Borrasii, quem stupidum iudicarunt Periti, quin in facto consisteret geminus abortus primae Uxoris, cum una tantum Muliercula hoc deposuisset non quidem certe, sed dubitative. Causam autem ad dispensandum deduxit ex probata impotentia Viri, cum praesertim praebere posset incontinentiae periculum, et inde Coniuges inter, interque Propinquos animorum alienatio et irreconciliabilis discordia suboriretur.

248. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 iunii 1809 respondit: – Iterum proponatur –. Interim Raymundus exhibuit fidem Baptismatis, qua lucem Raymundum vidisse constabat die 5 iunii 1762, et testimonia viduarum Mulierum Mariae Llaurador, Engratiae Baya, et Viri Sigismundi Serrat, qui die 16 Septembris anni 1806 depositionem scripserunt, qua affirmabant, se, cum Raymundo praestabant servitium, alta vidisse viripotentiae signa. Repropositis tamen dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative – *in Barchinonen. Matrimonii die 20 Decembris 1806.*

249. Defensor Raymundi instetit pro examine formali Testium extraiudicialium, pro nova recognitione corporis eius, licet in Curia Barchinonensi Raymundus acriter obstiterit et impediverit, quominus iterum fieret, et pro dilatione. Repropositis hinc dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 24 ianuarii 1807 respondit: – Dilata, et fiat nova recognitio Viri iuxta instructionem, et ad Emum Praefectum, qui acriter moneat Severinum Petrarca, et moneat Magalotti –. Venerunt acta novae recognitionis corporis Viri; sed Defensor Matrimonii ex officio, aliarum Causarum curis distentus, petiit dilationem. Unde reproposito eidem dubio, Sacra Congregatio die 19 decembris 1807 respondit: – Dilata, et proponatur in prima post Reges omnino et infallanter –. Itaque ex nova corporis Raymundi recognitione patebat impotentia saltem probabilis: nam nec Medicus Ioseph Aloy, nec Peritus Dominicus Bover, nec Peritus Carolus Nogues, nec Peritus Ioannes Argelagos in ipso viripotentiae signa videre potuerunt. Repropositis igitur dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Barchinonen. Matrimonii die 23 Ianuarii 1808.*

250. Hinc ex probata per corporis inspectionem Mulieris virginitate tutum non consummati Matrimonii ob virilem impotentiam consurgere argumentum videtur, ad Textum in Cap. *Proposuisti* de probat. et ibi Glossa, Ursaya tom. 6 part. 1 discept. 7 n. 45 et 56, Reiffenstuel lib. 4 Decret. tit. 15, Card. De Luca de matrim. lib. 14 part. 2 disc. 11 n. 44

in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845 §. *Dispositioni.*

251. Haud tamen recte Viri impotentia semper colligi potest, etiamsi Mulieris virginitas certa exploratagque sit, Kugler de matrim. tom. 1 cap. 5 §. 2 n. 1435 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 18 Martii 1826* §. *Deficere.*

252. E contra ab externa corporis configuratione atque perfecta non dari certam ad potentiam illationem, eaque non obstante coexistere posse impotentiam ad copulam, tradunt Bouchier della dissoluzione del Matrimonio pag. 3, Strikius de iure sens. dissert. 1 de vis. cap. I n. 55, qui hoc adeo certum existimat, ut hominis inspectionem excludat omnino, quoties Uxor virgo Mariti sui impotentiam proclamet, Cocchius in discept. phisic. anath. §. 9 et §. 12, Marcangeli in dissert. phis. med. §. 6, ex ea nimirum ratione, quod aliqua latere possit causa, quae ignavas reddat partes, adeo ut, si non noscatur luminibus tactuque, noscatur tamen effectu; quam quidem identicam quaestionem non aliter resolvit Barzellottius in opere medic. legal. cap. 3 lib. 1 *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Quae.*

Item *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Iamvero.*

253. Quamobrem huic doctrinae adhaerentes iuris Interpretes, potiusquam ab externo corporis apparatu, in thalami coniugalis experimento potentiae probationem requirendam docent; ita Coscius de separat. tori coniug. lib. 3 cap. 2 a n. 298 cum ceteris ibi adductis *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Quae.*

Item *in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Iamvero.*

254. Unde Mulieri, iuramento asserenti perfectae erectionis defectum in Viro, omnino deferendum est, quia ut inquit Coscius de separ. tori lib. 3 cap. 2 n. 298: – in arena thalami coniugalis, quam non vident Periti, in hàc Uxor tantummodo est perita et peritior – *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Quod.*

255. Idcirco licet ex perfecta Viri conformatione virilium habitu sanitate ac robore erectione et seminis effusione de ipsius potentia dubitari non posse videretur, quum tamen Mulier cum septima Propinquorum manu ac forte etiam Vir fassi fuerint de non sequuta consummatione, post saepissimos conatus ad eam explendam per lapsum quinque mensium adhibitos, nec non Obstetrices et in arte medica et chirurgica Periti eam virginem renunciaverint, Sacra Congregatio, iustis etiam causis dispensationis concurrentibus, nedum declaravit, locum esse dispensationi a Matrimonio rato et non consummato, sed et prohibuit Viro, ne ad alias transiret nuptias, nisi prius consulta Sacra Congregatione *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858.*

256. Enimvero inter nobilem adolescentem Ioannem De Rosa et puellam Antoniam Volpicelli Neapolitanos die 11 februarii 1855 in parochiali Ecclesia S. Mariae de Rotunda eiusdem Civitatis Matrimonium iuxta S. Romanae Ecclesiae ritum celebratum fuit. Post quinque fere cohabitationis menses, quam paucos primos dies in aedibus iuxta nuptialia pacta a Viro conductis, reliquo tempore in eiusdem paterna domo, aegre Muliere ferente, duxerant, Mulier ipsa mense iulio ineunte eiusdem anni occasionem nacta, qua Vir Civitatem S. Agathae Gothorum concesserat in festo die solemnis possessionis, quam de illius Diaecesis Cathedra novus sumebat Antistes, apud Matrem in suburbana domo tunc commorantem se recepit, haud abnuente Viro (latentis huiusce et Matre ipsa praecipue suadente suscepti consilii ignaro), eique discedenti se apud ipsum amplius non reversuram, offensiones ac malam illius agendi rationem causata, renunciavit. Facta exinde de bono et aequo rerum dotalium restitutione ac personali separatione, Mulier mox petiit a Summo Pontifice declarationem nullitatis Matrimonii, ex causa impotentiae absolutae Viri, vel ope dispensationis. Expleto itaque processu ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione,* Mulieris Defensor contendit, Virum De Rosa infici vitio impotentiae absolutae vel saltem relativae, quin obesset externa ipsius corporis configuratio integra atque perfecta. Nam iurata Mulier cum septima Propinquorum manu testata est de non sequuta consummatione, quamvis omni ipsa ratione diu noctuque saepissime docilem se voluntati Viri ad opus maritale praebue-

rit. Unde Vir ipse fassus est, erectionem quidem se perfectam habuisse, sed ob praeposteram seminis effusionem opus maritale conficere nequivisse. Huiusmodi confessioni accessit testimonium Obstetricum et in arte Peritorum, qui unanimiter et absque dubio Mulierem virginem renunciarunt, quin mirum videri deberet, si prima muliebrium partium labia aliquam passa essent coloris et tensionis imminutionem, cum ad tantam tamque diuturnam conatuum frequentiam superaddita etiam fuerit manuum attrectatio. Insuper et tiam usus pharmacorum et consultationum Peritorum ante et post initum Coniugium adhibitus nec non publica vox et fama Virum impotentem edicebant. Idcirco locus esse non poterat experimento triennali, sed illico dispensatio concedenda videbatur, cum et iustae dispensationis causae haberentur, scilicet nullitatis Coniugii seu impotentiae dubietas, odium et inimicitiae non solum inter Coniuges ipsos, sed etiam inter eorum consanguineos, praesertim ob diffamationem Matris Antoniae a Viro diffusam, ita ut concordia et reconciliatio sperari nequiret, saevitiae et contumeliae acceptae, et periculum amittendae virginitatis impotentis hominis manibus, periculum incontinentiae et timor fornicationis, cum praesertim ageretur de puella et viro in aetate florentissima constitutis et robusta valetudine aliisque praerogativis naturae donatis et auctis, ac demum adulterium, in quod post separationem, Vir proruit, unde luem etiam contraxit. Contra Viri Defensor et Sacramenti Vindex contenderunt, non dubiam, sed certissimam de Viri potentia probationem haberi ex relatione tredecim in arte medica et chirurgica Peritorum, qui partim a Viro ipso arcessiti, partim a Curia delegati, eiusdem potentiam constituerunt, tum ex universa corporis conformatione perfectissima, tum ex virilium habitu sanitate ac robore, tum ex erectione et seminis effusione. Posita hinc certa et indubia Viri potentia, de subsequuta consummatione nec ambigendum esse sustinuerunt, cum Coniuges per quinque menses rei nuptiali operam dedissent, quin obstarent signa virginitatis in Muliere reperta, quia fallacissimum virginitatis iudicium ab omnibus in arte medica Peritis renunciatur. Nec subsumi posse dixerunt, haberi in casu impotentiam relativam; nam haec demonstrari non potest, nisi aliquod phisicum, vel morale impedimentum probaretur. At phisicum impedimentum quoad Virum eliminabant iudiciales Peritorum attestationes, nec constabat de vitio aliquo in Muliere. Morale autem impedimentum perpetuum esse deberet, quo nomine veniunt odium invincibile, aversio propter deformitatem. In themate vero causas, quae coniugale opus pertubarunt, extrinsecas, adeoque accidentales fuisse constabat, ob Socrus importunitatem; in facto enim erat, nuptias conciliatas fuisse peramanter *con tutto genio e piacere*, ceu uterque Coniux fatebatur. Causas deinde allatas, ad dispensationem obtinendam, vel uti illegitimas vel insubsistentes reiecerunt. Idcirco triennalis experimenti necessitatem moralitatem ac utilitatem praesertim Matrimonii Defensor propugnavit.

257. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative, vetito Ioanni De Rosa transitu ad alias nuptias, nisi consulta prius Sacra Congregatione – *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858.*

258. Quum itaque Vir etiam fateatur, se quidem perfectam habuisse erectionem, sed ob praeposteram seminis effusionem opus maritale conficere non potuisse, nihil erectionem vel seminis effusionem prodesse ad potentiae probationem docent Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 93 et 94, Sotus in lib. 4 sent. dist. 34 quaest. 1 art. 3, et in materia princeps Zacchias lib. 3 quaest. medic. legal. tit. 1 quaest. 3 n. 11, Barzellotti medic. legal. lib. 1 cap. 4 §. 68, iuxta quam sententiam rem decidit S. Rota in decis. 11 ad ornatum Card. De Luca de matrimonio *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Atque.*

259. Unde impotentia Viri, quae ad iuris rigorem evincenda est, dum de Matrimonio agitur, sufficit, ut sit verisimilis, cum de dispensatione res est, ut distinguendo tradunt Ursaya tom. 3 discept 21 n. 103, Cosci de separt. tori coniugal. lib. 3 cap. 2 n. 285 et

a n. 386, in quibus late explicat Textum in Cap. *Licet ex quodam* 47 in fine de Testibus, Pignatell. consult. can. 148 n. 10 et 14 tom. 1, Rota coram Seraphino decis. 983 n. 7 *in Romana Matrimonii die 19 Augusti 1786* §. *Haec.*

260. Si enim probabilis sit Viri impotentia, ea legitimam praebet Matrimonii dissolvendi causam, ad tradita per Pignatellium consult. 148 n. 10 et 14 tom. 1, Gonzalez in Cap. *Virum* de convers. coniug. n. 7, Coscium de separat. tori lib. 1 n. 304 *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 15 Septembris 1827* §. *Ex Mulieris.*

261. Siquidem dispensationem interponi posse a Suprema Apostolica Auctoritate tradunt Pignatellius cons. 118 n. 10 et 15, Ursaya discept. eccles. 21 n. 13, et Coscius de separat. tor. coniug. lib. 3 cap. 2 n. 386 ad 393, etiamsi probatio impotentiae numeris omnibus absoluta non sit *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Haec.*

262. Quin imo ipsa dubietas circa valorem Matrimonii propter Viri impotentiam iusta censetur causa dispensandi, ad tradita per Coscium de separat. tori lib. 1 cap. 16 n. 195 et pressius n. 241 *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Quatenus.*

Item *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Ad alterum; in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Haec.*

263. Qua de re quum primum Matrimonium rite fuerit dissolutum ex capite impotentiae Mulieris, unde Vir ad secundas convolavit nuptias, sed inde eadem Mulier potens illicite evaserit, Sacra Congregatio, valido declarato primo Matrimonio, dispensationem denegavit super Matrimonio rato et non consummato, quin prima Uxor aliud Matrimonium contrahere posset, mox tamen dato etiam Defensore pro secundo Matrimonio ac iustis concurrentibus causis, censuit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati *in Massanen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1778 die 30 Ianuarii et die 17 Aprilis 1779.*

264. Siquidem Antonius Casabianchi et Catharina Cipolli ex Oppido Castaneti Massanensis Diaecesis die 25 ianuarii 1770 rite Matrimonium contraxerunt. Die vero 27 mensis augusti eiusdem anni iidem Coniuges comparuerunt in Curia ecclesiastica Massae, postulantes Matrimonii dissolutionem, ex capite impotentiae Catharinae. Medicus et Chirurgus de mandato Iudicis, recognito corporis Catharinae, cum altero extraiudiciali unanimiter fassi fuerunt, quod una caro ipsos inter nunquam fieri potuisset, propter pessimam conformationem et extraordinariam arctitudinem pudendarum partium antedictae Catharinae, cum inhabilitas perpetua esset et insuperabilis, nec etiam per incisionem partis vincendam. Idcirco die 4 novembris 1771 Curia Massanensis nullum declaravit Matrimonium, idque die 14 ianuarii 1773 examussim confirmavit Curia Metropolitana Senarum. Unde Antonius ad secundas convolavit nuptias cum Barbara Cecchini, ex qua plures filios suscepit. At die 16 maii 1776 in Curia Massae comparuit Catharina Cipolli, petiitque declarari, cessatum esse suum impedimentum suamque generandi impotentiam, quum intra unius anni spatium idonea effecta fuerit spasmodicis acerbisque doloribus ope digitorum suae manus ac ope carnalis commercii cum sex hominibus florentis aetatis habiti, a quorum ultimo passa fuit deflorationem, ac filium peperit. Demandata iterum recognitione corporis Catharinae ab iisdem Peritis facienda, iidem retulerunt, eam aptissimam esse in praesens ad habendam copulam cum quovis idoneo Viro. Rebus sic stantibus, Episcopus Massae et Archiepiscopus Senarum censuerunt, locum esse dispensationi, cum etiam Coniuges iuramento firmarunt, nunquam Matrimonium fuisse consummatum, licet pro una vice post recognitionem Mulieris factam a Peritis conati fuerint copulam consummare. Nam infamiam secundae Uxoris Antonii illegitimamque prolis ex secundo Matrimonio susceptae, contrarietatem animi eiusdem Antonii habendi Uxorem Catharinam a sex Viris compressam, a quorum ultimo deflorata fuit cum subsequuta praegnantia, nec non odia rixas et inimicitias verisimiliter orituras inter respective consanguineos praesertim in parvo Oppido cum publicae tranquillitatis perturbatione, tandemque scandala ac innumera peccata, quae inde sequerentur, iustam et rationabilem esse causam dispensandi super primo Matrimonio tantum rato, probat in specie De

Iustis de dispens. lib. 2 cap. 10 a n. 31, ubi testatur, ita fuisse dispensatum in simili casu occulto per Sacram Poenitentiariam, et concordant Pacin. de visit. part. 1 quaest. 9 n. 31, Boer. cons. 20 n. 4, Layman Theolog. moral. lib. 5 tract. 10 part. 2 cap. 6 n. 2, Diana tom. 3 tract. 1 de potest. Pontif. resol. 94 n. 11, et Card. De Luca de matrim. disc. 7 n. 7.

265. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An liceat Catharinae Cipolli aliud contrahere Matrimonium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Negative – *in Massanen. Matrimonii die 24 Ianuarii 1778.*

266. Verum cum ex notissima Costitutione s. m. Benedicti XIV praescriptum fuerit, dandum esse Defensorem cuilibet Matrimonio quoties de illius nullitate seu dissolutione disceptari contingat; cumque in Congregatione praedicti diei 24 ianuarii 1778 a nemine patrocinata fuerint iura secundi Matrimonii, ex vi duarum conformium sententiarum Antonium inter et Barbaram celebrati, Summus Pontifex mandavit, ut daretur etiam Defensor huic secundo Matrimonio. Hinc eo etiam audito, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1779 respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati; in reliquis satis provisum –. In hac igitur responsorum varietate, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius. – *in Massanen. Matrimonii die 17 Aprilis 1779.*

267. Hinc attentis Viri contumacia et recusatione sese subiiciendi inspectioni ac dubio de illius impotentia etiam absoluta nec non luculenta Mulieris virginitate ac certitudine de non subsequuta consummatione, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi Matrimonio rato et non consummato, quin Vir alias nuptias inire posset absque venia Sacrae Congregationis *in Neapolitana Matrimonii die 26 Septembris 1857 et die 27 Martii 1858.*

268. Iamvero die 24 ianuarii 1854 inter Aloisium Picarelli et Magdalenam Andrisani honestissimae conditionis cives Neapolitanos in eadem Civitate rite Matrimonium celebratum fuit. Post nuptialia festa ad totam fere noctem in Viri domo producta, et iam albescente die cubitum euntes Sponsi, illico Matrimonio consummando operam dederunt. Res tamen in irritum cessit: renovatis altera insequenti condormitionis nocte conatibus, par fuit eventus. Hinc Viri frigiditatem experta Magdalena, ex Matris aliorumque consilio ab inutili cessare opere absque mora censuit, et biduo post contractas nuptias maritalem domum deserens, paternos repetiit lares, non spe tamen reditus abiecta, siquidem aliquando forsan Aloisius, viribus recuperatis, ad debitum praestandum potis fieret. Brevi tamen in incepto mansit, ac omnis prorsus reconciliationis spes in ea evanuit, postquam de eiusdem Aloisii impotentia vulgatam ac recentibus etiam Peritorum experimentis constabilitam opinionem novit. Ac primo itaque civile pro dotis rerumque suarum restitutione iudicium instituit, deinde Summum Pontificem adiit postulans, ut, praeter disquisitionem validitatis vel nullitatis Matrimonii, facultatem ei faceret disputandi dubium super dispensatione a Matrimonio rato et non consummato. Itaque ex processu ad formam Benedictinae Constitutionis *Dei miseratione* confecto patuit, Mulierem iuramento firmasse, Matrimonium non fuisse consummatum, eamque virginem reapse in exploratione eiusdem corporis repertam extitisse; dum e contra Professorem Villanova ante nuptias Aloisium hortatum esse, ne in dubio potentiae Matrimonium iniret, et post nuptias, peracta oculari inspectione et nonnullis in phisica corporis constitutione notatis defectibus, retulisse, maximam inesse probabilitatem, quod impotentia foret invincibilis, et Medicum Taclè, consultum ab eodem Aloisio, eius impotentiam absolutam declarasse. Nullo vero in pretio habenda videbantur contraria aliorum, quos Aloisius exhibuit, Peritorum testimonia; nam duo eorum sese Aloisii personam ignorare fatebantur, alii omnes ex industria quaesiti, ut favorabile testimonium

redderent, ac in eo etiam conveniebant, quod Aloisii genitalia quamdam exilitatem exhiberent. Unde Aloisius ipse pluries fassus est propriam imbecillitatem, eamque sua agendi ratione pluries confirmavit, ac praesertim ex eo quod recusavit iudicialem sui corporis inspectionem, quae quidem recusatio eam vim praeseferebat, ut aequivaleret confessioni de vera ac absoluta impotentia. Iustae etiam causae dispensationis adesse videbantur, videlicet aversio et odium inter Coniuges post separationem exortum, et ob praesentis iudicii contentionem magis auctum, dementia olim ab Aloisio passa, quae facile reproducebatur, ceu evenisse ex frustrato thalami experimento vel ipse Aloisius fassus est, diffamatio eiusdem Aloisii, qui, propriam turpitudinem prodens, veritus non est sua illicita commercia et pravam cum Mulierculis revelare consuetudinem, cui accensendum nefandum eius attentatum, florem virginitatis Magdalenae„ manuum usu, si fieri potuisset, auferendi, ac demum aetatis disparitas, cum is novem super triginta annos, et mulier duos supra viginti numeraret. At Defensor Matrimonii ad excludendam impotentiam absolutam et relativam testimonium Peritorum Villanova et Taclè in nihilum reducere studuit, dum ad sidera aliorum testimonium extulit. Nullam inde movit dubitationem super non sequuta consummatione; sed causas dispensationis uti illegitimas vel haud subsistentes reiecit. Idcirco locum esse contendit triennali experimento.

269. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio die 26 septembris 1857 respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et scribatur Emo Archiepiscopo, qui novum terminum praestituat Viro pro inspectione eius corporis facienda per Peritos ab eodem Emo Archiepiscopo ex officio deputandos, servatis de iure servandis –. Ast frustra Emus Archiepiscopus novum secundum ac tertium peremptorie terminum constituit: namque Vir frustraneam esse dixit sui corporis inspectionem, ac recusationem sua manu excribere non dubitavit. Qua de re Mulier aliis opus non esse probationibus existimavit, ut dispensatio indulgeretur; dum e contra Matrimonii Defensor sustinuit, locum esse experimento triennali, ac iustam rursus contendit deesse causam dispensandi. Repropositis itaque dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative, vetito Aloisio Picarelli transitu ad alias nuptias, absque venia Sacrae Congregationis – *in Neapolitana Matrimonii die 27 Martii 1858.*

270. Concessa autem dispensatione super Matrimonio rato et non consummato ob Viri impotentiam adiecta clausula, ne Vir transeat ad alia vota inconsulta Sacra Congregatione, si huiusmodi Vir postea facultatem ineundi alias nuptias efflagitet, Sacra Congregatio eam haud indulget, nisi formiter constet de praesenti Viri potentia, quae propterea dum absoluta certo certius non sit, tutius ac prudentius facultatatem ineundi Matrimonium cum Vidua concedit *in Bononien. Matrimonii die 26 Februarii et die 23 Aprilis 1842.*

271. Siquidem postquam Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi Matrimonii rati et non consummati inter comitem Marcum Antonium Clarelli et marchionissam Annam de Buoi, adiecta lege, ne Vir ad alia vota transiret inconsulta Sacra Coagregatione, Mulier libere alteri Viro nupsit, et Clarellius facultatem a praefata Sacra Congregatione postulavit. Processus idcirco instructus est coram Archiepiscopali Curia Bononiensi, ad praesentem Clarelli viripotentiam penitius dignoscendam. Adsciti ad praestitutas regulas bini ex Bononiensi Licaeo salutaris artis Doctores decuriales Antonius Alexandrinius et Franciscus Rizzolius, qui seorsim ac singulatim corpus Clarelli accurate inspexerunt, declararunt primum, non posse facile absolutum ferri iudicium de aptitudine dicti Clarelli ad copulam; dein retulerunt, nihil extrinsecus apparuisse, quod gravem dubitationem de Clarelli viribus ad Matrimonii consummationem iniiceret, quum egregia corporis forma praeditus esset, et firma validaque structura partium, nihilque praeseferret, quod torporem aut frigiditatem redoleret, quare uterque arguerunt, quod oportebat eum ge-

neraliter declarare idoneum habilemque ad copulam. Nihilominus ambigi adhuc posse fassi sunt, tum quia etiam Viri omnibus bene instructi partibus corporis inhabiles quandoque ad copulam inveniuntur, tum praecipue quia reperiebant in comite Clarelli aliqua impedimenta (1), quae tamen facile removeri posse tradiderunt per chirurgicam incisionem, ad quam sustinendam paratissimum sese praebuit comes Clarellius. Tandem Oratoris corpore iterum inspecto, unanimes iuratique pronunciarunt Periti, - che rimosso un tale ostacolo, il quale rendeva incompleta e dolorosa la erezione, il lodato Signor Conte possa essere atto alla copula –. Interrogati vero iidem a Defensore Matrimonii: – An, non obstante remotione defectus procedentis ex difficultate frenuli super recisi, possit comes Clarelli esse idoneus ad coeundum, ratione habita ad debilitatem fortasse eiusdem Comitis? –, responderunt, - quod experimentis, quae ex iure fieri poterant, dominum Comitem idoneum comperiri ad coeundum, ut iisdem videtur. Indubiam autem probationem attestari minime posse –. Emus Archiepiscopus post haec ita conclusit: – In re tam difficili, in qua ipsi medicae artis Antecessores nil certi proferre queunt, arbitror, ubi ista S. Congregatio Oratori velit suffragari, tutius ac prudentius valde consonum esse conditionaliter rescribi, dummodo videlicet Orator mulierem Viduam ducat –.

272. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo liceat comiti Clarellio Matrimonium inire in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 februarii 1842 responsum dedit: – Dilata, et Emus Archiepiscopus iterum referat, deputatis duobus aliis Peritis, qui, servatis servandis, novam inspectionem conficiant corporis Viri, et iurati deponant super ipsius potentia saltem cum Vidua –. Qua de re Emus Archiepiscopus binos Medicos Antonium Cavara et Ubaldum Daveri selegit ac deputavit, ut formiter corpus comitis Clarelli inspiceret, qui, inspectione rite peracta, declararunt, laudatum comitem Clarelli debito coniugali explendo praesertim cum Vidua idoneum profecto esse. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative cum Vidua, iuxta votum Emi Archiepiscopi – *in Bononien. Matrimonii die 23 Aprilis 1842.*

273. Quum autem anceps bis haesisset resolutio Causae, in qua Mulier dispensationem super Matrimonio rato et non consummato implorabat ob Viri impotentiam, tandem Sacra Congregatio eam resolvit iuxta mentem *in Romana Matrimonii die 17 Septembris die 17 Decembris 1808 et die 21 Ianuarii 1809.*

274. Iamvero Marchio Aloisius Costaguti et Marchionissa Iulia Massimo placito utrinque amore nuptias contraxerunt die 30 septembris 1804; sed post annos duos et sex menses, exorta domestica discordia, Mulier conquesta est de impotentia Viri ad Matrimonium consummandum; adeoque a Summo Pontifice imploravit dispensationem super Matrimonio rato et non consummato. Confecto hinc processu iuxta formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione,* Mulier iuravit, Matrimonium haud fuisse consummatum propter Viri impotentiam: contra Vir iuratus affirmavit, se Matrimonium consummasse. Septima manus consanguineorum', ex utraque parte inducta, iuramento confirmavit Coniugum dicta putans, eos vera in examine dixisse. Obstetrices Margarita Telmoni Elisabeth Delci Maria Guerrini virginem declararunt Mulierem, licet membranula hymenis deficeret, cum nullum deflorationis signum inveniretur, atque defectus hymenis nihil contra virginitatem probaret. Idque confirmarunt Chirurgi De Rossi et Savetti, cum et ipsi contra mandatum corpus Mulieris inspexissent. Corpus Marchionis Aloisii inspexerunt medici Mora et Belli nec non iidem Chirurgi De Rossi et Savetti: omnes negarunt, adhibitis licet remediis, se in eo vidisse viripotentiae signa; sed Medicus Mora et Phisicus Belli eum potentem iudicarunt, ex optima conformatione partium. A iudicio Medicorum dissiderunt Chirurgi, nam De Rossi ex ipsa partium conformatione arguit, difficilem esse consummationem, quin tamen iudicare

(1) Scilicet – un' antica, ma discreta affezione de' testicoli, cioè un doppio cirsocele: e la solidità e brevità del frenulo, che unisce il prepuzio all' apertura esterna dell' uretra inducono il sospetto, che la erezione non possa essere validissima e la copula disturbata e resa difficile dal dolore svegliato dalla resistenza opposta del frenulo al totale distendimento –.

posset, an impotentia esset immedicabilis et invincibilis; et Chirurgus Savetti deduxit, quod Vir habilis esse non posset ad Matrimonii consummationem nec cum Muliere deflorata. Inde Marchio declaravit, se Matrimonium haud consummasse, atque consensum praestare, ut Uxor dispensationem a Matrimonio rato et non consummato peteret. Hinc Mulieris Defensor non consummationem Matrimonii demonstravit, ex illius iuramento et septimae Propinquorum manus, ex inspectione corporis facta a tribus Obstetricibus et duobus Peritis Chirurgis, adeoque his concurrentibus iuramentum Mulieris negantis consummationem praehabendum erat iuramento Viri, qui consummationem affirmavit, ex Cap. *Proposuisti* de probationibus, ac demum ex Testibus extraiudicialibus et declaratione eiusdem Viri. Legitimam autem esse causam dispensationis sustinuit moralem probabilitatem impotentiae Viri, quin locus esse posset experimento triennali, quia Coniuges fere per triennium inutiliter cohabitarunt. Multa ex adverso Defensor Matrimonii ex officio protulit, ut validum declararetur Matrimonium, nec dispensatio concederetur.

275. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 septembris 1808 respondit: – Iterum proponatur post quas –. Repropositis tamen dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 17 decembris 1808 pariter respondit: – Iterum proponatur cum iisdem –. Demum repropositis praefatis dubiis, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad mentem – *in Romana Matrimonii die 21 Ianuarii 1809.*

276. Hinc etiam relativa coeundi impotentia, ob unius Coniugis animi aversionem erga alterum, causa sufficiens pro dispensatione esse videtur, ex sententia divi Thomae in quart. sent. dis. 34 quaest. 1 art. 4, Turrecremat. super Decret. Gratian. caus. 35 quaest. 1 art. 4 n. 13, et Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 92 n. 13 *in Romana seu Reatina Nullitatis Matrimonii die 1 Februarii 1766* §. *Adeoque.*

Item *in Catanen. Dispensationis Matrimonii die 26 Augusti 1820* §. *Ad causam; in Neapolitana Dispensationis die 27 Iulii 1822* §. *Iustam; in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Quod; in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1833* §. *Unus.*

277. Impotentia enim relativa nedum ad dispensationem impertiendam, sed et ad nullitatem Matrimonii renunciandam satis est, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 93 n. 3, Perez de matrim. disp. 37 sect. 5 n. 1 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Quod.*

278. Unde ad Matrimonium dispensandum, Mulieris arctitudo, quae humano modo superari non possit, probanda est *in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 26 Februarii 1825* §. *Quod.*

279. Qua de re Sacra Congregatio, quum dubia adhuc esset impotentia reciproca, ob Mulieris arctitudinem, nec certa probatio de non sequuta Matrimonii consummatione, primum dixit, esse locum triennali experimento, deinde nedum validum declaravit Matrimonium, sed et renuit concedere dispensationem, demum vero quum Mulier pendente cognitione Causae transierit ad secunda vota, et satis probata videretur non consummatio, accedente utriusque Coniugis consensu et relativa impotentia, resolvit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato, monita tamen Muliere, ut consuleret conscientiae suae *in Forolivien. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 20 Septembris 1817 die 16 Decembris 1820 et die 30 Martii 1822.*

280. Siquidem post initum in faciem Ecclesiae Matrimonium die 15 octobris 1808 comitissa Livia Colombani et comes Antonius Albicini domesticam coniunctissimamque vitae consuetudinem retinuerunt, simul cohabitantes et condormientes usque ad diem 12 iulii 1816, quo die stipulato instrumento separationi tori invicem consenserunt, ex capite relativae impotentiae, ac inde iurantes, se Matrimonium non consummasse, exorarunt, ut vel nullitas Matrimonii declararetur, vel eisdem impertiretur dispensatio super Matrimonio rato et non consummato. Confecto processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Episcopus Foroliviensis die

3 iulii 1816 sententiam protulit super nullitate Matrimonii, ex capite perpetuae relativae et reciprocae impotentiae. Provocante Defensore Matrimonii, a Summo Pontifice impertita est facultas disputandi etiam dubium super dispensatione. Praedicta itaque impotentia probari videbatur, ex unisona confessione Coniugum, qui iurati affirmabant, per quadriennium inutili conatu rei uxoriae operam dederunt, ex relatione Obstetricum et Peritorum, qui virginem invenisse affirmarunt comitissam Colombani, et eam ita arctam, ut impediente quadam prominentia carnea in osculo vaginae penetrari non posset, et ex relatione Chirurgi et Medicorum, qui Virum potentem quidem renuntiarunt, sed non ita validum, ut superare valeret Mulieris arctitudinem, quin incisioni locus esse posset, cum Periti iudiciales profiterentur, id fieri non posse sine gravi incommodo, nec experimento triennali, cum iam per quadriennium rei maritali inutili successu operam dederant. Hinc stante non consummatione Matrimonii, locus esse videbatur dispensationi, cum iusta causa haberetur, ex impotentia respectiva a Peritis approbata. Defensor Matrimonii vero refutavit argumenta deducta, ad demonstrandam respectivam impotentiam. Iuramentum utriusque Coniugis suspectum dixit, tum ex longo silentio a Coniugibus servatum per quadriennium, tum ex summa animi coniunctione, qua Coniuges simul vixerunt, tum tandem ex tam sero mota nullitatis querela. Signa autem, deducta ex inspectione utriusque Coniugis, potius Viri potentiam, quam impotentiam, vel saltem dubiam probationem praeseferre contendit. Namque Periti viderunt in Viro potentiae signa, et ipsa Coniux fassa est seminis effusionem: prominentia, ex qua Mulier arcta erat, reperta fuit *cadente distraibile,* facto a Peritis experimento; in Muliere reperta fuit via non impervia, sed usque ad certum terminum patefacta. Idcirco exulare videbatur impotentia respectiva: quin imo si dubia tantum censeretur, vel incisioni Mulieris, vel experimento triennali locus esse deberet, non vero dispensationi, cum intra quadriennium saltem possibilem dixit consummationem, quae etiam non aperto muliebri claustro per attractionem fieri poterat.

281. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et esse locum triennali experimento – *in Forolivien. Nullitatis Matrimonii die 20 Septembris 1817.*

282. Dum haec in Urbe agebantur, comitissa Livia, mortuo anno 1817 Patre, Mediolanum petiit, comitante Austriaco Duce Hook, cum quo novum matrimonii foedus inire praesumpsit die 9 iulii eiusdem anni, scilicet ultra bimestre, antequam Causa nullitatis, vel dispensationis in Sacra Congregatione definiretur. Tanta rei novitate haesit in suo cursu Causa: sed inde ex speciali causa Summus Pontifex indulsit comiti Albicini, cui iam concessum fuerat novae audientiae beneficium, ut fieret formale examen Testium noviter inducendorum, qui prius a praedicto Comite deinde a Comitissa inducti fuerunt, ut nunquam sequutam probarent consummationem. Quos inter Testes extiterunt praesertim Sacerdotes, qui a confessionibus Comitissae erant etiam dum coniunctam cum Comite vitam ducebat, quique deposuerunt ex ore illius et Viri de non sequuta consummatione. Repropositis vero dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, ad primum et secundum, Negative –*in Forolivien. Nullitatis Matrimonii die 16 Decembris 1820.*

283. Provinciam nullitatis Matrimonii comes Albicini deserens, silente Muliere, totus institit, ut dispensatio concederetur: nam constare contendit non consummationem, ex pluries repetito utriusque Coniugis iuramento, quod ab omni suspicione purgavit, cui adstipulabatur septima manus Propinquorum utriusque Coniugis, et ex repetitis Mulieris confessionibus ante separationem a Viro, quibus fastigium imposuit declaratio facta in ipsa separatione, quod Matrimonium non esset consummatum, ac tandem ex inspectione corporis comitissae Liviae, quam Obstetrices et Periti Virginem declararunt. Iustam vero causam dispensationis constituit in mutuo

Coniugum consensu eo tempore praestito, quo uterque de novis ineundis nuptiis non cogitabant, et in relativa impotentia, quae irritos reddidit tot annorum conatus, ad assequendam Matrimonii consummationem. E contra Defensor Matrimonii suspectum dixit utriusque Coniugis iuramentum, contra quod pugnabat praesumptio iuris, petita tum ex longa cohabitatione, tum ex serius delata non consummationis querela; Peritorum relationibus non ita esse deferendum contendit, ut eorum iudicio de virginitate esset acquiescendum, sed ex signis, quae in corporis inspectione inventa fuerunt, constituendam esse indubiam virginitatis probationem, unde conclusit, ex ipsis Peritorum relationibus dubiam adhuc remanere comitissae Liviae virginitatis probationem. Exclusa autem certitudine non consummationis, inutilem dixit inquisitionem causarum ad exorandam dispensationem. Addidit, consensum utriusque Coniugis in vitiosum redire circulum, quia ex hoc eodem consensu petebatur probatio non consummationis et causa dispensationis. Dubiam renuntiavit alteram causam impotentiae respectivae, perniciosissimam tertiam adulterii. His utrinque perpensis, repropositis dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum in primo, vel in secundo loco decisis in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, recedendum a decisis, et consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato; et moneatur comitissa Livia Colombani de incursu in poenis canonicis, ut consulat conscientiae suae – *in Forolivien. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 30 Martii 1822.*

284. At sufficere dubium, ne impotentia relativa admittatur, docent Leurenius in ius can. lib. 4 Decret. tit. 15 quaest. 49 n. 2, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 113 n. 10, Rota in Romana Nullitatis Matrimonii 25 iunii 1781 coram Boianne *in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Contra.*

285. Praeterea quatuor a Corrado in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 n. 27 adsignantur potiores causae dispensandi a Matrimonio rato: – Prima, notabilis disparitas in qualitate, videlicet quando contrahentes sunt notabiliter conditione impares et affectione caeca et levitate quadam ducti contrahunt Matrimonium. Secunda, est gravis timor magni futuri scandali. Tertia est lepra. Quarta, quando alter Coniugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi – *in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 26 Aprilis 1788* §. *Quatuor.*

286. Siquidem praeprimis iusta censetur causa dispensationis disparitas qualitatum nobilitatis institutionis et pietatis, iuxta monitum Sacrae Rotae coram Olivatio decis. 574 n. 4, et Doctores communiter: disparitas enim arcet amicitiam, quae est beatitas vitae in communione ducendae, ut ad rem perpendit Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 34 n. 2 *in Parisien. seu Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* §. *Post.*

287. Quod etiam gravis scandali timor iusta sit dispensationis concedendae causa, tum ob privatum, tum etiam ob publicum bonum, omnes tradunt Doctores, ceu Felin. cons. 26 n. 19, Menoch. de praesumpt. lib. 1 praesumpt. 10 n. 2, et cons. 385 n. 7, De Iustis lib. 2 cap. 10 n. 21 et 22, Sanchez de matrim. disp. 16 lib. 2 n. 13 *in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853* §. *Gradum.*

Item *in Camenecen. Matrimonii die 29 Aprilis 1854* §. *Ubi.*

288. Contra gratia dispensationis concedi non debet, ex qua oriatur scandalum; imo Episcopus ex officio debet impedire Matrimonium contrahendum –, si de scandalo graviter metuat, quamvis pro executione dispensationis omnia fuerint probata –, ceu docet Corradus in prax. dispens. lib. 8 cap. 6 n. 63 *in Lunen. Sarzanen. Nullitatis Matrimonii die 22 Iunii 1833* §. *Haec.*

289. Nedum inde lepra, sed et insania Mulieris tempore initi Matrimonii et continuata sine spe alicuius resipiscentiae, repugnantia maritalibus amplexibus, et graveolentia intolerabilis, cum impediant finem Matrimonii, iustam praebent causam dispensationis Matrimonii rati non consummati, Can. *Quod proposuisti* 32 quaest. 7; ibique Barbos. n. 2, Abbas in Cap. *Fraternitatis* et in Cap. *Ex literis* de frigidis, Ursaya tom. 3 part. 2 discep. 21 n. 99 *in Corduben. Dispensationis die 20 Septembris 1760* §. *Causas.*

290. Demum Soccinus senior cons. 28 n. 6 et 7 lib. 1, Felinus consil. 26 n. 21, Menochius de praesumpt. lib. 2 praesumpt. 19 n. 45, et cons. 585 n. 12 putant quidem, sufficientem esse causam ad dispensandum, si Vir asserat, se fuisse deceptum, nec habuisse animum contrahendi et se efficaciter obligandi; sed eam tamquam ineptam reiecit Card. Lancellottus in quodam suo voto in Hispalen. Dissolutionis Matrimonii transcripto apud Ursayam discept. 21 tom. 3 part. 2 n. 70 et 71, ea ratione, quia haec assertio Coniugis non est admittenda, uti improbabilis, vel si admitteretur, Matrimonium esset nullum ex defectu consensus, et sic vana esset dispensatio. At Sanchez de Matrim. lib. 2 disp. 16 n. 7 praedictam causam iustam et sufficientem reputat, quando Vir nullo modo induci possit ad praestandum verum consensum: – Quarta causa est, quando alter Coniugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi; sic Soccinus senior etc. Quod credo verum, quando nullo modo induci possit, ut praestaret verum consensum, ita ut ex eo Matrimonio tam coacto graves inimicitiae orirentur –; et in iisdem terminis sequitur De Iustis de dispens. lib. 2 cap. 10 n. 25 *in Chien. die 12 Martii 1729* §. *Tres* §. *At.*

291. Iusta hinc causa ad dispensandum censetur, quando Vir nullo modo induci potest ad praestandum verum consensum et ad cohabitandum cum Uxore, immo expresse protestatur, se illico derelicturum illam fore, si ad cohabitandum cogeretur: quae causa praecipue, si cum illa praccedenti concurrat, sufficientissima iudicatur pro dispensatione a Sanchez et De Iustis; et in fortioribus terminis, quod aversio et discordia Coniugum irreparabilis et sine probabili spe reconciliationis sit causa rationabilis dispensandi, accedente praesertim consensu utriusque, ad effectum evitandi maiora scandala aliaque mala, docent Caietan. in opusc. tom. 1. tract. 28 de matrim. quaest. unica, Felin. cons. 26, Ancharan. cons. 239 n. 4, Bertrand. cons. 218 tom. 5, Purpurat. cons. 457 n. 7 et 9, et Card. Lancellott. in dicto voto, ubi plures alios adducit. Nam stante dicta assertione et credulitate Viri, se non remansisse obligatum in huiusmodi contractu, nec non eiusdem pertinacia in non praestando verum consensum, periculosum summopere esset eum adstringere ad cohabitandum cum Uxore, ne, vera existente sua assertiva super consensu ficto, in foro saltem interno praeberetur occasio committendi adulterium, ideoque Theologi sunt in sensu, quod in hoc casu Praelatus hoc iubere non debeat, ut docet supplement. divi Thom. quaest. 45 art. 4, Ledesm. de matrim. part. 3 quaest. 45 art. 4 dub. 2, et Layman Theolog. moral. lib. 5 tract. 10 part. 2 cap. 6. Ac in his circumstantiis ad evitanda haec mala forsan eventura, et ne Mulier cogatur perpetuo expectare, iusta videretur dispensatio, ut ponderant Ancharan. cons. 239 n. 4, Card. Lancellott. in dicto voto, De Iustis de dispens. lib. 2 cap. 10 n. 25 et 26, et concordat Sanchez in dicta disp. 16 n. 3 et 4 *in Chien. die 12 Martii 1729* §. *Altera.*

292. Idcirco quum Coniuges eorumque Parentes Testes ac publica opinio excluderent Matrimonii consummationem, atque gravissimae urgerent circumstantiae, quod Matrimonium ob reluctantiam Mulieris, asserentis nullum Matrimonium ob consensus defectum, utpote vi ac metu ad illud ineundum quodammodo coactae, consummatum non fuerit, nec non iustae existerent causae dispensationis, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi Matrimonii rati et non consummati, etiamsi exploratio corporis Mulieris non praecessisset *in Camenecen. Matrimonii die 29 Aprilis 1854.*

293. Iamvero Odoardus Mochlinscki et puella Elisabeth Novicka in Oppido Niemirow Camenecensis Diaeceseos post inita sponsalia die 5 februarii 1846 in faciem Ecclesiae Matrimonium contraxerunt. Paterna relicta domo, in Viri manum convenit Mulier; ast altero post nuptias mense necdum elapso maritale consortium deserens, paternos repetiit lares. Continuo die 17 aprilis Vir Matrimonii dissolutionem efflagitavit, cuius exemplum confestim Mulier sequuta est, quae postulavit, ut Matrimonium nullum ex defectu consensus, utpote ex vi metuque contractum, declararetur. Consistorium per Vicárium Capitularem preces ad S. Sedem remisit, ut, ad tollendas graves discordias evitandave scandala, eorum Matrimonium ratum et non consummatum de speciali gratia dissolvere dignaretur. Demandata itaque confectione pro-

cessus ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione* super causis adsertae nullitatis non sequuta consummatione ac de causis dispensationis, constitit de antecedenti Mulieris aversione ac reluctantia ab huiusmodi Matrimonio contrahendo, nec non de indignatione ac horrore, quo subinde sic percita fuit, ut nec eum coram alloqui pateretur, ac maritalem domum ingressa, in secreto cubiculo, obtrusis foribus, latitaverit, cum Matre semper cubaverit, ac post breve temporis spatium ad paternam domum sese restituerit. Consummationem negarunt etiam uterque Coniux Parentes Testes ac ipsa publica opinio, quum ea nullo modo adduci potuerit, ut debitum Matrimoniale redderet. Hinc et odium ac dissociatio animorum, periculum scandali in violenta coniunctione, nec non disparitas conditionis atque aetatis concurrebant. Nam Vir, cum Matrimonium celebratum fuit, triginta septem, Mulier vix decem et septem numerabat annos. Ille patriciae erat conditionis, dignitate divitiis ac gratia inter suos valde potens, et summa in aestimatione habitus; haec vero humili loco nata ac omnibus fortunae bonis destituta, quod potissimum causae fuit, ut Parentes eius omnem moverit lapidem, ut huiusmodi nuptias conciliarent, ex quibus futuram sibi prosperitatem auspicabantur. Hisce omnibus acriter obstitit Sacramenti Vindex contendens, Matrimonium esse validum, cum gravis metus haud existeret; nullam in themate proferri causam, quae iusta esset ac rationabilis, ad dispensationem obtinendam. Nam rebellis et obstinata Mulieris voluntas non reddendi debitum coniugale iusta haud erat causa dispensationis, sed summam potius iniustitiam redolebat: disparitas aetatis gravem ingerere non poterat aversionem, quae tamen, licet reapse gravis, iustam haud praebebat causam. Nec scandalum oriri poterat: Vir enim, bonis moribus ac optimis qualitatibus praeditus, Mulierem facti poenitentem benigno hilarique vultu excipere haud renuebat. Deesse etiam probationem de non sequuta consummatione praefatus Matrimonii Defensor sustinuit, cum inspectio corporis Mulieris desideraretur, et praesumptio iuris et de iure, ob cohabitationem et potentiam coeundi, valde urgebat pro consummatione sequuta.

294. His utrinque perpensis, psoposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit validum Matrimonium, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Camenecen. Matrimonii die 29 Aprilis 1854.*

295. Hinc Sacra Congregatio censuit etiam, consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato, ex eo quod Mulier causa metus per Matrem incussi Matrimonium contraxerat, unde aversio et odium inter Coniuges fervebat, illudque propterea nunquam consummavisse tam ipse, quam Vir iuraverat, ac Periti eam virginem declaraverant *in Camenecen. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 27 Augusti 1859.*

296. Siquidem nobiles Familiae Polonae Komar et Przezdieziecki, etsi propinquitate coniunctae, inimicitia veteri disiungebantur. Studiosa reconciliationis Pelagia uxor Alexandri Komar in id consilii descendit, ut filiam suam Honorinam annos decem septemque natam Miecislao Przezdieziecki, qui satis erat aetate gravis, in Matrimonium collocaret. Ut igitur Honorinae, quae ab huiusmodi Coniugio abhorrebat, voluntatem flecteret, non modo hortationes et suasiones, sed graviores etiam adhibuit modos, veluti minas derelictionis, eiectionis e domo, denegandae maternae benedictionis. Nuptiae tandem contractae fuerunt die 24 octobris 1851, quin tamen Puella in domum Viri deducta proclivior erga ipsum efficeretur. Imo arrepta eius absentiae occasione, aufugit ineunte martio 1855, cum Mater excessisset e vita. Tunc statim adiens Vicarium Generalem Diaecesis Lublinensis postulavit, ut Matrimonium a se contractum absque libero consensu, sed per vim et metum a Matre illatum, nullum declararetur, vel saltem obtineretur dispensatio super eodem rato et non consummato. Verum Consistorium Lublinense censuit, Causam agendam esse in loco domicilii Miecislai, nempe penes Consistorium Camenecense, ad quod acta vix inchoata missa fuerunt. Hisce porro ad exitum rite perductis, et cognita virginali Honorinae integritate per iuratam eius et Viri fidem nec non per iudicium Peritorum, Con-

sistorium Camenecense sua sententia definivit, non constare de Matrimonii nullitate, sed esse locum petendae dispensationi super eodem rato et non consummato. Defensor Honorinae sustinuit, nullum esse Matrimonium, nihilominus addidit, dubitari non posse, quin Summus Pontifex dispensare soleat, cum adsit iusta causa et Matrimonium sit tantummodo ratum et non consummatum. Idcirco etsi validum renunciaretur, dissolvendum esse censuit ope dispensationis, cum uterque Coniux iuravit, nunquam illud fuisse consummatum. His insuper accedebant aliae vehementissimae coniecturae, quae ex invincibili aversione Honorinae eiusque constanti resistentia Marito scatebant, nec non Peritorum iudicium, qui indubia signa virginitatis comperierunt. Quoad causas dispensationis, in promptu erant ipsa saltem dubietas de Matrimonii validitate, discordia Coniugum, maxima aversio unius ab altero, timor gravissimi scandali, et periculum spirituale. In contrariam partem Matrimonii Defensor ex officio contendit, validum esse Matrimonium, cum gravis metus procul abesset. Hinc et dispensationem denegandam esse sustinuit, cum deesset certa probatio de non consummato Matrimonio. Exploratum enim esse dixit ex una parte, diu Coniuges sub uno tecto cohabitasse, ex altera non coarctari per Testes ad omne tempus nocturnam eorum diurnamque separationem. Advertit insuper, ex iudicio Peritorum non posse obtineri plenam hac de re probationem, quia signa virginitatis communiter reputantur incerta, praesertim si inspectioni balneum non praecesserit cum aliis cautelis a Sacra Congregatione praescriptis et confirmatis anno 1840 (1). Iustam etiam causam dispensationis

(1) Iamvero Sacra Congregatio die 22 augusti 1840 hanc edidit instructionem pro confectione processus in Causis Matrimonialibus: – Cum moneat Glossa (in cap. fin. de frig. et malef.), in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (de matrim. lib. 7 disp. 107) et Card. Argenvilliers (in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5 vol. ult. n. 16), plura hinc a Sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur S. M. Bened. XIV (in Constit. Dei Miseratione) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, Iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte, et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta SS. Canones, citatam S. M. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem Instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo, sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. (sess. 24 cap. 20 de ref. §. ad haec), ac etiam a S. M. Bened. XIV (in cit. Constitut. Dei miseratione §. 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate Matrimonii, Episcopus Iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel Iudex delegatus citari mandavit Defensorem Matrimonii, quatenus in Curia Episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit, iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitut. S. M. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris Matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem Matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic Defensor Matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda illo postulante ex Iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio Iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

deesse advertit, cum non ageretur de tali metu, ex quo saltem vaccillare videretur validitas Matrimonii, nec magnum nobilitatis discrimen; nec timor scandali, nec periculum incontinentiae, nec aversio unius ab altero, nec odium ullatenus existeret, attenta Viri et Mulieris religione.

297. His utrinque perpensis, propositis

Cum itaque advenerit statuta dies pars nullitatem Matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram Iudice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

Interim dum pars erit examinanda ipse Cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a Iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Iudice vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine Cancellarius leget clara, et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Crucis; dein Iudex et Defensor validitatis Matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter Coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus Coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma, quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius Coniugis, qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius Coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout Defensor Matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere, ad formam Text. (*in Cap. Literae Vestrae de frig. et malef.*). Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor Matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine, vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis Coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius Coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii citandus erit alter Coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant: seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis. Defensor Matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit Coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad Civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam Defensoris Matrimonii erunt ab Episcopo illius Diaecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata S. M. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis Matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim, quando initum fuerit Matrimonium; utrum inter Coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo, vel Civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde Matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in Matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti Physici, quos Coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit Matrimonium, si Coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis Coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim Defensore Matrimonii.

dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative – *in Camenecen. Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 27 Augusti 1859.*

298. Itaque quum uterque Coniux de non

Iudex praefiget terminum tam utrique Coniugi, quam Defensori Matrimonii ad exhibendas notulas Peritorum Medicorum et Chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque Coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, Iudex eliget quinque Peritos, tres scilicet Medicos, et duos Chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus Civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem, et honestatem, atque his Peritis facultatem dabit recognoscendi corpus Viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam, et locum destinabit, in quibus Periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent Iudex, Defensor Matrimonii, Cancellarius ac Periti. Singuli ex Peritis, ac seorsim corpus Viri inspicient ea, qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione, et relatione haec praecipue investiganda, et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis ac praecedens Matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa et sigillata, super quibus fieri debet examen Peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum Peritorum eadem die perfici nequiverit, Iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex Peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, Iudex, Defensor validitatis Matrimonii, et Cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis Mulieris. Iudex, ut supradictum est de Peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem Peritis unc Medico, et altero Chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die Mulier erit traducenda ad domum honestae Matronae pariter a Iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus Matrona et Obstetricibus, statim, ne ullum spatium, aut momentum temporis Mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi, utrum Mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum Peritis, ut supra ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae Obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii. Deinde formali examine erunt subiiciendi Periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab Obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Iudice, factisque subscriptionibus ab Eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem Coniugibus eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori Matrimonii post Processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi Causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. saepius citatam *Dei miseratione.*

sequuta consummatione Matrimonii iuraverint, idque confirmaverint septima Propinquorum manus et feminae, non quidem Obstetrices, sed examussim instructae, quae corpus Uxoris inspexerunt, et cum Medico et Chirurgo virginem et intactam iudicarunt, Sacra Congregatio concurrentibus legitimis causis, scilicet mutuus Coniugum consensus, internus dissensus Mulieris, quando nuptias contraxit, animorum alienatio et scandala, quae oriri poterant, declaravit, consulendum esse Summo Pontifici pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati *in Aurien. Dispensationis die 19 Decembris 1818 et die 6 Martii 1819.*

299. Enimvero postquam tribus sententiis validum declaratum fuerat Matrimonium initum die 1 iunii 1805 a Laurentia Grande cum Benedicto Cotilla, dispensationem ab ipso Matrimonio rato et non consummato, quam usque ab initio sibi praeservaverat Laurentia, a Summo Pontifice exoravit intra terminum in praedictis sententiis constitutum. Extructo processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Mulier ac Vir pluries iurarunt, se Matrimonium haud consummasse, quibus adstipulata est septima utriusque Propinquorum manus, aliqui tamen Testes non erant Mulieris propinqui, quia totidem in Auriensi Civitate eiusve Provincia Castiliae non reperiebantur. Tres Feminae, quae publice Obstetriciam artem non exercebant, sed solitae erant parientium necessitati opem ferre, praevia earum instructione a medicae et chirurgicae artis Professoribus, unanimi iudicio eam virginem et intactam iudicarunt, nec non idipsum confirmarunt Medicus et Chirurgus, qui earum relationem exceperunt. Causae autem dispensationis constituebantur in mutuo Coniugum consensu, cui adstipulabantur internus Laurentiae dissensus, cum nuptias contraxit, irreconciliabilis animorum alienatio, et scandala, quae oriri poterant, nisi per Apostolicam dispensationem succurreretur. At Matrimonii Defensor advertit, suspectum esse utriusque Coniugis iuramentum de non sequuta consummatione, quia eorum concordia collusionis suspicionem inducebat, cum praesertim in ceteris rebus Vir et Uxor pugnarent inter se quoad circumstantias, quae praecesserunt concomitarunt et subsequutae sunt Matrimonium. Unde sustinuit, nullam promereri fidem etiam in facto non sequutae consummationis ex eo potissimum Coniuges, quia ipsos de mendacio et periurio in ceteris reprehendi posse arbitrabatur. Nullam hinc fere vim habere poterant Testes septimae manus, cum de sola credulitate deponerent, ac praesertim plures esse reiiciendos ob illorum exceptiones putavit. Totus inde fuit Matrimonii Defensor, ut incertitudinem ac fallaciam explorationis, quam Obstetrices peragunt, demonstraret, praesertim in Laurentia, quae trigesimum septimum iam attigerat annum, quaeque tredecim ab illinc annis a quovis virili amplexu abstinuit, ac eo vel magis, quod Mulieres illae Obstetriciam artem non exercebant, et nonnisi triduo ante a Professoribus ignotam sibi scientiam didicerunt. Impugnavit deinde, mutuum Coniugum consensum legitimam praebere causam dispensandi nec per se solum, nec etiam iunctis levissimis aliis causis, quas in sui praesidium Laurentia quaesivit.

300. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio die 19 decembris 1818 respondit: – Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis – *in Aurien. Dispensationis die 6 Martii 1819.*

301. Qua de re Sacra Congregatio, quum ageretur de nullitate Matrimonii metu initi a Theresia Bianchi cum Aloisio Bonelli, nullum quidem illud dixit, prout iam nullum renun-

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si haec Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt Coniuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione.* Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mediante Cancellario –.

tiaverat Curia Episcopalis Lunensis Sarzanensis, sed et simul declaravit, locum esse dispensationi saltem ad cautelam, etiamsi praefata Puella eam haud efflagitasset; proposito enim dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro dispensatione saltem ad cautelam super Matrimonio rato et non consummato – *in Lunen. Sarzanen. Nullitatis Matrimonii die 22 Iunii 1833.*

302. Quin imo Sacra Congregatio validum quidem declaravit Matrimonium, quod nullum Mulier renunciabat ob consensus interni defectum et ob metum reverentialem per Parentes incussum, sed attentis ipsius vitae integritate, acerrima animi abalienatione in Virum, iuramento utriusque Coniugis de non subsequuta Matrimonii consummatione, ac septimae ex utraque parte Propinquorum manus nec non Obstetricum, quae unanimiter eam virginem proclamarunt, dispensationem a Matrimonio rato et non consummato indulsit, etiamsi iidem concorditer eam petentes simul per plures menses cohabitaverint et per tres aut quatuor noctes eodem in lecto condormierint *in Veronen. et Vicentina Matrimonii die 7 Augusti 1847 et die 29 Ianuarii 1848.*

303. Enimvero Maria Bellati Vicentina die 21 maii 1843 rite nupsit Francisco Boari Veronensi: sed paucos post menses irritum dixit Matrimonium, ob consensus internum defectum et ob metum reverentialem iniuste sibi a Parentibus incussum, vel saltem dissolvendum, ob nunquam expletam coniugalem copulam. Datae sunt itaque Veronensi Antistiti literae a Sacra Congregatione, quibus demandabatur, ut, servata in substantialibus forma Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione*, meliori, quo fieri posset, modo, processum conficeret, adstante Viro ecclesiastico, qui Sacramenti vindicias assumeret; leges enim imperiales vetabant formale processum confici hisce in Causis penes Forum ecclesiasticum. Hinc formale examen Coniugum ac utriusque septimae manus Propinquorum et Vicinorum bonae famae expletum est, omissa tamen Mulieris inspectione, quae ipsius pudore et verecundia renitentibus obtineri nequivit. Mulier iuramento firmavit, secundum haud consensum internum praestitisse in actu celebrationis Matrimonii et externum vix protulisse ob metum reverentialem Parentum, sed nec inde Matrimonium huiusmodi ullatenus consummare voluisse. Vir pariter iureiurando dixit, Matrimonium haud fuisse consummatum; quibus accessit ex utraque parte septima Propinquorum manus, qui dicta Coniugum confirmarunt. Mulier igitur contendit, Matrimonium esse nullum atque irritum, ob consensus interni defectum et ob metum reverentialem, et, quatenus validum censeretur, locum esse dispensationi Matrimonii rati et non consummati. Nam etiam Episcopus, attentis integritate morum ac vitae Puellae, acerrimo eiusdem ingenio in resistendo ad copulam, quam Vir enixe petebat, aliisque huiusmodi circumstantiis, censuit, Matrimonium non fuisse consummatum, et dispensationem concedendam, cum tanta esset animi abalienatio, ut sperari non posset conciliatio. Matrimonii Defensor contra sustinuit, Matrimonium esse validum, nec dispensationem indulgeri posse, cum illud fuerit consummatum. Nam Coniuges simul cohabitarunt et plures noctes condormierunt in eodem lecto, sive in prima vice post contractum Matrimonium, sive in altera, quando Mulier valetudine recuperata reditum fecit in domum Viri. Id luculentius fiebat ex morbo Viri *discrasia scrofolosa,* quae in medicina acrem parit sagacitatem; et idcirco duo Medici Veronenses, qui Virum de illo morbo curaverant, testati sunt, *che siccome scrofoloso, ha sommo bisogno di moglie.* Insuper augebatur praesumptio vehementissima consummationis, ex eo quod cohabitatio et condormitio, quae post tres aut quatuor noctes a contracto Matrimonio suspensa fuerat, ob Mulieris infirmitatem, quae idcirco Vincentiam remeaverat ad patrios lares, deinde post tres circiter menses redintegrata fuit, et Mulier e Vincentia iterum, licet invita, Veronam petiit ad maritale consortium. Accedebat demum silentium et serotina reclamatio, nec non defectus explorationis corporis Mulieris, quae necessaria erat, ut virginitatem ceteris adiunctis adminiculis probare posset.

304. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non

sequuta consummatione Matrimonii iuraverint, idque confirmaverint septima Propinquorum manus et feminae, non quidem Obstetrices, sed examussim instructae, quae corpus Uxoris inspexerunt, et cum Medico et Chirurgo virginem et intactam iudicarunt, Sacra Congregatio concurrentibus legitimis causis, scilicet mutuus Coniugum consensus, internus dissensus Mulieris, quando nuptias contraxit, animorum alienatio et scandala, quae oriri poterant, declaravit, consulendum esse Summo Pontifici pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati *in Aurien. Dispensationis die 19 Decembris 1818 et die 6 Martii 1819.*

299. Enimvero postquam tribus sententiis validum declaratum fuerat Matrimonium initum die 1 iunii 1805 a Laurentia Grande cum Benedicto Cotilla, dispensationem ab ipso Matrimonio rato et non consummato, quam usque ab initio sibi praeservaverat Laurentia, a Summo Pontifice exoravit intra terminum in praedictis sententiis constitutum. Extructo processu ad formam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* Mulier ac Vir pluries iurarunt, se Matrimonium haud consummasse, quibus adstipulata est septima utriusque Propinquorum manus, aliqui tamen Testes non erant Mulieris propinqui, quia totidem in Auriensi Civitate eiusve Provincia Castiliae non reperiebantur. Tres Feminae, quae publice Obstetriciam artem non exercebant, sed solitae erant parientium necessitati opem ferre, praevia earum instructione a medicae et chirurgicae artis Professoribus, unanimi iudicio eam virginem et intactam iudicarunt, nec non idipsum confirmarunt Medicus et Chirurgus, qui earum relationem exceperunt. Causae autem dispensationis constituebantur in mutuo Coniugum consensu, cui adstipulabantur internus Laurentiae dissensus, cum nuptias contraxit, irreconciliabilis animorum alienatio, et scandala, quae oriri poterant, nisi per Apostolicam dispensationem succurreretur. At Matrimonii Defensor advertit, suspectum esse utriusque Coniugis iuramentum de non sequuta consummatione, quia eorum concordia collusionis suspicionem inducebat, cum praesertim in ceteris rebus Vir et Uxor pugnarent inter se quoad circumstantias, quae praecesserunt concomitarunt et subsequutae sunt Matrimonium. Unde sustinuit, nullam promereri fidem etiam in facto non sequutae consummationis ex eo potissimum Coniuges, quia ipsos de mendacio et periurio in ceteris reprehendi posse arbitrabatur. Nullam hinc fere vim habere poterant Testes septimae manus, cum de sola credulitate deponerent, ac praesertim plures esse reiiciendos ob illorum exceptiones putavit. Totus inde fuit Matrimonii Defensor, ut incertitudinem ac fallaciam explorationis, quam Obstetrices peragunt, demonstraret, praesertim in Laurentia, quae trigesimum septimum iam attigerat annum, quaeque tredecim ab illinc annis a quovis virili amplexu abstinuit, ac eo vel magis, quod Mulieres illae Obstetriciam artem non exercebant, et nonnisi triduo ante a Professoribus ignotam sibi scientiam didicerunt. Impugnavit deinde, mutuum Coniugum consensum legitimam praebere causam dispensandi nec per se solum, nec etiam iunctis levissimis aliis causis, quas in sui praesidium Laurentia quaesivit.

300. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio die 19 decembris 1818 respondit: – Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis – *in Aurien. Dispensationis die 6 Martii 1819.*

301. Qua de re Sacra Congregatio, quum ageretur de nullitate Matrimonii metu initi a Theresia Bianchi cum Aloisio Bonelli, nullum quidem illud dixit, prout iam nullum renun-

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si haec Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt Coniuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione.* Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario –.

tiaverat Curia Episcopalis Lunensis Sarzanensis, sed et simul declaravit, locum esse dispensationi saltem ad cautelam, etiamsi praefata Puella eam haud efflagitasset; proposito enim dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro dispensatione saltem ad cautelam super Matrimonio rato et non consummato – *in Lunen. Sarzanen. Nullitatis Matrimonii die 22 Iunii 1833.*

302. Quin imo Sacra Congregatio validum quidem declaravit Matrimonium, quod nullum Mulier renunciabat ob consensus interni defectum et ob metum reverentialem per Parentes incussum, sed attentis ipsius vitae integritate, acerrima animi abalienatione in Virum, iuramento utriusque Coniugis de non subsequuta Matrimonii consummatione, ac septimae ex utraque parte Propinquorum manus nec non Obstetricum, quae unanimiter eam virginem proclamarunt, dispensationem a Matrimonio rato et non consummato indulsit, etiamsi iidem concorditer eam petentes simul per plures menses cohabitaverint et per tres aut quatuor noctes eodem in lecto condormierint *in Veronen. et Vicentina Matrimonii die 7 Augusti 1847 et die 29 Ianuarii 1848.*

303. Enimvero Maria Bellati Vicentina die 21 maii 1843 rite nupsit Francisco Boari Veronensi: sed paucos post menses irritum dixit Matrimonium, ob consensus internum defectum et ob metum reverentialem iniuste sibi a Parentibus incussum, vel saltem dissolvendum, ob nunquam expletam coniugalem copulam. Datae sunt itaque Veronensi Antistiti literae a Sacra Congregatione, quibus demandabatur, ut, servata in substantialibus forma Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione,* meliori, quo fieri posset, modo, processum conficeret, adstante Viro ecclesiastico, qui Sacramenti vindicias assumeret; leges enim imperiales vetabant formale processum confici hisce in Causis penes Forum ecclesiasticum. Hinc formale examen Coniugum ac utriusque septimae manus Propinquorum et Vicinorum bonae famae expletum est, omissa tamen Mulieris inspectione, quae ipsius pudore et verecundia renitentibus obtineri nequivit. Mulier iuramento firmavit, secundum haud consensum internum praestitisse in actu celebrationis Matrimonii et externum vix protulisse ob metum reverentialem Parentum, sed nec inde Matrimonium huiusmodi ullatenus consummare voluisse. Vir pariter iureiurando dixit, Matrimonium haud fuisse consummatum; quibus accessit ex utraque parte septima Propinquorum manus, qui dicta Coniugum confirmarunt. Mulier igitur contendit, Matrimonium esse nullum atque irritum, ob consensus interni defectum et ob metum reverentialem, et, quatenus validum censeretur, locum esse dispensationi Matrimonii rati et non consummati. Nam etiam Episcopus, attentis integritate morum ac vitae Puellae, acerrimo eiusdem ingenio in resistendo ad copulam, quam Vir enixe petebat, aliisque huiusmodi circumstantiis, censuit, Matrimonium non fuisse consummatum, et dispensationem concedendam, cum tanta esset animi abalienatio, ut sperari non posset conciliatio. Matrimonii Defensor contra sustinuit, Matrimonium esse validum, nec dispensationem indulgeri posse, cum illud fuerit consummatum. Nam Coniuges simul cohabitarunt et plures noctes condormierunt in eodem lecto, sive in prima vice post contractum Matrimonium, sive in altera, quando Mulier valetudine recuperata reditum fecit in domum Viri. Id luculentius fiebat ex morbo Viri *discrasia scrofolosa,* quae in medicina acrem parit sagacitatem; et idcirco duo Medici Veronenses, qui Virum de illo morbo curaverant, testati sunt, *che siccome scrofoloso, ha sommo bisogno di moglie.* Insuper augebatur praesumptio vehementissima consummationis, ex eo quod cohabitatio et condormitio, quae post tres aut quatuor noctes a contracto Matrimonio suspensa fuerat, ob Mulieris infirmitatem, quae idcirco Vincentiam remeaverat ad patrios lares, deinde post tres circiter menses redintegrata fuit, et Mulier e Vincentia iterum, licet invita, Veronam petiit ad maritale consortium. Accedebat demum silentium et serotina reclamatio, nec non defectus explorationis corporis Mulieris, quae necessaria erat, ut virginitatem ceteris adiunctis adminiculis probare posset.

304. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non

tendae dispensationis causam monet Coscius de separat. tori lib. 1 cap. 16 n. 269, ubi etiam addit, quod – solus timor atque suspicio adulterii tantum parit odii occasionem, ut iustam, ob id, praebeat causam dissolvendi Matrimonium – *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Gravissima.*

Item *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Sed.*

316. Certum tamen esse oportet adulterium formale et non materiale dumtaxat, iniuriam scilicet Coniugi inferens, ac consummatum, iuxta ea, quae tradunt Scavini in Theolog. moral. univ. tract. 12 disp. 6 cap. 2, Schmalzgrueber part. 4 tit. 19 §. 105, Sanchez de matrim. lib. 10 disp. 4 a n. 9 *in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Nec.*

317. Hinc et legitimam dispensationis causam esse timorem vel fornicationis periculum asseveranter edicunt Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 16 n. 1, Menoch. de praesumpt. lib. 2 praesumpt. 10 n. 42, Card. De Luca de matrim. disc. 9 n. 8, Ursaya tom. 5 discept. 12 a n. 19, cum praesertim Mulier in florentissima aetate versetur *in Ianuen. Matrimonii die 16 Aprilis 1791* §. *Addi.*

Item *in Bononien. Matrimonii super nullitate seu dispensatione die 30 Ianuarii 1836* §. *Maxime; in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Quatenus; in Neapolitana Matrimonii die 26 Septembris 1857* §. *Inter; in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Accedit; in Leodien. Matrimonii die 26 Iunii 1858* §. *Postremum.*

318. Arcendum propterea esse animarum periculum per opportunam dispensationem docet Abbas in Cap. *Ex literis* de frigid. et malef. n. 3, Engel in ius can. lib. 4 tit. 5 §. 4 n. 22 *in Romana Matrimonii die 19 Augusti 1786* §. *Periculum.*

319. Potissime enim spiritualis attenditur petentis utilitas, Ursaya discept. 3 n. 49 tom. 2 part. 1 *in Melevitana Dispensationis die 7 Februarii 1789* §. *Satis.*

320. Siquidem sanctius consultiusque est a Matrimonio dispensare, quam Coniuges in perditionis aeternae discrimen adducere, arguente Coscio lib. 3 cap. 1 a n. 390 *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Haec.*

321. Unde causae ad dispensandum idoneae sunt laesus mulieris honor, sevitiae, et rixae, odium et exacerbatio inter familias, Fagnanus in Cap. *Verum* n. 11 de convers. coniugatorum, Ursaya discept. Eccles. tom. 3 part. 2 discept. 21 n. 95, Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 16 n. 4, Clericat. de Sacrament. Matrimon. decis. 15 n. 43 *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1815* §. *Alterum.*

322. Idcirco causa etiam legitima dispensationis est utriusque Coniugis absoluta alienatio *in Ianuen. Dispensationis Matrimonii die 27 Aprilis 1844* §. *Altera.*

Item *in Angren. Matrimonii die 27 Augusti 1853* §. *Sed* (1).

323. Nimirum quae orta est, tum ex controversiis, quae inter utrumque Coniugem exarsere, quaeque eorum separationi initio dederunt locum, tum etiam ex litis contestatione *in Romana Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 11 Martii 1853* §. *Nec deesse.*

324. Animorum enim abalienationem, quae nullam reconciliationis Coniugum affert spem, legitimam esse dispensationis causam, docent Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 16 n. 3, Card. De Luca de matrim. disc. 9 n. 7, atque ostendunt dispensationum exempla apud Gobat Theol. experim. cas. 12 n. 678, et Ursaya tom. 3 part. 2 discept. 21 n. 6 *in Burdigalen. Dispensationis Matrimonii die 25 Februarii 1825* §. *Quod.*

Item *in Neapolitana Dispensationis Matrimonii die 27 Maii 1826* §. *Ad; in Neapolitana Matrimonii die 2 Augusti 1845* §. *Quod; in Angren. Matrimonii die 6 Februarii 1847* §. *Admisso; in Parisien. Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1857* §. *Post; in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Quatenus; in Neapolitana Matrimonii die 24 Aprilis 1858* §. *Accedit.*

(1) Lancellot. in vot. super dispensat. n. 82 et seqq.; Sanchez de Matrimon. lib. 22, disp. 16, n. 3; Card. De Luc. disc. 9, n. 7; Pirr. Corrad. in prax. Dispens. Apost. lib. 8, cap. 7, n. 27; Ursaya discept. tom. 1, part. 2 discept. 3, n. 46, et discept. 21, tom. 3; Burgasius de irregul. part. 6, n. 1, de Spons. n. 17; Gobat. Theol. experim. cas. 18 n. 678.

325. Eoque magis accedentibus etiam prava ac dissoluta vitae, quam agit Vir, minis et vexationibus eiusdem in Uxorem, et dubia ipsius religione; haec enim omnia plane legitimas constituere dispensationis causas tradunt communiter Doctores cum Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 16 n. 3, et praesertim Coscio lib. 3 cap. 2 n. 101 *in Bononien. Matrimonii die 23 Maii 1857* §. *Quatenus.*

326. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, locum esse dispensationi super Matrimonio rato et non consummato, ex eo quod inter Coniuges acerrima animi abalienatio ob Viri impotentiam ac feritatem oborta fuerit, ac ipse Vir, licet aegre atque invitus, fassus fuerit, Matrimonium non fuisse consummatum, et Mulier id pariter iuramento cum septima Propinquorum manu firmaverit, nec non duae Obstetrices atque duo artis medicae et chirurgicae Periti eam virginem renunciaverint *in Mandelen. Nullitatis Matrimonii die 23 Februarii 1850.*

327. Siquidem initum est in faciem Ecclesiae die 21 aprilis 1846 nuptiale foedus inter Bernardinum Silvi et Iuliam Ferroni ambos agricolas in Oppido Scandriliae Mandelensis Diaeceseos commorantes. A die initi Matrimonii Iulia coniunctissime cum Viro suo vixit, eiusque votis annuere nunquam detrectavit; sed statim intellexit, ipsum imparem esse coniugali operi. Non praetermisit querimonias subito emittere apud Matrem suam et apud Socrum suam, quam ob causam rumor in ipso Oppido de huiusmodi re vagari cepit. Interim Vir nec per remedia, nec per magicas artes virium imbecillitati consulere potuit: sed ne de impotentia redargui posset, rem indignam meditatus, suadere volebat Coniugi, ut ipsa sineret etiam manuum vi adhibita id effici, quod debito modo experiri non valebat. Qua de re post integrum mensem suasu etiam Matris et Consobrini sui Iosephi Berni die 13 iunii 1846 domum Viri deseruit, et ad paternum hospitium convolavit, in quo per plures menses commorata est. Sed eius Vir, qui aegre tulit, Coniugem e domo sua discessisse, obtinuit partim metu, partim vi, ut eam domum reduceret. Ad Viri sui complexus Iulia revertens, duodecim dies cum eodem transegit, quibus agnovit, Virum suum defectu erectionis eadem virium imbecillitate laborare. Interim Vir quadam die animalis sanguine lectum foedavit, ut Coniux putaret, secutam esse carnalem commixtionem cum Viro: Pater autem Viri, ut defectum filii sui tegeret, alterius Viri concubitum per summum nefas eidem Puellae suasit, sed Iulia constantissime respuit, quod absque culpa perpetrare non poterat. Elapsis igitur iis duodecim diebus, Matris domum rediit, a qua nunquam sine alicuius Propinqui comitatu digressa est, timens Viri insidias, qui graviora eidem Puellae minabatur. Haec omnia a Iulia coram Episcopali Curia asserta iuramento firmata perhibebantur, quae vim accipiebant, ex amplissimo testimonio probitatis ipsius dato a suo Parocho, nec non ex septima manu Propinquorum, et aliorum fide dignorum, qui iuramento interposito confirmarunt Iuliae ingenuitatem, et ex parte dictorum veritatem expresse testabantur. Duo insuper Obstetrices et duo artis medicae et chirurgicae Periti, qui Iuliae corpus inspexerunt, eam virginem declararunt. Vir ultro fassus est, nunquam satis virium habuisse, ut coniugale opus exerceret: sed illud coeundi impotentiae aliis potius causis attribuit, scilicet anxietati, qua accedebat ad Coniugem, vel ob metum, quo percellebatur, ne irrisionem suorum Oppidanorum incurreret. Atque haec ex septima Propinquorum manu iuramento confirmabantur. Iidem artis medicae et chirurgicae Periti post inspectionem corporis Viri nullum in eo externum defectum invenerunt. Theologus et Canonista pro voto acciti in ea fuerunt sententia, ut, attenta impotentia Viri eiusque feritate et animi abalienatione post instructum iudicium adaucta, nec non Mulieris integritate eiusdemque odio contra ipsum eo magis ferventi, dispensatio a Matrimonio rato et non consummato absque etiam triennali cohabitatione indulgeretur. Sacramenti vero Vindex primum Causam hanc dispensationis pertractari non posse dixit, cum deficeret commissio Summi Pontificis; sed eam ad tribunal Episcopi pro nullitate reiiciendam esse contendit: dein sustinuit, haudquaquam dispensationem concedi posse, cum deesset luculenta probatio de non subsequuta Matrimonii consummatione, et gravissimae causae, quae necessariae censen-

tur, ad huiusmodi dispensationem concedendam, desiderarentur.

328. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato – *in Mandelen. Nullitatis Matrimonii die 23 Februarii 1850.*

329. Quin imo cum dubia valde esset potentia Viri ad Matrimonium consummandum, atque plures Periti iudiciales retulerint, impotentiam Viri esse absolutam et perpetuam, Sacra Congregatio primum quidem ad formam sententiae Iudicis Ordinarii demandavit, esse locum experimento cohabitationis triennalis, sed mox, re maturius perpensa, declaravit, consulendum Sanctissimo pro dispensatione, ex eo etiam quod inter Coniuges et Coniuctos irreconciliabilis foret animorum alienatio *in Romana Matrimonii die 19 Augusti die 2 Decembris 1786 et die 20 Ianuarii 1787.*

330. Enimvero nondum lapsus erat annus a Matrimonio inter nobilem Virum comitem Iulium Bussi et nobilem virginem Gentili Montogli die 15 ianuarii 1784 contracto, cum ad Tribunal Emi Urbis Vicarii delata est quaestio super eius nullitate. Tribunal illud, singulis mature perpensis, decrevit, non esse locum cuicumque incisioni in Muliere, cum apta esset ad Matrimonium consummandum, nec non – pro nunc deveniendum fore et esse ad experimentum cohabitationis triennalis –. Neutri sententia haec placuit: utrinque ergo ad Sacram Congregationem appellatum est; sed Coniuges obtinuerunt, ut etiam disputaretur, an esset consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato. In facto enim erat virginitas Mulieris et impotentia, cum etiam absolutam perpetuam ac insuperabilem plures Periti iudiciales censerent. Idcirco nec locus esse videbatur experimento cohabitationis triennalis, alias periculum peccati et diuturnae incontinentiae non deesset. Quare arcendum huiusmodi periculum per dispensationem, cum praesertim inter Coniuges adeo irreconciliabilis suborta fuerit animorum disiunctio, ut pax nullatenus redintegrari valeret, nisi per dispensationem. Unanimem quoque partium instantiam parvi pendendam non esse, multis collectis exemplis, demonstrat Ursaya in discept. eccles. tom 1 part. 1 discept. 3 a n. 3 ad 24. Contra Defensor Matrimonii ex officio contendit, pericula incontinentiae, quae triennalem condormitionem sequuntur, adeo falsa esse, ut ea nunquam Sacram Congregationem deterruerint a decernenda dicta cohabitatione, quoties certa non est impotentia: hinc dubitationem, quae super Viri idoneitate movebatur, honestam gravemque haud praeseferre dispensationis causam, alias omnes, quae super Coniugiorum dissolutione moventur, quaestiones, per dispensationem definiendae essent; eademque infirmitate laborare superventam inter Coniuges eorumque Coniunctos animorum, ut asserebatur, alienationem, eamque etiam irreconciliabilem; uniformem denique contrahentium consensum nihil ad rem pertinere, cum non ab eorum placitis, sed auctoritate Summo Ecclesiae Capiti a Deo tradita dispensandi potestas profluat.

331. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et esse locum experimento cohabitationis triennalis – *in Romana Matrimonii die 19 Augusti 1786.*

332. Repropositis dein dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu etc. – Sacra Congregatio die 2 decembris 1786, re maturius perpensa, respondit: – Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione –. Continuo Defensor Matrimonii novam postulavit audientiam; sed repropositis dubiis sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius; et moneantur Tancioni et Posi de se abstinendo a similibus – *in Romana Matrimonii die 20 Ianuarii 1787.*

333. Nam ad obtinendam dispensationem satis est, ut non sequuta probetur Matrimonii consummatio, et probabilis sit Viri impotentia, quin requiratur triennale experimentum, ut docet Ursaya discept. 21 n. 163, Card. De Luca de matrim. disc. 7 n. 7, et suadent exempla Sacrae Congregationis in Ianuen. 27 ianuarii 1720, in Romana 2 decembris 1786, et in Neapolitana Dispensationis 27 iulii 1822 *in Theatina Dispensationis die 20 Novembris 1824* §. *Addidit*.

334. Idque eo vel magis locum habet, si in secunda Viri corporis inspectione tres Peritiores eius impotentiam congenitam perpetuam et Matrimonium antecedens, singulis perspectis rerum adiunctis, iudicarint; his enim in terminis, quum rite probata existeret non consummatio Matrimonii, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii in casu? *Et quatenus negative*. II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative, vetito Viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Sacra Congregatione – *in Romana seu Tyburtina Nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die 10 Septembris 1853*.

335. Hinc regula, quae a Sacrorum Canonum praescripto deprompta servatur in huiusmodi quaestionibus, est, ut, si Virum haudquaquam fuisse potentem consummandi Matrimonii, et impedimentum ipsum naturae vitio inductum esse perpetuum, nec vinci medicina posse, omnino certum atque evidens sit, tum statim declaretur nullum irritumque Matrimonium. Si vero impotentiae signa non physice, sed moraliter tantum certa sint, hoc casu, accedente Coniugum iuramento cum septima Propinquorum aut Viciniorum manu ac etiam adstipulante concordi Peritorum iudicio, sine mora ac citra novae cohabitationis experimentum, itidem dissolvatur Matrimonium. Denique si aut Periti non sint concordes, aut aliter dubia sint argumenta impotentiae, in hac hypothesi adhiberi prius debeat experimentum triennalis cohabitationis, iuxta Textum in Cap. *Laudabilem* et Cap. fin. de frig. et malef., de quibus fuse agunt omnes iuris canonici Interpretes, quos referunt Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 107, De Iustis de dispens. lib. 2 cap. 17, Schmalzgrueber in Decret. lib. 4 tit. 15 a n. 78, Rota inter collect. ad ornatum Card. De Luca de matrim. decis. 11 tom. 2 *in Mediolanen. Matrimonii die 12 Ianuarii 1732* §. *Regula*.

Item *in Theatina Dispensationts die 20 Novembris 1824* §. *Allatas; in Neapolitana Matrimonii die 26 Septembris 1857* §. *Qua*.

336. Qua de re quum Vir frustra pluries institerit pro executione demandatae triennalis cohabitationis seu coniugalis experimenti, hinc mox simul cum Uxore dispensationem a Matrimonio tantum rato petierit, Sacra Congregatio haud eam concedendam esse censuit, etiamsi abesse videretur quaecumque spes reunionis, ob implacabile odium animorumque aversionem, iampridem inter eos contractam atque ex subsequuta acerrima iniuriosaque lite notabilius adauctam *in Dissolutionis Matrimonii die 28 Martii 1699 lib. 49 Decretorum*.

337. Iamvero – post decretam ab hac Sacra Congregatione triennalem cohabitationem seu coniugale experimentum inter Eleonoram Cimarram et Alexandrum Sensinum, iste pluries instetit coram Iudice Causae pro executione demandatae cohabitationis, et licet plura desuper obtinuerit Decreta etiam cum relaxatione gravatoriae, frustrata nihilominus huiusque remansit quaecumque spes coniugalis reunionis, ob implacabile odium animorumque aversionem iampridem inter eos contractam, atque ex subsequuta acerrima iniuriosaque lite notabilius adauctam. In hoc igitur statu, praevia amicorum interpositione, ambo inducti fuerunt ad praestandum consensum voluntariae Matrimonii dissolutioni, fretique nonnullis, ut asserunt, tum antiquis, tum recentibus exemplis similium dispensationum a Summis Pontificibus concessarum in Matrimoniis ratis et non consummatis, preces Sanctissimo D. N. porrexerunt pro gratia exoptatae dispensationis seu dissolutionis. Cumque Sanctissimo placuerit votum desuper exquirere huius Sacrae Congregationis, hinc ad instantiam utriusque Coniugis enixius benignitatem EE. VV. implorantium proponitur hodie resolvendum: – An petita dispensatio super dissolutione Matrimonii sit conce-

denda, ita ut unusquisque ex Coniugibus remaneat in statu libero ad contrahendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Romana Dispensationis Matrimonii die 28 Martii 1699 lib. 49 Decretorum.*

338. Unde circa punctum dissolutionis Matrimonii notissima est theorica, cum qua in his gravibus Causis semper processit Sacra Congregatio et Rotae etiam Auditorium, quod scilicet impedimenta naturalia in triplici differentia consideranda sunt; quaedam enim necessario et evidenter, per visibilia nempe signa, concludunt impotentiam, alia verisimiliter, et alia dubie et praesumptive. In prima specie deveniri potest ad separationem absque alio iuramento, et non expectata habitatione triennali; in secunda requiritur iuramentum Coniugum asserentium, se non posse coire, et septima manus Propinquorum iurantium, se credere, eos verum fateri, absque pariter experimento dictae triennalis cohabitationis; in tertia vero, ultra depositiones et iuramenta praedicta, indispensabilis est cohabitatio triennalis: ita omnes Canonistae in Cap. *Laudabilem* de frig. et malef., Pont. de matrim. lib.7 cap. 66, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 107, et alii concordantes apud Rotam in decis. 695 Recent. part. 1, et decis. 11 post Card. De Luca lib. 4 de matrim. tom 2 *in Mediolanen. Matrimonii die 4 Decembris 1728* §. *Circa.*

339. Aliquando autem cum de Matrimonii quidem non consummatione constaret, sed tamen non satis probatum fuisset, impedimentum esse perpetuum atque incurabile, alia breviori via prospectum fuit. Quamvis enim iudicium esset institutum de nullitate Matrimonii ob eam impotentiae causam, nihilominus dissidio impositus fuit finis per dispensationem a Potifice Maximo impertitam super Matrimonio rato et non consummato. Ita ex consilio Congregationis particularis, coram Clemente VIII habitae, olim actum fuit in Causa, quae vertebatur inter Sigismundum Transilvaniae Principem et Archiducissam Mariam ab Austria *in Mediolanen. Matrimonii die 12 Ianuarii 1732* §. *Aliquando.*

340. Siquidem celebris fuit Causa dissolutionis Matrimonii rati et non consummati inter Sigismundum Transilvaniae Principem et Mariam Austriae temporibus Clementis VIII, quae plenius refertur in Epistola 180 Cardinalis D' Ossat part. 1, qui fuit unus ex Cardinalibus, qui Congregationi interfuerunt; quatuordecim enim fuerunt a Summo Pontifice ad consilium acciti, octo videlicet Cardinales, quatuor Rotae Auditores, et duo Basilicae Vaticanae Poenitentiarii. In citata Epistola refertur, actum primo fuisse, an ad Matrimonium dissolutionem procedi posset per viam iustitiae, declarationis scilicet nullitatis eiusdem, vel potius per viam gratiae, hoc est dispensationis super eodem, tamquam non consummato et simpliciter rato, et conclusum fuisse, per hanc secundam viam esse procedendum, cum non constaret, an Principis impotentia esset perpetua, vel temporalis, an absoluta, vel respectiva, et cum Princeps induci non posset ad cohabitandum, et ad experimentum triennale. In eadem subditur epistola, nullam fuisse de potestate Pontificis controversiam, nec minus de concursu causae sufficientis, et in eo quod attinet ad probationem non consummationis dicitur, eam fuisse constitutam in iurata utriusque Coniugis confessione coram Cardinali Battorio et in aliorum utriusque partis Testium attestatione deponentium, se tuto credere Matrimonium nunquam fuisse consummatum, exortaque in Congregatione quaestione quoad probationum sufficientiam, cum nonnulli contenderent, eam adesse, nonnulli vero dubitarent, ex quo soli Coniuges iuramentum praestiterant, et aliorum Testium attestationes erant iuramento destitutae, sic tandem fuisse conclusum, ut locus esse posset dispensationi in forma commissoria, ita tamen, ut coram Delegato pleniores afferrentur non consummationis probationes, et etiam esse posse locum dispensationi in forma gratiosa, si Testes iam examinati iterum cum iuramento deponerent, etsi alii, quotquot haberi possent, accederent Testes de non consummatione pariter deponentes, nec consilium captum fuisse de Principissa per Matronas et Obstetrices visitanda, cum auditum fuisset, eam haud facile hoc passuram *in Ianuen. Dispensationis die 20 Maii 1719* §. *Celebris* §. *In citata* §. *In eadem.*

341. Idcirco cum ex iudiciali iuramento Mulieris eiusque corporis inspectione, ex iuramento pariter iudiciali decimae manus Pro-

pinquorum, quibus alii quinque accesserunt, ex confessionibus iudicialibus ipsius Viri eiusdemque Parentum, ex medicamentis adhibitis pro obtinenda consummandi Matrimonium potentia, ex iudicio Peritorum, ex publica voce et fama, aliisque huiusmodi luculenter constaret de non consummatione Matrimonii, cumque iustae adessent causae, scilicet impotentia Viri, odia et inimicitiae, nec non pericula gravium scandalorum atque malorum, tum privatorum, tum publicorum, Sacra Congregatio censuit, esse locum dispensationi seu dissolutioni Matrimonii rati et non consummati, etiamsi Vir acriter obsisteret ac praetenderet, Matrimonium fuisse consummatum *in Ianuen. Dispensationis die 20 Maii 1719 die 9 die 30 Septembris 1719 et die 27 Ianuarii 1720.*

342. Enimvero Anna Maria Pallavicinia die 13 iunii 1713 Matrimonium contraxit cum Ioanne Iacobo Imperiali, et, postquam cum eodem cohabitavit spatio triginta trium mensium, se recepit in domum Ioannis Baptistae Spinulae sui avunculi et Sacri Ordinis Hierosolimymitani Baiulivi, in qua eadem domo degebat Comitissa de Flisco soror praedicti Baiulivi, et nullitatem Matrimonii ex capite impotentiae Viri iudicialiter proposuit coram Emo Archiepiscopo Ianuensi. Ioannes Iacobus vero sibi suspectos esse dixit Emum Archiepiscopum eius Vicarium Generalem et ceteros Curiae ecclesiasticae Ministros, petiitque Arbitros, qui de causis cognoscerent suspicionis; quocirca, exorta lite quoad Tribunal, in quo Causa discuti deberet, praevio consilio Congregationis Signaturae gratiae, signata fuit commissio avocatoria Causae a Tribunali ecclesiastico Ianuensi, et in eiusdem commissionis sequelam Causa delata est ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Exorta etiam controversia quoad confectionem processus remissorialis, Sacra Congregatio die 2 octobris 1717 mandavit, ut – confectio processus committatur Episcopo viciniori, et interim Oratrix collocetur in Monasterio claustrali sibi beneviso –; dein die 27 novembris eiusdem anni praecepit, ut – instantia omnino proponatur in prima; demum die 11 decembris memorati anni 1717 respondit: – In decisis quoad confectionem processus, et in decisis quoad ingressum in Monasterium pro nunc; et amplius –. Siluit subinde Causa usque ad diem 25 februarii 1719, quo Anna Maria supplicavit Summo Pontifice pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati, et Summus Pontifex eadem die 25 februarii 1719 instantiam remisit ad Sacram Congregationem. Itaque informantes pro Anna Maria non consummationis Matrimonii probationem constituerunt, primo in confessione iurata ipsius Annae Mariae, de qua contenderunt habendam esse rationem, cum aliorum Propinquorum nobilitate insignium accederent iuratae depositiones, in quibus asserebant, se credere, veram esse veritati innixam Annae Mariae confessionem; secundo in confessione extraiudiciali ipsius Iacobi nec non Silviae eius Matris, de qua nonnulli Testes deponebant, huiusque pariter confessionis contenderunt informantes pro Anna Maria habendam esse rationem, cum adminiculum reciperet a medicamentis et exorcismis aliisque continuatis diligentiis pro avertenda impotentia, et cum confessio haec ab illis processerit, qui stare intendebant pro validitate Matrimonii, et qui se eius opponebant dissolutioni; tertio in iudicio Medicorum et Chirurgorum Civitatis Ianuensis, qui, perpensa constitutione corporis Ioannis Iacobi, nec non medicamentis frustra adhibitis, cum iuramento affirmarunt, se non dubitare de ingenita et perpetua ipsius impotentia; quarto in facto Principis S. Angeli fratris Ioannis Iacobi, cum enim hic uxorem duxerit non obstante, quod esset Romanae Curiae Praelatus, et tali merito esset insignitus, talibusque Aulae ministeriis potiretur, ut ad maiora facile aspirare posset, et non obstante, quod Ioannes Iacobus eiusdem frater pingui potiretur Domus Primogenitura, iidem arguerunt informantes, quod sicuti ab hoc facto Ioannis Iacobi impotentia desumebatur, ita etiam desumi dicenda erat praecedens Matrimonii non consummatio. Causas autem dispensationis reposuerunt, tum in necessitate, in qua, seclusa dispensatione, Anna Maria constitueretur servandi virginitatem, tum in odiis et inimicitiis nedum inter Coniuges, sed etiam inter nobiles utriusque Partis consanguineos exortis, quae etiam in Civitate libera

prorumpere potuissent in perniciem publicae tranquillitatis, allatis exemplis, in quibus concessae fuerunt dispensationes super dissolutione Matrimonii rati et non consummati, ut odia et inimicitiae sedarentur.

343. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Ianuen. Dispensationis die 20 Maii 1719.*

344. Plura subinde gesta sunt a colligantibus coram Emo Praefecto et apud Summum Pontificem, qui die 13 iulii 1719 cuncta remisit ad Sacram Congregationem, quae die 5 augusti decrevit: – Proponatur omnino die 9 septembris etiam unica, et disputetur dubium: «An sit standum, vel recedendum a decisis», distribuentur EE. PP. scripturae et per decem dies ante, et exhibeantur in Secretaria documenta hinc inde per viginti dies ante –. Hinc Ioannes Iacobus, instans pro recessu a decisis, ante omnia protestatus, quod dubium propositum die 20 maii 1719: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu? –, non poterat disputari, quia non fuerat cum suo Procuratore concordatum, quia in dicto dubio supponebatur Matrimonium ratum et non consummatum, quando ipse sustinebat, Matrimonium fuisse consummatum, et quia facta a Summo Pontifice simplici iustitiae remissione ad Sacram Congregationem, disputandum erat dubium: – An sit concedenda dispensatio? –, prout semper factum fuerat in consimilibus Causis. At Secretarius Sacrae Congregationis advertit, Procuratores utriusque Partis comparuisse coram eodem die 25 februarii 1719; unde ipse diem decrevit accommodum ad parandas informationes facti et iuris, et Procuratori Ioannis Iacobi ulteriorem dilationem concessit, ita ut Causa non fuerit proposita, nisi die 20 maii. Quum autem partes dubium disputandum non exhibuerint, dictus Secretarius iuxta morem dubium ex officio efformavit, quod erat examussim conforme supplicationi, quae fuerat Papae porrecta, quin obesset, quod in dubio praedicto supponebatur Matrimonium tantummodo ratum, cum ipse crederet quidem, Ioannem Iacobum se esse oppositurum instantiae dispensationis, sed divinare non poterat, quod se esset instantiae oppositurus, ex capite consummationis Matrimonii. Nam Defensores Ioannis Iacobi nonnisi post compositum impressum et ad EE. PP. transmissum folium Congregationis, contra Sacrae Congregationis Edictum, quod est in ordine 73 in parvo Bullario s. m. Innocentii XII, informationes et documenta exhibuerunt. Ceterum praefati Defensores enixe sustinuerunt, non constare de non consummatione Matrimonii, et EE. PP. accurate examinarunt momenta rationum hinc inde allatarum pro consummatione et non consummatione respective Matrimonii, ita ut eorum resolutio non a dubio proposito, sed ab aliis pependerit argumentis. Rursus autem consummatio Matrimonii ab iisdem desumebatur, ex iuramento ab ipso emisso, praevia consultatione Virorum in Sacra Theologia utroque Iure medicina et chirurgia peritorum, aliisque documentis, ex quibus asserebatur, nedum non constare de non consummatione, sed consummationem esse optime probatam. Nec causae censebantur legitimae ad dispensationem indulgendam; primo, quia ab Anna Maria fuerat praecedenter intentatum iudicium super nullitate ex capite impotentiae naturalis, hinc transire non poterat ad viam dispensationis; secundo, quia causae in medium prolatae erant impotentia insuperabilis et timor scandalorum, quarum neutra subsistere dicebatur; tertio, quia in dissensu Viri non erat procedendum ad dispensationem Matrimonii rati et non consummati. E contra Annae Mariae Defensores contenderunt, posse Summum Pontificem dispensationem indulgere, altero etiam Coniuge reluctante; nec non constare de non consummatione Matrimonii, primo ex iudiciali iuramento Annae Mariae, secundo ex iudiciali iuramento decimae manus Propinquorum, tertio ex confessionibus extraiudicialibus ipsius Viri, quarto ex confessionibus Parentum dicti Viri, quinto ex medicamentis et exorcismis adhibitis pro obtinenda consummandi potentia, sexto ex conditionibus nomine Ioannis Iacobi propositis super consensu praestando pro solutione Matrimonii, si post alia quaedam adhibita medicamenta ipse ex concordi Peritorum iudicio habilis non evasisset, septimo ex publica voce et fama, ultimo ex iudicio Peritorum ab eodem produ-

ctorum, in quo asserebant, ipsum meliorem assumpsisse conditionem ex usu medicamentorum et balneorum, et se sperare, quod iis iterum adhibitis idoneus effici valeret consummationi Matrimonii. In nihilum urgente iuramento a Ioanne Iacobo praestito de Matrimonio consummato, cum antea contrarium fassus fuerat. Nil denique dicebatur, quod post litem super nullitate intentatam dispensationem Anna Maria petierit, cum id Summo Pontifici exposuisset.

345. His interim perpensis, reproposito dubio sub formula: - An siù standum, vel recedendum a decisis die 20 maii 1719? -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructionem, idest examinetur uterque Coniux cum interrogatoriis et iuramento, examinato prius D. Ioanne Iacobo super circumstantiis expressis ante secundum iuramentum Peritis, et exprimat in dicto examine nomen Peritorum, quos prima vice consuluit, qui etiam formiter examinentur, nec non examinentur Testes deponentes de confessionibus extraiudicialibus Ioannis Iacobi, et etiam DD. Petrus Gentili et Carolus Spinola, et committatur examen Emo Archiepiscopo Ianuensi iuxta instructionem, praefixo termino trium mensium -. Post haec Anna Maria se exhibuit promptam et paratam ad canonicum experimentum sui corporis, ut de sua virginitate et de non consummato Matrimonio nulla esse amplius posset difficultas; propositaque hac eius instantia in Congregatione habita die 30 septembris 1719, rescriptum fuit: - Praevio recessu a decisis die 9 Septembris 1719, et loco probationum, quae fieri debebant in sequelam Rescripti editi dicta die, Sacra Congregatio admisit probationem faciendam per inspectionem corporis Annae Mariae, iuxta instructionem Emi Praefecti -. Expleto hinc experimento canonico, et ad Sacram Congregationem ab Emo Cardinali Cusano Episcopo Papiensi transmisso respectivo processiculo, reproposito dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis die 20 maii 1719? -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Ianuen. Dispensationis die 27 Ianuarii 1720.*

346. Nam licet a Muliere institutum prius fuerit iudicium de nullitate Matrimonii ob assertam Viri impotentiam perpetuam et incurabilem, petita exinde ab ipso etiam Viro dispensatio a Matrimonio rato et non consummato, examussim concessa est, cum satis constaret de non consummatione nec non iustae concurrerent causae, quae illam suadere videbantur *in Mediolanen. Matrimonii die 21 Aprilis 1731 die 12 Ianuarii die 8 Martii et die 24 Maii 1732.*

347. Siquidem comes Gaspar Casati nobilis Mediolanensis Matrimonium contraxit die 25 februarii 1727 cum comitissa Eleonora Busca, cum qua permansit per spatium huius integri anni, quo elapso, Mulier die 23 februarii 1728 institit penes Curiam Archiepiscopalem pro Matrimonii dissolutione, quum ob Viri impotentiam nunquam in tanto temporis spatio consummatum fuerit. Electis itaque a Vicario Generali Medicis et Chirurgis utrique parti confidentibus aliisque ex officio, retulerunt confidentes Mulieris et illi ex officio electi, post diligenter examinatas partes genitales dicti Comitis, perpetuam et insanabilem esse illius impotentiam; Medicus vero et Chirurgus dicto Comiti confidentes contrarium asseruerunt. Quibus peractis, eadem Mulier iuramentum veritatis super Viri impotentia in actis praestitit, et una simul adduxit iuramentum septimae manus suorum Propinquorum aliosque Testes deponentes ex audito a dicto Comite Casato, qui fassus fuerat suam impotentiam: putabat quoque eadem Oratrix, quod non consummatio resultaret ex comparitione in actis facta ab ipso eius Viro, in qua illam admittebat. Vir tamen attulit etiam tres alios Testes de visu, qui asserebant, ipsum vidisse in actuali aptitudine ad consummandum Matrimonium. In hoc probationum conflictu mandavit Vicarius Generalis, eosdem Testes formiter esse examinandos; a quo Decreto Mulier ad Sacram Congregationem appellavit. Proposito interim dubio: - An sit locus dissolutioni Matrimonii in casu etc. -, Sacra Congregatio die 21 aprilis 1731 respondit: - Dilata, et scribatur Emo Archiepiscopo iuxta instructionem -. Instructio autem versabatur in hoc, ut Emus Archiepiscopus eligeret arbitrio suo Medicos et Chirurgos Mediolanensem Ditionem commorantes, qui diligenter recognoscerent et explorarent, num Comes Casati naturali polleret

facultate consummandi Matrimonium, adhibitis quoque iis, quae medicae artis instituta ad huiusmodi explorationem praescribunt; deinde illi iudicium de hoc suum interposita iurisiurandi religione aperirent. At Comes ab Archiepiscopo monitus respondit, iam pluries semetipsum non sine magna molestia et angore subiecisse Medicorum inspectioni; hinc petere velle a Summo Pontifice dissolutionem Matrimonii rati non consummati. Archiepiscopus ad tricas e medio tollendas, Peritos Mediolanum venire iussit; sed iidem constantem ab eo repulsam passi fuerunt. Qua de re comitissa Busca, ob Viri contumaciam, postulavit iterum perpendi momenta eorum, quae iam allata fuerant, sibique opportune consuli. Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decretis; et Emus Archiepiscopus cogat iuris remediis - *in Mediolanen. Matrimonii die 12 Ianuarii 1732.*

348. Rebus huc adventis, comes Casati satius duxit novas afferre preces Summo Pontifici, ut, suprema sua potestate adhibita, dignaretur Matrimonium, utpote ratum et non consummatum, dissolvere, sed placuit Pontifici Sacram Congregationem consulere. Non deerant quidem exempla aliorum casuum, in quibus post institutum prius iudicium de nullitate Matrimonii, postea actum fuit de dispensatione: sed considerandum erat, an ea, quae iam allata fuerant ad probandam nullitatem Matrimonii, satis essent ad evincendum, quod illud nunquam fuerit consummatum; et, an iustae concurrerent causae ad dispensandum. Propositis tamen dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 12 ianuarii proxime praeteriti? II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 martii 1732 responsum dedit: – Dilata; et scribatur Emo Archiepiscopo, iuxta instructionem –. Censuit enim Sacra Congregatio, differendam esse resolutionem, exquirendo interim sententiam Emi Archiepiscopi circa causas a comite Casato expositas pro dispensatione obtinenda; nec non ei significando, posse eumdem Comitem, si vellet, admitti ad praestandum iuramentum de nunquam consummato Matrimonio, addita etiam septima Propinquorum manu ad normam canonicarum sanctionum. Archiepiscopus rescripsit, iustas sibi videri causas postulatae dissolutionis Matrimonii rati tantum et non consummati; comitem Casatum penes acta eius Curiae, iureiurando interposito, asseverasse, Matrimonium nunquam fuisse consummatum, et septem Propinquos itidem iuratos affirmasse, existimari a se ipsis veram Comitis assertionem, ut etiam simile iuramentum pari solemnitate roboratum iam antea emiserat comitissa Eleonora. Ceterum perstitit Comes, tum in neganda perpetua et incurabili impotentia, tum etiam in voluntate non subeundi nova experimenta. His igitur perpensis, repropositis dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 12 ianuarii proxime praeteriti? II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio tamquam rato et non consummato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: –, Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative, salvis iuribus Comitissae quoad restitutionem dotis aliorumque eius creditorum et expensarum litis, prout de iure – *in Mediolanen. Matrimonii die 24 Maii 1732.*

349. Idcirco si Coniux litem super nullitate Matrimonii ex capite naturalis impotentiae penes respectivam Curiam ecclesiasticam introduxerit, ac inde eam deserens Summo Pontifici supplicaverit pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato, qui, re mature perpensa, ipsam litem ope Congregationis Signaturae gratiae avocavit atque commisit Sacrae Congregationi pro dispensatione, nil obstat dicta praecedens lis, cum ea Summo Pontifici exposita fuisset *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1719* §. *In his.*

350. Quin imo non desunt Summorum Pontificum exempla, qui, non obstante litis introductione super nullitate, concesserunt deinde dispensationes super Matrimonio rato et non consummato *in Ianuen. Dispensationis die 9 Septembris 1719* §. *In his.*

351. Quum itaque uxor Maria Theresia marchionissa de Falces causam nullitatis Matrimonii ob Coniugis marchionis de Camarena impotentiam instituisset, sed inde cum ipsa viderit, se ad eum redigi statum, ut sua prius vita, quam lis esset absolvenda, petierit dispensationem super Matrimonio rato et non consummato, proposito dubio: – An sit

Sanctissimo D. N. consilium praestandum pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati in casu etc. –, Sacra Congregatio censuit, alio modo esse concipiendum dubium, videlicet: – An sit locus dissolutioni Matrimonii, vel potius consulendum Sanctissimo pro dispensatione eiusdem tamquam rati et non consummati in casu etc.–; quo itaque proposito, dum de impotentia Viri satis constabat, rescriptum fuit: – Esse locum dissolutioni – *in Tirasonen. Matrimonii die 2 Octobris 1723.*

352. Unde cum Coniux Marianna a Turre Rezzonica instaret pro dissolutione Matrimonii, ex eo quod Vir Paulus Antonius Besutius vitio naturalis impotentiae afficeretur, quae satis constare videbatur, vel saltem pro gratiosa dispensatione, proposito dubio: – An sit locus dissolutioni Matrimonii, seu potius consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione?–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Scribatur Emo Archiepiscopo, iuxta instructionem –, in qua plura experimenta fuerunt praescripta, aliaque ad concludendam dictam impotentiam *in Mediolanen. Matrimonii die 12 Februarii 1729.*

Item *in Mediolanen. Dissolutionis Matrimonii die 21 Aprilis 1731* §. *Pluries.*

353. Reproposita dein Causa extra folium seu inter Summaria precum, Sacra Congregatio die 28 ianuarii 1730 respondit: – Ad Emum Archiepiscopum, ut procedat prout de iure – *in Mediolanen. Dissolutionis Matrimonii die 21 Aprilis 1731* §. *Pluries.*

Item *in Mediolanen. Matrimonii die 12 Ianuarii 1732* §. *Denique.*

354. Ceterum haud est locus dissolutioni Matrimonii rati et non consummati, si pro ea instat Pater Mulieris, non vero Coniuges, qui imo preces exhibent pro impetranda cohabitatione, cum illud per Procuratorem inierint *in Agrigentina Matrimonii die 15 Martii 1727.*

355. Iamvero Anna Maria Morillo per speciale mandatum commisit Emmanueli Mammanae, ut suo nomine coram Parocho et Testibus Matrimonium per verba de praesenti contraheret cum Luciano Genovese, et Procurator commissum sibi munus adimplevit. Cumque propter aegreferentiam Gasparis Patris Annae Mariae quaestiones exortae sint, demandatum fuit ab Sacra Congregatione, quod Anna detineretur in Monasterio, in quo degebat, et quod Episcopus Agrigentinus procederet ad voluntatis explorationem; supponebatur enim, eam fuisse non liberam, sed coactam. At Mulier fassa est, se cum omni sua libertate mandatum procurae fecisse, se ratum habere quidquid a suo Procuratore gestum fuit, se quoque in eadem voluntate persistere, et usque ad obitum perstituram. Hinc novae ab utroque Coniuge exhibitae fuerunt preces pro impetranda cohabitatione. Nullitas Matrimonii constitui posse videbatur in praecedenti inhibitione per Ordinarium Agrigentinum Parocho facta, ne Matrimonio assisteret, et in sponsalibus praecedenter a Luciano contractis cum quadam Francisca Lamagna, quam etiam stuprasse supponebatur. Advertebatur tamen, haec haud Matrimonii nullitatem inducere posse, quin dispensationi locus esset: nam admissa Papae potestate dissolvendi Matrimonia simpliciter rata, deficiebant tamen circumstantiae pro usu huius potestatis, et signanter ex quo nullus ex Coniugibus pro dissolutione instabat, cum instantia promoveretur a Gaspare Patre Annae Mariae, quae non volebat recedere a Matrimonio praecedenter contracto cum Luciano.

356. His igitur perpensis, proposito dubio: – II. An sit locus Matrimonii dissolutioni per viam gratiosae dispensationis in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit validitatem Matrimonii, responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Agrigentina Matrimonii die 15 Martii 1727.*

§. XIII.

DISPENSATIO A PROFESSIONE RELIGIOSA

1. Quando nullus concurrit metus directus ad extorquendam professionem, etiamsi probata existeret simulatio ac metus reverentialis, non modo valida censetur professio, sed nec est locus dispensationi a vinculo Religionis *in Passavien. Nullitatis Professionis die 18 Iulii 1761.*

2. Siquidem professionem, quam die 8 iunii 1747 emiserat in Monasterio Cremifanensi Ordinis S. Benedicti, irritam et metu Parentis simulatam proclamavit intra quinquennium Pater Aemilianus Gerlichs: sed Sacra Congregatio die 18 iunii 1757 et die 22 iunii 1758 validam eam esse declaravit. Iterum P. Aemilianus institit pro nullitate, vel saltem pro dispensatione. Namque contendit, causam simulationis probatam videri, ex opinione Testium et ex Genitoris severa disciplina in ipsum adhibita, quae perhorrescentem Iuvenis animum facile induxit ad statum Religiosum a Patre optatum amplectendum; repugnantiam statui Religioso et professionis simulationem erui nedum ex continua animi desolatione et praemeditatis erroribus, sed etiam ex perturbatione in actu professionis ab uno Teste affirmata, et magis ex omissione verbi *serio* in scheda pridie professionem scripta, quum nemo obligetur ex voto sine declaratione seria omisso, atque demum ex pluries arrepta fuga e Monasterio, et ex subsequuta renuentia observandi regulam et suscipiendi Ordines, quam enunciabat in sua relatione Nuncius Viennensis, licet a Testibus non assereretur, quamque indicium contrariae voluntatis profitendi adstruere firmat Pignatellius in consult. 173 n. 19 et consult. 180 n. 13 tom. 9. Censuit autem Orator, in his terminis, etiamsi non concurreret metus cadens in constantem Virum, attamen etiam reverentialis sufficeret ad nullitatem professionis, ubi iungeretur cum simulatione, et quatenus dubia videretur simulatio, locus esset iuramento suppletorio, vel saltem indulgenda dispensatio ad evitanda scandala, et ad pacem reddendam Oratori et Monasterio, ut consuluit Emus Card. Crivelli iam Nuncius Viennensis, et probat Anacletus in ius can. lib. 3 tit. 34 a n. 22. Verum Defensor Monasterii negavit, aut nullitatem verificari, aut locum esse dispensationi, quia nullus concurrebat metus directus ad extorquendam professionem, sine quo praetensa simulatio, etiamsi probata, non relevaret, sed in poenam cogeretur simulator manere in Religione, ut firmat Rota in decis. 798 coram Molin. n. 19 et 29.

3. His utrinque perpensis, proposito dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a vinculo Religionis in casu etc. -, Sacra Congregatio, confirmata professionis validitate, responsum dedit: - Ad secundum, Negative; et amplius - *in Passavien. Nullitatis Professionis die 18 Iulii 1761.*

4. Unde licet Orator minus solemnem emisisse videretur professionem monasticam, nec non Abbas et Monachi Monasterii vota eius simplicia censentes pro dispensatione cum Ordinario Diaecesano institissent, nihilominus Sacra Congregatio eam peremptorie denegavit *in Argentinen. Votorum die 26 Ianuarii 1743.*

5. Enimvero Ioannes Schettel postulavit a Summo Pontifice, ut ope dispensationis sibi remitteretur obligatio votorum sive solemnium, sive simplicium, quae in Monasterio Altorffensi Ordinis S. Benedicti Argentinensis Diaecesis certo modo asserebat nuncupasse, ad effectum redeundi ad seculum ac Matrimonium ineundi. Extructo ob id processu, compertum est, quod Abbas ac duo Monachi praefati Coenobii a Vicario Generali seorsim auditi sub iurisiurandi religione testarentur, praefatum Ioannem anno 1734 non uti Religiosum laicum, sed tamquam simplicem Famulum fuisse receptum, ex eo quod eiusdem Monasterii Capitulum viginti circiter ab illinc annis decreverat, nullos in posterum Fratres laicos, quorum plerosque instabiles et incorrigibiles evadere experientia docuerat, ad habitum et professionem solemnem esse admittendos, nisi ea

sub lege, ut pro libito possent ab Abbate et Capitularibus dimitti. Elapso autem biennio, cum optime se gesserit, petiit, ut ad habitum et professionem monasticam admitteretur: sed iussum est, per annum expectare, ac interea temporis sub ductu Monachi Benedicti Kaegelin in regulari disciplina instrueretur. Hinc denuo supplex institit, ut ad solemnem professionem admitteretur: verumtamen eius postulatione reiecta, Capitulares omnes, uno excepto, in id tandem convenere, ut iuxta modum Orator reciperetur; scilicet primo, ut emitteret quidem vota castitatis obedientiae et stabilitatis non solemnia, sed simplicia tantum; secundo, ut gauderet privilegiis Ordinis et Monasterii, quantum Canones et Religio permitterent; tertio, ut habitum quidem religiosum aliorum Professorum instar non gestaret, sed habitum formae merae laicalis, addito nihilominus sub vestibus parvo scapulari; quarto, ut vigore praemissae obedientiae tam intra, quam extra clausuram pro Superiorum libitu debita servitia praestaret; quinto, ut pro executione voti stabilitatis equidem simplicis familiae Monasterii ad dies vitae cooptaretur, ita ut nec liber a Monasterio discedere, nec liber a Monasterio dimitti posset. His itaque conditionibus anno 1736 absque ulla solemnitate vota simplicia, iuxta formam a P. Priore germanice scriptam, quae tum haud reperiebatur, emisit in manibus Patris Edmundi Hertzug, ab Abbate tunc aegrotante delegati. Post huiusmodi receptionem quatuor vel quinque transegit annos Ioannes: at suae libertati vivendique licentiae quum plus aequo indulgere videretur, capitulariter conclusum fuit, ut intra claustra deinceps commorari deberet, et, regulari indutus veste factoque stricte novitiatu, aliorum instar Religiosorum solemnem posthac ederet professionem. Lubens lubensque indictum rigidioris probationis annum exorsus est Orator, sed post novem circiter menses eam vivendi methodum duriorem dicens, in pleno Capitulo protestatus est, se nolle solemnem emittere professionem, nisi ea sub lege, ut liber sibi ingressus et egressus e Monasterio pro suo lubitu permitteretur; at ea sibi denegata, supra emmoratam dispensationem efflagitavit. Abbas et Monachi nedum suum praestabant assensum, verum etiam vehementissime rogabant, ut dispensatio super votis, quae simplicia nuncupabant, impertiretur. Emus Card. de Rohan Episcopus Argentinensis et ipse censuit, dispensationem esse concedendam, cum professionem ab Oratore emissam debitis et requisitis a iure solemnitatibus caruisse existimaret.

6. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Argentinen. Votorum die 26 Ianuarii 1743.*

7. Quum autem quis votum emiserit suscipiendi statum Regularem atque mox omnia sua bona pluribus seorsum donaverit, sed inde propter tenuem ac pene iunceam valetudinem a Monasterio egressus actionem contra Donatarios moverit atque dispensationem a voto praedicto petierit, Sacra Congregatio declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione voti Religionis tantum, quoad enim donationes uti debebat iure suo coram suis Iudicibus *in Neapolitana Dispensationis die 17 Iunii 1752.*

8. Enimvero grave, ut ipse asserebat, Patris imperium ferre non valens Thomas Innicus Caracciolus filius Ducis Martinae votum emisit suscipiendi statum Regularem in Ordine Carmelitico, ductusque, ut ipse pariter asserebat, odio in Patrem omnia bona iuraque sua donavit partim Monasterio S. Mariae de Vita Ordinis Carmelitarum excalceatorum Civitatis Neapolis, quod ingredi constituerat, partim Capitulo Terrae Martinae, partim denique Sodalitio S. Mariae de Monte Carmelo, et post hanc donationem Monasterium ingressus est, a quo tamen post octo menses discessit, et Regularis illius Ordinis vestes abiecit, secularibus susceptis, quod asperum illud vivendi genus ferre non posset sine vitae suo periculo, cum tenui ac pene iuncea esset valetudine. Egressus Monasterio, impetravit suppresso, uti fieri solet, nomine a Sacra Poenitentiaria dispensationem a voto, petitaque atque impetrata a Curia Metropolitana Neapolis absolutione a iureiurando, actionem movit contra Donatarios, qua petebat, nullam atque irritam declarari, quam fecerat, donationem. Hac lite pendente, cum animadvertisset actioni suae impedimento esse votum, quod emiserat, postulavit aperto no-

mine a Sacra Congregatione dispensationem. Auditus fuit de hac postulatione Nuncius Apostolicus, qui acta retulit iudicialia in suo tribunali, quibus Sacerdos Thomas Innicus Caracciolus nullam irritamque donationem dicebat. Vocati fuerunt in ius Donatarii, sed post triennium nullus adhuc venit.

9. Rebus sic stantibus, proposito dubio: – An sit locus dispensationi a voto Religionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione voti Religionis tantum; et quoad donationes, utatur iure suo coram suis Iudicibus – *in Neapolitana Dispensationis die 17 Iunii 1752.*

10. Qua de re quum Abbas Monasterii S. Lazari Venetiarum aperte declaravisset, se nunquam inter Coenobitas Armenos recepturum quemdam Clericum professum, postquam hic redierat in patriam, ut Patris iam demortui hereditatem adiret, Sacra Congregatio, post maturam discussionem, an vota, quae is in dicto Monasterio emisit, solemnia censeri deberent, resolvit, locum esse praestandi consilium Romano Pontifici pro dispensatione a quolibet votorum nexu *in Veneta Votorum die 7 Aprilis die 1 Septembris 1742 et die 14 Decembris 1743.*

11. Iamvero exposuit Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Ioannes Abrahami Thaumagian Clericus Armenus Urbis Constantinopolitanae, quod, post Regularem Professionem a se emissam inter Coenobitas Armenos Monasterii S. Lazari Venetiarum, nuncium accepit de morte Patris sui, cuius ipse supererat unicus filius et heres, adeoque ne paterna hereditas, se extra dominii Ottomanici fines manente, iuxta illius ditionis leges ad alios consanguineos, suis etiam Matre et Sorore prorsus exclusis, devolveretur, consilium ceperit redeundi in patriam, quemadmodum habita prius, ut ipse asserebat, a Superiore Monasterii licentia, id fuit executus, deindeque rebus illic compositis, Venetiis iterum animo repetendi Monasterium reversus est. At ab eo reiectus, acribusque etiam correptis verbis, quod, inconsulto Abbate, uti sibi obtrudebatur, e Monasterio discessisset, Romam idcirco venerit, eiusdem Sacrae Congregationis auctoritatem, qua statui suo consuleretur, imploraturus. Eiusmodi preces fuerunt a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Apostolicum Nuncium Venetiis degentem transmissae, ut eas Abbati Mechitar praedicti Monasterii Superiori communicaret: at ipse plura negans in iisdem precibus exposita, nullis potuit dicti Nuncii Apostolici officiis aut suasionibus adduci, ut Clericum Oratorem in suo Monasterio reciperet; quin imo in Literis, quas ipsemet Abbas eidem S. Congregationi dedit, aperte professus est, se nunquam ad id consensum suum fore praestiturum. Omnem hinc spem abiiciens Clericus Thaumagian, supplicavit a quolibet votorum nexu absolvi; idque ut facilius obtineret, probare studuit, vota ab se nuncupata haudquaquam solemnia esse, sed dumtaxat simplicia. Quamvis enim formula professionis, quae in eo Monasterio S. Lazari adhiberi consuevit, his verbis concepta sit: – Ego Ioannes Abrahami Thaumagian voveo et promitto Deo omnipotenti B. Mariae semper Virgini B. Antonio et omnibus Sanctis et tibi, Pater, toto tempore vitae meae servare regulam S. Patris nostri Benedicti, quam profitetur nostra Religio, et constitutiones Monachorum nostrae Religionis a Summo Pontifice approbatas, vivendo in obedientia, in paupertate sine proprio, in castitate, et in parata voluntate effundendi sanguinem pro fide catholica S. Romanae Ecclesiae –, dixit tamen, neque Monachos illos vere Religiosos esse, neque constitutiones, in formula enunciatas, Summi Pontificis approbatione fuisse unquam communitas. Et revera constabat ex monumentis, quae in Archivio S. Congregationis de Propaganda Fide servantur, Congregationem illam nunquam ab Apostolica Sede fuisse approbatam, licet huiusmodi approbationem Monachi olim in Armenia degentes, et ab anno 1704 ob diras assiduasque infidelium persecutiones in Civitate Moduni Venetae ditionis commorantes, semel ac iterum deinde effiagitassent. Quin imo nec Ordo Monasticus sive Regulare institutum sub nomine S. Antonii Abbatis apud Armenos vigens unquam Apostolicae confirmationis robur obtinuit, neque veram propriamque constituebat Religionem, ita ut Monasteria sive Conventus huius Ordinis, quorum plura in Oriente adhuc extabant, Armeno idiomate vocarentur *Miapanch*, id-est simplicem quamdam Congregationem effor-

mantes, a qua tam Superior Religiosos dimittere, quam Religiosi pro lubitu discedere poterant, si nondum sacris Ordinibus essent initiati, quemadmodum huius rei testimonium perhibebant Archiepiscopus Caesareae et alter Marassi nec non alii quidam Sacerdotes illius Nationis.

12. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus praestandi consilium Sanctissimo pro petita dispensatione in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Veneta Votorum die 7 Aprilis 1742.*

13. Mens autem fuit, quod Sacra Congregatio plenius instructa redderetur, num Ordo Monasticus sub nomine S. Antonii Abbatis etiam num vigens apud Armenos, in quo praedictum Monasterium S. Lazari Venetiarum originem suam trahit, verae propriaeque Religionis iure potiatur, et an expressam Apostolicae Sedis approbationem nactus aliquando fuerit. Hinc Vicarius Patriarchalis Constantinopolitanus de scripto testatus est, numquam se audivisse, quod Ordo S. Antonii minusque alter S. Benedicti inter Armenos existens ab Apostolica Sede probatus fuerit, quin vero Decessores suos persuasum semper habuisse, quod utriusque huius Instituti Professores solemnibus Religionis votis haudquaquam obstringerentur, quum alter eorum e dicto Monasterio S. Lazari nuper egressus consueverit adhuc, ut antea, annuentibus Episcopis Antecessoribus suis, sacra ministeria palam obire, sacramentales fidelium confessiones excipere, conciones habere, ceterisque Missionariorum muniis perfungi, unde et ipse Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens non dubitavit haec omnia eidem Sacerdoti permittere. Addidit praeterea idem Vicarius, compertum esse, quod Abbates S. Antonii solebant Monachos suos a recta disciplinae regularis semita declinantes e Convento dimittere, habituque monachali prorsus exuere; qui vero ita abire fuerunt iussi, ab omni Religionis vinculo solutos se arbitrabantur. Idipsum pariter de scripto confirmarunt Archiepiscopus Caesareae in Cappadocia, et Iacobus Hay Archiepiscopus Marassi in Cilicia. Porro neque inter Collectores Constitutionum Pontificiarum, neque apud Auctores agentes de historia monastica Ordinum S. Antonii et S. Benedicti, licuit ullum reperire vestigium Apostolicae approbationis dictorum Ordinum inter Armenos, neque id asserebatur praesertim de Ordine S. Benedicti a Mabillonio in suis annalibus Benedictinis, neque ullum de Monachismo sive de regulis per Monachos servandis habitum fuerat verbum in Decreto Concilii Florentini, ubi actum est de unione Ecclesiae Armenae cum Romana.

14. His mature perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 1 septembris 1742 respondit: – Dilata, et ad mentem –; sed inde repropositis iisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Veneta Votorum die 14 Decembris 1743.*

15. Clericus itaque professus Militaris Ordinis Christi Lusitaniae dispensatione indiget Apostolica pro assequendo Canonicatu Cathedralis Ecclesiae *in Leyren. Canonicatus die 26 Martii 1707 [die 1 Decembris 1708 et die 6 Iulii 1709 lib. 57 58 et 59 Decretorum.*

16. Siquidem – ex attestatione exhibita et in summario transcripta Prioris Conventus de Thomar ac Generalis omnium Fratrum et Rituum Ordinis Christi constat, Ioseph um Pessoa assumpsisse habitum in dicto Conventu, in eoque professionem emisisse eademmet forma, quam adhibent ceteri *Freyres* (sunt verba Lusitana) Ordinis, vota emittendo obedientiae paupertatis et castitatis, secundum statuta et Pontificias dispositiones. Obtenta autem, uti supponitur, praefatus Pessoa resignatione Canonicatus Cathedralis Ecclesiae Leyriensis a Vincentio Ferreyra, adiit Episcopum pro assequenda dicti Canonicatus possessione: atqui autumans idem Episcopus, illum uti professum in dicto Ordine Militari esse incapacem Beneficiorum secularium, propterea que indigere Apostolica dispensatione, non prius eum instituere voluit in Canonicatu, quam ab eodem facta fuerit obligatio iustificandi intra certum terminum, ipsum Pessoam ex enunciata professione nullam contraxisse incapacitatem assequendi secularia Beneficia, proindeque nulla indigere dispensatoine pro retinendo praedicto Canonicatu. Quoniam vero sub motivo, quod promissa

iustificatio longius protraheretur, Episcopus per sententiam decrevit, fructus et distributiones Canonicatus non esse Pessoae attribuendos, a qua cum is appellaverit ad tribunal Apostolicae Nuntiaturae Lusitanae, ab illius Generalis Auditore, cui Causa commissa fuit, confirmata extitit sententia Episcopi. At delata controversia, ad hanc Sacram Congregationem, requisita de more fuit Episcopi iam transmissa relatio, qui lato calamo Doctorum testimonio probare nititur praeiudicatam eiusdem Professi incapacitatem consequendi Beneficia secularia, eo praesertim sub fundamento, quod dictus Iosephus Orator non sit Miles, ut is asserit, sed Clericus Frater Ordinis Christi. Quocirca Orator ipse, monito agente Episcopi, reverenter quaerit ex diserte deducendis in informatione ab EE. VV. declarari: – An R. D. Iosephus Pessoa Clericus Professus Militaris Ordinis Christi Lusitaniae indigeat dispensatione Apostolica pro assequendo Canonicatu Cathedralis Ecclesiae Leyriensis in casu etc.–,Sacra Congregatio responsum tulit:-Affirmative–*in Leyrien. Canonicatus die 26 Martii 1707 lib.57 Decretorum.*

17. Verum - non acquiescens Pessoa huiusmodi resolutioni, noviter audiri obtinuit, insimulque reportavit ab hac Sacra Congregatione Literas directas Emõ de Comitibus Apostolico Nuncio in Lusitania pro transmissione partitae Professionis ab Oratore emissae nec non formulae professionis, quam emittunt Fratres claustrales et ii de Conventu de Thomar: atque ulterius, ut referret habitus differentiam inte eosdem Fratres claustrales aliosque Fratres propriis in domibus viventes; et, an Fratres dicti Conventus possint et soleant inde discedere, ac proprias repetere domos et inter seculares degere, anve possideant immobilia seu mobilia proprio vel particulari nomine, ac de eorum fructibus disponere; et quaenam differentia voti paupertatis utrosque inter Fratres intercedat; denique tandem, an Ecclesia Parochialis Villae *das Pias,* quam aliquando idem Orator possedit, solita sit conferri dumtaxat Professis saepedicti Conventus cum voto castitatis rigorosae, vel etiam aliis, qui votum castitatis coniugalis tantum profitentur. Quibus quidem omnibus satisfaciens E. S. transmisit partitam professionis, quam Orator Pessoa emisit, quamque emittere solent *Freyres* Equites dicti Ordinis, quae talis est: « Io Fra N. Freire dell' Ordine di Cristo faccio professione a Dio e a Voi Fra N. Superiore di questo Convento in nome del Re nostro Signore come Governatore del detto Ordine, d' ubbidienza di castità e povertà in conformità degli statuti di quest' Ordine fino alla mia morte a Sua Maestà e a tutti li Maestri e Governatori, che per l' avvenire in vita mia canonicamente entreranno nel detto Ordine »; nec non formulam professionis, quam emittunt Religiosi claustrales Conventus de Thomar, quae est huiusmodi: « Ego Frater N. profiteor coram Deo B. Maria Virgine B. P. N. Benedicto et omnibus Sanctis, et promitto obedientiam, secundum regulam et statuta Ordinis Christi, tibi R. P. Fratri N. D. Priori ac Generali totius Ordinis etc. Promitto etiam paupertatem et castitatem usque ad mortem ». Ac insuper retulit Emus Relator differentiam habitus inter Fratres claustrales et alios in propriis domibus viventes, quos ultimos ait appellari *Freyres,* non Fratres, eosque inter seculares degentes libere et licite disponere posse tam in vivis, quam in ultimis de bonis, honeste quaesitis, sed vice versa claustrales, subdit E. S., emittentes tria vota substantialia nunquam ad proprias domos redire posse, neque proprio et particulari nomine immobilia possidere, vel de eorum fructibus disponere, ac tandem perpetuam Coadiutoriam Ecclesiae parochialis *das Pias,* quam ad Regis praesentationem possedit idem Pessoa Orator, haudquaquam Fratribus claustralibus fuisse collatam, ut latius in relatione aliisque documentis desuper transmissis et in Summario dandis –.

18. His interim perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 26 martii 1707 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 1 decembris 1708 respondit: - Dilata –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Leyrien. Canonicatus die 6 Iulii 1709 lib. 59 Decretorum.*

§. XIV.

DISPENSATIO A VOTO CONTINENTIAE SEU LEGE CAELIBATUS

1. Nequit in dubium revocari, quin Summus Pontifex ordinaria sua auctoritate a voto castitatis sacro Subdiaconatus Ordini adnexo queat dispensare *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740* §. *His.*

2. Siquidem insignis sacrorum Canonum doctor et in Romana Curia per multum temporis spatium laudabiliter versatus, Martinus Navarrus testatur, Summos Pontifices saepe cum Diaconibus dispensasse, ut Matrimonium contrahere possent, quemadmodum colligitur ex eius consilio 37 n. 12 lib. 3: – Frequentissime Summi Pontifices dispensaverunt super voto solemnizato per susceptionem Subdiaconatus et Diaconatus in Hispania praesertim, ubi etiam nos cognovimus dispensatos, et Italia, ut frequenter audivimus –; quod ipsum repetit sequenti consilio 38 n. 11, et concordat nonnulla referens exempla Card. De Laurea in quart. sent. tom. 3 disp. 9 art. 9 §. 5 n. 204, nec dissentit P. Maurus in Theologia tom. 3 lib. 13 pag. 289: – Pontifex saepe dispensavit, ut Sacerdotes et Diaconi ducerent Uxores; non enim dispensat in iure divino observandi votum, sed relaxat votum factum per voluntatem hominis, ita ut amplius non obligent –. E contra Card. Albitius in suo tractatu de inconstantia in fide cap. 36 n. 134, haec habet: – Ego tempore mei Assessoratus vidi plures Summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in ordine Subdiaconatus posset contrahere Matrimonium, in Diaconatu constitutos fere nunquam, in Sacerdotio nunquam dispensatos, multo minus in Episcopatu – *in Parisien. Dispensationis die 25 Ianuarii 1721* §. *Insignis.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 22 Maii 1734* §. *Dispensatum.*

3. Disputatio tamen fuit, nec quidem levis, inter Canonistas et Theologos, unde hic nexus suam praecipuam vim obtineat, sive ex voto, sive ex lege Ordini sacro adnexa. Tutiorem sententiam Rota tenuit in decis. 1 de his, quae vi metusve causa fiunt coram Caesare de Grassis, ac inde in Romana Nullitatis Ordinis 14 ianuarii 1754 coram Vicecomite. Sequuta est Rota constantem Ecclesiae usum, quia antiquitus huiusmodi dispensationes concedebantur a Summo Pontifice per Cancellariam iuxta tenorem Brevis, cuius meminit Hieronymus Paulus in prax. Cancellariae, et Corradus in prax. dispens. lib. 4 cap. 9 n. 6 *in Osnabrugen. Dispensationis die 15 Decembris 1764* §. *Verum.*

Item *in Cameracen. Dispensationis die 18 Novembris 1769* §. *Verum; in Posnanien. die 20 Aprilis 1782* §. *Quaestio.*

4. Ratio et fortasse non contemnenda est, quia certum in susceptione Ordinis votum explicitum non habetur; lex vero de continentia servanda, sacro Ordini adnexa, et certa et apertissima est *in Osnabrugen. Dispensationis die 15 Decembris 1764* §. *Ratio.*

5. Nam iuxta Sacrosancti Tridentini Concilii sanctionem nequit quidem dubitari, Subdiaconum teneri ad perpetuam servandam castitatem, sed illius votum non explicitum, sed implicitum est, nec sacro Subdiaconatus ordini intrinsecus et necessario vel naturali vel divino praecepto adnexum, cum tantum accidentaliter ex lege ecclesiastica coniunctum praeseferatur ac extet *in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *Haud.*

6. Hinc licet magna sit inter Doctores disputatio, an, sicuti recipiens ordinem Subdiaconatus per coactionem non absolutam, sed conditionalem, non praecisam, sed causativam, vere recipit characterem, ita etiam teneatur ad continentiam, ex quo votum continentiae est sacro Ordini annexum, uti videri potest in binis magistralibus decisionibus, prima videlicet et secunda Caesaris de Grassis tit. de his, quae vi metusve causa fiunt, in quibus decisionibus auctoritates et rationes hinc inde pugnantes afferuntur, hoc unum tamen certum esse videtur, quod metus licet conditionalis praestat Pontifici iustam causam dispensandi a voto continentiae, quod

est annexum Subdiaconatui, uti habetur in allegata decisione prima: – Ideo Domini magis securum esse existimabant, quod iste Franciscus impetraret dispensationem omnino a Papa, et dicebant, quod huiusmodi metus praestat iustam causam illam concedendi – *in Ipren. Dispensationis die 5 Augusti 1719* §. *Ipren.*

Item *in Parisien. Dispensationis die 25 Ianuarii 1721* §. *At.*

7. Acerrima sane fuit controversia inter antiquos Canonistas, an susceptio sacri Ordinis per coactionem non absolutam, quae est, quando quis vi et manibus violenter attractis tenetur, sed conditionalem seu causativam, ad effugiendos scilicet cruciatus vel mortem, quemadmodum imprimit characterem, iuxta Textum in Cap. *Maiores* de baptismo, ita obliget Ordinatum ad votum continentiae? Super qua Rota in una Valentina coram Caesare de Grassis decis. 1 de his, quae vi metusve causa fiunt, examinato funditus articulo, illum indecisum reliquit, consuluitque Ordinatum, ut dispensationem peteret a Papa, cum huiusmodi coactio seu metus conditionalis iustam praebeat causam dispensandi; in secunda vero propositione Causae amplectendo originariam opinionem Ioannis glossatoris in Can. *Ubi ista* verb. honorem dist. 74 resolvit, taliter Ordinatum non teneri ad votum continentiae, ut in magistrali decis. 2 eod. tit. coram praefato Caesare de Grassis *in Namurcen. Dispensationis die 19 Novembris 1729* §. *Acerrima.*

Item *in Posnanien. die 20 Aprilis 1782* §. *Quaestio; in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790* §. *Primo; in Valentien. Ordinis Subdiaconatus die 31 Maii 1794* §. *At; in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus die 21 Septembris 1816* §. *Contendit.*

8. Votum enim continentiae sicuti ex statuto Ecclesiae est sacris Ordinibus annexum, sic ad sui essentiam exposcit liberam voluntatem, qua cessante, licet character imprimatur, votum tamen continentiae Ordinibus annexum non est obligatorium, uti recedendo a binis praecedentibus decisionibus bene firmavit Rota in decis. 870 coram Emerix Iun. n. 1 et 2 *in Parisien. Dispensationis die 25 Ianuarii* §. *At die 12 Iulii 1721* §. *Transmissae.*

Item *in Monasterien. die 5 Decembris 1722* §. *Hermannus; in Namurcen. Dispensationis die 16 Decembris 1724* §. *Ioseph; in Arelaten. Dispensationis die 17 Februarii 1731* §. *Testes; in Gratianopolitana die 3 Iulii 1762* §. *Haec; in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *Haud; in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831* §. *Igitur.*

9. Unde hanc opinionem postmodum sequuti sunt communiter moderniores Theologi et Canonistae, ut videre est apud Barbosam vot. decis. 77 a n. 27, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 19 n. 5, Pignatell. consult. 77 per totum tom. 7, Fagnanum in Cap. *Maiores* de Baptismo a n. 101, Anacletum in ius can. lib. 1 tit. 40 §. n. 58, Pirringhum in ius can. lib. 5 tit. 6 n. 2 cum aliis apud Rotam in Recent. decis. 40 part. 6, et decis. 870 a n. 1 coram Emerix, Benedict. XIV in instruct. pro Cophtis in eius Bullar. tom. 1 Constit. 129 §. 21 *in Namurcen. Dispensationis die 19 Novembris 1729* §. *Acerrima.*

Item *in Biterien. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790* §. *Primo; in Valentina Ordinis Subdiaconatus die 31 Maii 1794* §. *At.*

10. Quapropter ordo sacer Subdiaconatus, qui vi coactiva et absoluta collatus invito nullum imprimit characterem, iuxta definitionem Textus in Cap. *Maiores* §. Item quaeritur de Baptismo, characterem quidem imprimit consentienti per metum cadentem in constantem Virum; quia etiam voluntas coacta voluntas est, sed eum non obligat ad votum continentiae, quod non est de substantia Ordinis, sed illi fuit per Ecclesiam adnexum, ut tenent Glossa in dicto §. Item quaeritur verb. conditionaliter, et Doctores relati a Barbosa de offic. et potest. Episcop. alleg. 15 n. 5 *in Gratianopolitana die 3 Iulii 1762* §. *Item.*

Item *in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *Haud.*

11. Unde hanc doctrinam etiam Sacra Congregatio amplexa est; quum enim Pater asperae et ferocis naturae reiteratis et atrocissimis minis ac saepe cum baculo filium aggressus fuerit, ut susciperet ordinem Subdiaconatus, illumque deterrens privatione omnium bonorum, Sacra Congregatio primum

quidem censuit, Oratorem teneri ad votum continentiae, nec esse locum dispensationi, sed inde ex eo quod vis et metus cadens in constantem Virum videbatur, absolute declaravit, eumdem haud teneri ad votum continentiae, quin indigeret beneficio seu gratia dispensationis, reservata etiam favore ipsius pensione super Canonicatu, quem possidebat *in Namurcen. Dispensationis die 16 Decembris 1724 die 19 Novembris 1729 et die 10 Martii 1731.*

12. Enimvero Ioseph Franciscus Germain sacrum Subdiaconatum ordinem recepit anno 1718, ac inde Summo Pontifici supplicavit pro dispensatione a voto continentiae. Episcopus Namurcensis plura retulit circa vim et metum Oratori a suo Genitore incussum, ut Sacrum Subdiaconatum ordinem reciperet, nec non Testium depositiones transmisit, ex quibus praetendebatur, metum cadentem in constantem Virum esse probatum, et sic, non obstante characteris impressione, votum continentiae Subdiaconatui annexum non esse obligatorium. Propositis vero dubiis: – I. An Orator teneatur ad votum continentiae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Namurcen. Dispensationis die 16 Decembris 1724.*

13. Orator, nova obtenta audientia, nova iura adducens, institit pro recessu a decisis, et ad hunc effectum exhibuit informationem moderni Episcopi, qui commiserans eius deplorabilem statum ita subiunxit: – Ausim denuo Sacrae Congregationi repraesentare, addens quod per Testium depositiones his adiunctas Genitor Oratoris praedicti notetur fuisse asperae et ferocis naturae, ac solitus exequi minas, unde non mirum, quod saepefatus Orator exponat, se vi ac metu gravi cadente in constantem Virum sacrum Subdiaconatus ordinem suscepisse, ob minas privationis proprii patrimonii et alias a Patre ei factas, uti latius Testes deposuerunt. Deinde quia dictus Orator Canonicus est in Capitulo utriusque sexus, verendum semper erit, ne eiusmodi Vir suae conditionis oblitus Damicellas Canonissas vesana libidine prosequatur, unde scandala maxima et nobiliorum familiarum inhonorationes oriri possunt; quibus sane eo nunc nullo opportuno magis remedio succurri potest, quam per petitae dispensationis conditionem, ob causas praeallegatas vis et metus gravis cadentis in constantem Virum, incussi a Genitore asperae et ferocis naturae solito minas exequi, et scandali vitandi. Quibus addo, quod nulla sit spes, hunc Subdiaconum taedio sui status affectum fore Ecclesiae unquam utilem; quapropter censeo, necessarium esse hunc ab onere sibi involuntarie imposito solvere potius, quam eo ligatum retinere. Hinc solitam benignitatem EE. DD. ad effectum gratiae petitae consequendum imploro –. Quatuor erant depositiones Testium nuper adductae et insertae in praedicta transmissa relatione Episcopi (ad perpetuam tamen examinatorum), qui deponebant de feroci et aspera natura Patris soliti minas exequi, et inter illos aderat Anna Catharina Simon tunc temporis ancilla eiusdem Patris, quae de visu testabatur de reiteratis et atrocissimis minis Patris saepe cum baculo aggredientis et insequentis filium fugientem ac detrectantem, se nolle Subdiaconatus ordinem suscipere, illumque deterrentis, nil alias substantiae paternae ei fore relicturum. His circumstantiis plures alias Orator addidit, ad suadendam coactivam susceptionem Ordinis, et praecipue totalem aversionem a statu ecclesiastico, reiteratas suas conquestiones tam ante, quam post susceptum Subdiaconatus ordinem, et quod nunquam ministrare voluerit in eodem Ordine.

14. His interim perpensis, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 novembris 1729 respondit: – Dilata, et examinentur Testes formiter; et scribatur tam Ordinario Leodiensi, quam Namurcensi, iuxta instructionem –. Instructio directa Episcopo Namurcensi in eo stetit, quod Testium depositiones, in eius relatione enunciatas, praevio formali examine ac servatis servandis, recipi mandaret, illasque transmittendo referret, de quo tempore dictus Orator de Canonicatu provisus fuerat, an eidem Canonicatui Ordo sacer esset adnexus, et an a die suscepti Ordinis usque ad praesentem diem in dicto Subdiaconatu ministraverit. Instructio vero directa Episcopo Leodiensi ea erat, ut, audito Episcopo Ther-

mopolensi suffraganeo, qui ordinem Subdiaconatus contulerat eidem Oratori, referret super praetensis violentiis in susceptione dicti Ordinis ei illatis, an scilicet super hoc puncto aliquid sciret, aut ad eius aures pervenerit tam de eo tempore, quam de praesenti; ac demum, an toto tempore, quo idem Orator permansit in Diaecesi Leodiensi', unquam in suscepto Subdiaconatus ordine ministraverit. Relationes utriusque Ordinarii pervenerunt, ex quibus resultabat, Oratorem de anno 1718 Canonicatum obtinuisse per viam resignationis, nec satis compertum esse, quod eidem Canonicatui esset Ordo sacer annexus. Examen duorum Testium allatum est: ac denuo iidem Episcopi Sacrae Congregationi supplicarunt, quod Orator ab eiusdem continentiae vinculo liberaretur[1], et quia habitum clericalem eousque gesserat in Ecclesiae scandalum, opportunum erat providere cum petita dispensatione. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit:- Praevio recessu a decisis, non teneri ad votum continentiae; et ad mentem (1) – *in Namurcen. Dispensationis die 10 Martii 1731.*

15. Quin imo quum Orator ob metum gravem et cadentem in constantem virum Subdiaconatum susceperit, Sacra Congregatio, licet propositum fuerit dubium quoad dispensationem a voto continentiae, respondit, constare de nullitate voti continentiae *in Gratianopolitana die 3 Iulii 1762.*

16. Enimvero Franciscus Vincentius Dumolard natus in Diaecesi Gratianopolitana die 11 aprilis 1732, postquam anno 1746 clericali Tonsura initiatus, et anno 1752 ad quatuor minores Ordines promotus fuerat, die 21 septembris 1754 sacrum Subdiaconatus ordinem suscepit; sed narrans, id egisse per vim et metum sibi incussum a Vincentio Patre, die 8 decembris 1759 supplicavit Summo Pontifici pro dispensatione a voto continentiae, ut libere posset Uxorem ducere. Processu hinc rite compilato, narrarunt Testes, Vincentium Dumolard Oratoris Patrem, virum militarem asperae et severae indolis, et solitum minas exequi, eumdem Oratorem filium suum addixisse militiae ecclesiasticae, ut Beneficio aliquo acquirendo opem ferret familiaribus angustiis suae copiosae sobolis octo filiorum, quos alebat modico censu annui librarum biscentum; et praecognita filii renuentia, qui aversum ostendebat animum a clericali statu, eum educandum tradidisse Presbiteris Missionis Lugdunensis, ut illum scientiis et spiritu ecclesiastico imbuerent, incassum licet, quia filius a clericatu refugiens, suam repugnantiam iugiter indicabat, eaque literis Patri saepe enunciata, et recepta clericali Tonsura, post biennalem moram tandem iniussus recessit domumque paternam repetiit. At filium reducem noluit Pater domi recipere, nisi sub conditione prosequendi studia in Civitate Gratianopolitana; quodque integro quadriennii lapsu, quo filius mansit in scholis vel domi, clericatum, quem ipse refugiebat, ei Pater assidue suadebat, filiumque invitum coegit Seminarium adire, ubi sex mensibus permansit, et quatuor minores Ordines suscepit adactus imperio Patris, qui, minas repetens, per literas filium monuit, – come Padre non devo solamente fare delle rappresentazioni, ma devo constringervi ad eseguire li nostri progetti –, ut legebatur in epistola in processu inserta. Domum reversus Orator, rei agrariae diligentius incubuit, ut Patrem flecteret, ne amplius cogeretur invisam prosequi vitam clericalem: sed nec ipse deposuit animum contrarium clericatus, nec Pater cessavit a molestiis, dum filium habitum clericalem dimittere enitentem iniuriis minis et verberibus crebro affecit, et semel in privatum carcerem reclusit, peiora minatus, nisi filius suae voluntati obtemperasset; quare filius et paternos lares saepe deseruit, ut Patris inclementiam effugeret, et militiam secularem sequi deliberavit, revocatus inde ab amicis, et maternis lacrymis. Postremo urgente Patre, Gratianopolim filius petiit Subdiaconatum susepturus, suasus a proprio Parocho, quod facili negocio postmodum impetrare potuisset a S. Sede dispensationem a voto continentiae, sive, ut Parochus dixit, Deus gratias eidem tribuisset, et laetus esset, et in omnem eventum, si in eadem perstitisset repugnantia, dispensationem assequi valuisset:

(1) Mens est, ut admittatur Orator ad resignationem Canonicatus cum reservatione pensionis, neque in favorem certae personae, sed per eumdem facienda sit dimissio dicti Canonicatus libere in manibus Sanctissimi, ceu videre est in lib. 81 Decretorum pag. 102.

et cum prope immineret Ordinationis dies, triduo ante Pater eum monuit per epistolam, – se voi siete tanto ardito di tirarvi indietro, non comparirete mai più avanti a noi; io vi farò rinchiudere in un luogo per il restante de' vostri giorni, dove vi fárebbero digiunare in pane ed acqua, per non dire morir di fame –. Ordine successive suscepto, moerens domum reversus est, et saepius effundens querelas passae coactionis, nunquam in Subdiaconatus ordine ministravit, imo clericalem habitum dimisit, postquam Pater aetate gravis properans ad extremum diem, (quam annos natus 87 clausit die 16 septembris 1756) poenitentia ductus consensit, ut filius supplicaret pro dispensatione voti, quod servare non posse semper professus fuerat.

17. Haec Testes deposuerunt, cum quibus concordabat ipse Orator in sua depositione. Idcirco sustinuit, se haud teneri ad votum continentiae. Verum Defensor Ordinis excepit, nec legitimas esse allatas probationes, quia Testes fuerunt summarie auditi, sine interrogatoriis; nec metum concludere cadentem in constantem virum, quia Orator potuisset Episcopi auctoritatem implorare, quando sine Patre et Sociis ab eo datis Gratianopolim petiit pro suscipiendo sacro ordine Subdiaconatus, vel alias adire legitimas potestates, illarumque imperio refraenare iniustos Genitoris conatus, cum praesertim grandaeva illius aetas 85 annorum et rei familiaris angustia inefficaces redderent illius minas quoad Iuvenem validum et adultum, cui facultas suppetebat, victum sibi comparandi proprio labore et industria, uti in praesens eum agere in propria domo testabatur Episcopus. Ubi enim mala comminata possunt facili negocio, vel alia ratione vitari, contendit Defensor Ordinis, dispensationem non esse indulgendam, ut firmavit Rota in Romana Nullitatis voti 14 ianuarii 1754 §. 10 coram Vicecomite.

18. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi a voto continentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Constare de nullitate voti continentiae – *in Gratianopolitana die 3 Iulii 1762.*

19. Quando autem metus haud talis quidem sit, sed nihilominus de eius gravitate ambigi nequeat, tum locus est dispensationis nam Sacra Congregatio declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a voto continentiae, ex eo quod Orator probaverit, se ad sacrum Subdiaconatus ordinem compulsum fuisse a militari Patre per diuturnas asperasque relegationis minas privatum in compedibus ieiuniisque carcerem ac violentum equinae caudae tractum *in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790.*

20. Siquidem dum secundum supra vigesimum agebat annum Subdiaconatus ordinem ab Episcopo Montis Pessulani accepit Ioannes Petrus Silvestre ex Oppido Paulhan Biterrensis Diaecesis in Galliis die 11 iunii 1776. Sed veluti ad id paternis coactus minis atque saevitiis, ad maiores non ascendit Ordines, sibique victum, Biterrensi Episcopo teste, ex labore manuum industriaque comparare consuevit. Anno tandem 1787 Biterrensem adiit Curiam, confectoque per eius constitutum Testiumque examen de passa violentia processu, declaratum ab ea fuit, citato et annuente Promotore fiscali, quod Ioannes Petrus Silvestre coactus fuerit, ut sacrum Subdiaconatus ordinem susciperet, quodque supplicare idcirco deberet Summo Pontifici, ut vinculum, quo devinciebatur, sacri Ordinis persolveret. Duo igitur Subdiaconus a Summo Pontifice postulavit, declarationem nempe nullitatis voti continentiae, vel dispensationem ab illius observantia. Episcopus Biterrensis retulit, – quod Pater Oratoris ad calcem libelli assignatorii respondit, se vim reipsa intulisse praefato Petro Silvestre, ut dictum sacrum Subdiaconatus ordinem susciperet; responsionem signavit signo manuali, quod verum et authenticum esse recognovimus et recognoscimus–; censuitque, dictum – Petrum Silvestre vere a Patre suo coactum fuisse sacrum Subdiaconatus ordinem suscipere, dignumque videri, quem Sua Sanctitas benigne excipiat, et cum ipso super Subdiaconatus ordine dispenset, quod saluti Oratoris Ordinisque ecclesiastici honori erit quam maxime utile –. Hinc et quatuor iudiciales Testes deposuerunt, eum ad sacros Ordines compulsum a militari Patre per diuturnas asperasque relegationis minas, privatum in compedibus ieiuniisque carcerem, ac violentum

equinae caudae tractum. Duplex accedebat ipsius Patris epistola, altera anni scilicet 1770, et altera diei 12 maii 1776 per dies ante ordinationem viginti scripta, in quibus eadem minabantur. Defensor Ordinis vero notavit, quod duo ex iudicialibus Testibus essent feminae, quodque harum altera dumtaxat de publico deponeret ad equinam caudam tractu. Reliquos veluti de auditu ab Oratoris Patre ex pervulgata regula sprevit, vixque ad liberum suadendum consensum in ordinationem praetermissam innuit coactionis querelam posteriusque plurium annorum silentium; ex hoc namque tacita desumebatur accepti Ordinis ratihabitio. Advertebatur tamen ex constituto Oratoris, quod semper fuit – disperato di essere impegnato nel Suddiaconato –; et nunquam hac de causa acceptum Ordinem exercuit, quodque viventis Patris timore siluit.

21. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Orator teneatur ad votum continentiae et ad alia onera Subdiaconatui adnexa in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative – *in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790.*

22. Unde locus est dispensationi super voto continentiae, cum Orator ordinem Subdiaconatus receperit per vim et metum a Matre indolis et naturae admodum violentis et vehementis ita incussum, ut eum esset omnino derelictura, ac ideo ipse foret ad paupertatem redigendus, si imperio Matris de suscepto Subdiaconatu non paruisset *in Ipren. Dispensationis die 5 Augusti die 2 et die 16 Decembris 1719.*

23. Siquidem Maximilianus Carolus de Coupigni vir nobilis, cum esset in aetate annorum 21, Subdiaconatus ordinem recepit anno 1711: sed inde Summo Pontifici supplicavit pro dispensatione super voto continentiae sub obtentu, quod Ordinem receperit per vim et metum a Matre illatum. Officialis Iprensis retulit, exposita in facto subsistere, et nonnullas attestationes transmisit, in quibus habebatur, comitissam Oratoris Matrem, quae erat vidua et usufructuaria bonorum nec non indolis et naturae admodum violentae et vehementis, eidem minatam fuisse, quod ipsum esset omnino derelictura, si sacros Ordines suscipere recusasset. Accedebat ipsius Maximiliani examen, in quo praedicta omnia exposuit ac addidit, se ab Episcopo Ambianensi recepisse ordinem Subdiaconatus virtute Dimissorialium Episcopi Iprensis sui Ordinarii, quae fuerant a Matre ad se transmissae una cum literis comminatoriis. Eques etiam de Coupigni frater natu maior suum libentissimum praestabat pro dispensatione assensum; et Nuntius Galliarum sibi constare asseruit, quod revera Maximilianus per vim et metum a Matre incussum Subdiaconus factus est. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes, iuxta instructionem – *in Ipren. Dispensationis die 5 Augusti 1719.*

24. Instructio fuit exarata et transmissa, tam ad Nuncium Galliarum, quam ad Officialem Iprensem, et in instructione apposita fuerunt sequentia verba: – Supplicavit Sanctissimo Domino nostro Subdiaconus Maximilianus Carolus de Coupigni Iprensis Diaecesis pro dispensatione super voto continentiae eo sub obtentu, quod Subdiaconatus ordinem receperit per vim et metum sibi a Matre illatum, precibusque ad hanc Sacram Congregationem remissis, EE. PP. audita tua relatione nonnullisque attestationibus, super dictis vi et metu transmissis, inspectis, resolutionem propositi dubii, an sit locus petitae dispensationi, differentes censuerunt, coadiuvandas esse probationes, tam super praedictis vi et metu, quam etiam super aetate Matris de tempore, quo metum incussit, et super quantitate bonorum paternorum Oratoris, ex eo quia in libello dicti Maximiliani exponitur, quod eius Mater, quae metum incussit, erat vidua et usufructuaria bonorum, cum etenim metus ad effectum, de quo agitur, debeat esse cadens in constantem Virum; talis in praesenti casu esse posset, si Maximilianus Orator, vel per longum tempus vivente Matre, vel etiam post illius obitum, fuisset ad paupertatem redigendus, quatenus imperio Matris de suscipiendo Subdiaconatu non paruisset. Super his itaque punctis probationes recipias et Testes, qui

haberi poterunt, formiter et congruis adhibitis interrogatoriis examinari cures, ac processum deinde confectum ad Sacram Congregationem transmittas –. Superventis itaque huiusmodi documentis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 2 decembris 1719 respondit? – Dilata –, et mox responsum tulit: – Affirmative – *in Ipren. Dispensationis die 16 Decembris 1719.*

25. Subtractio enim alimentorum a Parentibus ob id filio facta, ut Subdiaconatus ordinem susciperet, causare potest metum, qui dici debet, iustam praebere dispensandi causam secundum ea, quae disserit Pitonius in discept. 110 n. 4 tom. 4 *in Posnanien. die 20 Aprilis 1782* §. *Hunc.*

26. Idcirco cum formiter probatum fuerit, quod Parentes etiam per alimentorum subtractionem filium coegissent ad recipiendum sacrum Subdiaconatus ordinem, Sacra Congregatio declaravit, consulendum esse Summo Pontifici pro dispensatione super voto continentiae, etiamsi praedictus filius longe a Parentibus commoraretur *in Posnanien. die 11 Maii et die 13 Iulii 1782.*

27. Enimvero ut ordinis Subdiaconatus a se suscepti nullitas definiretur, vel ut sibi Apostolica concederetur dispensatio, preces obtulit Summo Pontifici Subdiaconus Taddaeus Stanisziwski Posnaniensis Diaecesis. Contendit enim, sacrum Ordinem nonnisi per vim et metum a Ioanne Sigismundo Patre sibi incussum suscepisse, quippe quia Pater saepius constanterque protestatus fuerat, se filium Romae degentem derelicturum, nec opem pro necessaria illius sustentatione fore praestiturum, nisi sacer Subdiaconatus ordo ab eodem filio susciperetur, et reipsa eum in finem adigendi ad sacros Ordines suscipiendos alimenta illi denegasse, unde factum est, quod Orator miseriis aereque alieno pressus Subdiaconatus ordinem susceperit; postmodum vero ipsum Patrem non semel fassum fuisse gravem animi sui moerorem ac poenitentiam, tum ob vim et metum illatum filio suo, tum ob vinculum sacri Ordinis, quo idem eius filius reperiebatur obstrictus. Revera ipsemet Orator vix Subdiaconatus ordine fuerat insignitus, moerens et conquerens saepius testatus est, se prorsus invitum atque ob saevitiam Patris alimenta sibi denegantis, ad Subdiaconatus ordinem fuisse compulsum. Episcopus super expositis processum confecit et ad Sacram Congregationem transmisit, Oratoris voto consonam aperiens sententiam, eo quod quae praefatus Orator exposuit, in facto revera existebant. Unde proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 maii 1782 responsum tulit: – Consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis –. Reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Posnanien. die 13 Iulii 1782.*

28. Ubi enim res est de simplici Subdiaconatu, qui, cum olim in primitiva Ecclesia inter Ordines sacros adnexum habentes castitatis votum minime recenseretur, non adeo graves in hunc finem postulat causas, quemadmodum patet ex maiori facilitate, qua Summi Pontifices dispensationem a voto castitatis consuevere Subdiaconis impertiri iuxta ea, quae late cum aliis recenset Bottinius Archiepiscopus Mirensis in eius voto relato apud Vincentium de Iustis a n. 14 *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740* §. *Verumtamen.*

29. Indubia quippe res est, quod olim inter minores Ordines recensebatur Subdiaconatus, et nonnisi quam saeculo XI inter sacros Ordines cepit numerari, uti colligitur ex Micrologo de Eccles. observ. 8, et probat Morin. de Sacram. Ordin. part. 3; atque hanc disciplinam confirmavit deinde Concilium Tridentinum in sess. 23 cap. 2 de reformatione *in Cameracen. Dispensationis die 18 Novembris 1769* §. *Praetermissa.*

30. Quin imo si quis nedum Subdiaconatum, sed et Diaconatum per vim et metum a Patre violentae admodum naturae sic incussum receperit, ut ei minatus fuerit exheredationem eumdemque annuo reditu ipsi assignato spoliaverit pluries percusserit ac bis e domo eiecerit, nullum subest dubium, quin locus sit dispensationi super voto continentiae *in Parisien. Dispensationis die 25 Ianuarii et die 12 Iulii 1721.*

31. Iamvero Carolus de Coetlogon vir nobilitate conspicuus, cuiusque familia inter Britaniae antiquiores adscripta, consanguinitatis

et affinitatis vinculo coniuncta erat cum illustrioribus Regni Franciae familiis, Summo Pontifici exposuit, se per vim et metum a Patre incussum Subdiaconatum et Diaconatum recepisse, enixe supplicando pro dispensatione super voto continentiae. Ad probandum metum protulit epistolam domini Cardinalis de Bissi, in qua Eminentia sua dicebat, primo se audivisse Patrem de Tournemine Religiosum Societatis Iesu Carolique Oratoris nepotem, qui asseruit, sibi constare, Marchionem de Coetlogon suum magnum avunculum violentae admodum naturae minatum fuisse Carolo filio exheredationem, nisi sacros Ordines Subdiaconatus et Diaconatus suscepisset, eumque utpote spatio sex annorum Ordines recipere recusantem spoliasse annuo reditu duarum millium centum et amplius librarum Turonensium ipsi assignatarum; secundo se audivisse Ludovicam de Coetlongon Caroli Patruelem, quae post redditam de violenta memorati Patris natura, addidit, notorium toti familiae fuisse, Oratorem per vim et metum sibi a Patre incussum fuisse sacris Ordinibus initiatum, Patremque voluisse, ut ille a Seminario S. Sulpitii exiret, ex quo Superiores, qui eius aversum animum bene noverant, nolebant, quod ad Ordines sacros promoveretur; tertio se audivisse Sacerdotem Laurentium de la Garde caeremoniarum Magistrum in Parochia et Seminario S. Sulpitii virum aetate ac moribus gravem, qui narravit, se pluries Patri notificasse, quod filius nolebat Ordinibus sacris initiari, et quod ad eos vocatus non erat, quodque Pater obduratus respondit, ad se et non ad alios pertinere iudicium ferre de vocatione filii sui, addendo, Carolum aliquando noluisse suum nomen inscribi in albo Ordinandorum, nec se eum unquam vidisse Subdiaconalia aut Diaconalia munera exercentem; quarto se audivisse Ioannem Sourdrille civem Parisiensem, qui per multum temporis spatium Cellerarii officium exercuit in domo Marchionis de Coetlogon, qui dixit, ab eo fuisse Carolum filium bis e domo eiectum et pluries percussum propter aversionem, quam habebat a statu ecclesiastico et a sacris Ordinibus, fuisse alterius a Patre spoliatum annuo reditu duarum mille centum et triginta quinque librarum, ita ut Carolo ad miseriam redacto, ipse pietate motus, nummos pro substentatione aliquando subministraverit; denique se audivisse Parochum S. Sulpitii Languet de Gergis, Pastorem maximopere commendabilem, qui dixit, se suis literis Summo Pontifici exposuisse, quod Carolus invito animo fuerat sacris Ordinibus initiatus. Praeter epistolam memoratam Emi D. Card. de Bissi protulit etiam epistolam Patris de Tournemine scripta Summo Pontifici una cum testimonio relati Parochi S. Sulpitii, in quibus invitus Caroli animus, Patris durities eiusque malae artes, ut filius sacros Ordines reciperet, exponebantur. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes, iuxta instructionem – *in Parisien. Dispensationis die 25 Ianuarii 1721.*

32. In instructione dictum fuit; primo, quod quia metus constituebatur in timore incusso exheredationis, in sublatione assignamenti, in verberibus et in eiectione e domo paterna, de quibus omnibus testabantur tantummodo Testes singulares, Eminentia Sua curaret, ut super unoquoque capite Testes Contestes deponerent, et quod ulterius sublatio assignamenti coadiuvaretur ex documentis et partitis aedis publicae; secundo, quod ignorabatur praecisum tempus obitus Marchionis Patris, et quod ideirco necessarium erat, ut illud Sacrae Congregationi notificaretur; tertio, quod liquido non constabat, an minae Oratori illatae praecesserint tantum receptionem Subdiaconatus, an vero fuerint repetitae inter Subdiaconatum et Diaconatum, in quo rerum statu opportunum admodum erat pro Causae resolutione, ut minarum tempus statueretur; quarto, quod de oblata a Patre pecunia filio et ab ipso recepta, sicuti ignorabatur, an praecesserit omnium sacrorum Ordinum susceptionem, vel potius fuerit intermedia inter Subdiaconatum et Diaconatum, sic congruum omnino erat, ut tota haec series facti fideliter exponeretur; ultimo tandem insinuatum fuit, quod Testium depositiones in scriptis reducerentur et iuramento confirmarentur, tam loquendo de Testibus, quorum meminit Emus Card. in prima epistola, quam de aliis, quos ad primorum confirmationem afferri contingeret. At Emus Card. de Bissi ad primum instructionis ca-

put respondit, moraliter esse impossibile plures reperire Testes Contestes super eodem actu, cum ageretur de factis non palam, sed intra domus penetralia, nec pariter possibile esse coadiuvare ex documentis et partitis aedis publicae sublationem assignamenti, cum in vim Regii diplomatis editi anno 1713 antiqui contractus fuerint suppressi, sed suffragari excerptum ex inventario confecto post obitum Caroli Patris, ex quo colligebatur, tres contractus sub nomine filii et in eius favorem initos post septem annos fuisse Genitori retrocessos. Ad secundum dixit, Caroli Patrem mortuum fuisse anno 1712, sed tanti temporis acquiescentiam non videri, quod obesset Oratori; primo quia ille statim post obitum Patris exuit habitum clericalem; secundo quia bini iam elapsi erant, ex quo promovit instantiam pro dispensatione; et demum quia habita ab expeditore notitia expensae ascensurae ad non exiguam nummorum quantitatem pro dispensatione obtinenda, coactus fuit petitionem ad tempora opportuniora differre. Ad tertium retulit, minas Subdiaconatum praecessisse, et fuisse ante Diaconatum repetita. Ad quartum affirmavit, fuisse a Patre ante Subdiaconatum oblatam filio, et post Subdiaconatum ipsi solutam summam viginti trium millium librarum, quae non fuit donum, sed restitutio partis contractuum ei antea subductorum, et rursus fuisse eidem filio a Patre promissas ante Diaconatum, sed nunquam solutas alias viginti mille libras. Transmissae etiam fuerunt a praefato Card. Bissi receptae et iuratae Testium depositiones.

33. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Parisien. Dispensationis die 12 Iulii 1721.*

34. Idcirco metus gravis sufficientem Summo Pontifici causam subministrat dispensandi a voto continentiae *in Ipren. Dispensationis die 5 Augusti 1719* §. *Supplicationi.*

Item *in Monasterien. die 5 Decembris 1722* §. *Hermannus; in Namurcen. Dispensationis die 19 Novembris 1729* §. *Attamen; in Constantien. Dispensationis die 22 Maii 1734* §. *Dispensatum; in Gratianopolitana die 3 Iulii 1762* §. *Haec; in Valentien. Ordinis Subdiaconatus die 31 Maii 1794* §. *Nisi.*

35. Potissimum ubi agitur de Iuvene, in quo timeri potest incontinentia, Corrad. in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 a n. 27, Card. De Luca de matrim. disc. 9 n. 5, Ursaya discept. 12 a n. 19 tom. 1 part. 1 *in Valentien. Ordinis Subdiaconatus die 31 Maii 1794* §. *Nisi.*

36. Unde coactio seu metus debet esse gravis et cadens in constantem virum, nec sufficit levis et vanus, ut observat Fagnanus in cap. *Maiores* de Baptismo n. 92, Rota in decis. 40 Recent. part. 6 a n. 4, aliique *in Namurcen. Dispensationis die 19 Novembris 1729* §. *Coactio.*

Item *in Posnanien. die 20 Aprilis 1782* §. *Hunc; in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790* §. *Ex iis; in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus die 21 Septembris 1816* §. *Quatenus.*

37. Nam minae ac saevitiae, quae in constantem Virum cadunt, metum incutiunt, qui consensum removet et irritat actum, Fagnan. in cap. *Maiores* de Baptismo n. 94, Piton. discept. 110 n. 3 tom. 4 *in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790* §. *Ex iis.*

38. Ad evincendum itaque metum huiusmodi, duo coniunctim probanda sunt: et malum, quod timetur esse per se grave, non ex vana opinione metuentis: et quod certitudine saltem morali hoc grave malum immineat: altera ex hisce conditionibus deficiente, corruit probatio illius metus, qui valeat votum irritare, Barbosa vot. 77 n. 47, Reiffenst. lib. 1 Decret. tit. 40 n. 19, Schmalzgrueber lib. 1 Decret. tit. 40 §. 1 n. 3 *in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus die 21 Septembris 1816* §. *Quatenus.*

Item *in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831* §. *Haec.*

39. Metum enim non praesumi, sed esse probandum docet Mascard. de probat. concl. 1053; – neque sufficit in ordine ad actum, tradit Piringh in ius can. lib. 1 tit. 40 §. 2 n. 7, ut vim passus voluntate et animo dissentiat, sed requiritur, ut etiam externis corporis facultatibus resistat, et quantum potest, impediat actum externum – *in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831* §. *At.*

40. Hinc et voluntatem cogere dicitur etiam metus reverentialis, proindeque ipse quo-

que iustam praebet causam dispensandi a voto continentiae, Fagnan. in cap. *Maiores* de Baptismo n. 103, Ursaya tom. 2 part. 1 discept. 13 n. 4 *in Cameracen. Dispensationis die 18 Novembris 1769* §. *Inquit.*

Item *in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831* §. *Igitur.*

41. Indubium tamen est, quod eo vel magis metus etiam reverentialis probari debeat; alias enim licet Subiaconus iuramento firmaverit, se sacrum Ordinem recepisse ob incussum a Patre metum suae et totius familiae indignationis exheredationis nec ulterioris in filium agnationis, nec non duo Testes de austera dicti Patris indole deposuerint atque crediderint, quod ille dictum Ordinem recepisset ex metu gravi reverentiali, nihilominus, quum ex processu mox extructo haud scateret probatio metus, Sacra Congregatio nedum declaravit, Oratori teneri ad votum continentiae, sed nec esse locum dispensationi *in Monasterien. die 19 Decembris 1722 et die 15 Ianuarii 1724.*

42. Siquidem Hermannus Antonius de Velhen Canonicus Cathedralis Ecclesiae Monasteriensis Summo Pontifici exposuit, se per vim et metum ordine Subdiaconali fuisse insignitum, metumque sibi fuisse a Christophoro Alexandro Patre incussum; supplicavitque pro declaratione exemptionis ab observantia voti continentiae, et quatenus opus esset a dispensatione ab eodem voto. Administrator Apostolicus Episcopatus Monasteriensis pro informatione requisitus respondit; primo, quod Christophorus Alexander Pater Hermannum Antonium filium induxit ad recipiendum ordinem Subdiaconatus incusso metu suae et totius familiae indignationis, exheredationis, nec ulterioris in filium agnationis, ut ex assertione iurata eiusdem Christophori Alexandri ostendebatur; secundo, quod duo Testes de austera Patris indole deposuerunt subdendo, se credere, quod Orator ordinem Subdiaconatus receperit ex metu gravi reverentiali; tertio, quod saepe memoratus Hermannus Antonius iuravit, se modo praedicto fuisse ordine Subdiaconali initiatum; quarto nunquam fuisse ab eodem dictum Ordinem exercitum, quae probationes omnes compilatae fuerunt, contradicente Promotore fiscali, cuius etiam oppositionibus satisfactum est. Propositis interim dubiis: – I. An Orator teneatur ad votum continentiae in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Coadiuvandas esse probationes, iuxta instructionem – *in Monasterien. die 19 Decembris 1722.*

43. In executionem huius Decreti exarata fuit instructio, eademque transmissa ad Apostolicum Monasteriensem Administratorem, et in istructione dictum fuit; primo, quod examini formali subiiceret Christophorum Alexandrum Hermanni Patrem; secundo, quod examini pariter formali subiicerentur Testes, qui de metu incusso deposuerunt, iidemque interrogarentur super causa scientiae; tertio, quod quatenus alii Testes haberi possent de visu et auditu alieno, vel de publica voce et fama super asserto metu, iidem etiam formiter examinarentur; ultimo demum, quod Administrator Sacrae Congregationi notificaret statum familiae Oratoris tam de tempore suscepti Subdiaconatus, quam de praesenti, an videlicet tempore Subdiaconatus alii adessent Oratoris Fratres, et an ipse tunc solum adesset ex sua familia superstes. Paritum fuit mandatis, novaeque supervenerunt probationes. Repropositis vero dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Monasterien. die 15 Ianuarii 1724.*

44. Idcirco si Testes generaliter et vage de vi metuque testimonium ferant, neque speciem ullam illati metus exprimant, cum praesertim de Iuvene vicennio maiori res sit, et non de Patre, sed de Matre et de Consanguineo, qui illum intulerunt, ut is sacrum Subdiaconatus ordinem reciperet, haudquaquam est locus dispensationi super voto continentiae *in Catanien. Dispensationis die 9 Septembris 1752.*

45. Siquidem postulavit Franciscus Dominicus Nicolosius Subdiaconus dispensationem a voto continentiae, quod vi metuque illato a Matre et a consanguineo Ludovico Pappalardo viro potenti Ordinem illum invitus susceperit: his, dixit, subiectum fuisse a pueritia, quo tempore Pater decessit, et ab his semper metuisse; anno 1737 cum studia iuris prosequi vellet, deterritum fuisse a Matre minis et verberibus, ut eadem studia dese-

sum, in quo tres inducti Testes rite sub iuramento examinati confirmarunt ea omnia, quae alii quinque Testes superius enunciati circa recensitas Henrici violentias deposuere, addentes praeterea, Ioannem Petrum eo semper fuisse animo, ut adversus dicti Ordinis susceptionem reclamaret, proinde nedum a quovis Subdiaconatus munere penitus abstinuisse, nulloque ecclesiastico Beneficio fuisse provisum, sed etiam clericali abiecta veste laicalem continuo gestasse, et tandem paullo post obitum Patris, sex vero mensibus ante fratris sui decessum, reclamationes suas palam exposuisse. Episcopus Constantiensis literis diei 6 octobris testatus est, sibi certo constare, quod Orator nequaquam se gessit, uti Subdiaconum decet; proindeque eumdem arbitrari ad Sacerdotii dignitatem nullatenus vocatum. In posterioribus autem literis 31 ianuarii 1736 affirmavit, eumdem contra susceptionem Subdiaconatus reclamasse sex mensibus et amplius ante mortem fratris sui, nullo unquam sui Ordinis officio functum fuisse, nec ulla Beneficia ecclesiastica possedisse. Novissime Vicarius Generalis processum transmittens haec habuit: – Testamur insuper, nos pro certo habere, ut constat, tum ex depositionibus Testium, tum ex testimonio a supplicante cum iuramento recepto, tum ex ipsius moribus, ipsum summam habere repugnantiam pro statu ecclesiastico, qui vel etiam dedecorandus exponitur, ac proinde nos esse in voto, ut cum dicto supplicante dispenset Sanctissimus Pontifex, si Sanctitati suae ita visum fuerit –. Perpendendum tamen erat, num ex enunciata alimentorum subtractione longe absenti et Parisiis studiorum causa commoranti dici posset incussus a Patre metus, qui iustam praeberet causam dispensandi super voto castitatis secundum ea, quae disserit Pitonius tom. 4 discept. 107 et discept. 110 n. 4.

51. His mature perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Constantien. Dispensationis die 18 Maii 1737.*

52. Qua de re si quis ad probandum metum a Parentibus per eiectionem etiam e domo et privationem alimentorum minitantibus incussum, ut reciperet sacrum Subdiaconatus ordinem, ipsos proferat Parentes, ac Testem, qui nihil concludit quoad praecisum tempus ordinationis, frustra petit dispensationem super voto continentiae, cum praesertim ordinem Subdiaconatus semel exercuerit *in Cameracen. Dispensationis die 16 Decembris 1769.*

53. Enimvero Ioannes Franciscus André a Summo Pontifice petiit dispensationem a voto continentiae, eo quod invitus ac metu a Parentibus incusso susceperat. Dixit enim, ipsum philosophiae ac theologiae in Seminario studentem semper Parentibus animum statui clericali aversum significasse, saepiusque veniam ab his petiisse, ut sibi potestas fieret operam navandi vel mercaturae, vel medicinae, vel chirurgiae, aut pharmaciae; pluries item interposuisse amicorum preces, ut a Parentibus assensum obtineret deserendi clericalem statum et secularem militiam amplectendi, inanes tamen fuisse huiusmodi conatus, cum Parentes vocationi suae viriliter obstitissent ac iugiter minati fuissent eiectionem a domo et privationem alimentorum, nisi ad Sacerdotium ascenderet. Hinc arguit, coacte et ne fame periret, Subdiaconatus ordinem suscepisse, sed exinde vix semel in eo ministrasse, oblatum sibi pingue Beneficium recusasse, et a susceptione Diaconatus abstinuisse, immo de suscepto iam Subdiaconatu pluries fuisse conquestum: constare haec omnia ex iurata Parentum depositione, nec non ex testimonio Ioannae Mariae Stacquart et Sacerdotis Bettinier, quin obesset, quod semel ordinem Subdiaconatus exercuerit, cum degens adhuc in Seminario etiam invitus Superiorum mandatis obtemperare teneretur, eademque causa metus ex parte Parentum perduraret. Ceterum ex unico actu induci non potest ratificatio, eo quod nunquam ea inducitur, quando de contraria voluntate constiterit, Rot. in Recent. decis. 373 n. 12 part. 18. Adversus haec Defensor ex officio deputatus primo advertit, despiciendos esse Testes, utpote quia examinati fuerant absque articulis, absque interrogatoriis, et absque interventu Defensoris Ordinis, contra formam Constitutionis Benedicti XIV *Si datam,* quae, edita pro Causis nullitatis professionis, servari quoque oportet, ubi agitur de nullitate Ordinis,

cum in utroque casu res sit de irritando voto ac fide Deo semel praestita revocanda. Advertit praeterea, allatos Testes nihil relevare, cum Parentes vel ratione affectionis, vel quia propriam turpitudinem allegabant, nullam fidem merebantur, Rot. coram Falconerio de probat. decis. 13 n. 30, et in miscell. decis. 44 n. 15; alium vero Testem esse unicam feminam, nihil concludentem quoad praecisum tempus suscepti ordinis Subdiaconatus. Observavit insuper, tum Clericum Ioannem Franciscum, tum istius Parentes potuisse post collatum Ordinem actae rei poenitere, nec idcirco attendendas esse declarationes, vel facta vetustiora, cum ea tantum in pretio haberentur, quae praecisum ordinationis tempus percutiebant. Nihil idcirco obstabat, quod Orator a Diaconatu abstinuisset, quod Beneficium repudiasset, et preces pro dispensatione obtulisset, cum haec omnia non respicerent praecisum tempus suscepti ordinis Subdiaconatus, et mutatio voluntatis ex post atque ex alia diversa causa evenire potuerit. Et revera animadvertit, quod, dum idem Orator in Seminario degebat, et Subdiaconatum suscepit, Parentes eo in loco non aderant, propterea-que liberum ipsi erat, vel Superioribus, vel Episcopo suam reluctantiam exponere, eorumque opem implorare, ut a suscipiendo Subdiaconatu posset abstinere, prout fecit quando a Diaconatu abstinuit, absque eo quod mali quidquam eidem evenerit. Demum contendit, ex unico actu, quo in Ordine ministraverat, ratificationem induci, Rot. in Recent. decis. 154 n. 4 part. 14; spreta penitus exceptione vel metus, cuius de cetero nulla exhibebatur probatio, vel ignorantiae nullitatis Ordinis, quae in eo, qui a quadriennio theologiae operam dederat, nec praesumebatur, nec attendi poterat, Rot. in Recent. decis. 4 n. 1 part. 13.

54. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Cameracen. Dispensationis die 16 Decembris 1769.*

55. Nisi enim Orator concludentes exhibeat probationes metus cadentis in constantem Virum, ex quo ad suscipiendum sacrum Subdiaconatus ordinem coactus fuerit, nedum tenetur ad votum continentiae et ad alia onera Subdiaconatus adnexa, sed nec est consulendum Summo Pontifici pro dispensatione super voto continentiae *in Valentien. Ordinis Subdiaconatus die 31 Maii 1794.*

56. Iamvero quum Ioseph Bartholomaeus Claudius Monicault quartum decimum ageret annum facile primam Tonsuram minoresque Ordines, suadente Canonico Bartholomaeo Francisco eius patruo et generali Valentiae in Galliis Vicario, assumpsit. Solicitus deinde Patruus de eo promovendo ad Subdiaconatum, Apostolicam obtinere tentavit dispensationem super deficientibus ad iustam aetatem mensibus tredecim, propriumque Nepoti resignare Canonicatum: sed hoc frustratus consilio legitimaque superventa ordinationis aetate, alteram Nepoti in Valentiensi Cathedrali impetravit Canonicalem Praebendam. Reliqua erat illius promotio ad Subdiaconatum. Qui facilis vero ad minores fuerat Ordines, sacrum aversabatur. Se igitur ad Patruum adiunxerunt Parentes, et suasionibus illecebris minis propositum tenuerunt. Priusquam vero ordinationis causa Lugdunum peteret, protestatus fuit Ioseph coram Locumtenente de la Voutte die 17 martii 1789, quod promissio Parentibus et Patruo facta aliud nihil esset, quam violentiae et persecutionis effectus; ac reprobans idcirco consensum, reservavit sibi ius rite agendi contra admissionem ad Subdiaconatum, quem mox susciperet, ut Parentum persecutiones evaderet et consequentias praeveniret. Hac emissa protestatione, solus ad locum ivit ordinationis, et die 28 eiusdem mensis martii Subdiaconatum accepit. Ad patriam inde reversus canonicale adimplevit munus; exercitio abstinuit Subdiaconatus, uno excepto solemnioris festivitatis die, in quo quum esset Patruus magiter chori, deficiente Subdiacono de turno, eidem absolute praecepit, ut munus huiusmodi expleret. Post annum ab ordinatione, die nempe 23 martii 1790, iterum adversns eam protestatus est. Et ineunte tandem ianuario sequentis anni 1791 querelam exposuit in Curia Valentiensi de nullitate ordinis Subdiaconatus: conditoque processu, per sententiam declaravit Ordinarius, Oratorem validas habere rationes ad implorandum a Summo Pontifice auxilium et opem, ut nulla ac irrita ediceret vincula, quae ipse ex sacro Subdiaconatus ordine contraxerat. Unde is ordi-

nationis nullitatem ex defectu suae intentionis defendit, cum ob protestationem per verba de futuro emissam consensum sustulisset a sequenti ordinationis actu. Quin imo etiamsi valida esset ordinatio, propter causativam coactionem Patris Matris et Patrui, qui nedum instigationes, sed iteratas etiam minas urserunt, se haud teneri dixit ad votum continentiae et ad alia onera Subdiaconatui adnexa. Eoque magis, quia erat Patruus – risolutissimo vivo e violento –, ac minabatur Nepoti, quod nisi obtemperasset – sarebbe saltato per la finestra –; alteraque ex parte Nepos – dolce ed estremamente timido –, ut inter iudiciales Testes deposuerunt primus secundus sextus et septimus. Conquestiones accesserunt meticulosi Iuvenis, de quibus primus secundus tertius et quintus Testis. Protestationem etiam emisit ante Ordinis susceptionem, et continue lamentabatur ac lugebat. Contra Defensor Ordinis sustinuit, concludentes deesse probationes metus cadentis in constantem Virum, et quidem ad finem cogendi invitum ad Ordines, et de praeciso ordinationis tempore. Nam Patrem eius consuluisse tantum affirmavit statum ecclesiasticum filio, cuius repugnantiam ignorabat: Patruus ob suum praetermissum examen se purgare non potuit ab assertis minis, quas ei imputabant Testes, qui nec ipsi per interrogatoria purgati fuerunt. Quin imo cum Orator longe a Parentibus et Patruo Subdiaconatum accepisset, idcirco timuisse non censebatur absentes. Sprevit praefatus Defensor protestationem ob intervallum undecim dierum ad ordinationem, nam mutasse censeri debebat intentionem, multoque minus attendendam affirmavit subsequentem, utpote emissam post annum ab ordinatione, et postquam semel ministraverat in Ordine, licet imperio Patrui, cui prae sua meticulosa natura resistere non potuit.

57. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Orator teneatur ad votum continentiae et ad alia onera Subdiaconatui adnexa in casu etc. *Et quatenus affirmative* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Valentien. Ordinis Subdiaconatus die 31 Maii 1794.*

58. Quin imo purgatur metus ac tacite ratificata dicitur susceptio Ordinis, si coacte Ordinatus post cessatam causam metus sponte ministraverit in Ordine, ut probat Hostien. in cap. *Maiores* de Baptismo n. 28, et sufficit semel ministrasse, ibique Ioannes Andreas in fine, Boich n. 7, et Fagnanus n. 114, et Rota in Recent. decis. 40 325 et 343 part. 6 *in Numurcen. Dispensationis die 19 Novembris 1729* §. *Purgatur.*

Item *in Constantien. Dispensationis die 22 Maii 1734* §. *Ad; in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740* §. *Verumtamen; in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *At; in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831* §. *Praeterea.*

59. Quamvis enim a voto soleat dispensatio concedi, ubi comperiatur, illud fuisse metu, vel dolo extortum, aut ante legitimam aetatem facilitate potius, quam ex arbitrio discretionis emissum, ut inquit Textus in cap. *Venientes* de voto et voti redemptione, et tradunt cum aliis Reiffestuel in ius can. lib. 3 tit. 34 n. 22, et Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 20, quoties tamen appareat, idem votum fuisse subinde ratificatum, non potest illud amplius veluti irritum a vovente praetendi, neque dispensatio videtur super illo concedenda sub fundamento, quod vovens ad illud emittendum fuerit aut metu, aut alia arte inductus, uti cum pluribus tradit idem Reiffenstuel in ius can. lib. 3 tit. 34 n. 13 *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740* §. *Verumtamen.*

60. Quapropter licet iustae concurrerent causae ad dispensationem super voto continentiae ordini Subdiaconatus adnexo assequendam, cum tamen Orator ad legitimam aetatem perventus in eodem sponte ac libere ministraverit, Sacra Congregatio, attenta huiusmodi ratificatione, declaravit, non esse locum praefatae dispensationi *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740.*

61. Iamvero Ludovicus Franciscus Daudiffet, postquam anno 1734 irritam declarari obtinuisset professionem solemniter emissam in Conventu Oppidi Perenae Ordinis S. Francisci de Observantia, a Summo Pontifice exoravit, – ut vel per viam declarationis nullitatis voti tacite in susceptione ordinis Subdiaconatus emissi, vel per viam dispensatio-

nis ab obligatione servandi votum praedictum, eumdem Oratorem absolvat, quia per circumventionem, et quasi sine eius velle adactus fuit –. Nam Superior et Religiosi dicti Conventus ob dubium, quo statim ceperant angi de nullitate eius professionis, ut aliquem ab illo extorquerent actum, ex quo professionis ratificatio induci posset, ad susceptionem sacri Subdiaconatus ordinis ipsum traxerunt, tametsi decimus nonus dumtaxat aetatis suae annus vix a mense fuisset ab eo completus, omnisque adeo morae impatientes in id conspirarunt Religiosi praefati, ut a defuncto Episcopo Carpenctoratensi curaverint illi conferri – una eademque die 23 Decembris 1730 primo loco sanctum Sacramentum confirmationis, secundo loco Tonsuram clericalem, tertio loco minores Ordines, et demum sacrum Subdiaconatus ordinem –: ac addidit, – nedum se ut supra fuisse inductum, sed dictum Episcopum quoque circumventum remansisse–, quum ei suppositum fuerit, Oratorem in aetate legitima tunc fuisse constitutum. Episcopus Biterrensis exposita confirmavit, et Oratoris votis favit ex eo etiam, quod is morbo epileptico laboraret huiusque morbi frequentioribus insultibus torqueretur, qui morbus scandalum in populo generare poterat, ac divinis Officiis impedimentum praestare in Ministro sacris Altaribus destinato. Serio tamen inquirendum erat, an Orator post adeptam legitimam aetatem ratam aliquando habuerit susceptionem Subdiaconatus, sive ex eo quod sponte ac libere in eodem Ordine ministraverit, sive ex alio simili actu ratificationem inducente. Quoties enim apparet, votum fuisse subinde ratificatum, non potest illud amplius velut irritum a vovente praetendi, neque dispensatio videtur super illo concedenda sub fundamento, quod vovens ad illud emittendum fuerit aut metu aut alia arte inductus.

62. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740.*

63. Multo minus igitur haud probato asserto metu reverentiali a Parentibus incusso, indulgetur dispensatio a voto continentiae aliisque oneribus ordini Subdiaconatus adnexis, cum praesertim Orator illum subinde pluries sic sponte ac laetus exercuerit, ut se de eo assumpto contentum extitisse dixerit *in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831.*

64. Enimvero Aloisius Monaco Neapolitanus sub finem mensis decembris 1810, quum quatuor iam minores Ordines suscepisset, ad sacrum Subdiaconatus ordinem evectus est. Verum ipse obeunte anno 1829 s. m. Pio VIII supplicem porrexit libellum, quo se ex gravi Parentum suorum metu ad eiusmodi suscipiendum Ordinem accessisse significans, declarandam propterea suscepti Ordinis nullitatem petiit, aut saltem Apostolicam sibi concedendam dispensationem, ita ut nec votum servare continentiae, nec alia Subdiaconatus onera perferre teneretur. Demandata Archiepiscopo Neapolitano facultate conficiendi processum, ad formam Constitutionis s. m. Benedicti XIV *Si datam,* sub ipso processus initio Promotor Fiscalis et Defensor Ordinis institerunt, ut Orator Monaco a limine iudicii repelleretur, quippe qui de asserta sacri Ordinis nullitate intra quinquennium, iuxta praescriptum laudatae Constitutionis, minime reclamasset. Nihilo secius Sacra Congregatio Oratoris precibus annuendum censuit, ut iam rite inceptus in Curia processus fieri pergeret, et ad finem usque perveniret. Confecto itaque ac transmisso processu, Aloisii Monaco Patronus, ut clientem suum continentiae votum aliisque Subdiaconatus oneribus liberandum suaderet, professus quidem est, in hac Causa non eum proferre posse metum, qui in Virum constantem cadere dicitur, sed metum erga Parentes reverentialem probari eiusmodi, ut apud ipsum Aloisium pro singulari ac nimia sua pusillanimitate plurimum valuisse intelligeretur. In primis enim attulit testimonium Archiepiscopi Lancianensis (1). Neque minus clienti suo favere putavit eius-

(1) Qui sanè ita se habuit: « Posso attestare di aver conosciuto benissimo i Genitori di D. Luigi Monaco. Essi erano bene istruiti dei doveri cristiani, e nella condotta religiosa sapevano certamente la necessità della vocazione divina negli ecclesiastici, ma preoccupati troppo dal desiderio di vedere i figli dedicati alla Chiesa, forse non vi badavano. Ho inteso per bocca di altri, come voce pubblica, che essi coartavano alcuni figli allo stato ecclesiastico, e con ispecialità D. Luigi con minaccie di dargli de' calci, di non guardarlo più, di abbandonarlo, e di al

dem Patronus ea omnia, quae ex Fratrum ceterorumque Testium examine colligebantur; scilicet assidua Parentum austeritas, et constans corripiendi severitas, tum perspecta et cuique cognita eorumdem cupiditas habendi filios in sacrorum Ministrorum numerum adscitos, ad id cohortationes, dum coacta imminebat militum conscriptio, a Matre in Aloisium adhibitae – di mandarlo a fare il soldato –, nisi ipse Subdiaconatus ordinem sibi conferri voluisset. Unde Aloisius tanta semper animi aversione ab sacro illo Ordine suscipiendo abhorruit, ut licet natura timidissimus, de qua etiam Emus Archiepiscopus Neapolitanus fidem faciebat, minitanti Matri respondere non dubitaverit, – andrò a fare il soldato –, postea vero, impulsus invincibili ac gravi metu reverentiali ob Parentum indignationem, ad ordinem Subdiaconatus accessit, sed ea tamen de re Neapoli usque ab anno 1814 clanculum incepit queri; deinde etiam Romam venit querelas suas Summo Pontifici delaturus, nec nisi Patre e vivis sublato potuit demum anno 1829 suo huic negotio libere vacare.

65. At vero sacrae Ordinationis Defensor negavit, ad suscipiendum sacrum Subdiaconatus ordinem metu coactum fuisse Aloisium, qui primam Tonsuram et quatuor minores Ordines decimum septimum post annum aetatis suae se lubenti animo sumpsisse fassus est, quique ecclesiasticis etiam studiis piisque operibus impensam dedisse operam perhibebatur, atque ea tantummodo de causa unius anni dilationem pro assequendo Subdiaconatu imploravit, ut nempe theologicas disciplinas profundius addisceret. Quod si Aloisii Parentibus tanta fuisset cupido filium suum in Ecclesiae militiam quoquomodo intrudendi, quantam affirmabat ipsius Aloisii Patronus, certe reverentialem eidem metu vel ante primae Tonsurae et minorum Ordinum susceptionem atque a teneris prope unguibus incutiendum curassent: quod tamen sua ipsa confessione de clericali statu post elapsam pubertatem libenter inito exclusit omnino Aloisius. Ex adverso in facto erat christiana Parentum pietas et scientia quoad divinam vocationem: unde si interdum in liberos pro sua austeritate verberibus quoque animadverterint, id sane nunquam ad eam rem fecerunt, ut exterritos in Ecclesiae castra ingredi coarctarent. Id propterea factum est, quod nonnulli iurarunt Testes, nihil se unquam scivisse de metu reverentiali, quo se ille ordinatum clamabat; alii adfirmarunt quidem, sed ex aliena voce et fama, non autem ex propria scientia; reliqui partim id penitus inficiati sunt, quos inter ipsa Aloisii Mater, partim nullius esse ponderis retulerunt; omnes tandem Testes, praesertim qui cum Oratore sanguine iungebantur, in id visi sunt consensisse, ut Aloisii depositio iureiurando firmata vel fictis, vel exaggeratis constaret rebus. Rebus igitur sic stantibus, nihili faciendum existimavit praefatus Defensor Archiepiscopi Lancianensis testimonium, utpote qui querelas Aloisii de reverentiali metu nonnisi post susceptum Subdiaconatum sibi delatas significavit. Quamvis autem una fuerit inter Testes Anna Maria Aloisii soror, quae de aliquot Parentum minis ad cogendos in ecclesiasticam militiam filios retulerit, ea tamen ipsa adiunxit, verendum nullatenus fuisse, ne minarum effectus sequerentur, atque omnem proinde vim substulit testimonio suo, dum necesse est, reverentialis metus gravitatem evinci ex minis atrocioribus et verosimiliter exequendis, et multo magis de saevitiis de facto illatis, potissimum si agatur de irritando castitatis voto, ceu docet Innocentius III in Cap. *Insinuante* 7 qui cleric. vel voven., Engel. in ius can. lib. 1 tit. 40 n. 15, Rot. in Romana Nullitatis voti 14 ianuarii 1754 coram Vicecomite. Quin imo etsi aliquis reverentialis metus intercesserit, ei tamen dispen-

tro simile. Alla mia presenza però (antequam scilicet Archiepiscopus crearetur) qualche volta non hanno dimostrato altro, che una soverchia severità di volto, ed una austera premura di destinarlo al detto stato, la qual severità peraltro bastava per avvilire la debolezza del proprio figlio, e ad accrescere almeno il timore reverenziale. Conosco molto D. Luigi, che in quei tempi si confessava da me. Egli, oltre la voce pubblica tra quei, che sapevano la di lui cosa, mi faceva sentire per se stesso le coartazioni fattegli dal Padre e dalla Madre. Ciò però fu dopo la di lui ordinazione. Sperimentai in quel tempo essere D. Luigi Monaco timido assai e di naturale pauroso, talchè non solo le gravi minaccie, ma le sole occhiate torte del Padre e le apparenze d'ira lo atterrivano a segno, che non fidavasi affatto di opporsi o di far sapere la propria opposizione alla volontà paterna. Era solito dire, non fate sapere a Papà questi miei sentimenti –.

sationem indulgendam non esse contendit, quum antea ad quoscumque recurrere potuisset, ac potuisset etiam duorum Fratrum vestigiis inhaerere, qui, eodem licet metu reverentiali a Parentibus iniecto, sine ullo negocio ab clericali militia desciverunt, quin ullum reapse detrimentum ex Parentum indignatione pertulerint. Nullam itaque dispensationis spem esse posse Aloisio ex eo etiam sustinuit, quum idem ipse fassus fuerit, se Subdiaconatus ordinem pluries Neapoli publice exercuisse, ac suae enunciaverit Sorori, ut liquebat ex processu, se de assumpto Ordine contentum extitisse, – e che se non lo avesse fatto lo rifarebbe –.

66. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatioue in casu etc. –, Sacra Congregatio, valida declarata Oratoris ordinatione, responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831.*

67. Hinc purgatur etiam metus ac tacita ratificata dicitur susceptio Ordinis ex susceptione Canonicatus, cui esset annexus Ordo sacer, seu ex illius retentione, ut in decis. 40 et 325 Recen. part. 6; sed quomodo id sit intelligendum tradit Barbosa in voto decis. 77 a n. 119 *in Namurcen. Dispensationis die 19 Novembris 1729* §. *Purgatur.*

68. Unde ex actu, quo quis post susceptionem sacri Ordinis Subdiaconatus assecutus fuerit ecclesiasticum Beneficium, tacitam ratificationem induci probant Hostien. in Cap. *Maiores* de Baptismo n. 138, ibique Butr. n. 9, Ioannes Andr. n. 17, Boich. n. 7, Zabarell. n. 1, Fagnan. n. 114, Rota in Recent. decis. 40 et 325 part. 6, et decis 154 n. 11 part. 14 *in Constantien. Dispensationis die 22 Maii 1734* §. *Ad.*

69. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, Oratorem teneri ad votum continentiae, nec eidem indulgendam esse dispensationem, ex eo quod vim et metum, quem Parentes intulisse asserebat, non probavit, et post susceptionem Subdiaconatus Canonicatum et Praecentoriam obtinuit *in Arelaten. Dispensationis die 17 Februarii 1731.*

70. Siquidem Ludovicus Antonius d' Escudier Subdiaconus prius militiae nomen dedit, in eaque permansit usque ad annum 1717. Ab eo tempore in Collegio Patrum Iesuitarum Civitatis Avenionensis ac in Seminario Namurcensi moram traxit; clericali deinde Ordini adscriptus, de anno 1724 ab Episcopo Cavallicensi cum Literis dimissorialibus proprii Ordinarii ad Subdiaconatus ordinem promotus fuit ad titulum Patrimonii. Obtinuit demum de anno 1725 Canonicatum et Praecentoriam Ecclesiae Collegiatae S. Aegidii dictae Diaecesis Namurcensis per resignationem Ludovici eius patrui. Elapsis quadriennio septemque aliis mensibus a die suae promotionis sub motivo, quod ordinatus fuerit per vim et metum, reclamavit in actis Curiae Arelatensis, et deinde libellum porrexit Benedicto XIII pro declaratione nullitatis suae ordinationis. Archiepiscopus Arelatensis fuit in sensu, annuendum esse instantiae; retulit enim, Oratorem opinari posse inductum ex metu reverentiali erga Parentes et Patruum, vitamque prorsus gerere alienam a statu ecclesiastico, quem profitebatur. Testes formiter examinati concludere quidem videbantur, Oratorem alienum esse a statu ecclesiastico, et nunquam eum vidisse in sacro Subdiaconatus ordine inservire: violentia vero potius arguebatur, quam probabatur; nec Pater aliique Parentes erant indolis et naturae vehementis violentae.

71. His igitur perpensis, propositis dubiis: – An Orator teneatur ad votum continentiae ordini Subdiaconatus annexum? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Arelaten. Dispensationis die 17 Februarii 1731.*

72. Praeterea ex praetermissa coactionis querela, posteriusque plurium annorum silentio, tacita desumitur accepti Ordinis ratihabitio, Pignatell. consult. 145 n. 40 tom. 1, Rot. in Recent. decis. 370 n. 10 part. 9 n. 2 *in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790* §. *Pauca.*

Item *in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *At vero.*

73. Animadvertendum tamen est, quod acquiescentia et silentium non inducit consensum Ordinati, quousque durat causa metus, ex quo Ordinem accepit, Cap. 1, ibique Gloss. verb. postmodum de iis, quae vi metusque,

Barbos. vot. decis. 77 n. 121, Pignatell. consult. 77 n. 7 tom. 7, Rota coram Emerix Iun. decis. 225 n. 7, et decis. 870 n. 17 *in Biterren. Ordinis Subdiaconatus die 21 Augusti 1790* §. *Paucá.*

Item *in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *Quod.*

74. Idcirco quum Orator haud probaverit metum cadentem in constantem Virum et actum ordinis Subdiaconatus proprium exercuerit nec non ascensum ad Diaconatum pluries postulaverit atque coactionis querelam post decem et septem annos tentaverit, Sacra Congregatio nedum validam edixit ordinationem, sed et peremptorie declaravit, non esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione a voto continentiae aliisque oneribus ordini Subdiaconatus adnexis *in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818.*

75. Enimvero nullitatem sacri Subdiaconatus ordinis, vel saltem Apostolicam dispensationem a continentiae voto, aliisque oneribus dicti Ordini adnexis, postulavit Nicolaus Santagata ex Oppido Lusciani Aversanae Diaecesis, postquam exeunte anno 1797 solemni ritu promotus fuit. Non primum, quam mense iulio 1814, scilicet elapsis iam septem supra decem annis a recepta ordinatione, nullitatis querelam Summo Pontifici detulit. Causam tam diuturni silentii incusavit reverentiam erga Patrem, qui eodem anno 1814 e vivis excessit, quique, ut ipse affirmabat, vi metuque licet reluctantem nolentemque ad sacrum Ordinem recipiendum coegerat, ne pium legatum a Patruo relictum sub poena caducitatis, si ecclesiasticam non ingrederetur, vel ingressus desereret viam, amitteret. Confecto itaque processu ad formam Constitutionis s. m. Benedicti XIV *Si datam,* Defensores Nicolai attulerunt Testes, ut probarent, eum semper abhorruisse a voto castitatis, idque expresse declarasse, tum ante, tum post sacram Ordinationem, quin imo properante sacrae caeremoniae actu, Patrem fuisse natura ferocem, ad vim filio inferendam incensum, ob nimiam lucri cupiditatem, ne filius Patrui legato privaretur: minas obiurgationes verbera electionem e propria domo, ac etiam mortis comminationem adhibuisse, ut invitum cogeret; ex quibus omnibus metus ille intercessit, qui cadit in constantem Virum, quique irritare satis est, tum sacram ordinationem, tum illi adnexum votum continentiae. Nec obesse dixerunt, quod Nicolaus aliquando in Ordine ministraverit, vel quod una alteraque vice officia interposuerit pro ascensu ad Diaconatum, vel quod decem et septem annorum spatio siluerit. Praeterquamquod enim, quod ab initio nullum erat, convalescere non poterat, ut inde talis oriretur ratihabitio, quae sanaret nullitatem suscepti Ordinis ac voti, necessaria fuisset certa et individua nullitatis scientia, tam in facto, quam in iure, utque actus tales essent, qui necessario inducerent hanc ratihabitionem, nec possent ad aliam causam referri. At Nicolaus ignorabat, hanc nullitatem posse per susceptionem sacri habitus, vel ex postulationibus pro ascensu ad Diaconatum, vel ex lapsu temporis, sanari. Iustam hinc praesto esse ac rationabilem causam contenderunt praedicti Nicolai Defensores, ut consuleretur Summo Pontifici pro dispensatione, quae sane posita erat in dubietate validitatis tum suscepti Ordinis, tum maxime voti continentiae. Addiderunt alias etiam causas ab eius spirituali et temporali damno mutuatas, tum ob periculum incontinentiae, tum ad reparandum damnum honestae Puellae illatum, tum ad avertendas inimicitias illius feminae consanguineorum, nisi illam legitimo Matrimonio coniungi per Apostolicam dispensationem concederetur.

76. E contra Defensor ex officio negavit, votum continentiae scindi ac separari posse ab ipso Ordine, cui erat adnexum. Si enim non obstante metu consistit Ordo, consistere etiam debet votum continentiae. Unde quando res est de coactione directa et absoluta, quae certe removet consensum ab actu, tunc quidem non imprimitur animae character, nec voti vinculo constringitur Ordinatus; sed quando res est de coactione conditionali et causali, tunc haud deficit voluntas, quia etiamsi coacta, voluntas est, et ideo valida est Ordinis collatio, atque Ordinatus ad servandam continentiam adigi debet, Reiffenst. lib. 4 Decret. tit. 6 n. 11, Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 29 n. 4. Repellendos dein advertit a limine iudicii omnes illos Testes, qui a Nicolao coram Regio Notario inducti fuerunt, quin unquam formali examini cum assisten-

tia Defensoris Ordinis subiecti fuerint; quorum tamen tres tantum ex septem de coactione loquebantur, ceteri enim aut coactioni refragabantur, aut illam ignorasse fatebantur. Sed insuper accedebant decem alii Testes omnes iudicialiter examinati, qui retulerunt, Subdiaconi Patrem fuisse – un' uomo dabbene e pacifico –, Nicolaum vero non laudabilis vitae specimen dedisse, omnemque vim coactionem ac metum excludebant, imo concorditer deposuerunt, Nicolaum voluntarie induisse vestes clericales, et pluries postulasse promotionem ad Subdiaconatum, interpositis etiam amicorum officiis. Hi Testes numero plures, inter quos alii erant sanguine coniuncti, et de rebus intra propriam domum actis plene informati, praeferendi videbantur numero paucioribus a Nicolao inductis, Rota coram Ratto decis. 39 n. 7, coram Rovarella decis. 34 n. 11. Quin imo si metu reapse incussus fuerit, Nicolaus cum libere postea actum Ordinis exercuerit ac pluries ascensum ad Diaconatum postulaverit, ratam habuit suam ordinationem, ac ideo tenebatur ad servandum continentiae votum, quin obesset excusatio illa adducta, quod id fuerit ob metum reverentialem erga Patrem. Nam is ab initio voluntarie suscepit Ordinem ac exercuit, inde consilium mutavit, non ob Patris obitum, sed quia subinde pluries reiectus fuit ab ulteriori ascensu ad sacros Ordines, et quia illiciti amoris aestu exagitatus extitit, unde post decem et septem annos extemplo coactionis querelam tentavit. Quamobrem locus esse non poterat dispensationi, cum coactio prorsus exularet, et si adesset, indubia ratihabitio negari non posset, quin iusta dispensandi causa repeti valeret ex privata Nicolai vel cuiuscumque feminae utilitate. Nam iusta ac legitima esse nequit causa, nisi ea sit publica, ut vel magni Principis, vel Regni, aut saltem integrae Provinciae damno per supremam Clavium potestatem succurratur. At Nicolaus et Puella, ex humilibus familiis progeniti, cives erant de parvo Lusciani Oppido.

77. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu? –, Sacra Congregatio, postquam validam dixit susceptionem ordinis Subdiaconatus cum obligationibus eidem adnexis, responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818.*

78. Hinc etiamsi tam is, qui processum instruxit, quam Ordinarius ex Testium depositionibus censuerint, Oratorem per vim metumque a Patre illatum Subdiaconatum recepisse, nihilominus Sacra Congregatio, attentis singulis rerum circumstantiis ac praesertim silentio viginti et ultra annorum, quin querelam nullitatis iam promotam prosequi ex eo voluerit, quod adhuc vivo Patre duraret causa metus et pecuniae deficerent, declaravit, non esse locum dispensationi super voto continentiae *in Bisuntina die 15 Aprilis die 17 Iunii 1752 et die 3 Aprilis 1756.*

79. Siquidem cum quatuor haberet filios Bernardus Patornay Dufied unumque vellet ex asse instituere Primogenitum, quem summo amore prosequebatur, reliquos vel Monasteriis adscribere, vel sacris Ordinibus alligatos Ecclesiarum servitiis addicere curavit. Hos inter fuit Georgeus Franciscus, qui cum animo esset ab hoc vitae genere averso, nihil praetermisit immitis difficilisque ingenii Pater, ut eum volentem nolentemque ad illud amplectendum adigeret; neque verbis, neque minis verberibus pepercit, ita ut filius paternos lares fugere et in vicinam domum sese recipere, atque in illa una alteraque die latere coactus fuerit. Nec meliora erant, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt; cibum enim non e paterna mensa, ad quam Primogenitus adsidebat, sed in culina recipiebat cum Servis, vestes ne tempestati quidem conveniebant, hyeme siquidem frigidissima utebatur tela, qua ne vilissimi quidem homines utebantur, ita ut noctu dumtaxat e paternis laribus exire prae rubore miser filius cogeretur. Militiae nomen dare voluit, et crudeles terras fugere, sed reiectus fuit ob corporis brevem staturam. Tonsuram igitur clericalem minoresque Ordines, reluctans licet, suscepit; et inde stante tempore, quo ad Subdiaconatum ascenderet, cum omnes conatus in irritum cesserint, debuit illum Ordinem suscipere anno 1731, animo tamen, ut ipse declaravit, proponendi, cum posset, querelam nullitatis, et sane anno 1733 hanc querelam proposuit in Sacra Congregatione. Datae fuerunt Literae ad Archiepiscopum Bisuntinum, sed cum Georgeus Fran-

ciscus a Patre metueret, Literas illas supprimere maluit, quas, etiamsi Archiepiscopo obtulisset et metum deposuisset paternum, inutiles agnovit, quod ei deesset pecunia ad litem agendam. Quum inde Pater diem obierit supremum 1 augusti 1750, rediit ad Sacram Congregationem, a qua mandata fuit iurisdictio Archiepiscopo Bisuntino, ut processus iudicialis confici posset. Rem Archiepiscopus mandavit Praeposito Collegiatae Ecsiae S. Mauritii Civitatis Salinensis, a quo auditi fuerunt quatuordecim Testes, qui ea, quae hucusque exposita sunt, deposuerunt. Censuit Praepositus, probari metum cadentem in Virum constantem, ex quo Georgeus Franciscus Subdiaconatus ordinem suscipere coactus fuerit. Idem censuit Archiepiscopus; addiditque, Matrem Georgei Francisci, ut defuncti Coniugis famae forsan consuleret, vim metumque filio illatum fateri noluisse. Dispensationem a voto continentiae hinc petiit Georgeus Franciscus, vim metumque probans depositionibus dictorum Testium; ac disputavit, silentium tot annorum neque ratihabitionem inducere potuisse, neque officere posse dispensationi, tum quia ipse Sacram Congregationem adiit paullo post Ordinem susceptum, tum quia durabat vivo Patre causa metus, tum quia pecuniae deficiebant; perseverasse in eadem voluntate contraria etiam post susceptum Ordinem facile posse dignosci, tum quia in Ordine suscepto nunquam ministravit, tum quia ad Ordines superiores nunquam voluit ascendere.

80. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 aprilis 1752 respondit: – Dilata, et scribat Defensor Ordinis –. Implevit Defensor Ordinis munus suum. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 17 iunii 1752 respondit: – Negative –. Longo subinde libello Georgeus Franciscus iudicium hoc retractari postulavit; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Bisuntina Dispensationis die 3 Aprilis 1756.*

81. Qua de re multo minus locus est dispensationi a voto continentiae, quando Orator non modo Subdiaconatum, sed et Diaconatum susceperit, quin haud legitimam exhibeat probationem de praetensa vi ac metu a Patre et Fratre incusso, potissimum si querelam coactionis instituerit post annos fere duodeviginti a susceptis sacris Ordinibus *in Potentina Nullitatis sacrorum Ordinum die 16 Ianuarii 1819.*

82. Siquidem in Civitate Potentiae Ascanius Siani clericali militiae nomen dedit, anno autem 1797 ad Subdiaconatus et anno 1798 Diaconatus sacros ordines promotus fuit, vi, ut ipse asserebat, et saevitiis a Patre et Fratre natu maiore illatis. Fatuae libertatis defensorum seu verius legitimae potestatis ipsiusque Religionis inimicas phalanges sequutus e patria migravit ad annum usque 1804, quo ex Regis indulgentia ei patriam remeare permissum fuit. Temporum calamitates, Summi Pontificis exilium incusans, nonnisi mense augusti 1816 post annos fere duodeviginti a susceptis Ordinibus facultatem imploravit sua iura experiundi, postquam scilicet tum Pater, tum Frater vitam cum morte commutaverant. Demandata igitur confectione processus ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Si datam,* Siani Defensor ad metum incussum et vim probandam plures attulit Testium depositiones, ex quibus colligebatur, Ascanium a sacris suscipiendis Ordinibus alienum fuisse, quapropter verbera minasque exheredationis ac expulsionis a paterna domo perpessum fuisse; frequentes hinc cum Patre et altero Fratre Antonio natu maiore contentiones habuisse; adhuc in minoribus Ordinibus constitutum ecclesiastica insignia pluries scidisse, pedibus protrivisse, paternam deseruisse domum, ad Propinquos in proximo commorantes Balii Oppido confugiendo, mortemque potius sibi violenta manu inferre velle, quam sacros suscipere Ordines. Eadem autem Ordinationis die tum ante, tum in ipso sacrae Ordinationis momento, plures retulerunt, eum audiisse dicentem, se vel in praecipitem amnem coniicere, vel laqueo se suspendere velle potius, quam sacri Ordinis vinculis constringi: addiderunt, etiam eiusdem Patris saevitiis actum sequenti anno fuisse ad Diaconatum accedere, quin unquam divinum persolverit Officium. Quamobrem locus esse videbatur dispensationi a voto continentiae.

83. Contra Defensor ex officio primum Testium depositionibus haud fidendum esse advertit, quin imo et processum insanabili nullitate laborare. Nam Defensor Ordinis interrogatoria minime dedit, si ea excipiebantur, quae vix generica ad patriam conditionem aetatem et affinitatem cum Ascanio referebantur, quin ullatenus solicitus is fuerit de factis coactionis, tum antecedentibus, tum concomitantibus, tum subsequentibus Oratoris ordinationem, de quibus omnibus exquirere Testes debebat, ex Sacrae Congregationis Rescripto, cum e contra eos examinari curaverit super iis solum articulis, quos Ascanius composuerat. Sorores, quae examinari debebant, tam super Actoris articulis, quam super Defensoris interrogatoriis, fuere dumtaxat rogatae super quibusdam circumstantiis et quaesitis ab uno Ascanio compositis. Addidit praeterea, eos dumtaxat Testes auditos fuisse, quos Ascanius in notula exhibita selegerat, nullumque a Defensore sacrorum Ordinum inductum fuisse ex officio Testem; inductos vero Testes adeo concordes fuisse, ut etiam aperte falsa asserere et iurare non dubitaverint. Tandem Ascanium nulli formali subiectum fuisse constituto, quo vis et metus circumstantiae probari possent, et ipsius iuramento confirmari. Nullo autem in pretio habendam dixit fidem triginta sex Concivium, qui ad vim adstruendam inducebantur, qui cum Testes extraiudiciales essent, nequibant legitimam constituere probationem in Causa, in qua probationes ex formali processu tantum erant desumendae. Idcirco indulgeri non poterat dispensatio a voto continentiae, cum nec metus legitime probatus existeret, nec iusta adesset causa dispensationis, quae quippe, dum inter maiores adnumeretur, gravissima est opus causa, sive intrinseca haec sit a iuris censura dimanans, sive extrinseca in Pontificiae Potestatis plenitudine residens.

84. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a voto continentiae in casu? –, Sacra Congregatio, declarata prius validitate collationis sacrorum Ordinum, responsum tulit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Potentina Nullitatis Sacrorum Ordinum die 16 Ianuarii 1819.*

85. Gravis enim ac urgens causa necessaria est, cum compertum omnino sit, dispensationem aliquando fuisse a Summis Pontificibus cum Subdiaconis, ut Matrimonium contrahere possent, ex gravi tamen et urgenti causa, pluribus in specie recensitis exemplis, tradunt P. Maurus in Theologia tom. 3 lib. 13 pag. 289 n. 16, Card. de Laurea in 4 sent. tom. 3 disp. 9 art. 9 §. 5 n. 104, Ursaya tom. 2 part. 1 discept. 13 n. 4 et a n. 31 ad 36 *in Constantien. Dispensationis die 22 Maii 1734* §. *Dispensatum.*

Item *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740* §. *His; in Posnanien. die 20 Aprilis 1782* §. *Et.*

86. Idcirco quoties non probetur metus revera gravis et urgens, haud indulgetur dispensatio a voto continentiae, etiamsi Subdiaconus a pueritia pravis sit imbutus moribus, et a triginta annis vestes clericales abiecerit, attentis tamen peculiaribus rerum adiunctis, indulgetur retentio cinguli militaris cum inhabilitatione ad exercendum ordinem Subdiaconatus, nec non dispensatio a quibusvis aliis oneribus eiusdem Ordinis *in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus die 21 Septembris 1816.*

87. Siquidem Marcus Cellentani, minoribus Ordinibus initiatus atque in Regium Clerum S. Aedis Palatinae Neapolis cooptatus, Subdiaconatus ordinem triginta ab annis susceperat. Evenit, ut dum sacris ministrabat, parvum missile igneum, quod gestabat sub clericali veste, exploso ictu, eiusdem pedem vulneravit. Quo facto e Regio Clero eiectus sui exercitium Ordinis deseruit, clericalem vestem exuit, et post varios rerum publicarum casus a patriae exul militiae ab anno 1799 nomen dedit, atque in contubernium habuit liberam feminam, ex qua sacrilegum filium quaesivit. Pace restituta, in paternam domum redux, et militum Pro-tribunus (ut aiebant Tenente colonnello) cum a Regiis copiis depellerentur ii, qui erant in sacris Ordinibus constituti, tum primum a Summo Pontifice postulavit Cellentanus, ut irrita declararetur collatio ordinis Subdiaconatus, tamquam susceptus per vim et metum a Parentibus suis Aloisio Cellentani et Maria Ioanna Villa incussum, secus ut saltem Apostolica auctoritate ita dispensaretur, ut in militaribus stipendiis merendis perseverare posset. Delegato Curiae

Archiepiscopali Neapolitanae processu, eoque absoluto iuxta censuram Constitutionis s. m. Benedicti XIV *Si datam*, ita Emus Archiepiscopus paucis rem omnem complectitur: – In ea sum sententia, Subdiaconum istum ab ineunte propemodum aetate vitiis involutum, secularibus oblectamentis distentum, nullius divinae vocationis argumentis, sed Parentum incitamentis Patrisque minis (quae quanti sint iudicio Sedis Apostolicae reservandum puto) ad ordinem, de quo agitur, extimulatum, omni prorsus scientia destitutum, ecclesiasticorum officiorum ignarum, feminarum consuetudine deturpatum, militaribus denique bellicisque exercitiis deditum, indignum profecto esse, qui ad Altare ministraturus accedat. Quapropter censeo, S. Pontifici suggerendum, ut praefatum Subdiaconum caelibatus lege exolvat, eique viam ad salutem consequendam adaperiat, quo ab omni Ordine perpetuo depositus, militiae, cui iampridem sese obstrinxit, licite queat inservire, negotiisque secularibus incumbere –. Cellentanus itaque contendit, irritam fuisse ordinationem, cum enormiter et inordinate fuisset collatio ordinis Sudiaconatus, et ad huius susceptionem coactus per vim et metum, quem probare censuit ex Testibus in processu inducti, inquiens: Parentes suos in hoc proposito fuisse, ut filii omnes natu minores et praecipue Marcus ecclesiasticae militiae nomen darent, Patrem ad hoc minas adhibuisse, quae forsan effectum habiturae, cum ille aspersioris esset naturae, Matrem eumdem ad Ordinem incitasse vel adhibitis oblectamentis, vel metu incusso ex paterna voluntate; minas fuisse huiusmodi, ut, licet vitae periculum aut corporis cruciatum non praeseferrent, attamen graviter terruerunt filium, ne libertate et illecebris privaretur, quibus a pueritia deditus erat; illectos fuisse Superiores ecclesiasticos, ut illum ad Ordines suscipiendos probarent, licet scientia et moribus, quae ecclesiasticum Virum decent, careret; se a sacris Ordinibus semper abhorruisse, ducto argumento, tum ex vitae instituto, tum ex repugnantia pluries declarata, tum ex eo quod defuncto Parente ab exercitio Ordinis sese abstinuit, et illicitis cupiditatibus choreis gladiatoribus tandem militiae se addixit.

88. Contra Defensor Ordinis validam dixit ordinationem; quemadmodum enim ex metu orta coactio non irritat ordinationem, ita pariter nec votum rescindit. Et quatenus iuxta mitiorem Doctorum opinionem causativa coactio potis esset ad irritandum votum, semper tamen procedere deberet ex metu cadente in constantem Virum. At eiusmodi metum prorsus deesse propugnavit, cum malum, quod Cellentanus timuit, non fuerit per se grave, nec certitudine saltem morali hoc grave malum immineret. Nam malum a Genitoribus Marci minitatum illud erat – di racchiuderlo fra Cinesi (Collegium hoc erat Neapolis existens), di levargli il maestro di scherma, e di ballo –. Quod si quando parens, districto ense, filium insequutus est, si ad spiritualia exercitia eumdem compulit in religiosa domo Missionis, – si minacciava l'abbandono e la miseria –, id fecit, ut in filium minus dicto audientem animadverteret, et a proposito induendi militaris cinguli diverteret, utque illum revocaret – al suo dovere –, quippe qui liberius vivens, – si dimostrava il più dissipato –. Addidit, quod Marcus erat natura audax ita, ut minas huiusmodi non extimesceret, aut saltem adito Magistratu evitare potuisset. Maxime cum illatae minae nunquam ad actum deductae fuerint, ita ut, cum iactationum fines haud excesserint, non inducebant gravem metum, quod ex atrocitate tantum facti incutitur. Neque aliter putavit sentiendum esse de asserto metu reverentiali erga Parentem, quippe quia solum metum reverentialem non irritare votum decrevit Innocentius III in Cap. *Insinuante* 7 qui cler. et vovent. Denique non repugnantiam, sed imo liberam Marci voluntatem probari contendit, tum ex antecedentibus, quia ipse se ultro examini praestitit, tum ex concomitantibus, quia ipse ordinationis momento nullum dissensus indicium emisit, neque ulla coactio a Parentibus iniecta appareret, tum ex subsequentibus, quia aliquoties in Ordine ministravit, ex quo ratihabitio Ordinis et voti inducitur; maxime cum per triginta fere annos nunquam querelam nullitatis deduxerit. Idcirco negavit praefatus Defensor Ordinis relaxari posse impedimentum voti, cum non constaret, Ordinem susceptum fuisse ex metu cadenti in constantem Virum, neque publicae utilitatis causa concurreret.

89. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, validam fuisse Ordinis susceptionem cum respectivis oneribus, responsum tulit: – Ad secundum, Negative quoad votum continentiae, et ad mentem: mens est, ut, praevia Marci Cellentani Oratoris separatione in perpetuum servanda a Muliere, de qua agitur; et peractis ab ipso Cellentani spiritualibus exercitiis in domo religiosa pro tempore Emi Archiepiscopi, dignetur Sanctitas Sua eumdem Marcum habilitare ad retentionem cinguli militaris, firmo remanente voto continentiae, et inhabilitatione ad exercendum Ordinem, cum dispensatione a quibusvis aliis oneribus eiusdem Ordinis, per Breve – *in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus die 21 Septembris 1816.*

90. Quin imo etiamsi Orator aversum habuisset animum ab Ordinibus ecclesiasticis et praesens esset periculum, ne is ad haereticos dilaberetur, non propterea indulgetur dispensatio a voto castitatis ordini Subdiaconatus adnexo, cum vis et metus exheredationis a Matre illatus haud gravis censeatur *in Pragen. Dispensationis die 27 Augusti 1746.*

91. Enimvero coactum se fuisse asserens Franciscus Rochus Bieschin Bohemus eques vi metuque exheredationis a Matre illato ad sacrum Subdiaconatus ordinem suscipiendum, petiit a Summo Pontifice declarationem nullitatis Ordinis suscepti. Archiepiscopus Pragensis die 3 augusti 1736 retulit, censere preces veritate non niti. Iterum itaque Orator institit pro declaratione dictae nullitatis Ordinis, Testes plurimos edens, quibus probari metus potuisset. Auditus denuo Archiepiscopus, Testibus examinatis instructoque processu, retulit aversum Francisci animum ab Ordinibus ecclesiasticis et praesens periculum, ne, ut ab aliis factum erat, ad vicinos haereticos dilaberetur. Perpensis tamen, quae a Francisco proponebantur, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Pragen. Dispensationis die 27 Augusti 1746.*

92. Nam ut continentiae obligatio dissolvatur, ex sententia divi Thomae in 3 dist. 38 quaest. 1 art. n. 3 requiritur communis utilitas totius Ecclesiae, aut unius Regni, vel Provinciae *in Colonien. Dispensationis die 4 Aprilis 1767* §. *Praeterea.*

Item *in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus die 21 Septembris 1816* §. *Negat; in Aversana Subdiaconatus die 21 Februarii 1818* §. *At inania.*

93. Unde Apostolica super castitatis voto dispensatio impertienda non est ex privatae utilitatis ratione, nisi alioquin publica causa ex magni cuiusdam Principis, aut Regni, aut integrae saltem Provinciae damno occurrat, Reiffenst. lib. 4 Decret. append. ad disp. §. 3, Cosc. de separat. tor. lib. 2 cap. 4, Schmalzgrueb. lib. 4 Decret. tit. 16 n. 146 *in Neapolitana Nullitatis Ordinis die 17 Septembris 1831* §. *Praeterea.*

94. Idcirco cum res sit de unico Castro, non est locus dispensationi, tametsi certa foret illius futura translatio in dominium Dynastae acatholici, iuxta definitionem Sacrae Congregationis S. Officii in Treviren. Dispensationis 7 augusti 1718 *in Colonien. Dispensationis die 4 Aprilis 1767* §. *Praeterea.*

95. Certum enim est, vel publicam causam pro dispensatione a voto castitatis sacro Subdiaconatus ordini adnexo requiri, ut sentire videntur Abbas in Cap. *Cum olim* de cleric. coniugat. n. 5, et in Cap. *Si quando* de praescript. n. 5, Fagnanus in Cap. *Cum ad Monasterium* de stat. Monach. n. 64, vel si privata tantum causa adferatur, non qualemcumque sufficere, sed eam debere concurrere, quae gravis ac urgens sit, iuxta sententiam magis communiter receptam, quam sequuntur late adducti per Card. Albit. de inconstantia in fide Cap. 36, et per Bottinum Archiepiscopum Mirensem in eius voto relato apud Vincentium de Iustis n. 14 ad 19 *in Biterren. Dispensationis die 24 Septembris 1740* §. *His.*

96. Idcirco quando vis et metus non sit reapse gravis nec legitime probetur, frustra Subdiaconus plura congerit, ut, nisi ex rigore iustitiae, saltem ex gratia concedatur dispensatio super voto continentiae, ex eo quod ab omni metu per Parentes illato vacuus non fuerit eius ascensus in Ordinem, qui omnino liberam atque spontaneam exigere videtur

voluntatem *in Osnabrugen. Dispensationis die 19 Ianuarii 1765 et die 14 Martii 1767.*

97. Enimvero Michael Gaspar Glaudorf Canonicus Collegiatae S. Martini Mindensis Subdiaconus supplicavit Summo Pontifici, ut vel dispensaretur quoad suam ordinationem, vel nulla et invalida declararetur ex defectu consensus. Is enim contendit, dubitari non posse de metu illato: preces quippe ac suasiones praecessisse importunas, non defuisse maternas lacrymas, insecutas deinde Patris et graves et acerbissimas minas, cum haec omnia probarentur ex Testibus, quorum alter erat loci Parochus, alter ipse Patruus, nec non ipsi Parentes. Unde nullam haberi posse certiorem probationem dixit iurata affirmatione ipsorum Parentum, qui ea egerint, qui de suo ipso facto testabantur omnia, quin obesset, Patrem executum minas nunquam fuisse, ac non probari eas consuevisse alias exequi. Respectu enim Parentum propugnavit, sufficere solas minas, imo solam eorumdem indignationem, ut credatur, filium non voluntarie, sed per violentiam fecisse omnia, Castill. controv. iur. lib. 8 cap. 59 n. 63, Rot. coram Emerix. Iun. decis. 860 n. 16: quemadmodum nihil facere, quod Pater non fuerit praesens, dum Ordinem suscepit, imo neque in loco moram traheret; durabat enim adhuc vivo Patre eadem metus causa, Rot. coram Peutingero decis. 98 n. 5. Addidit, violentiam patefieri evidentissime, ex quo probabatur, se pluries aperte professum fuisse malle occidi, quam Ordinem suscipere; se Monasterio detentum, ut per taedium pareret tandem, ac demum duabus vicibus Osnabrugum ad Ordinem suscipiendum violenter missum, re infecta rediisse ac ad Parochum confugisse, qui indignantibus atque iratis Parentibus restituit. Nec per vim acta, nunquam postea rata habuisse asseruit, cum nunquam Ordinem susceptum exercuisset, perpetuae fuissent conquestiones lamentationes et desperatio. Ad haec Defensor ex officio plura advertit obiecitque, nempe non probari Gasparem fuisse in decimo sexto aetatis anno, dum, ut asserebat, Parentum opera Canonicatum obtinuit; non haberi ex actis, quo tempore primam Tonsuram ac minores Ordines susceperit, nec quanto tempore Subdiaconus fuerit, ut inde videretur quantum acquieverit, ac proinde ratihabitio facto ipso inducta censeri deberet, praeterea non probari modo, quo debuisset, intercessisse illum metum, qui in constantem Virum ceciderit, ab homine scilicet terribili solitoque minas exequi, ita ut non aliter comminatum malum vitari potuisset, Rota in Romana Nullitatis 14 ianuarii 1754 coram Vicecomite. Despiciendas esse sustinuit inductos Testes, qui formiter sub interrogatoriis repetiti non fuerunt, sed tantum vocati, ut responderent articulis ab eodem Subdiacono propositis. Ceterum nihil ex dictis Testium sumi poterat: nam Parochus et Subdiaconi Patruus testabantur, se ea, quae affirmabant, ab ipsius ore accepisse, ideoque ex iis non habebatur probatio talis metus, quae necessaria erat; imo metus hic excludebatur ex ipso testimonio Patris, qui professus est, se bono animo egisse omnia, ut filiis commodis atque utilitatibus prospiceret. Addidit, comminationes precibus et blanditiis commixtas fuisse; maternas lacrymas precesque, amoris erga filium ac benevolentiae fuisse indicia; filium bis rediisse ex Osnabrugo non suscepto Ordine, ad quem missus fuerat, neque aliquid inde mali evenisse; dum suscepit Ordinem, neque in loco Patrem adfuisse; potuisse Gasparem Episcopo exponere omnia, eiusque opem ac providentiam implorare; denique non probari, ut ipse affirmabat, nunquam Ordinem exercuisse, de reliquo haec nihili facere, cum potius animi eius inconstantiae ac levitati tribuenda essent.

98. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1765 responsum tulit: – Negative –. Impetrato beneficio novae audientiae, iterum Orator iustitiam, vel saltem gratiam imploravit. Plura hinc congessit, ut equitatem suaderet subalternae huius petitionis. Dixit, ab omni saltem metu vacuum non fuisse eius ascensum in Ordinem: ipsum ex praenobili ortum familia catholica et benemerita de Religione catholica; eam in Oppido Melle morari Acatholicis redundante; alteram nec ibi, nec in proximo Comitatu Ravensbergensi orthodoxam extare familiam, a qua tutelam et subsidia sperare valerent Pauperes catholici; suam solum eorum esse fautricem auxiliatricem;

liberalem eam esse in Ecclesias, in fovendis ipsorum Ministris, in excipiendis exercentibus sacras missiones; Oratorem unicum esse filium grandaevae aetatis Parentum, et eius familiae extinctione maximum adesse periculum, quod bona orthodoxae familiae in summum Ecclesiae catholicae luctum et damnum ad manus devolverentur haereticas; probari haec omnia praesertim ex iurata Vicarii Generalis Missionis, qui insuper addebat, se Virorum gravium Diaecesis precibus et vero zelo conservandae et pro viribus adiuvandae Religionis catholicae in illis partibus ad ita testificandum impulsum fuisse. Contra Defensor ex officio totus fuit, ut tam antiquas, quam novas probationes quoad praetensam vim et metum Gaspari illatum repelleret. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Osnabrugen. Dispensationis die 14 Martii 1767.*

99. Unde non indulgetur Subdiacono annum quinquagesimum quartum agenti dispensatio super voto continentiae propter merita suae antiquissimae et catholicae familiae, cum praesertim haud existere videatur periculum, ne Dynastia et unicum Castrum ad heterodoxos revertatur *in Colonien. Dispensationis die 16 Maii 1767.*

100. Siquidem ex praenobili Viro Arnoldo Christophoro Barone de Bilandt tres orti fuerunt filii masculi, feminae duae. His Matrimonio iunctis proleque donatis, ex masculis Ioannes Franciscus primogenitus anno 1752 obiit improlis. Quum reliqui duo fratres natu minores in sacro Subdiaconatus Ordine ambo essent constituti, quorum obitu paterna linea masculina erat defectura, hinc Arnoldus secundogenitus a Summo Pontifice Benedicto XIV exoravit dispensationem super impedimento Sacri Ordinis, ut, illo non obstante, Matrimonium contrahere valeret. Nam dixit, antiquissimam ipsius Oratoris familiam actu possidere Castrum et Dynastiam Rheidanam in Ducatu Iuliae sitam, per eius Patrem e manibus alterius lineae Comitum de Bilandt heterodoxae fidei via quidem iuris, sed ingenti sumptu vindicatam. In ea haereticis Incolis redundante ipsius Oratoris Patrem novam et elegantem Ecclesiam pro Catholicis aere proprio construxisse congruis reditibus dotatam exornasse, in Parochiam erigi curasse, Catholicae Religionis exercitium ibi suppressum nedum restituisse, verum etiam Incolas et Subditos Catholicos adeo multiplicasse, ut, Haereticorum numero sensim diminuto, Catholicorum Parochia sex centos et ultra iam numeraret communicantes temporis progressu indubie augendos, quatenus Rheidanum Dominium sub iurisdictione familiae catholicae perseverasse. Subdebat autem, quod sicuti memorata altera heterodoxa linea Comitum de Bilandt diu sustinere conata fuit, sibi ius ad eamdem Dynastiam quaesitum esse ex investitura, quam a serenissimo Comite Palatino, qua Duce Iuliae, illius Domino directo obreptitie obtinuerat, et cuius vigore possessionem interceperat, ita periculum esse, ut, extincta linea masculina catholica, ad easdem praetensiones reditura esset linea acatholica, et si res huic prospere cesserit, eventurum, ut non solum ea laberentur, quae maximo Patris sumptu ac labore, pro fide et religione catholica, gesta erant, sed etiam, ut nulla deinceps emergendi spes Catholicis superesset. Orator tamen petitionem deserens, anno 1759 vita decessit. Hinc pro eadem dispensatione supplicavit Carolus Gaspar tertiogenitus, unicus masculus suae familiae tunc superstes et annum agens quinquagesimum quartum. Contradictores vero sese praebuerunt Oratoris Sorores, et Hadrianus Ioseph de Bilandt ex Comitibus catholicis in Melden. Is itaque latius protulit causas, quas frater exposuerat pro obtinenda dispensatione, scilicet tum privatas suae familiae, tum publicas catholicae Religionis. At Oratoris Sorores et Hadrianus Ioseph obiecerunt, Sanctam Sedem haud indulgere huiusmodi dispensationes, nisi per eam vel certe occurratur publicis calamitatibus, vel utilitas publica indubie sit eventura. Inane dumtaxat hic praetexi periculum, quod Dynastia Rheidana ad heterodoxos reverteretur per obitum Oratoris sine filiis, propterea quod eadem Dynastia esset feudum masculinum; ex hoc autem unico fundamento scatere potius rationem reiiciendi gratiam. Nam quatenus ea ex isto capite concederetur, perniciosissimae derivaturae essent exinde consequentiae, ut per indirectum quodammodo defini-

retur, tum qualitas feudi, quod erat in controversia, tum ius Acatholicis ad Dynastiam quaesitum, quod plane nullum erat ac prorsus inane. Vanum ceteroquin erat assertus timor reditus Dynastiae Rheidanae in familiam heterodoxam, quatenus sine filiis decederet Orator. Nam sospites adhuc erant eius Sorores, complures extabant illarum liberi, in hos, illo eveniente casu, Dynastia erat devolvenda, commentum sapiebat, quod illa esset feudum masculinum. Procul igitur aberat praefatum periculum. Quin imo in ea hypothesi Dynastia transferenda erat in catholicum Virum Hadrianum Iosephum ex Baronibus de Bilandt in Melden, qui originem suam ab Henrico primo acquirente derivabat.

101. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Colonien. Dispensationis die 16 Maii 1767.*

102. Quum autem Ioannes Wolfangus Baur in Uxorem duxisset Annam Mariam Felicitatem, quae post mutuam cohabitationem nullitatem Matrimonii ob Viri impotentiam proposuit, sed Iudex eam ad ulteriorem cohabitationem adducere non valuit, cumque Vir fassus fuerit suam impotentiam et ad Sacros Ordines ascendere obtinuerit, dum Mulier iuramentum seu votum simplex castitatis in seculo emiserit, inde tamen a carnis stimulis agitata a dicto voto dispensationem petierit, et Episcopus annuere censuerit, timens, ne ad haereticorum partes transiret, proposito dubio: – I. An Sanctissimo Domino Nostro consilium praestandum sit pro dispensatione super voto castitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et ad mentem – *in Eystetten. die 19 Augusti 1724.*

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Arch. Salini Ord. Praed. S. P. A. Magister Socius:

GTU Library
3 2400 00622 0689

DATE DUE

DEMCO, INC. 38-2931

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

37246